# PHILIPPI MELANTHONIS

# OPERA

# QUAE SUPERSUNT OMNIA

EDIDIT

CAROLUS GOTTLIEB BRETSCHNEIDER.

## VOLUMEN X.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

1842.

# PHILIPPI MELANTHONIS

# EPISTOLAE, PRAEFATIONES, CONSILIA, IUDICIA, SCHEDAE ACADEMICAE.

---

## VOLUMEN X.

CUI INSUNT:

1) QUOD EPISTOLARUM RELIQUUM EST.

2) SCRIPTA QUAEDAM AD OBITUM MELANTHONIS SPECTANTIA.

3) CLAVIS NOMINUM ALLEGORICORUM.

4) INDICES EPISTOLARUM.

SEQUUNTUR PRAETEREA IN HOC VOLUMINE:

I. CARMINA MELANTHONIS.

II. EIUSDEM ORATIONES ACADEMICAE.

**L. B.**

**S.**

***Ioachimum Camerarium*** **in edendo Volumine epistolarum sibi a Melanthone inscriptarum, temporis et hominum magnam habuisse rationem, neque igitur omnes Melanthonis epistolas sibi scriptas edidisse, editas autem mutasse et mutilasse, dubio caret. Quod quo magis dolebam, eo studiosius inquirebam, an apographa vel fortasse autographa superessent. Sed praeter unum vel alterum apographon nihil repertum est illarum epistolarum in bibliothecis.**

**At, quod non speraveram, evenit. Iter ante triennium Dresdam facienti, mihi ab homine docto nuntius allatus est, Melanthonis autographa epistolarum ad Camerarium esse Romae in bibliotheca Principis *Chigi*. Quod ubi audiveram, statim rogavi hominem doctissimum et literarum peritissimum, D. *Aemilium Braun,* Gothanum, diu iam Romae degentem, ut hunc codicem autographorum conferret cum libro edito, cuius exemplar ei misi. Qui quidem precibus meis satisfacere libenter studuit, codicem in bibliotheca Chigiana invenit, sed, quidquid tentaverit**

et rogaverit, tamen ei usque ad hunc diem non permissum est, ut codice uteretur. Quod an imposterum ei permittatur, aeque incertum est. Sine dubio hic codex cum aliis Melanthonis autographis a Ioachimo Camerario traditus est filio *Ludovico,* qui haec autographa reposuit in bibliotheca Heidelbergiana, qua direpta etiam hic codex Romam ablatus esse videtur.

Gothae, d. 29. Septbr. 1842.

*B.*

# LIBER QUARTUS DECIMUS,

CONTINENS

# EPISTOLAS, IUDICIA ET SCRIPTA MELANTHONIS,

QUAE QUO ANNO SCRIPTA SINT DEFINIRI NON POTUIT.

# A) EPISTOLAE MELANTHONIS.

**No. 6983.** 20. Maii.

## *Christ. Brück.*

† Ex apogr. in cod. Monac. 90. No. VII. p. 67 b. Scripta est ante bellum Schmalcald.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Christiano Brück, Doct. Iuris, Consiliario Illustr. Principis Ducis Sax. Elect., patrono suo.*

Clarissime vir. Hic adolescens, cui hanc ad vos epistolam dedi, filius est diaconi Ecclesiae Penacensis *Nicolai Eriandri*, ac modestus et bene literatus est, cumque in collegio serviat, fide et assiduitate omnibus ministris antecellit; quare et nuper veste donatus est. Scripsit autem ad eum pater nescio de qua spe, sed iussit eum adferre ad vos testimonium. Iudico igitur in eum recte conferri beneficium non solum quia pauper et sacerdotis filius est, sed etiam quia mores honeste regit, et inter labores oeconomicos non negligit studia literarum, quod ipsum boni ingenii signum est. Quare vos oro, si qua est occasio, ut petitionem eius authoritate vestra adiuvetis. Scitis pietatem Deo gratam esse, et salutarem reipublicae pauperum sacerdotum familiis bene moratis opem ferre. Non dubito, propter illas hactenus tranquillitatem harum regionum fuisse, quas ut deinceps etiam Deus protegat et regat opto. Bene vale. 20. Maii.

---

**No. 6984.** — —

## *Nic. Buscoducensi.*

† Ex apographo autographi in cod. Goth. 189. ep. 54. fine.

*Viro optimo Dm. N. Busscoducensi *), docenti Vesaliae optimas literas, amico suo cariss.*

S. D. *Non ignara mali, miseris succurrere disco*, inquit regina apud poëtam, pulsa regno patrio. Scio et te, pro tua eximia pietate et virtute, affici aerumnis piorum, qui exulant cum Ecclesia, cum qua tu annos iam multos et senex in exilio passim vagaris. Hunc iuvenem igitur tibi commendo, *Casparum Leodiensem*, qui fuit in sodalitio Cartusianorum Moguntiae, postea aliquamdiu nostro sumtu vixit in academia. Cum autem benignitatem vestram calleat, isthuc proficiscitur. Poterit fungi Diaconi munere alicubi, aut docere parvos liberos alicuius civis. Talem conditionem, ut ei quaeras, valde te oro. Nihil sum veritus pauperem pauperi, exulem exuli commendare. Est enim mihi vota tua cum prudentia, tum in omni officii genere diligentia. Bene vale.

Phil. Mel.

---

**No. 6985.** — —

## *Io. Caesario.*

Manl. p. 852. Apographa in cod. Bav. II. p. 805. et in cod. Goth. 401. p. 102.

*Iohanni Caesario* S. D.

Commendo tibi hunc iuvenem, mi Caesari, teque rogo, ut eum pro tua humanitate summa amplecti

---

*) Henricus Buscoducensis in Dania fuit anno 1552., ut intelligitur ex epistola Bugenhagii ad Regem Daniae d. d. 8. Aug. 1552. (apud *Schumacher* Vol. I. p. 185.)

velis. Magnopere enim cupit se in amicitiam † tuam" ingeri, ut eruditissimis et suavissimis sermonibus [1]) tuis frui tantisper possit, dum isthic erit. Vere [2]) se in academia aliqua interim esse putabit, si id ei configerit. Dabis veniam brevitati literarum. Nam hoc tempore ne [3]) studia quidem mea me delectant, quibus alioqui nihil habeo iucundius, *καὶ διατέλει ἀντιφιλεῖν με ὥσπερ εἴωθας* [4]). Vale.

---

No. 6986.

## *Abr. Castoldo.*

E cod. Mehn. III. p. 117. nunc primum edita.

*Nobili et magnifico Domino, D. Alberto Castoldo, Palatino Vilnensi, Magni Ducatus Lituaniae Cancellario summo Corinthi de Murate Geranam (?) patrono observandiss.*

Nobilis ac magnifice Domine. Saepe mihi praedicavit *Abrahamus Culmensis* cum caeteras virtutes tuas, quae in his, qui reipublicae praesunt, eminere debent praecipue, tum vero etiam singulare studium intuendis et ornandis literis ac doctrina, quae conducit ad tranquillitatem reipublicae et bonos mores; qua in re perspici potest, quantum excellas prudentia plerosque alios, quos fortuna ad illum honoris gradum evexit. Itaque etsi tibi ignotus sum, tamen cum audiverim, te tam honorifice de literis sentire, non dubitavi ad te scribere, praesertim de amici et boni viri studiis. Hoc genus epistolae sperabam tibi non ingratum fore.

Questus est mihi *Abrahamus*, isthic calumniis indoctorum quorundam alienari a se parentum animos, et non solum existimationem suam, sed etiam patrimonium in periculum venire. Hac in re orat, ut authoritate tua parentes ipsi fiant pacatiores, et ut adversus iniustas calumnias tegatur ac defendatur. Praeclarum est autem tibi authoritatem tuam conferre ad defensionem viri docti et boni, qui aliquando poterit ornamento esse patriae. Versatur enim *Abrahamus* in his artibus, quae ad tranquillitatem reipublicae maxime conducunt, dedidit se eloquentiae studiis et philosophiae, quae de natura rerum et omni officio boni civis, de iustitia et de iure disserit. Quae est autem barbaries versantem in talibus studiis, quae sunt pacis vincula, tam hostiliter oppugnare? Sed indocti odio literarum praetexunt religionem. Nunquam fuit maior petulantia aut licentia Sycophantarum, quam hoc tempore. Eo fit, ut saepe boni et docti viri falso in suspicionem vocentur. Idem accidit *Abrahamo*. Nam is profecto catholicae Ecclesiae consensum in omnibus rebus ac dogmatibus *) summa pietate sequitur, maximeque ab omnibus seditiosis opinionibus abhorret, nec admiscet se controversiis theologicis; imo desiderat ipse quoque in Lutheranis moderationem, tantum abest ut faveat tumultibus, quae in Germania ab illiteratis excitantur. Cum igitur et de relligione nihil dissentiat a catholica Ecclesia et veteri auctoritate, et in aliis artibus versetur, quarum magnus est usus in republica, rogo, ut eius defensionem Magnificentia tua suscipiat. Tanta est virtute et constantia praeditus *Abrahamus*, ut beneficii tui memoriam summa cum gratitudine servaturus sit. Audio, te admodum doctrinam de motibus et causis coelestibus amare, quae quidem est philosophiae pars suavissima, et in multis maximis rebus usum habet, ut ipse experior. Qui id studium colunt, natura sunt praediti heroica, et ad iuvandos bonos propensi. Erit autem hoc ipso in genere etiam tibi usui *Abrahamus* in interpretandis Ptolomei sententiis, cuius aliquam partem a me audivit. Hoc magis amanter amplectendus est Abrahamus, quod illis etiam studiis, quibus tu magnopere delectaris, capitur. Sed desino. Ego quoque me Magnificentiae tuae reverenter commendo. Bene ac feliciter vale.

---

No. 6987. 5. Oct.

## *Paulo Ebero.*

Epist. lib. VI. p. 510. — Contuli autographon in cod. Monac. I. p. 662.

*Doctissimo Viro, Magistro Paulo Ebero, φιλτάτῳ.*

S. D. Carissime Paule. Vidisse te hanc *Annam* in aedibus meis arbitror. Diu servivit meo affini

---

1) *colloquiis*] cod. Bav.

2) *Et*] cod. Goth. 401.

3) *ne*] unice veram lectionem, habet cod. Bav.; *non* est in cod. Goth. 401. et Manl. ediderat *raro*.

4) Graeca omisit cod. Bavar.

*) Cod. Mehn. *dignitatibus*, quod mendum puto.

consuli, et antea Doctori *Sebaldo*. Bonum et modestum ingenium est, et mores sunt inculpati. Quaerit Lipsiae dominam. Commendes igitur eam honestis matronis coniugi D. *Ziegleri* aut nostri hospitis. 5. Octobr.

Philippus Melanthon.

---

No. 6988.

## *M. C. Eringio.*

† Ex apogr. in cod. Mehn. III. p. 211. nunc primum edita. — Nescio an suo nomine Mel. scripserit, an vero discipulo alicui suo haec praescripserit.

*Ad M. C. Eringium *) Ph. M.*

Cum ab ingratitudine non secus abhorream atque Achilles ille Homericus a mendacio, mecumque perpenderem, quam immensum esset, quod tuae deberem humanitati, facere non potui quin te interpellarem ineptis meis literis, ne in ingratum te beneficium collocasse ac perdidisse potius iure meritoque queri possis. Nihil aeque perit atque quod confertur in ingratos. Etiamsi dissimulat, tamen apud se obnoxius est et aliquando vel pudore gratiam refert is, qui non intelligit, etiamsi sibi deberi putat. Ut igitur stultum est bene mereri de iis, qui non intelligunt, ita benefacere (ingratis) extrema dementia est. Crede mihi, dum haec animo mecum reputo, non leviter sum sollicitus, ut tandem si non re ipsa, verbis tamen animi grati et memoris exhibeam significationem. Nosti enim, ut opinor, in referendis officiis voluntatem nostram propensam; sed quae obstent, quo minus voluntati morem geram, etiam explorata habes. Intellexi, te uxorem duxisse; quod si ita est, precor, ut consilium tuum Christum fortunet. Quandoquidem ipsius autoritatem in eo vitae genere ingrediendo maximo cum periculo sequi videris. Neque vero duxi te adversus iniqua hominum iudicia confirmandum esse. Non enim dubito, quin perspexeris antea quae divinationes, quae tempestates subeundae tibi essent in hac causa, et animum contra omnes casus et impetus, non solum ratione verum etiam pietate munieris **) ac sepseris. Quod cum ita sit, non volui hac de re scribere longius; tamen illud duxi addendum esse, quod ad consolationem, meo quidem iudicio, non est inutile: tuum exemplum ad alios bonos viros in causa optima confirmandos plurimum valebit. Atque inter caeteras causas, quae te bene sperare iubeant, hanc quoque cogites, quod aliqua ex parte ad publicam et Ecclesiae utilitatem exemplum pertinet. Quare et gratum Deo iudicandum est, et singulari clementia defendetur. Bene vale.

P. M.

*) Quis ille fuerit nescio. Fortasse est Eringius concionator in oppido Zwickau, qui commemoratur in ep. Melanth. d. d. 7. Febr. 1549.

**) Mst. mendose: *minueris*.

---

No. 6989. 18. Apr.

## *Georgio Anhalt.*

Epist. lib. II. p. 189. (ed. Lond. lib II. ep. 179.).

*D. Georgio Principi in Anhalt*

S. D. Illustrissime Princeps, Magna pietas est et Deo grata, sacerdotes viros doctos, honestos et amantes Evangelium, ac vere Filii Dei legatos diligere, fovere et tueri. Haec officia, Deo omnes viri praestantes debent. Et C. V. praestare ea prae caeteris magna fide scio. Quare non dubito vicissim Deum vobis adfuturum esse. Est autem hic Magister *Cunradus Claudius Francus*, homo doctus et pius, et Evangelium docuit annos amplius XX. Olim in Ecclesia *Halberstadensi* initiatus sacris more usitato. Postea non solum ingenii et eruditionis testimonia multa nobis ostendit, scriptis erudite historiis et enarrationibus: sed etiam specimen praebuit insigne patientiae et studii pacis, quia duram servitutem tulit sine litibus. Ideo commendo eum C. V. et oro ut eum iuvet. Omnium rerum divinarum et humanarum praecipua et maxima est, Evangelii ministerium et coetus publici Ecclesiae: hos omni cura tueamur. Heri literas accepi, in quibus mihi scribitur, in *Africa* nullos esse coetus, nullos congressus ullius religionis. Talem barbariem molitur Diabolus, oppressione literarum et ministerii. Ideo acerrime pugnandum est, ut sacerdotes defendantur. Bene valeat C. V. Die 18. Aprilis.

No. 6990. 8. Apr.

## *Paulo Gerhardo.*

(Ex autographo edita in Unschuld. Nachr. ann. 1719. p. 766.).

*Clarissimo viro prudentia et virtute praestanti, Dom. Paulo Gerardo, Patricio et Senatori inclytae urbis Brunswigae, Patrono suo colendo,*

S. D. Clarissime vir et patrone colende. Dulcissimus versus est graeci poëtae, sed sententia divinitus saepe repetita est: *generi rectorum benedicetur, εὐσεβείων παίδων τὰ λώϊα, δυσσεβείων δ' οὔ.* Spero igitur, et dulcissimos tuos a Deo et regi et protegi; et ut totam Ecclesiam tuam domesticam protegat, toto eum pectore oro. Oro etiam ut studia doctrinae filiorum adiuvet. Cum autem hic adolescens *Iacobus* se tibi commendatum esse dicat, ut filios tuos doceat, hanc ei epistolam dedi, etsi iudicio tuo totam rem permitto. Tamen de moribus et de grammatica hoc significo, et mores pios esse, et grammaticam eum recte didicisse. Aetas quae sit, vides ipse; sed modestia et diligentia aliquid auctoritatis addere poterunt. Mitto pagellas, et salutem vobis omnibus opto. Die 8. Aprilis.

Philippus Melanthon.

---

No. 6991. 26. Sept.

## *Eidem.*

(Edita ex autographo in d. Unschuld. Nachr. ann. 1719. p. 766.).

*Clarissimo viro, prudentia et virtute praestanti, Gerhardo Paulo [Paulo Gerhardo] Patricio Brunswicensi, Patrono suo colendo,*

S. D. Clarissime et honestissime vir. Singulare Dei donum et opus est, soboles idonea ad virtutem, et quae sit aeternae Ecclesiae seminarium. Hoc tantum bonum cum Deus vobis dederit, gratias Deo vobiscum ago, et toto pectore eum oro, ut vos et vestram Ecclesiam domesticam servet et gubernet. Oro etiam, ut posteritati in his regionibus tribuat Ecclesias et politias tranquillas, in quibus Deus vere celebretur. Mea officia, Deo iuvante, filio vestro non deerunt. Bene et feliciter valete. Die 26. Septbr.

Philippus Melanthon.

No. 6992. — —

## *Guilielmo Landgr. Hass.*

Manlii farrag. p. 315. ubi inscribitur: *Principi cuidam iuveni.* — Epist. lib. III. p. 111. (ed. Lond. lib. III. ep. 54.).

*Illustrissimo Principi Guilielmo Landgravio adolescenti *),*

S. D. Illustrissime Princeps, Gratiam tibi habeo, quod ad me tam amanter scripsisti. Mihi enim nihil optabilius est benevolentia mei Principis, cui praecipue et debeo et cupio omnia vitae meae consilia, et omnes actiones probare. Tibi quoque honestum est, inquirere in subditorum mores, et delectum adhibere, inter eos quorum consuetudo tibi dedecori esse possit, ut versu veteri dictum est,

Principis est virtus maxima nosse suos.

Erunt autem literae apud me tuae, tanquam benevolentiae erga me tuae pignus, ac vicissim omnibus ingenii nervis, et omni animi contentione perficiam, Deo iuvante, ut bonis moribus et virtute favorem tuum, et aliorum honestorum hominum tuear.

Hortarer autem te ad literarum studia, et ad virtutem, si mea aetas plus autoritatis haberet. Sed habes domesticos monitores officii tui, primum ac praecipuum, patrem tuum, qui propter ingenii praestantiam et sapientiam autoritatem habet eximiam, apud omnes Reges et nationes. Audies igitur et Patrem, et virum gravitate ac moderatione animi praecipua praeditum *Philippum Rittesel*, et Praeceptores tuos, quos Pater tibi propter prudentiam et fidem adiunxit.

Hi sciunt bonum Principem et salutarem patriae et Ecclesiae, quae est altera et verior Patria, imaginem Dei esse in terris. E contra vero malum Principem et perniciosum Patriae et Ecclesiae, imaginem Diaboli esse, grassantis in genus humanum horribili saevitia. Maxime igitur opto, ut ita gubernes aliquando Patriam, ut omnes boni te velut imaginem Dei venerentur.

Id autem ut consequaris, necesse est, ut eruditione te instruas, et ad virtutem te exuscites ac

---

*) Sic editor epistolar. Londinensis edidit; at apud Pezel. sic inscribitur: *Ad Illustriss. Principem Guilielmum Landgravium adolescentem, epistola cuidam nobili praescripta a Philippo Melanthone.*

adsuefacias, et quoniam ad hoc opus est auxilio Dei, precor Deum ut te servet et regat, ut sis tibi et universae Reipubl. salutaris. Bene vale.

---

No. 6993. — —

## *von der Heiden.*

Manlii farrag. p. 237. — Apographa in cod. Goth. 212. p. 117. et in cod. Goth. 401. p. 7.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, domino Ioachimo von der Heiden, secretario inclyti Electoris Ducis Saxoniae, etc. patrono suo,*

S. D. Clarissime vir, dulcissimi sunt versiculi Euripidis, de misericordia erga calamitosos:

*εἰ μὴ γὰρ ὢν ἄνθρωπος εἴ που* 1) *τύχαις*
*ὑπειρετήσω, οὐ φανήσομαι φρενῶν* 2).

Nec vero hos versus ideo recito, ut de ipso officio, de quo loquuntur, te admoneam: sed quia te virum doctum, commemoratione talium dictorum delectare scio. Ut quisque maxime intelligit virtutem, ita maxime amat tales descriptiones, et quasi *εἰκῶνας* virtutum. Est omnino, ut versus illi dicunt, conveniens hominum naturae, lenire miseris calamitates: quod cum facias, agnosco virtutem tuam, et tibi gratiam habeo: et opto, ut vicissim tibi Deus benefaciat. Oravi nuper, si defatigatum animum aulicis occupationibus nostri congressus nonnihil exhilarare possunt 3), ut quoties libet, ad me venias. Idem rursus significo: ac nunc te D. *Paulus* ad philosophicam coenam vocat, daturus nobis lepusculum, quem ipsius lepos condiet. Bene vale.

---

No. 6994. — —

## *Nic. Krug.*

Manl. farrag. p. 347 b. — Apographon in cod. Mon. 90. No. VII. p. 399., ubi inscribitur: *Nicolao Krug.* Manlius tantum: *Nicolao cuidam.*

1) Mstt. *ἀνθρώπου.*
2) *φρονῶν*] mst. 1. *φρενῶν* mst. 2.
3) *possunt*] utr. mst. Manl. *possent.*

*Nicolao cuidam.*

Valde optarim te unius anni laborem et 1) molestiam aequo 2) animo pertulisse, propter ipsas literas: quae cum in summo odio sint apud indoctos, non possunt alia ratione conservari ac restitui, nisi 3) professores sua patientia, aequitate et studiis voluntates hominum sibi concilient 4). Quod enim de valetudine quereris, aetas tua mihi quidem tantum habere robur videtur, ut hos labores aliquandiu sine periculo ferre potuisse videaris. Habes summam nostri consilii, ac mearum cogitationum: quas rogo ut in bonam partem interpreteris. Scripsi enim animo simplici pro amore erga te meo. Nam 5) propter has querelas videris mihi de existimatione periclitari. Non impedio tamen uti te occasione, si contingat melior conditio. Vale.

---

No. 6995. 5. Nov.

## *Io. Lango.*

Epist. lib. VI. p. 420. — Apogr. in cod. Goth. 399. p. 171. — Contuli autographon in cod. Monac. I. p. 348., cuius scriptura prodit, epistolam decennio quinto sec. 16. scriptam esse.

*Clariss. viro, D. Ioh. Lango, Th. Doct., Pastori Eccles. Erfordianae, amico suo cariss.*

S. D. Hanc tibi reddet epistolam *Ioannes Pauning* Ienensis, qui in Academia nostra auctus est gradu magisterii Philosophici. Postea vero uxorem in patria duxit, et nunc decrevit in urbe vestra habitare, ubi domunculam habet, ut audio. Petivit autem a me literas, ut aditum ad notitiam et amicitiam tuam haberet, quas non invitus ei dedi. Modesto ingenio et tranquillo eum esse animadverti, et amat literas. Quare amicitiam tuam et aliorum literatorum expetit. Tribues igitur ei officia, quae hospiti sine detrimento tribui a bonis solent. Si docere adolescentes in urbe posset, laborem non defugeret. Aut si qua Ecclesia in vicinia ei commendari posset, ad eam rem

1) Cod. Mon. *ac.*
2) *aequo*] non habet Manl.
3) Cod. Mon. *nisi si.*
4) Cod. Mon. *conciliant.*
5) Cod. Mon. *Nec.*

etiam se offert. Vagamur nos Scholastici, ut vides, neglecti a gubernatoribus Reip. Quare nos mutuo complectamur et nostrum gregem foveamus, ac ut Esaias precatur Deum, ut obsignet legem in suis discipulis, ne in tanto contemptu et in ruinis imperiorum deleatur doctrina caelestis, ita nos Deum oremus, ut discipulos pios et valentes ingeniis servet. Die 5. Novembr.

Philippus Melanthon.

---

No. 6996. 26. Mart.

## *Io. Lango.*

Epist. lib. VI. p. 422. Apogr. in cod. Goth. 399. p. 173. Contuli autographon in cod. Mon. I. p. 344., cuius scriptura prodit, epistolam quinto decennio sec. 16. scriptam esse.

*Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, Dom. Iohanni Lango, Doctori Theolog., gubernanti Ecclesiam Dei in inclyta Erfordia, amico veteri et cariss.*

S. D. Reverende vir et amice carissime. Etsi magno cum dolore legi querelam tuam de fontibus simultatum, quae istic ortae sunt, tamen scio ea te gravitate esse et sapientia [1]), ut talibus malis arte mederi studeas. Mediocribus [2]) officiis et ad Ecclesiae utilitatem, et ad ipsius decus flectere illum ipsum, de quo scribis, studui. Et spero aetatis maturitatem aliqua emendaturam esse. De me si parum amanter loquitur, etsi ipse in me † ipso " multa reprehendo, tamen quod ad hunc attinet, illud Pindaricum [*Nem. od. α.*] dici posse arbitror, λέλογχε μεμφομένοις ἐσθλὸς, ὕδωρ κάπνῳ φέρειν αὐτίον, [*sortitus est obtrectantibus bonus, aquam incendio ferre contrariam.*] Ego certe Ecclesiarum nostrarum concordiam † omni studio alere conatus sum, et mediocriter " ea in re philosophatum me esse puto. Idem deinceps faciam. Salutem opto Dn. *Sturciadae.* Bene et feliciter vale. 26. Martii.

Philippus Melanthon.

---

1) Camerar. *patientia*, mendose.

2) Camer. edidit: *Ego mediocribus* etc.

No. 6997. — —

## *Levino.*

Primum edita, ut Melanthonis epistola, in *Schelhornii* literär. Ergötzlichk. I. 310. Inveni eandem accuratius descriptam in cod. Bav. Vol. II. p. 550., ubi vero Chiliano Goldstenio tribuitur. Dedi eam hic, ne quis, qui eam ex Schelhornio noverit, putet, aliquid desse. Apud Schelhorn. inscribitur: *Phil. Mel. ad Amicum*, sed in cod. Bav. sic:

*Ad D. Levinum Embden, consolatoria.*
(Ad *Levinum* cognomine Embdanum, Syndicum Brunsvicensem.)

Quanto dolore propter honestissimae † tuae " coniugis obitum affectus sis, ac crucieris, facile ex hac mea animi moesticia ac moerore [1]), quem ex hoc casu incredibilem percepi [2]), coniecturam facio. Nam cuiusmodi [3]) cogitationes tuae nunc sint, quodque desiderium, hoc communia fere exempla in hoc genere huius mortalitatis [4]) satis edocent. † Et quanquam ipse consolatione indigeam (scis enim magnitudinem amoris mei erga te), tamen neutiquam " [5]) potui illud vulgare officium amicos consolandi praetermittere [6]). Non autem potes ex ulla re alia praesentius solatium his malis abunde [7]) petere, quam [8]) si cogites et certo tecum statuas animo, haec [9]) non ita temere, sed certa quadam et benevola Dei voluntate accidisse. Et simul etiam non vana, sed singulari dispositione divina res humanae ita comparatae [10]), ut nullum huius vitae bonum perpetuo sit solidum. Quod ipsum fortassis hac gratia fit, ut discamus hinc aequo et christiano animo tolerare, quidquid in hac mortalitate aut adversi aut commodi nobis usu veniat. Impium est [11]), rebus secundis [12]) efferri, et Dei benevolentiam † non " ubique agnoscere. Sed magis impium est,

---

1) Schelh. *et dolore.*

2) Schelh. *accepi.*

3) Schelh. *quae.*

4) Schelh. *genere humano satis* etc.

5) Schelh. tantum: *edocent. Quare in hoc tuo luctu neutiquam.*

6) Schelh. hic addit: *scis enim magnitudinem amoris mei erga te.*

7) Schelh. *aliunde.*

8) Schelh. *nisi.*

9) Schelh. *hoc.*

10) Schelh. *humanas ita comparatas.*

11) Schelh. pro *impium est* habet *et.*

12) Schelh. addit *non.*

non sustinere patienter voluntatem Dei, si aliqua adversitate, si orbitate coniugis liberorum et amicorum tangamur. Docent enim sacrae literae, et exempla paene omnium sanctorum testantur, haud adeo feliciter cum iis agi, qui prospera tantum huius vitae sentiunt, et ab adflictionibus omnibus, quae communes sunt christianis, abhorrent. Nota est sententia Salomonis: *quos diligit dominus, castigat;* et in epistola Pauli ad Hebraeos adulteri filii vocantur, qui perpetuis fortunae bonis gaudent. Amisisti uxorem caram, pudicam, sanctam, bene moratam. Fateor et scio. At, quid facias? aut quid, obsecro, †frustra" te maceres, cum et haec voluntas Dei fuerit, cui obsistere nemo possit? Et magis gaudere debebas, quod secundum hanc Dei voluntatem in tam sancto mortis genere adeoque in hac vocatione sui †ipsius" puerperii diem suum obierit. O felicem illam et beatam, quae liberata sit huius seculi infinitis paene malis, relinquendo sui tam dulce, tam desideratum desiderium! Nos infelices, qui in hoc mundo tanquam in ergastulo quodam, et tam infinitis paene malis detinemur! Sed finem facio epistolae, ne consolando plus augere videar dolorem †animi", quam allevare. Quod serius scripsi, cupio me excusatum tibi: nam per hebdomadas aliquot domi non fui. Bene vale et Christo te totum commenda.

*Chilianus Goldstein,*
Doctor.

---

No. 6998. — —

## *Ge. Maiori.*

Epist. lib. V. p. 857. — Decennio sexto sec. 16. scripta.

*D. Georgio Maiori.*

S. D. Usitatum est, causidicis *N.* affectare eloquentiam. Ideo invitus lego scriptas ab illis procuratorculis narrationes. Et rectius erat, per Pastores Ecclesiarum nobis significari negotia. Id scripsi in mea responsione, quae ad Pastorem mitto, quae si placet, potestis addere subscriptionem. Bene valete. Et literas meas obsignate, si placent.

Philippus.



No. 6999. — —

## *Io. Marcello.*

† E cod. Goth. 401. p. 123.

*(Ioanni) Marcello suo.*

Mi *Marcelle.* Parum de me liberaliter sentis, si me putas tam acerbe inquirere in tua scripta. Ego vero pluris amicitiam nostram facio, quam ut eam mihi eiusmodi erratis excuti patiar. Deinde honorificentius de te sentio, quam ut propter σφάλμα γραφικόν, ut vocant, meum de te iudicium mutem. Delector stationis tuae copia et multitudine. Tu modo vide, ut cures valetudinem. Illum locum tuae epistolae non animadverti. Bene vale.

φ. M.

---

No. 7000. 11. Iun.

## *Eidem.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ª.

*Magistro Marcello.*

S. Mi *Marcelle*, hic iuvenis Herzbergensis est filius Diaconi in ea Ecclesia, hominis Franci, bono ingenio praeditus. Dedit enim specimen ante cum esset scriba senatus. Rogo, ut adolescentis scripta interdum emendes ac studia inspicias, et si alieni scholae hypodidascalus quaeratur, ad quam hic videtur idoneus, eum commendes amicis. B. V. [1540.] *) XI. Iunii.

---

No. 7001. — —

## *Eidem Marcello.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ª.

*Magistro Marcello.*

S. Carissime *Marcelle.* Rogavit me D. *Michael*, Northusianus, ut tecum deliberem περὶ

*) Annum uncis inclusi; nam anno 1540. scripta non est, quum Melanthon illo tempore aegrotaverit Wimariae.

*τῆς τῶν παιδίων αὐτοῦ τροφῆς καὶ διδασκαλίας.* Quare te rogo, ut vel post D. *Lutheri* praelectionem me alloquaris, vel cras post tuam lectionem audire tuam sententiam cupio. *Οὐ γὰρ ἀνύποπτός ἐστιν αὐτῷ πατρὶ κἀμοι ἡ Ἔρασμον ἀποχώρησις τοῦ οἴκου σου.* Quaeso te, mi *Marcelle*, mitte mihi Ovidii loca de Alcatha *) arce, quia *Emerico*, qui est in Salinis, enarratio quorundam locorum in Epicariis (?) mittenda est. B. V.

Ph.

---

**No. 7002.**

## *Eidem.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[a].

### *Magistro Marcello.*

**S.** Iam accepi tuas literas a Palatino, in quibus etiam de Bernensi **) schola scribis. Desideratur *γυμνασίαρχος*, non hypodidascalus. Quare non des commendationem illi, qui petivit. Alium enim habeo aetate et eruditione superiorem. Quid quod obrepere voluit, nosque fefellit mentione hypodidascali? *ὢ μελαγχολίαν γέμουσαν κακοηθίας.* B. V.

---

**No. 7003.** 17. Nov.

## *Iac. Milichio.*

Epist. lib. II, p. 463. (ed. Lond. lib. II. ep. 490.).

### *D. Iacobo Milichio*

**S. D.** *Pindarus* inquit:

*Γλυκεῖα δὲ φρὴν*
*Καὶ συμπόταισιν ὁμιλεῖν,*
*Μελισσᾶν ἀμείβαται τρητὸν πόνον.*

Sed id ita verum est, si sint *συμπόται συμφιλοσοφοῦντες*, sed *ἀνόμοιοι* nihil adferunt suavitatis. Nos igitur una esse mallem. Sed hoc vespere vocor ad coenam, ubi erit praefectus, et nescio quid Centauricae turbae. Ideo tibi indicandum esse duxi, me domi non futurum, nec te iter hypernum ac nocturnum mea causa frustra facere volui. Bene vale. Die *τῶν ἐγκαινίων.*

---

**No. 7004.**

## *Eidem.*

Epist. lib. II. p. 445. (ed. Lond. lib. II. ep. 468.).

### *D. Iacobo Milichio*

**S. D.** Praeter opinionem meam accidit, ut istinc subito discederem. Etsi autem spero nos cras redituros esse, tamen si diutius retineremur, significabis mihi quomodo nostri omnes valeant, quos sane tibi commendo. De domini *Minguicii* valetudine nescio quid scribam. Dicitur tamen commodius valere, quam ante aliquot dies valuit. Hac nocte sudavit sic satis largiter, et sperant hunc sudorem profuturum esse. Haec ascripsi, ut ea narrares, si adest, D. D. *Augustino.* Bene vale.

---

**No. 7005.**

## *N. N. Pastori in Luckenwald.*

Edita in *P. Ias. Eckhardi* vindiciis p. 169.

### *Venerando viro D. N., Pastori Ecclesiae in Luckenwald, amico suo.* S. D.

Venerande vir. Nulla est in terris et in coelis vox audita ardentior, quam precatio filii Dei, qui orat aeternum patrem, ut faciat, ut unum simus in ipso. Veneror igitur pios pastores, etiamsi privata familiaritas, non cum omnibus esse potest, et iam ab hoc officio, quod peto, familiarior notitia oriri potest. Hic adolescens *Martinus Hoffmann*, Soraviensis, audivit, desiderari in schola vestra Hypodidascalum. Cum igitur sit modestus et eruditus, ac ad docendum idoneus, quaeso, ut ei locum in schola tribuatis, et eum gubernatori scholae, et iis commendetis, quorum accedit suffragatio. Bene valete. 8. April.

Philippus Melanthon.

---

*) Alcathoi?
**) Bornensi?

No. 7006.

## N. N.

Manlii farrag. p. 505 sq.

### *Commendatoria.*

Etiamsi nulla mihi nobiscum intercedit noticia: tamen cum intelligerem *Adami* nostri fortunas omnes in magno discrimine positas esse, non dubitavi ad vos scribere, praesertim rogatus ab *Adamo.* Idque ut boni consulatis oro. Non dubito quin *Adamum* propter eximiam ingenii modestiam, fidem et diligentiam in omni genere, postremo etiam propter eruditionem non vulgarem ametis. Itaque spero vobis eius negocia ac salutem curae fore. Sed tamen ut intelligatis, quantopere expetat vestrum consilium hoc tempore, et quantum sibi praesidii in fide et amicitia vestra positum esse existimet: contendit a me quoque, ut suam causam vobis commodarem.

Quaeso igitur ut optimum iuvenem tueamini adversus curatoris iniquitatem. Totum negocium exponet vobis ipse in suis literis. Humanissimi animi est, adfici periculo amici [1]) tanto. Tribuit autem vobis summam humanitatem *Adamus.* Quare rem dignam feceritis homini docto, et officia humanitate metiente, si confugientem ad vos *Adamum* defenderitis. Tali ingenio est *Adamus,* ut pollicear gratum fore. Haec scripsi, adductus benevolentia erga *Adamum*, et commemoratione vestrarum virtutum ac doctrinae, quas liberalissime praedicat *Adamus.* Valete.

---

No. 7007.

## N. N.

Select. ep. p. 329. Epist. lib. I. p. 453. (ed. Lond. lib. I. ep. 126.). — Manlii farrag. p. 153. — Repetita in Mel. Declamat. T. IV. p. 465.

### *Epistola gratulatoria de coniugio.*

Ut caeterarum omnium virtutum notitiae inditae sunt humanis mentibus, et adiunctae poenae immoto ordine scelera comitantur, ut esse Deum et qualis sit cogitemus; ita et castitatem intelligi Deus voluit, et metas generationi circumdedit. Quia haec virtus illustre discrimen facit inter Deum, ac naturas immundas Daemonum ac hominum.

Cum igitur Deum alloquentes, non cernere eum oculis, non complecti brachiis possimus, mente eum intueamur: cogitemus eius patefactiones, et discernamus eum ab aliis naturis cum aliarum virtutum, tum vero castitatis mentione. Qua in cogitatione hoc etiam veniat in mentem, Deum execrari vota et preces pollutorum hominum. Quare in omni vita tueri castitatem studeamus, et ordinem a Deo sancitum amemus. Saepe etiam voluntatem Dei contemplemur in exemplis horribilium poenarum, quae turpia libidinum incendia secuta sunt, conflagrationem *Sodomae*, *Cananaeorum* deletionem, exilium *Davidis*, *Troiae*, *Thebarum*, *Spartae*, et innumerabilium urbium excidia, et plurimarum gentium et hominum interitus. Quarum calamitatum, etsi multa scelera concurrunt, tamen proximae causae, ac velut προκαταρκτικαὶ fuerunt libidines: nec ulla est aetas sine insignibus exemplis.

Laudo igitur consilium tuum, quod, ut Deo obtemperes, in coniugio casto et pio vivere decrevisti. Et Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani, et autorem dulcissimi foederis coniugalis, oro, ut vobis semper adsit, et coniugium vestrum ac totum vitae cursum gubernet.

Etsi autem scio te saepe cogitare, cum de caeteris vitae officiis, tum vero etiam de causis, propter quas hoc vitae genus expetendum, amandum, et tuendum est, et de eius commodis et incommodis, tamen nunc inter vota publica, et te et nos, qui tibi bene volumus, hac ipsa cogitatione accendere animos ad invocationem Dei convenit.

Est omnino dulcis consuetudo mariti et uxoris, in quibus et virtus est, et mutuus amor. Sed cum certo ac iusto Dei consilio haec vita magnis aerumnis onerata sit, tenendae sunt consolationes, quae in animis et virtutem, et mutuum amorem confirment.

Quanquam igitur minus impediti sunt cura, laboribus, periculis, qui sine familiis vivunt: tamen in omnibus haec vera consolatio animum erigit, quod ut Deo obtemperetis, hunc vitae ordinem admirabili ipsius sapientia sancitum, et ini-

1) Manlius: *animi.*

tio praetuleritis libertati, ut nominatur, et nunc anteferatis.

Quam ob causam certo sciatis vobis adesse Deum, custodem vestrae societatis et familiae, et omnes aerumnas leniturum esse, ut affuit custos familiarum *Abrahae*, *Isaac*, *Iacob*, *Thobiae*, et multorum piorum, quos, quanquam et ipsos multi tristes casus duriter exercuerunt, protexit tamen, et in magnis periculis et aerumnis placidos exitus dedit.

Quanto tolerabiliora sunt omnia quae piis accidunt, qui se Deo curae esse sciunt, quique se et suas familias norunt septas esse castorum angelorum agminibus, quam quae accidunt pollutis, quorum pectora magnis cruciatibus lacerantur, et qui sciunt se a Deo proiectos esse, et in magnas calamitates ruituros? Nihil cogitari horribilius tali vita potest, quam nec gubernat nec protegit Deus.

Iam ut animi constantia in ferendis communibus aerumnis sit firmior, attente consideres dulcissima dicta, in quibus Deus et voluntatem suam expressit, et auxilium pollicetur, qua in cogitatione ordiri ab ea narratione rectissimum est, quae describit primam generis humani formationem, ubi scriptum est, *Dixit Dominus*, *Non est bonum hominem esse solum*, *faciamus ei adiutorium simile ipsi.*

Cum quaerunt humanae mentes, cur non alio modo fit propagatio, ut florum et apum, aut Phoenicis? Et cur maris et foeminae copulatio certis metis circundata est? Retrahit nos Deus ad se, inquiens, *Dixit Dominus*, id est, sapientissimo consilio et immoto decreto sanxit hunc ordinem. In hoc decreto acquiescito, cui adversari, est giganteo more bellum coelo inferre, *καὶ θεομαχεῖν*.

Causas vero consilii divini, in illa aeterna consuetudine magis cernemus, nunc autem ipsi decreto obtemperemus, etiamsi causas omnes non perspicimus, et tamen aliquas considerare dulce est, et earum cogitatione hoc genus vitae fit suavius.

Conditi sunt duo, quia voluit Deus genus humanum Ecclesiam esse, voluit celebrari vocem doctrinae inter plures, alterum ab altero doceri, alterum alteri testem esse invocationis, et speculum ac hortatorem ad omnia virtutum officia.

Marem autem et foeminam condidit, ut mutua sit et ardens *στοργή*, quam quidem et typum esse voluit mirandi amoris in Filio erga naturam humanam, quam assumpsit. Circumdedit autem certas metas, ut intelligatur castitas, qua vult se Deus ab immundis naturis discerni.

Ac ut intelligi possit, has metas divinitus sancitas esse, voluntatis suae testes, voluit esse horribiles poenas, quae immoto ordine in universo genere humano ubique incestas libidines comitantur, et ostendunt, non casu, sed divinitus deleri eos, qui tetris libidinum confusionibus polluti sunt.

Impressit et mirificam benevolentiam parentibus erga natos, quae cum non sit casu accensa, sed ita condita sit in optimis naturis, in quibus voluit Deus suam effigiem conspici, ostendit similem in ipso erga nos paternam *στοργήν* et amorem esse.

Haec omnia aedificium humani corporis, distinctionem sexus, leges coniugii, poenas incestae consuetudinis, *στοργὴν* parentum, illustria providentiae testimonia esse, manifestum est; quae quidem ostendunt hanc naturam non casu extitisse, sed vere esse mentem architectatricem, bonam, iustam, castam, vindicem scelerum, custodem societatis humanae, et honesti coniugii.

Nec vero dubium est coniugium fieri dulcius, cum huius verae sapientiae de providentia scholam esse considerabis. Postea etiam in generatione et nutritione sobolis, et in familiae protectione, testimonia praesentiae Dei multa cernes.

Statim cum in alvo materna foetus nascitur, ne tenello corpusculo desit nutrimentum, divino consilio ita condita est natura, ut lac in uberibus coquatur. Miro ordine divino laxantur ossium iuncturae iusto tempore in partu, ac postea rursus clauduntur, quae nulla humana arte laxari aut claudi possunt.

Haec manifesta miracula ostendunt, non casu nasci homines, sed ordinis huius et autorem et conservatorem Deum esse. Postea sunt alia multa signa praesentiae Dei, quod sua dextra tuetur hominum societatem. Quia latrones ad poenas rapit, etiam cum ex manibus magistratuum effugisse videntur.

Saepe igitur tecum repetas hanc vocem, *Dixit Deus*, *Non est bonum hominem esse solum*, *faciamus ei adiutorium.* *Dicere* autem hoc loco significat, miranda sapientia sancire, et nobis hoc decretum tradere: et Deo dicenti ac sancienti obtemperandum esse statuas.

Deinde reputes, quantus hic sit furor, et unde ortus sit. Dicenti Deo adversatur Papa, qui dicit, *Ne sacerdos in coniugio legitimo et casto vivat.* Violat quidem hunc ordinem suo lapsu etiam *David*, sed illud scelus maius est, legem opponere Deo dicenti, quae coniugium prohibeat, et causa sit ingentium scelerum, quibus ira Dei horribiliter accenditur. Quanta autem sit audacia, legem opponere dicenti Deo, hominum coecitas non satis considerat, sed diaboli intelligunt, a quibus haec audacia primum orta est.

Etsi autem in Ethnicis scriptis, cum querelae de aerumnis coniugii, tum etiam vituperationes et sexus et coniugii leguntur, tamen scimus normam iudicii esse vocem divinam, et modestius locuti sunt sapientes et honesti.

*Pythagoras* praecipit, ne maritus coniugem contumelia adficiat, quae ad aram ei velut supplex traditur. Hic si iura supplicum considerabis, intelliges ad amorem et coniugalia officia oportere in viro etiam accedere misericordiam erga sexum imbecilliorem. Tua fide et virtute coniunx defendenda, et eius infirmitati parcendum est. Haec iura ad aram sanciuntur, ubi Deum testem et iudicem facimus huius nostrae voluntatis, et petimus, ut sit custos nostrae consuetudinis, si erit pia et officiosa; Sin autem erit crudelis, ut sit vindex.

Admonet autem nos de coniugio Filii Dei et Ecclesiae, Huic ad aram facta est supplici promissio. Sic enim ad aram, id est, in arcano consilio aeterni Patris, mirando foedere Filius Dei Ecclesiam infirmam et aerumnosam sibi despondet, et complectens supplicem, miseretur calamitatis eius, ac placaturus aeternum Patrem, in sese derivat iram, fit supplex aeterno Patri pro ea, et sustinet poenam. Deinde acerrime defendit sponsam contra saevissimos hostes Diabolos, et fixo in labris sponsae dulcissimo suaviolo, voce Evangelii, et dato arrabone Spiritu sancto, ornat eam suis bonis, reddit vitam, sapientiam, iustitiam, semper adest infirmae sponsae, et tegit eam in omnibus periculis.

Haec foedus Filii Dei cogitato, non solum cum tibi stanti ad aram Deus sponsam adiungit, aut cum adest vocatus ad communem precationem in nuptiarum initiis, sed etiam quoties cum dulcissima coniuge et tuis natis ad mensam assidebis, aut in thalamum accedes, imaginem amoris et beneficiorum Filii Dei in foedere coniugii nobis propositam esse agnoscas, ac vos duos ac vestrum parvum agmen scito illius Ecclesiae membra esse, quam Filius amat, complectitur et tuetur. Hunc vicissim amato, et grato pectore celebres, et te, tuosque et nidulos vestros ei commenda, cum quidem certum sit, nulla nos firma praesidia habere, nisi Filium Dei.

Denique et ipsum foedus coniugii, significationes de voluntate Dei multas continet, et perpetua consuetudo in secundis et adversis rebus exercitium est omnium virtutum, et multa non obscura praesentiae Dei in genere humano testimonia ostendit. Nequaquam enim societas generis humani diuturna esse posset in tantis periculis et furoribus, nisi Deus custos esset imbecillium: et atrocia scelera, quibus dilacerantur hominum coetus, manifestis exemplis puniret, et in bellis Ecclesiam suam tegeret. Haec quotidiana spectacula cum cernimus, et cum videmus nos ipsos et infirma agmina nostra mirandis modis protegi, ali, liberari et servari vitam coniugum, fiat etiam exercitium verae invocationis Dei.

Haec scripsi breviter, genera seu fontes consolationem utcunque recitans, consilium, voluntatem, et mandatum Dei, testimonia praesentiae Dei in coniugio, poenas violantium ordinem a Deo sancitum, teque adhortor, ut harum gravissimarum rerum cogitatione confirmatus, reverenter de hoc vitae genere sentias, et hanc (ut nominant) servitutem placide feras. Ita cum in Deo acquiescet animus tuus, non solum adversa facilius tolerabis, et fiducia praesentiae Dei vinces, sed ita illa suavitas, quam natura adferunt maris et foeminae coniunctio, et sobolis procreatio, dulcior erit.

Adderem etiam praecepta de officiis mariti erga uxorem, et uxoris erga maritum, nisi prolixior haec commemoratio futura esset, quam ut in hac pompa nuptiali posset legi. Sed firmissimum est vinculum mutui amoris inter vos, quod mentes vestrae pariter in Deo unum sunt, quodque vos mutuo amatis, quia Deo obedire decrevistis. Nulla enim est firma amicitia, nisi a Deo orta sit.

Postea et ars adhibenda est, alendus amor virtute et officiis, quorum hoc praecipuum est, quod in veteri versu breviter dicitur:

— Ut ameris, amabilis esto.

Sapienter et hoc Apostolus monet, ut viri parcant sexui imbecilliori, non onerent gravidas,

aut aliis nutricationis officiis occupatas, iniustis laboribus.

*Simonides* uxorem laudat, quae similis est apiculae, casta, frugalis, intenta operi, non vagabunda, fovens sobolem. In tali matre familias tot pulchris virtutibus, condonanda est infirmitas, si quando forte morosior est, aut parum comis, aut in coquendo leviter erratum est.

In omnibus amicitiis, mutua ἐπιεικείᾳ, quasdam amicorum ineptias ferre necesse est, ut dicitur, *Mores amici noveris, non oderis.* Id in coniugio maxime faciendum est, quod summus est amicitiae gradus. Denique tota consuetudo minus turbulenta sit, hanc ipsam ob causam, ne communis precatio tua, coniugis, sobolis, impediatur, sed ut laeti coniungere vota possitis, et ad eundem verum Deum iisdem animis confugere, et sua cuiusque domus vere sit Ecclesia Dei, sicut hoc consilio divinitus hanc dulcem societatem institutam esse, non dubium est.

Haec ad te in praesentia scripsi, ut ostenderem, et probari mihi tuum consilium, et me tecum, et cum dulcissima sponsa tua, et cum vestris parentibus a Deo petere, ut vos servet, et coniugium vestrum gubernet, et faciat ut totus vitae cursus vobis sit et aliis faustus et salutaris. Id ut efficiat Filius Dei, custos Ecclesiae suae, toto eum pectore oro. Bene vale. (1555.)*)

---

No. 7008.

## N. N.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ᵃ. Hanc epistolam scriptam puto fere anno 1520. vel seqq.

### Cuidam amico.

S. Me vero magnopere delectaverunt literae tuae, vir optime, tantum abest, ut verearis, ut aequo **) animo acceperim. Sed is, cui priorem epistolam dedisti, ad me non venit; quod quo casu acciderit, scire non possum. Neque ego interim habebam alium, per quem ad te scriberem; et non est tutum per quoslibet istuc mittere literas. Ita statuas, pluris me illud tuum genus orationis et talem animum tam amantem verae pietatis facere quam illas opes universas, quas tenent οἱ σαρδαναπάλοι δυναστεύοντες ἐν τοῖς μοναστηρίοις, μετροῦντες τὴν εὐδαιμονίαν τοῖς τῆς γαστέρος ἀγαθοῖς. Teque rogo, ut me inter tuos amicos numeres. Si te in illo vitae genere, in quo versaris, ἀναγκάζουσιν οἱ κυριεύοντες πρὸς τὰς ἀσεβεῖς λειτουργίας, tutissimum erit ἐᾶν τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς. Non gravabor te aliquantisper, dum nactus eris commodius hospitium, ξενοδοχεῖν. Bene vale, et, quod facis, Evangelium orna. Dominica πρὸ τῆς εὐχαριστίας.

Philippus.

*) Annum adscripsit antiqua manus.

**) iniquo?

---

No. 7009.

## N. N. Centurioni.

† E cod. Obenand. p. 40.

Dem Gestrengen und Ehrnvesten *N.* Hauptmann ꝛc.

Mein willig Dienst etc. Gestrenger, Ehrenvester Herr Hauptmann. Ich wünsch von Gott und unserm Herrn Christo Ew. Streng, Ew. Streng lieben Gemahl und Kindern, Heil und Gesundheit und alles Gutes. Auf die Frag ist mein einfältig Bedenken, daß ich wollt, die Prediger ließen den weltlichen Potentat regieren, wie das Christus sie oft ermahnet und lehret. Den Predigern ist befohlen zu ermahnen, daß weltliche Obrigkeit die Laster strafen wolle, und sollen solche Straf nicht hindern durch einigen Schein, und hilft sie hie dieser Unterscheid nichts, daß sie vorgeben, sie bitten als Christen. Denn Christen sollen nöthige und rechtmäßige Straf auch nicht hindern. Wo aber ein Regent zu scharf fahren wollte, mag ihn der Prediger nicht allein als ein Christ, sondern auch als ein Prediger zur Lindigkeit vermahnen; und so der Magistrat gleichwohl nach der Schärfe fortfährt, gehört dennoch die Sache nicht auf den Predigtstuhl, sondern der Magistrat hat sein Recht und seinen Richter. Ich hab nicht Sorg, wenn sie schon bitten als Christen, sie mengen dennoch den Prediger darunter. Denn so man ihnen nicht zu Willen wird, enthalten sie sich schwerlich, daß sie es nicht auf den Predigtstuhl bringen.

Doch wolle Ew. Str. dies auch nicht zu hart verstehen. Man sagt: bitten und betteln ist niemand verboten. Muß man doch nicht gleich thun,

was ein jeder bittet. Darum wolle Ew. Str. Geduld haben, ob jemand züchtiglich etwas bittet, und der Sache Gelegenheit bedenken, und sich darnach mit Abschlagen, oder mit anderer Antwort vernehmen lassen, wie Ew. Str. viel besser weiß, denn ich schreiben kann.

E. St.

williger
Philippus Melanthon.

---

**No. 7010.**

## *N. N.*

† Ex apogr. cod. Goth. 191. p. 55 b.

### *N. N.*

Ipso natali filii Dei domini nostri I. C. scripsi hanc epistolam, qui cum annum de more exordiatur, primum ex animo opto, ut hic veniens annus Ecclesiae Dei et eius hospitiis, et tibi et Ecclesiae tuae domesticae, et academiae nostrae sit faustus et foelix. Quod officium mittendi literas inter nos rarius est, non tribuendum est vel tuae vel meae vel similium desidiae, sed occupationibus, quarum et te et similes magnam molem sustinere scio. Fruemur autem amicitia nostra dulcius in aeterna vita. Interim tamen necessaria officia non negligamus. B. v.

---

**No. 7011.**

## *N. N.*

† Ex collect. Ballenst. Vol. 1. p. 196.

### (*Nobili cuidam iuveni.*).

(Fragmentum epistolae Melanth.)

Etsi res militaris laude digna est et vitae hominum necessaria ac conveniens nostro ordini, tamen prius excolendae sunt doctrina mentes, ut Deum recte invocare et in consiliis principum recte iudicare possint. Ita omnes magni viri et qui fuerunt olim et qui nunc sunt in imperiis virtute excellunt, prius literas didicerunt, postea in re militari se exercuerunt. *Alexander* primum fuit Aristotelis auditor, et non tamen primas literas sed universam philosophiam et medicam artem didicit, postea miles patris fuit. Sic *Iulius*, *Constantinus*, *Theodosius*, eruditione doctissimos viros superaverunt. Et nunc aliqui principes nobilissimi, Rex Danicus, Dux Saxoniae Elector et Landgravius tantum legerunt et legunt, ut non minus sint instructi quam illi ipsi, qui in scholis docent. Et tamen iidem consilio et virtute in armis excellunt multos alios principes. Horum exempla te moveant, ut cogites, non omittendum esse literarum studium. Quid enim est miles sine vera agnitione Dei, et eques sine scientia officiorum virtutis nisi immanis Centaurus, qui etiamsi fortiter aliquando proeliatur, tamen domi publice odio est omnibus hominibus. Praeterea cogita, te debere obsequi patruo nostro carissimo, qui bono consilio in literis (te) vult erudiri et diutius commorari, ut fundamenta doctrinae coelestis et linguae latinae recte discas. Hunc in hac senecta optime de nobis meritum contumacia nostra offendere aut perturbare impium est. Ideo et propter Deum te oro, ut propter pietatem patruo delictam et propter tuam utilitatem et adhortor et obtestor, ut non abiicias studia literarum, sed hanc tuam adolescentiam ad percipiendas optimas artes impendas. Qua in re et Deo et patruo rem gratam facies et tuae utilitati praeclare consules. etc.

---

**No. 7012.**

## *N. N.*

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54ª.

### *Amico cuidam.* (*Nobili cuidam.*)

Etsi nullum habebam argumentum te dignum, scis enim in quo genere studiorum hic verser, et de republica magnum hic silentium est: tamen non potui facere, quin *Sabino*, homini tuo studiosissimo, literas ad te perferendas traderem, quas pro summa tua humanitate velim te boni consulere. Ego enim te semper feci plurimi, non solum quod tali natus loco ita induxisses animum literarum cognitione ornare generis nobilitatem, quodque non, ut ambitiosi quidam solent, amplexus esses barbaricas nescio quas artes, sed germanae te philosophiae dedisses; sed etiam quod ad has laudes adiungis singularem suavitatem morum atque humanitatem, cuius specimen praecla-

rum hoc est, quod meam amicitiam nunquam aspernatus [es]. Itaque valde delector recordatione tuae humanitatis. Haec duxi tibi scribenda esse, ut intelligeres, me tuorum beneficiorum memoriam conservare. Reliquum est, ut te orem, ut, quod est homini nobili et erudito dignum, constantiam in nostra amicitia praestes. Meas fortunas omnes tibi tanquam patrono tuendas commendo, teque oro, ut per occasionem mihi aliquid rescribas, ut extet apud me et tuae erga me benevolentiae singularis et constantiae atque virtutis testimonium. Bene vale.

Phil. Mel.

---

No. 7013.

## N. N.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54*.

### N. N.

S. D. Reverende domine. Literas vestras accepi die Catharinae, quo olim in urbe Ierosolyma Encaenia celebrata sunt, ideo instituta, quod eo die, videlicet XXV. Novemb. Maccabaei templum recuperassent et purgassent. Ipse igitur dies me admonuit de Ecclesiae miseriis. Ut tunc pauci erant, qui sacerdotes legebant: ita nunc pauci principes, pauci gubernatores ecclesiastici curant Ecclesiam. Si qui vero sunt, hi magna et odia et pericula sustinent. Sed tamen non frangi animis bonos et pios decet. Audimus vestram benignitatem multis sacerdotibus prodesse, et gaudemus istic vicinas Ecclesias talem habere patronum. *Lutherus* precatur vobis omnia fausta, et vicinos pastores vobis commendat. Ego proxime parvum libellum vobis mitto. Vale. Die Encaeniorum hierosolymitanorum.

---

No. 7014.

## N. N.

Fragmentum epistolae autogr. in cod. Monac. I. p. 25. Est prima delineatio, in qua multa iterum sunt deleta.

### N. N.

In Tragoedia inquit ille de Hercule: paulisper obsequendo iratum viceris. Hoc consilium nec impium nec inutile tibi esse duxi. Et scis, me non rudem esse similium plagarum, in quibus dissimulandis censui publicae tranquillitatis habendam esse rationem. Haec scripsi amicissimo animo. Et scio tibi bene velle alios. Ideo facilius te expedies ex hoc negotio. Bene vale. Calendis Octobr.

---

No. 7015.

## N. N.

† Ex apographo cod. Goth. 189. p. 15, sect. 8tiae. Vix videtur esse Melanthonis epistola.

### N. N.

Habeo tibi magnam gratiam, mi *N.*, pro tua hac de me meaque valetudine sollicitudine. Ita est plane ut scribis; e manu Domini nobis obtingunt omnia, neque possunt nisi bono nostro obtingere, quae ab illo mittuntur. Ut igitur nos, cum sit optimus, optime condidit etiam, ita etsi nos omnis nostrae dignitatis iacturam fecimus in primi parentis nostri peccato, non potest tamen ille suam a nobis auferre bonitatem, et non solum benigne sua omnia nobis vult secum esse communia per Christum, sed et ipsos peccati nostri fructus, morbos in quam et reliqua vitae huius incommoda, in salutis nostrae remedium vertit, fideique exercitium, ut illum videlicet in rebus nostris afflictis appellemus, ab illo omnem nostram consolationem et opem petamus, tanquam a patre, confidenter, et sine ulla dubitatione expectemus, cuius alioqui, rebus nostris secundis, aut nunquam fere, aut raro admodum idque tenuiter meminisse solemus. Sic ergo, mi *N.*, de morbis meis mihi gratulor, quod mihi bonitatis domini erga nos veluti imaginem quandam ob oculos ponant, et me debiti officii mei erga Deum meum subinde admoneant, donec veniat dies ille, quo, modestiis iis omnibus exutus, evocer ad vitam illam beatam, ad quam e carnis nostrae ergastulo hoc indies suspiramus. Id vero futurum est, cum volet dominus, et volet haud dubie, ubi id nobis viderit fore salutare. Illi igitur me totum permitto; in illius interim sinum me totum coniicio. Faciat mecum, quidquid vult, quandoquidem certus sum, eum non posse nisi optime velle, et omnia mea directurum esse ad gloriam nominis sui et meam ipsius salutem.

Gaudeo, tuos istic constantes esse in vera religionis custodia et observatione, et Deum precor, ut animos illorum in hoc instituto per Spiritum sanctum obfirmet. Non possum par esse sub hac aetate mea istis laboribus, et nolo esse deinceps minister contemptorum verbi et idololatrarum. Symmistis tuis ex me salutem dicito.

Phil. Melanthon.

(Incertus fuit, qui descripsit, an haec epistola a Melanth. scripta fuerit, et fortasse est alius.)

---

No. 7016. — —

## N. N.

† (Ex autogr. Melanth. in cod. Basil. Vol. CXXIX.

(*Fragmentum epistolae quam Mel. concepit, sed non finivit, quod etiam caret inscriptione.*)

S. D. Venerande vir et cariss. frater. Scis Paulum gravissime dicere legem paedagogum esse, quod significat, utrumque efficiendum esse a gubernatoribus, videlicet ut recte doceant, et severe disciplinam regant. Ac Dei beneficio spero, nobis nec diligentiam nec fidem in docendo deesse. Sed ad regendam disciplinam vires et arma nobis desunt, praesertim cum haec effera aetas asperius cohercenda esset. Sequuntur ergo postea divinitus non leves poenae. Filius Rev. Viri *Martini Lutheri*, cuius nomen est *Martinus Lutherus* *), periculosa. (Reliqua Mel. non scripsit.)

---

No. 7017. — —

## N. N.

† Ex apographo in cod. Galli II. p. 241 b. Leguntur haec excerpta in epist. ad ann. 1556—1560. pertinentibus. Ea vero, quae dicuntur de oblatione potius ad colloquium Ratisbon. a. 1541. spectare videntur.

*Excerpta quaedam ex literis Phil. Mel.*

S. D. Clariss. vir, et amice chariss. In pagella cui signum addidi B. scripsi responsionem meam ad literas vestras minus horridam fortassis. Sed ego istos acerrimos disputatores vellem et nostris certaminibus interesse. Quantum putas stabilitam adversariorum impietatem περὶ δείπνου κυριακοῦ? Submissius igitur loqui cogor. Sed . . .

S. D. Clariss. vir et amice cariss. Quocunque animo ad me scriptum est, ego respondi εὐνοϊκῶς. Et fortasse quia lenior est mea opinio magis etiam irritabuntur voluntates aliquorum isthic. Sed ego illos acerrimos disputatores vellem interesse certaminibus, quae nos sustinemus. Quid dicent, cum homines ingeniosi disputant de oblatione: *si est in manibus filius Dei, cur esset in manibus nisi ut patri monstretur?* Et tamen magno labore, Dei beneficio hoc effectum est, ne quam doctrinae mutationem Ecclesia audiat, nec fiat in liturgia mutatio. Et vobis et omnibus aliis Ecclesiis, quae sonant vocem Evangelii profuturam moram.

---

No. 7018. — —

## N. N.

Fragmentum epistolae ex autographo in tabul. Eccles. Evang. Argentorat., a Cl. *Strobelio* descriptum.

(*N. N.*)

S. D. Clarissime vir et amice carissime. Versus sunt vetusti quorum tibi quoque considerationem valde gratam fore non dubitabam, (Caetera perierunt).

---

No. 7019. 1. Iul.

## Georg. Ottomanno.

† Ex autographo in cod. Landshut. fol. 142. descripta a S. V. *Schulzio*.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Georgio Otomano* *), *amico veteri et cariss.*

S. D. Clariss. vir et amice cariss. Delector versu quem et antiquitas sepe citat

*Εἰς ὄμματ' εὔνου φωτὸς ἐμβλέπειν γλυκύ.*

---

*) Mart. Lutherus natus d. 7. Nov. 1531., mortuus Witteber-gae a. 1565.

*) Familia Othmannorum s. Hotomannorum erat Vratislaviae, cuius aliquos commemoravit Petrus Vincentius Vratislaviensis in epistola nuncupatoria praemissa libello: Petri Vincentii Vratislaviensis oratio, habita initio lectionis Ethicae, Witebergae a. 1560. (post obitum Melanthonis.) — In illo autem scripto *Georgi* Othmanni nulla facta est mentio.

Quare et tuum conspectum et eruditiss. sermones tuos expetimus, fortassis et nos aliquid narrabimus, quod scire voles. Valde igitur te oramus, ut nunc ad prandium ad nos accedas. De capreolo gratias agimus. Sed coram plura. Cal. Iulii.

Philippus.

---

No. 7020. 15. Sept.

## *Magistro Ŏtman.*

† Ex autographo Melanth. in cod. Landshut. Vol. I. fol. 189. descripta a S. V. *Schulzio.*

*Eruditione et virtute praestanti Magistro Otman amico suo.*

S. D. Laudo tuam pietatem, et deo gratam esse non dubito, quod etiam istic Ecclesiis consulis, et non solum elementa literarum, sed etiam doctrinam pietatis tradis iuventuti. Hic *Baldasarus* communem Ecclesiae doctrinam bene didicit. Ideo publico ritu sanctissimum ministerium Ecclesiae ei commendatum est. Te iam in itinere esse arbitrabatur; cetera igitur coram. Bene vale; die 15. Septb.

Philippus Melanthon.

---

No. 7021. 10. Aug.

## *Io. Piryni.*

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54³.

*Illustri et Magnifico Domino, Iohanni Piryni* *), *Nobilitate et virtute praestanti, patrono suo colendo,*

S. D. Illustris et Magnifice Domine. Rediturus in Pannoniam hic *Andreas* testimonium a me suae diligentiae in studiis et modestiae in moribus ad te adferendum esse putavit, quod certe prodesse ei opto. Nam et natura ad iusticiam, modestiam et constantiam in omni officio factum esse animadverti, et naturae bona eruditione cultiora fecit. Diligenter enim et elementa philosophiae et summam doctrinae, quam Deus Ecclesiae suae tradidit, didicit, speroque eum usui fore Ecclesiae Dei in operis scholasticis aut in ministerio Ecclesiastico. Tales profecto cum sunt modesti et pacis amantes, complectendi et iuvandi sunt, ut filius Dei inquit: cui vel frigidae aquae potum uni ex minimis meorum doctrinae tuendae causa dabit, mercedem accipiet. Inprimis autem universae hominum vitae salutare est, principes viros doctrinam coelestem inquirere, intelligere et tueri. Quare cum audiam celebrari excellentes virtutes tuas, teque favere piis studiis existimem, te oro, ut huic *Andreae*, confugienti ad te patronum, non desis. Opto etiam ut luce verae doctrinae pectus tuum Deus accendat et regat, ut tua gubernatio tibi et aliis sit salutaris. Bene vale. Die divi Laurentii.

*) *Perenis?* — Vid. ep. d. 27. Mart. 1545. Nomen idem esse videtur. Illustris erat illo tempore familia Nobilium *Pereny* in Hungaria.

---

No. 7022. 28. Febr.

## *Io. Praetorio.*

Epist. lib. V. p. 144 sq.

*Ioanni Praetorio, (Vratislavii.)*

S. D. Venerande vir, et charissime frater. Dolores, gemitus et vota mea vestris et doloribus et votis adiungo. Si possem etiam mederi offensionibus, quae apud vos inciderunt, facerem. Sed neque caussae fontes novi, neque me iudicem facio. Si quid tamen posse a me fieri existimabis, significato.

Nunc te oro, ut mendico, *Iohanni Tschep* Olaviensi, qui fuit in, nescio quo, collegio Monachorum, idola colentium, et nunc Deum recte invocare discit, stipem colligas. Spero, usui futurum esse in docenda Ecclesia alicubi. Mitto vobis pagellas, quarum lectionem spero vobis non insuavem fore. Bene vale. Die 28. Febr. Reverendo viro, Domino *Musaeo* et vobis omnibus salutem opto.

Philippus.

---

No. 7023. 4. Ian.

## *Paulo Praetorio.*

Ex autogr. in cod. Seid. Dresd. edita in Progr. I. *Wegscheid.* ep. 6. Invenimus apographon in cod. Mehn. IV. p. 56.

*Clarissimo viro prudentia, eruditione et virtute praestanti domino Paulo Praetorio*), Consiliario Inclyti principis Marchionis Sigismundi Archiepiscopi etc. suo Patrono.*

S. D. Clariss. vir, et patrone colende. Ut hic veniens annus sit faustus et foelix, Ecclesiis nostris et earum hospitiis et illustriss. principibus tuis, et tibi, faciat Filius dei dominus noster Iesus Christus. Quantum enim ubique sit periculorum, vides. Et irritantur animi hominum rabiosis scriptis. Ideo vos qui in consiliis gubernationis estis, maiore studio bonis et moderatis ingeniis praeditos complectamini. Natura modesta est *Bartolemei Redslaw*, et cum docuerit literas in schola erudita, specimen praebuit industriae et integritatis. Nunc in academiam rediit ubi parentes ei sumptus praebuerunt. Poterit usui esse in docenda Ecclesia, et eam ad rem se praeparat. Orat igitur sibi impetrari ab Illustrissimo Principi et Archiepiscopo, sumptus venturae Aestatis. Vides in petitione modestiam, quare te oro, ne ei desis. In tantis miseriis publicis et privatis speremus, deum nobis mitigaturum esse poenas, si benefici erga pauperes Scholasticos et pios fuerimus. Bene vale. die 4. Ianuarii.

Philippus Melanthon.

---

No. 7024. — —

## *Georg. Rhau, iun.*

Manlii farrag. p. 285 sq.

*Ex epistola D. Philippi Melanthonis ad Georgium Raw iuniorem, quaedam desumpta.*

S. Et quidem cum in schola sedes, memento te non solum inter aequales sedere: sed una versantes purissimos angelos, spectatores esse studiorum vestrorum, et custodes corporum. Sic enim inquit Christus: Angeli eorum semper vident faciem aeterni Patris. Sic vos comitantur in ludum, assident una, et reducunt. Hoc sodalitium te vereri decet: quod quidem mirificam voluptatem capit ex assiduitate discentium, et piis studiis et sermonibus: et Deo praedicat vestra studia, eique vos commendat. Quare cavebis, ne vel inertia tua, vel mali mores offendant, et abigant hos vigilantissimos custodes.

---

No. 7025. 30. Mart.

## *V. Richter.*

E cod. Mehn. no. 4. p. 7. nunc primum edita.

*Venerando viro, Domino Magistro Vito Richter, Pastori Ecclesiae Dei in oppido Mysorum Damasco (Dommitzsch), amico suo,*

S. D. Venerande Domine Pastor. Etsi adolescens *Schmidbergensis* Diaconi officium apud vos petivit, tamen quia aetas longius a maturitate abest, nolui eum vobis commendare. Hic *Iodocus Rutelstatensis* servivit hic in puellarum schola biennio, et est orphanus. Qualis sit futurus concionator non scio, sed modestia eius laudatur a nostro Diacono, qui scholam puellorum regit. Vos audire eum potestis, et deinceps vestro iudicio statuere. Bene valete. die Martii tricesimo.

Philippus Melanthon.

Rescribite, an hunc Iodocum receperitis; si non recipietis mittam alium.

---

No. 7026. — —

## *Io. Rittesel.*

Manlii farr. p. 246. Apogr. in cod. Mehn. III. p. 132.

*Adolescenti nobili et optimae indolis, Ioanni Rittesel, Philippus Melanchthon*

S. D. Miror te, mi *Ioannes*, nihil literarum ad me dedisse pro nostra amicitia, cum quidem scires huc ab optimo viro patre tuo nuncium esse missum. Decebat autem te tum exercendi styli, tum vero etiam humanitatis causa, libenter ad amicos scribere. Quare te adhortor, ut ad me et caeteros amicos tuos aliquando aliquid literarum mittas.

---

*) Vir prudens et orator gravissimus diem obiit Halae Sax. 1564. Seidel's Bildersammlung — herausgeg. von Küster. p. 59 sq. Add. Dreyhaupt Historie des Saalkreises. p. 274. (Wegsch.)

Deinde valde te oro, ut cum Deus dederit tibi valde praeclaram indolem, et ingenium aptum honestis rebus: cures, ut bonam naturam doctrina expolias, nec studia literarum abiicienda esse putes. Ad laudem et decus viam tibi doctrina factura est. Bene vale.

---

No. 7027. — —

## *Eidem.*

Manl. p. 340. Apogr. in cod. Mehn. III. p. 185.

*Nobili adolescenti; et cum indole honorificentissima* *) *praedito, tum in optimis studiis versanti, I. R.* (*Ioanni Riedesel.*)

S. D. Quod meis literis tam amanter respondisti, iucundissimum mihi est. Delector enim amore tuo, et quia indolem et ingenium tuum ad virtutem natura excitatum probo, et quia te propter singularem benevolentiam viri optimi patris tui erga me complecti debeo. Itaque valde opto, ut huius meae voluntatis significationem aliquam ostendere tibi possim. Si nos etiam fortuna coniunxerit, efficiam summo studio, ut intelligas et te mihi charissimum esse, et me pro virili conaturum † ut" animi gratitudinem patri tuo de me praeclare merito declarare † possim". Christus te servet, et studia tua gubernet, ad tuam et Reipublicae salutem. Meis verbis honestissimam matronam matrem tuam reverenter salutato. Vale.

---

No. 7028. — —

## *Rostochianis Iuriscons.*

Manlii farrag. p. 360 b. Apogr. in cod. Mon. 89. No. VI. p. 58 b.

*Ad quendam Iurisconsultum, Academiae Rostochianae professorem.*

S. D. Cum non audiverimus utranque partem, non facimus nos iudices inter doctorem *Henricum* et Iurisconsultos: sed utrosque adhortamur ad piam concordiam. Sed de propositionibus hoc dicimus: *Non*[1]) adfirmat in genere, valere sponsalia contracta dissentientibus parentibus. De ea re in Ecclesiis et consistoriis harum regionum aliquid pronunciatur. Si Doctor[2]) defendit nostrarum Ecclesiarum sententiam et consuetudinem, non possumus eum improbare, quod ad hanc partem attinet. Ac scimus interdum addictos iuri Pontificio, libenter sugillare et irritare concionatores in hac materia, non tam ut videantur acres propugnatores iuris pontificii, quam ut exagitent istos. Talia ne in hoc certamine fiant, illustrissimi Principis autoritate prohibeatur. Etsi occasionem dissidiis praebet haec quaestio de consensu parentum: tamen prodesset gubernatorum consilio et autoritate certo constitui, ut irrita sint sponsalia eorum qui adhuc parentum autoritate reguntur, facta sine consensu parentum: ut in his regionibus omnes Ecclesiae et consistoria pronunciant. Hanc sententiam si ambae facultates, Theologi et Iurisconsulti, amplecterentur: non solum inter ipsos hac de re certamen sublatum esset, sed etiam in foro minus litium esset de sponsalibus. Sed si reprehendit Doctor[2]) politicum morem legitimationis, non recte sentit. Nam haec exaequatio haeredum permissa est potestatibus, quae hanc clementiam iudicant convenire paterno et materno affectui, et invitat tales ad vinculum coniugii, et fratres inter se coniungit. Haec omnia sunt politica, nec sunt digna reprehensione.

---

No. 7029. non Sept.

## *Steph. Rotio.*

Epist. lib. VI. p. 288 sq.

*Clar. Viro, Sebastiano Rot, Doctori artis Medicae, ἀρχιάτρῳ.*

S. D. Clarissime Vir. Rogatus sum, ut de aegroti adolescentis inspectione ad te scriberem. Quod etsi triste spectaculum est, tamen cum nos omnes quibus artes regendae vel custodiendae vitae, commendatae sunt, professio ipsa multas ingentes miserias hominum contemplari cogat, existimavi te hanc molestiam misericordia quadam, conveniente viro magno, suscepturum esse. *οὐκ*

---

*) C. M. *honestissima.*

1) *Non*] cod. Mon. 89. *Nona.*
2) Cod. Mon. 89. addit: *Henricus.*

*αἰσχρὸν ἀνθρώποισιν ἀλλήλων κακά*, inquit Theseus apud Euripidem, cadavera Principum sanie plena abluens. Quare te magnopere oro, ne aegre feras ad te scribi de hoc molesto negotio. Puer est, natus Doctore Theologiae, pastore Ecclesiae *Cellensis* in Ducatu Luneburgensi, viro honesto et paupere. Cum autem longo iam tempore deformatus sit tetris ulceribus, adducunt eum Lipsiam propinqui, ut inspiciatur ac iudicetur an sit Lepra. Nescio an usitatum sit istic iudicari hanc rem, aut qui iudicent. Te igitur oro, ut his, qui puerum adducunt, pro tua eximia humanitate, indices collegii, et urbis vestrae morem hac in re, et si usitatum est istic aliquibus haec iudicare, exponas quid agendum eis sit. Veniunt ut hospites, ignari harum rerum. Oro igitur, ut in tanta pueri miseria hospitibus comiter respondeas. Bene et feliciter vale, Vir doctissime. Nonis Septembribus.

---

No. 7030. 23. Mart.

## *Io. Sagero.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [a]. — Decennio sexto seculi 16. scripta est.

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Sagero, docenti linguam latinam et graecam in inclyta urbe Vratislavia, amico suo.*

S. D. Carissime *Sagere*. Ludit *Erasmus* scribens, Cadmum inventorem literarum sparsisse dentes Draconis in terram, id est literas. Inde dicitur nata seges armatorum inter se dimicantium. Etsi magna sunt literarum certamina, tamen te hortor, ut taceas potius, si quis te reprehendat, quam ut moveas certamen, unde dissidia et odia oriri posse videbuntur. Multa sunt publicae tranquillitati condonanda. Et saepe, ut Pindarus inquit, parva scintilla magnam sylvam comburit. Ego usitatum sermonem amo, nec omnia ex poëtarum dictis transferenda sunt ad communem sermonem. Illud autem: *peragor vibice cruentus*, existimo dictum esse forensi more, ut: *peragor publicus ore reus;* ut *vibice* pertineat ad vocem *cruentus*, et *peragor* sit positum absolute. Peragor ut reum dicimus peragi, ac sic peragor ut sim vibice cruentus. Hanc syntaxin et enarrationem ego iudico molliorem esse, nec contendo, si quis dissentit, teque hac de re contentiones omittere volo. Ptolomaeus in Homero maluit legere *οἷον*, cum Grammatici legerent *ἴον*. Nec credo, propterea grammaticos seditionem movisse. Obsecro, ut concordiam et tranquillitatem communem privatis affectibus anteferatis. Bene vale. Die 23. Martii.

Philippus Melanthon.

---

No. 7031. 1. Maii.

## *Iust. Schallero.*

† Ex apogr. in cod. Goth. 212. p. 106.

*Philippus Melanthon Iusto Schallero, civi Cygnaeo, amico suo*, S. D.

Semper in conspectu bonis mentibus haec *Platonis* sententia esse debebat, videlicet *gratam de Deo famam in artibus sparsam esse*, quas quidem si cogitaremus et Dei in nobis opera et aliquo modo testes de Deo esse, magis etiam veneraremur. Quam illustria testimonia sunt de Deo leges naturae in mentibus hominum, quae commonefaciunt nos non solum, ut esse Deum mentem aeternam, opificem rerum statuamus, sed etiam docent, qualis sit Deus, scilicet sapiens, iustus, dans aequalia aequalibus, beneficus, verax, amans castitatem. Ita Arithmetica testis est, Deum esse mentem intelligentem ordinis. In Musica vero cum ordinis et proportionum doctrina inest, tum vero quadam peculiaris vis accedit, quod videlicet cum aliae res corporeae non tangant mentes, tamen harmoniae musicae vocum mirabiliter feriunt, recusant animos. Denique magnam varietatem motuum in animis exsuscitant, nec causa alia monstrari potest, nisi cognatio mentis cum ipsa proportionum doctrina. Ita cum in ordine vocum, et ipsa mente hominum impressa sint Dei vestigia, Musica ad Dei considerationem invitare nos debebat. Ac omnium temporum historia indicat, praecipue attributam esse generi humano, ut per eam doctrina de Deo propagetur, ut ardentiores motus in auditoribus doctrinae efficiat. Semper enim inde usque ab initio mundi sacris ritibus cantus adhibiti sunt. *Aristoteles* tres ait esse fines, propter quos Musica homini et data et

colenda est, ἡδονήν, παιδείαν et κάθαρσιν. Nec est absurdum, qoud voluptatem inter fines recenset. Voluit enim Deus aliquas esse honestas et suaves oblectationes, in quibus natura defatigata acquiescat. Deinde παιδείαν vocat, quod studium, ut dicitur, abit in mores. Fiunt dulcedine Musices mitiores et quasi dulciores ipsi hominum animi, ut *Orpheus* dicitur feras sylvasque traxisse. Detestandus est igitur barbarus ille qui dixit, se hinnientem equum audire malle, quam cantilenas summa arte et suavitate factas. Κάθαρσιν vocavit Aristoteles magni doloris aut aliorum affectuum nimis vehementium mitigationem. Erudite haec, ut a viro doctissimo, distributa sunt; sed addamus nos hunc finem, ut cantu comprehensa vera de Deo doctrina propagetur, conservetur, et maiore motu in animos audientium illabatur. Deinde ex ipsis numeris et harmoniis cogitemus, Deum amare ordinem et congruentiam in omni officio. Delectemur etiam ipsa suavitate, cum Deus velit quasi hac ambrosia deliniri animos. Tuum vero studium, *Iuste*, magnopere probo, praesertim quod musicam ad doctrinae colestis propagationem accommodas; quod qui faciunt, bene merentur de Ecclesia Dei, quod decus maxime appetendum est bonis viris. Bene vale. Cal. Maii.

---

No. 7032.

## *Barth. Schallero.*

Epist. lib. II. p. 473. (ed. Lond. lib. II. ep. 501.).

*D. Bartolomaeo Schallero*

S. D. Nunquam dubitavi de tua voluntate ac gratitudine erga me, *Bartolomaee* suavissime. Fuit tamen mihi gratissima illa tua commemoratio perscripta in literis. Nihil enim his miserrimis temporibus atque aerumnosissimis habeo solatii, praeter tui similium, hoc est, bonorum quorundam virorum officia, quae meum inexplicabilem dolorem aliqua ex parte levant ac leniunt. Etsi tu quidem beneficia mea praedicas laudibus omnino maioribus, quam merebantur; nihil enim contuli tibi praeter vulgaria officia: delectat me tamen animus tuus tam candidus et liberalis. De genere vitae in quo versaris, etiamsi quas habes domesticas in re familiari difficultates: tamen velim te bono animo esse, et cogitare quanto plus boni quam mali habeat ista tua privata vita, in qua tibi latere concessum est, nec abstraheris ad publica consilia, quae regi nunquam tanta cura aut fide possunt, quin aliquid afferant, quod noceat conscientiae. Nil enim flagitiosius est plerisque qui corrumpunt aliorum sana consilia. Quare cum incommoda supputas, hoc commodum opponamus omnibus difficultatibus, quod quantum sit, ego iam usu peritus possim dicere, si quid dubitare te existimarem. Amabo te, mi *Bartolomaee*, ores pro publico statu, meque ames. Bene vale.

---

No. 7033. 11. Oct.

## *Bened. Schumann.*

Ex apographo cod. Bavari p. 679. nunc primum edita.

*D. Benedicto Schumann docenti Evangelium Dei in Salinis Saxonicis, amico suo cariss.*

S. D. Partitus sum onera iuvandorum duorum exulum, qui ex Salinis ad nos venerant. Alteri enim ipse interim cibum dedi, (uxorem sibi is quaesivit suo consilio). Alterum ad te misi, quod non eram facturus, si scissem, tibi fore oneri. Sed ita est. Etiam non alebant principes Israëlitici aut Sidonii, sed misella vidua in suburbano aliquo Sidoniorum. Tales fere sunt eleemosynae Ecclesiae. Nec Lasaro dives vicinus opitulabatur, sed stipe a pauperibus collata misere iuvabatur, et curabatur a canibus. Scias autem, me probare ingenium tui conterranei, et quam primum poterimus eum praeficere alicui Ecclesiae, habebimus eius rationem. Deus, pater liberatoris nostri Iesu Chr. *), ut Ecclesias nostras regat, et fideles gubernatores ac Doctores servet, quo in numero te quoque recenseo. Ascendit Christus, ut det dona hominibus, videlicet pios doctores. Hos ut ipse tucatur toto pectore opto. Bene vale, 11. Octobr. Salutem opto D. *Emerico.*

Ph. M.

*) Omissum est hic aliquid.

No. 7034. — —

## *Spulatini nepotibus.*

Manl. farrag. p. 337 sq.

*Nepotibus Spalatini*

**S. D.** Bene fecistis, quod avunculum vestrum de mutatione gentilicii nominis consuluistis. Nam cum summa sit illius viri et doctrina, et erga vos benevolentia, decet vos eius authoritatem facere plurimi. Cum autem eadem de re mecum contulerit, duxi vobis breviter meam sententiam perscribendam esse. Vetus est opinio, et quidem magnorum virorum; nomina fatalia esse: id est, notas quasdam vel ingeniorum vel fortunae esse, quae a Deo expetenda sunt. Sed est quaedam pietas, retinere gentilia nomina, praesertim si nihil habeant incommodi. Mihi vero, contigisse vobis honestissimum cognomen *Chiliani* videtur. Sonus enim est satis concinnus: et videtur ex Graeco χίλια factum χιλιανὸς, ac propemodum certi ordinis militem significat. Est autem haec vitae ratio quae in studiis versatur, plane militia quaedam, plena laboris et periculi. Quoties igitur paternum nomen veniet in mentem, cogitabitis vos hoc titulo ad laborem studiorum excitari. Haec scripsi vobis de sententia avunculi, viri optimi, ut primam appellationem vobis commendarem. Turpe est fastidire nomina maiorum, qui cum laude finxerunt titulos et nomina. Ideo veterem appellationem iudico vobis retinendam esse. Valete.

---

No. 7035. 14. Sept.

## *Io. Spangenberg.*

Manlii farrag. p. 212 sq.

*Viro optimo, domino Iohanni Spangenbergio, amico suo,*

**S. D.** Si *Leonardus* vester expectasset nostrum reditum, et de ipso et de negocio matrimoniali ei literas dedissem. Nam ipsi *Leonardo* opus est tua admonitione, ut diligentius discat doctrinam Christianam. Mira est iuventutis negligentia, in his tantis rebus cognoscendis. Sed nos, ut si quos possumus, excitemus, de causa matrimoniali respondimus. *Ambrosio* gubernanti scholam, mittam hypodidascalos. Bene Vale, 14. Septembris.

---

No. 7036. 24. Febr.

## *Maior ad Spangenberg.*

Manlii farrag. p. 439 sqq.

*Opt. ac doctiss. viro, D. Ioanni Spangenbergio, Northusiensium parocho, amico summo suo, G. M(aior).*

**S. D.** Nisi iocari te viderem, non leviter me offendisset proxima tua epistola. Quomodo enim non dolerem, tibi viro doctiss. et absque dubio sincere candido, tam sinistram de me incidisse suspicionem? Ego ne *Spangenbergii* amicitiam fastidirem, de qua etiam saepe apud amicos me iactito? quem quoque inter meos charissimos principem habeo? Quare vide, ne satis sit, quod ex literarum intermissione colligis. Neque enim eum te esse arbitror, qui ex literarum officio amicitiam metiare. Excellens atque perspecta tua eruditio, pietas et fides, quib. meus erga te animus nititur, firmiora sunt fundamenta, quam quae per literarum vel missionem vel intercessionem aut confirmari aut labefieri convellique possint. At cogor tamen fateri, esse partem literarum officium. Quare si hac in re peccatum est, dabis hoc aut nostris occupationibus, aut (ut fatear) negligentiae. Quae tamen talis est, ut quanquam ad scribendum paulo sim tardior, nunquam tamen talium amicorum oblivionem obrepere sinat: quam tui gratiam apud me, et memoriam honestissimam tuam, et optima exercitia atque scripta, dum ea subinde contueor et relego, quotidie fere excitant et renovant. Me enim, cui ista scribendi carminis facultas a Musis denegata est, tua atque aliorum similium scripta eo magis delectant. Quare rogo, ut sic pergas tuas lucubrationes nobis communicare. Eclogae Virgilianae imitatio, et febris, atque alia, non tantum grata sunt: sed et exemplo scholasticis nostris erunt, qui hoc tempore in scribendo carmine exercentur.

*Petrum Suederum* Pomeranum, hominem pium et doctum, tui habes studiosissimum omnino: qui ad maiora exercitia, cum in nostra schola rationem conscribendorum carminum doceat, tuo exemplo invitatur: quem velim interdum a te pro-

vocari. Puer, quem tantopere mihi commendas, re ipsa experietur, quae tua apud nos sit existimatio atque autoritas. Bene vale vir doctissime, cum omnibus tuis, quos salutari cupio diligenter. 6. Calend. Martii.

De *Eobano Hesso*, rege nostro, rogo facias me certiorem, quid agat, quid valeat, etc. habes enim tanquam vicinum.

---

No. 7037. 16. Sept.

## Cph. Stathmioni.

Epist. lib. II. p. 422 sq. (ed. Lond. lib. II. ep. 442.).

### D, Christophoro Stathmioni

S. D. Τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμηκι καὶ μύρμηξ, inquit Poeta. Quanto magis inter naturas philosophicas amicitiam et coniunctionem esse decet? In hoc adolescente ingenium est ad philosophica studia divinitus factum. Praeclare didicit Mathemata, et ornat eruditionem optimis moribus. Te autem propter Philosophiam valde veneratur. Quare te oro vicissim, ut eum complectaris, et tua commendatione apud Illustrissimum Principem ornes. Foveamus bona ingenia, ut ad posteritatem conserventur optimae artes. Et ipsi Principi gloriosum erit inter sydera et in his ipsis artibus celebrari. Bene et feliciter vale. Die 16. Septembris.

---

No. 7038. —

## Testimon. Aeg. Carstorf.

Manl. farrag. p. 378 b.

### Testimonium Aegidii Carstorf. Friburgensis.

Utinam multae Ecclesiae habere tales pastores possint, qualis est hic *Aegidius Friburgensis*, magna pietate morum et doctrina instructus. Quare gaudemus eum in hac vicinia praefici Ecclesiae *Nimecensi*, in qua et antea pie et fideliter docuit Evangelium Christi. Explorari eius doctrinam non erat opus: sed tamen cum eo disputavimus, et iudicamus idoneum esse ad gubernationem Ecclesiae: eumque iis qui ipsum promovere possunt, commendamus.

Caspar Cruciger D.
Philippus Melanthon.

---

No. 7039. — —

## Testimon. Simonis N.

Manlii farrag. p. 377 b.

### Simoni cuidam.

Memini hunc nostrum auditorem *Simonem*, subditum vestrum, diu et feliciter in Academia nostra didicisse et philosophiam et doctrinam Christi. Postea etiam *Norimbergae* in familia honesta iuventutem erudiit. Laudatur testimoniis bonorum virorum, qui scribunt mores eius honestos esse, et cives quandam ei Ecclesiam in vicino oppido commendaturos fuisse: sed ipsum amor patriae movet, ut isthuc redeat. Quare eum vobis commendo, et spero Ecclesiae Dei fideliter et utiliter serviturum esse. Nam et mores eius sunt pii, et doctrina praeclare instructus est. Bene et feliciter vale, Die 21. Augusti.

Philippus Melanthon.

---

No. 7040. 21. Sept.

## Testimon. Andreae.

† E cod. Goth. 401. p. 119 sq.

### Commendatio.

Versatus est in schola Ecclesiae nostrae *Andreas Lubensis*, eamque in omni officio modestiam praestitit, et in studiis literarum diligentiam, ut propter bonos mores et eruditionem ornatus sit gradu Magisterii. Cum autem illustrissimus princeps *Magnus* Dux *Megalburgensis* etc. vocasset hunc Magistrum *Andream* ad docendam Ecclesiam in *Bützow*, petivit, ut testimonium publicum ordinationis adderemus. Quare explorata eius eruditione comperimus eum recte tenere summam christianae pietatis, et amplecti purum Evangelium, quod Ecclesia nostra uno spiritu et una voce cum catholica Ecclesia Christi profitetur,

ac a fanaticis opinionibus damnatis iudicio catholicae Ecclesiae Christi abhorrere. Promisit etiam hic Magister Andreas in doctrina constantiam et in officio fidem et diligentiam. Quare ei iuxta apostolicam Ecclesiam publica ordinatione commendatum est ministerium docendi Evangelii et sacramenta a Christo instituta, administrandi iuxta vocationem. Cumque scriptum sit de filio Dei: *adscendit*, *dedit bona hominibus*, prophetas, apostolos, pastores et doctores, precamus ardentibus votis, ut suae Ecclesiae gubernatores det idoneos et salutares, ac efficiat, ut huius Andreae ministerium sit efficax et salutare. Hortamur etiam illustrissimum principem *Magnum*, ut Evangelii ministros benigne tueatur ac foveat, et Ecclesias Dei ornare studeat, cum sciat praecipuum boni principis officium esse, gloriam Dei illustrare, ac Deum reddere pro hac pietate ingentia praemia, sicut dicit ipse: *glorificantes me glorificabo.* Datae Witebergae die 21. Septbr.

No. 7041.

## Testimon. pauperi datum.

† Ex apogr. in codice Bavari Vol. II. p. 951.

„*Phil. Melanthon.*"

(Sic in cod., et indicat Melanthonem has supplices literas scripsisse pauperi theologo petenti beneficia.)

Verissime dixit ille, paupertatem esse onus, et miserum et grave. Nam ut omittam reliqua eius incommoda, hoc unum homini prudenti vel acerbissimum est, quod egens cogitur bonis viris sua flagitatione molestus esse, quae si multa sit, et crebra, etiam petenti odium conciliat. Pauci enim sunt, qui hilari animo largiantur, quamvis eos Paulus Deo caros esse testatur, cum inquit: *hilarem datorem diligit dominus.* Equidem dedi operam iam diu, ne multis oneri essem, cum viderem, alioqui multos ad hanc urbem confluere, qui eleemosynam hic quaerunt. Verum hoc tempore cogit me singularis necessitas ad bonorum liberalitatem confugere, cum pecunia, quae ex munificentia principis hactenus numerata est, mihi nunc denegetur, ut nesciam, ereptumne sit mihi omnino stipendium, an vero differatur tantum eius solutio. Tanta est autem mea inopia, ut hanc moram ferre nequeat. Poscor enim pretium inhabitatae domunculae, et quotidiana necessitas exigit, ut aliquid conquiram, quo miserrimos meos liberos ac coniugem alam, quorum quaerelae et flagitationes rerum necessariarum tantum sunt auditu acerbissimae et saepe lacrymas excutiunt. Certe nunc quoque me cogunt, tuam praestantiam convenire et rogare, ut de eo, quod superest, velit pampillum conferre ad levandam meam inopiam, et alendos meos parvulos, quandoquidem ipse per visus et animi imbecillitatem acquirere nihil possum, nisi quod piorum eleemosynis accipio. Nec tamen prorsus otiosus vivo, sed servio Ecclesiae nostrae, atque adeo pluribus erudiendo eos, qui publicam ordinationem a nostra Ecclesia petunt, qui cum saepe admodum rudes adveniant, ea fide et diligentia a me instituuntur, ut examinatores hanc meam opellam iam diu probaverint. Rogo igitur per dominum nostrum Iesum Christum, et per sacrum ministerium cui servio, quodque te magnifacere non dubito, ut mihi in hac mea necessitate subvenias, et in me Christum esurientem, sitientem ac nudum reficias, ac vestias. Quod beneficium sibi a te collatum esse, ipse palam confitebitur die summi illius iudicii coram universi totius mundi et omnium aetatum Ecclesia, sicut inquit, se daturum, *quia haec fecistis minimo ex meis, mihi fecistis.* Et ego astabo testis, et praedicator istius tuae benignitatis, tum et nunc, dum vivam, eundem Christum rogabo, ut etiam in hac vita tuam liberalitatem compenset praemiis, quae promisit, cum dixit: *quisquis ad bibendum dederit vobis calicem aquae, nomine meo, quod Christi sitis, amen dico vobis, nequaquam perditurus est mercedem suam.* Bene valeat tua praestantia.

No. 7042. 1. Iul.

## Senatui in opp. Zerbeck.

† Ex autographo in cod. Goth 379. fol. 17. Scripturae genus docet hanc epistolam ultimo decennio vitae Mel. scriptam esse.

Den Ehrbaren, Fürnehmen und weisen Herrn, Bürgermeistern und Rath zu Zerbeck, meinen günstigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen Eingebornen Sohn Jesum Christum unsern Heiland zuvor. Ehrbare, weise, gün-

stige Herrn. Ewr. Schrift an diesen Georgium hab ich gelesen. Dieweil er mich denn gebeten um ein Zeugniß an Euch, habe ich dasselbige nicht wollen abschlagen. Denn ich befinde, daß er einen guten Verstand hat, und zu lehren tüchtig ist. So haben etliche Bürger von Cötthen anher geschrieben, daß er guter christlicher Sitten sey; bitt ich, Ihr wollet ihn Euch freundlich lassen befohlen seyn, in Betrachtung, daß es warlich eine besondre Gnad Gottes ist, so man ziemliche christliche Prädicanten hat. Denn wo Gottes Wort recht geprediget wird, da ist gewißlich christliche Furcht, und wohnet Gott da, und will in solcher Verehrung die Anrufer erhören und ihnen helfen. Darum wollet mehrigen [i. e. mehr gedachten] Prädicanten Euch lassen befohlen seyn. Gott bewahr Euch. Datum Witenberg 1 Iulii.

E. W. williger
Philippus Melanthon.

---

# B) EPISTOLAE A MELANTHONE DISCIPULIS SUIS PRAESCRIPTAE.

**No. 7043.** **9. Iul.**

## *N. N.*

Manlii farrag. p. 445. et iterum p. 482. inscripta primum: *Cuiusdam ingeniosi et docti iuvenis epistola*; deinde: *Deprecatio.*

(*N. N.*)

S. D. Charissime pater. Etsi in magno dolore sum propter indignationem tuam, teque oro propter Deum, ne paternam benevolentiam tuam[1]) erga me deponas: tamen si coram spectator esses totius vitae meae, minus sperarem fore offensionis. Certe vitam amittere mallem, quam tuam benivolentiam. Illa etiam, quae de vestibus scribis, non me iubente acciderunt: et deinceps ero cautior, et curabo ne vel tui vel quorumlibet[2]) honestorum oculi offendantur. Scio me et propter mandatum Dei, et propter naturae ordinem debere obedientiam et reverentiam parentibus. Tibi autem eo plus debeo, quia multa maiora beneficia a te accipio quam alii filii a suis patribus[3]). Eximia liberalitate praebes mihi sumptus ad optima doctrinae studia colenda, neque curas ordine et recte erudiri in iis disciplinis, quae sunt vera ornamenta et lumen vitae. Talem patrem si non toto pectore venerarer, monstrum essem, indignissimum consuetudine hominum. Rursus igitur te vehementer oro, ut, si quid feci negligentius, mihi remittas: et bona fide promitto, me in omni officio fore diligentiorem, et perfecturum summa cura et pietate, ut mores et studia mea primum tibi, deinde aliis honestis hominibus probentur. Saepe audio, hunc dolorem in natura[4]) hominum summum esse[5]), qui in parentibus existit propter malorum calamitates et delicta. Et hanc στοργήν impressit Deus naturae ho-

1) *tuam*] abest a textu 2.
2) Text. 2. *ne tui aut aliorum.*
3) Text. 2. *parentibus.*
4) Text. 1. *audio, omnem dolorem naturae.*
5) Text. 1. *esse eum.*

minum, ut sciamus ab ipso etiam diligi filium et nos[6]), et ipsum dolore affici propter nostras miserias. Vicissim igitur filii parentibus pro tanto amore mutuum amorem debent: et iustissimum est, nos summa vigilantia cavere, ne parentibus, alioqui oneratis cura et moesticia, augeamus dolores. Oro autem[7]) Deum, conditorem generis humani, ut me et te, et[8]) charissimam matrem, et dulcissimos fratres et sorores servet incolumes. Bene vale. Die 9. Iulii.

---

No. 7044.

## *Io. Marcello.*

Manlii farrag. p. 469 sqq.

*Clarissimo viro, D. Magistro Ioanni Marcello, praeceptori suo observando, H. B. N.**)

S. D. Non dubito quin tibi nomine negligentiae suspectus sim, praeceptor humanissime, cum rarius ad te hactenus accesserim, quam et te velle sciam, et ratio meorum studiorum postulat. Et vereor sane, ne in me non modo diligentiam in studiis: verumetiam gratitudinem erga te et observantiam requiras. Nam cum toties officia tua summa cum voluntate mihi detuleris: decuit me quoque insignem humanitatem tuam agnoscere, et Spartam meam (ut dicitur) ornare diligentius. Quare cum nihil prius et antiquius mihi fuerit unquam, quam studia et mores meos probari: ex animo doleo, me in hanc suspicionem mea culpa incidisse. Peto igitur abs te etiam atque etiam, ut mihi veniam des: et quidvis de me suspicari potius velis, quam aut contumacia aut stulto aliquo facto, me ad te non rediisse. Nam et nuper significavi, me adversa valetudine a studiis multipliciter abduci, propter quam et ab Academia M. *Viti* et patronorum aliquandiu abfui. Et deinde, licet in Scholam rediissem, tamen exercitium styli omittere coactus sum, ut possem ea repetere quae in absentia neglexeram. Hae sunt causae cessationis meae: quam ut aequo animo feras, et benevolentiam tuam erga me conserves, oro. Ego vicissim et diligentiam meam in studiis, et omni officii genere tibi probare conabor.

Cum autem patroni hoc tempore me hortentur, ut petam gradum magisterii: duxi id tibi significandum esse. Etsi enim inscitiae meae mihi conscius sum, et magno studio eorum voluntati hactenus repugnavi: tamen cum accedat authoritas D. *Philippi* praeceptoris nostri, cogor eis non sine magno meo periculo parere. Sperabam autem fore, cum tardius pecunia redderetur, ut possem per aliquot menses differre petitionem. Ideo volui te hactenus ea de re convenire. Neque enim licuit hoc brevi temporis spacio, ex quo redii, ea omnia repetere, quae ad titulum requiruntur: et accedebant multa incommoda, quae merito me deterrere debuissent. Sed non potui impetrare. Nam heri vesperi pecunia ex Lipsia missa est, et D. *Philippus* differri vetat, cum meo nomine ad senatum Norinbergensem hisce diebus scripserit, et sumptus petierit. Quare necessario mihi ad humanitatem tuam confugiendum fuit, et petendum ut tua commendatione et testimonio me iuvare velis. Etsi tenuitas ingenii et eruditionis mihi nota est, quam scio indignam esse tanto testimonio: tamen et mediocribus ingeniis aliquem locum fore spero. Et mores meos probari ut omnibus bonis, ita et in primis praeceptoribus cupio: in quibus regendis eam diligentiam, quam potui pro mea mediocritate, semper adhibere conatus sum. Cum autem semper ita senserim, iudicia praeceptorum magnifacienda esse: profecto nihil mihi tristius accidere posset, quam illos, quorum tot et tanta in me extant beneficia, secus de me suspicari.

Quare te quantum possum oro humanissime domine praeceptor, ut tua humanitas mihi praesidio esse velit. Ego vero, etsi nihil praeter sempiternam grati animi memoriam polliceri possum: tamen interim assiduis votis ac precibus te et tuos Deo commendabo: et oro ut pro sua infinita clementia, tibi multiplici cum foenore, hoc beneficium compenset. Vale.

---

6) Text. 1. *sciamus ab ipso et nos*; text. 2. *sciamus ab ipso etiam diligi filium.*

7) Text. 2. *etiam.*

8) Text. 2. *et etiam.*

*) Hieron. Baumgartner Norinbergensis?

No. 7045.

## *N. N.*

Manlii farrag. p. 496. — Apogr. in cod. Goth. 19. p. 17 b et in cod. Mehn. III. p. 78. In codd. inscribitur: „Epistola Mel. cuidam adolescenti praescripta." In Manlii farrag. autem:

*Sodali suo charissimo H. Firerius* S. D.

Cognovi, te a pueris semper fuisse bonarum literarum admodum[1]) studiosum, et cum primis[2]) ingenio acri[3]). Cum autem te propter morum suavitatem semper unice amaverim[4]) non possum facere, quin de studiis tuis interdum cogitem. Postquam[5]) autem in patria nescio quo malo fato scholae desertae sunt, et studia literarum omnia[6]) frigent, vehementer doleo, tibi deesse praeceptores ad formandum ingenium tuum idoneos. Quare duxi hac de re meum consilium ad te perscribendum esse[7]), quod te rogo ut in bonam partem accipias. Nihil enim tibi[8]) praescribo, sed singulari quodam tuo amore adductus sum, ut, quod maxime tibi profuturum esse arbitrabar, exponerem. Plurimum refert, a teneris statim[9]) institui ab optimis doctoribus[10]) cuius rei maxima[11]) est facultas in nostra Academia, in qua florent omnium artium[12]) et disciplinarum studia, et cum eloquentiae tum philosophiae professores habemus non contemnendos. Ad hoc accedunt sacrae literae, quarum homini christiano cognitio necessaria est. Valde igitur optarim[13]), te quam primum huc advolare. Proinde hac de re[14]) cum patre tuo agas, qui etsi sumptus fortasse metuet, tamen expugnari poterit a te, si diligenter ei[15]) magnitudinem utilitatis exposueris atque ostenderis, quantum studiis tuis haec profecto collatura sit. †Quanquam hic mihi[16]) locus propter studia iucundissimus est, tamen multo futurus esset gratior, si haec mihi felicitas contingeret, ut uti[17]) tua consuetudine possem, quae mihi semper fuit gratissima et suavissima. Tunc[18]) vero in studiis multum refert, cum haberem aequalem atque amicum, quocum libere colloqui, measque cogitationes atque scripta conferre possem, qui mecum amanter in eodem curriculo certaret. Peto igitur abs te, ut mihi quam primum rescribas, quid tibi videatur, et quid a patre impetrare posse existimes. Nihil accepi nunc iam diu ex Norico vestro. Id praeter morem fieri dicunt; quare valde angor de patris mei valetudine ac statu[19]). Illud etiam peto, ut de toto statu patriae ad me scribas, an tranquilla sit respublica, quae fama sit de rebus Caesarianis atque Hungaricis. Nihil putes te mihi facere gratius, quam si copiosissime scripseris[20]). Vale."[21])

1) *admodum*] abest a codd.
2) *cum primis*] non habet Manl.
3) Cod. Mehn. pro *et compr.* habet: *et singulari ingenii foelicitate fuisse praeditum.*
4) Cod. Mehn. *dilexerim.*
5) Cod. Goth. 19. *posteaquam.*
6) Manl. *nunc.*
7) Manl. *consilium scribendum esse*; in cod. Goth. *post consilium est lacuna*; cod. Mehn. ita, ut dedimus.
8) *tibi*] excidit e Manl. textu.
9) Codd. *statim*; Manl. *recte.*
10) Manl. *in optimis.*
11) Manl. *eius rei magna.*
12) Cod. Goth. 19. *Academia; florent enim artium.*
13) Manl. *optarem.*
14) Manl. *Qua de re ages cum* etc.
15) Manl. *et* pro *ei*; mendose.
16) *mihi*] abest a cod. Mehn.
17) Cod. Mehn. *hic frui.*
18) Cod. Mehn. *nunc.*
19) *nihil accepi* etc.] tantum in cod. Mehn.
20) *atque Hungar.* etc.] cod. Goth. 19. non habet.
21) Totus locus: *Quanquam hic* etc., non legitur apud Manlium.

No. 7046.

## (*Firerio.*)

Manlii farrag. p. 497 sq.

*Patri suo charissimo H. F.* (*Firerius*)

S. D. Sperabam me literas in Lipsicis nundinis Ianuarii a te accepturum esse. Ea spes cum me fefellisset, mirum in modum angebat. Sed paulo post liberasti me omni sollicitudine molestiaque. Nam brevi post redditae sunt mihi literae tuae 10. Ianuarii. Fuitque optatissimum atque iucundissimum, quod significas te bene valere. Non dubium est mihi, quod scribis te de mea salute sollicitum esse, cum nondum intellexeris quicquam certi de meo itinere. Facio enim coniecturam tui amoris: de meo vero arbitror quoque hac

cura liberatum esse. Dedi enim ad te literas Stephano, in quibus historia est rerum mearum omnium. Quanquam autem non habebam hoc tempore certum tabellarium ad vos: tamen hanc epistolam dedi cuidam proficiscenti Norinbergam, qui si ad te pervenit, facile cognosces me nullam scribendi occasionem negligere. Scio enim nullum officium hoc quidem tempore gratius me tibi facere posse: nec ego ulla re magis delector, quam hoc genere epistolarum, in quibus quasi tecum coram videar colloqui: et alit haec exercitatio scribendi facultatem, de qua tu gravissime admones, ut stylum exerceam studiosissime: ac formam orationis, ad quam me praeceptor adsuefacit, retineam. Ego vero consilium tuum suavissimum, pater, magnopere probo. Nulla enim res in studiis vim habet maiorem, quam stylus: quem praeclare Crassus apud Ciceronem vocat optimum dicendi effectorem ac magistrum.

De genere autem orationis ita statuo, procul adhuc me ab ea forma abesse, quam expecto: et ad quam effingendam, acerrimo studio, summa cura, denique omnibus animi atque ingenii viribus enitendum mihi esse intelligo. Et contigerunt mihi Dei beneficio ad hanc studiorum rationem duces probabiles. Quare tibi optima fide polliceor, me operam daturum, ne adhortationem tuam aut illorum praecepta contempsisse, et in tanta occasione discendi mihi defuisse videar. Bene vale.

---

No. 7047.

## N. N.

Manlii farrag. p. 500. Apogr. in cod. Mehn. III. p. 76.

*Parenti suo carissimo I. W. R.* S. D.

Nullum mercator ex nundinis Lipsicis tam avide lucrum expectat, quam nos solemus literas tuas expectare: verum praeclare satisfecisti nobis misso Nicolao. Itaque tibi agimus gratias ingentes pro hoc tuo officio, quod libros nobis, quos volebamus curasti. Magnum onus imponi nobis intelligimus, ut demus operam, ut tuae summae liberalitati nostra in studiis diligentia respondeat. Atque ego quidem polliceor, me pro virili officium facturum esse: pudet plane versuum, quos tibi nuper misi mendodissimos, ac factos non propitiis musis. Nam cum Ambrosius hinc abiret, non concedebat emendandi spacium. Misimus tamen non ut versus ipsos, sed ut studium atque assiduitatem meam tibi probarem. Bene vale.

---

No. 7048.

## N. N.

Manlii farrag. p. 503.

*Patri suo carissimo N.* S. D.

Charissime pater: Et pro epistola tua, et pro viatico misso, tibi gratias ago. Novi nihil audivi his diebus, quod dignum literis videretur: nisi quod *Dryander* scribit, se recens Moguntiae apud Episcopum fuisse: quem narrat Academiam nostram laudasse, qui Ecclesiis conservat studia: ac detestatum esse negligentiam quorundam Episcoporum in scholis tuendis, ac dixisse, magnas et Ethnicas tenebras in Episcoporum ditionibus ex ea inscitia secuturas esse. Hanc narrationem, quia tibi non iniucundam fore arbitrabar, scribendam esse duxi. Et aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi fontem sapientiae oro, ut mea et publica studia regat: et te, carissimam matrem, et dulcissimos fratres et sororem servet incolumes. Bene et feliciter vale. Die 22. Maii.

---

No. 7049.

## N. N.

Manlii farrag. p. 505 sq.

*Patri suo charissimo* S. D.

Charissime pater *). Et animi gratitudinem tibi perpetuam, Deo iuvante, praestabo: et nunc pro pecunia missa gratias ago: perficiamque summa diligentia, ut mei mores et studia tibi probentur, ut saepe mihi illud Epaminondae dictum propono, qui inquit hunc se maximum fructum suorum laborum capere, qui adhuc haberet parentes spe-

*) Christophoro Meienburgio praescripta videtur.

ctatores suae gloriae, qui vere laetaremur filii virtute. Iudicavit enim dulcissimum esse, probari a parentibus. Mihi quoque summae curae erit, ne ulla in re voluntatem tuam offendam.

Inchoavi Iuris studium, quod felix et faustum sit, nec tamen exercitia linguae Latinae ex Philosophiae omittam. Scio enim hac doctrina illustrari scripta Iurisconsultorum. Expectamus autem tuum adventum, ut de tua sententia eligatur aliquis, qui me familiariter docere possit. Bene vale.

---

No. 7050. — —

## N. N.

Manlii farrag. p. 506 sq.

*Charissimo patri* S. D.

Charissime pater *). Etsi magister *Erasmus* in patriam profectus est: tamen studia doctrinae non intermitto. Abiturus enim adiunxit mihi suum conterraneum doctum et modestum virum, cum quo repeto doctrinam de circulis coelestibus et exercitia computationum, quae necessaria sunt ad loca Planetarum invenienda. Incoepi autem et institutiones quae continent elementa Iuris audire, quae cognoscenda sunt non ideo tantum, ut ad forum et ad lites instruamur: sed multo magis ut civilia officia et metas rectius intelligamus, et ordinem iusticiae in omnibus actionibus magis custodiamus. Spero me, Deo iuvante, utilem laborem in utroque genere sumere. Nam cognitio coelestium motuum deducit mentes ad naturae et Dei opificis considerationem, et legum sapientia mores gubernat. Et olim in Republica, Deo iuvante, instructus, hac arte melius servire communi vitae potero. Scio autem sine auxilio Dei nullius hominis cursum felicem esse. Ideo Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut et te et nos omnes regat et defendat.

His diebus Poloni hic fuerunt, qui magnos acervos librorum theologicorum emerunt, ut eos in Poloniam vehant. Hos audivi in mensa nostra narrantes multos doctos et nobiles viros in Polonia pie amplecti doctrinam Evangelii, et vera invocatione Deum colere. Quare etiamsi Germaniae Ecclesiae dissipabuntur: tamen lux Evangelii non extinguetur. Deus te et carissimam matrem, fratres et sororem servet incolumes. Vale.

*) Christophoro Meienburgio fortasse praescripta.

---

No. 7051. — —

## N. N.

Manlii farrag. p. 508.

*Doctrinae verae commendatio.*

S. D. Etsi antea verbis qualemcunque tibi significationem ostendi gratae mentis: tamen ut me perpetuo circumferre in animo et virtutum tuarum, ex beneficiorum quae in me contulisti, memoriam tester: hanc etiam epistolam ad te scribendam esse duxi, quam velut obsidem perpetuae voluntatis meae apud te esse volo. Nam mihi nihil prius est, quam ut patris mei et praeceptorum benevolentiam recorder et tuear. Saepe autem mecum de literis, et de tota vitae humanae gubernatione cogitans, et meam et reliquae iuventutis stulticiam deploro: qua non satis intelligimus, quantum bonum sit vera et salutaris doctrina, qua homini nihil melius a Deo datum est. Nam haec nos ad Deum reducit, et imaginem Dei in nobis restituit. Profecto statuendum est, post Deum plurimum deberi fidis praeceptoribus, qui et custodes sint in terris rei optimae, et divinum munus nobis incorruptum impertiunt. Et quidem in hac schola non solum eruditio docentium, sed etiam eorum fides, assiduitas, constantia in perficiendis multis magnis laboribus, quarum virtutum spectatores simus, nobis praedicanda sunt.

Reliqua pars huius epistolae defuit; nam describenti eam, quidam in absentia totum exemplum huius epistolae abstulit. (Nota Manlii.)

---

No. 7052. — —

## N. N.

Manlii farrag. p. 510 sq

*Cuiusdam excellentis et docti iuvenis epistola, ad suum Tutorem scripta.*

Non dici potest, charissime Tutor, quam mihi iucundae fuerint literae tuae: quae non tantum officii ac studii erga me tui plenissimae erant, verum etiam salutarem ad pietatis studium et honestarum rerum cohortationem adferebant. Quare tantum profecto mihi addidisti calcar, ut ex animo cupiam meam tibi probare diligentiam: ac efficere, ut tuae voluntati mea officia cumulate respondeant. Etsi quidem benemeritis gratia est referenda, nec tuo gratius officio nunquam mihi accidit quicquam: ego quoque, quantum possum pro pio in me studio, toto pectore tibi gratias ago, quod tanta me benevolentia complecteris, et optimi parentis vicem tam diligenter et studiose agis. Porro etiam te vehementer rogo, ne quid praetermittas, quod ad me pertinere existimabis: commonefacias sedulo, ut retineas in officio eum qui tuae fidei est commendatus. Id ego ut hactenus a me factum esse censeo, summi beneficii loco ducam: et tuis monitis lubens obtemperabo, ne quod pupilli officium desiderare queas. Et utinam omnes sic statuerent, nihil esse magis conveniens nostro ordini, ac pulchrius, quam aures praebere benignas sapienter consulentibus: in me certe eam sententiam tua gravissima praecepta non mediocriter confirmant: quoniam, quantum referat a teneris recte adsuefieri, intelligo. Perge modo mi Tutor, ut si qua (ceu millia homini accidunt) displicebunt, reprehendas. Non temere dictum est a sapiente: Meliorem esse manifestam reprehensionem occulta dilectione: et fidelia vulnera diligentis, quam oscula inimici contumeliosa. Quae sententiae omnium animis infixae esse debent: ut intelligamus, multum nos debere iis, a quibus non vitae, sed recte vivendi principia accepimus. Maxima dicamus beneficia ea, quibus ad veram pietatem erudimur: ea, quia abs te mihi sedulo sunt praestita, facile agnosco, quantis tibi sim devinctus nominibus: et quam mihi sit difficile, tecum certare officiis. Id vero agam quod mei muneris esse censeo, ac omnibus connitar viribus, ut tui amoris qualemcunque percipias fructum, et in pupillum gratissimum tantum te contulisse officiorum intelligis, ut vehementer gaudeas. Vale mi Tutor, et me ames cura.

---

No. 7053.

## N. N.

Manlii farrag. p. 513 sq.

*Patri charissimo* S. D.

Charissime Pater. Postquam huc nunciatum est, quatuor et viginti horrea incendio periisse, quorum pleraque adhuc frumenti plena fuerunt: et in his tuum horreum una conflagrasse, valde consternatus sum: et incoepi (ut fit in dolore) gemens et lachrymans, animo repetere detrimenta quae antea accepisti, et publicas difficultates huius temporis, ac nostrae civitatis inopiam: quarum rerum omnium cogitatio mihi moesticiam valde auxit. Moveor et privatis et publicis incommodis: sed multo magis de te et matre sum sollicitus, ac vereor hanc moesticiam vobis morbum aliquem allaturam esse. Etsi autem scio te virum praestanti virtute et robore animi praeditum, res adversas moderate ferre: tamen ad te scribendum esse duxi, quo te hortarer, ut vel propter matrem tuum dolorem fortius reprimas, et illam erigas illis consolationibus quae nobis in coelesti doctrina proponuntur, quas optime nosti. Castigat nos Deus, non ut funditus nos opprimat: sed ut ad invocationem nos exuscitet, quam si praestabimus, Deus haec damna nobis sarciet: ut et Iobo et multis aliis amissas facultates restituit. Haec et saepe cogitato, et matri recitato, eamque a cogitatione huius adversi casus tua suavitate abducito. Ego quoque Deum orabo, ut leniat vobis difficultates omnes propter filium suum: quem ad nos misit, ut foedus cum humana natura faceret, ut hac aeterna copulatione testaretur se vera cura adfici generis humani. Bene vale.

---

No. 7054.

## N. N.

Manlii farrag. p. 514.

*Charissimo patri* S. D.

Charissime pater: Cum sciam te pericula praesentia ante aliquot annos praesensisse: spero te etiam praeparasse animum ad ea sapienter ferenda, quae iam accidunt. Teque oro, ut te ab do-

lore abducas, quantum omnino potes: et cogites, nec omnia humanis consiliis regi posse, et voluntatem Dei esse ut petamus, ut ipsae res inextricabiles sua mirabili bonitate extricare velit. Spero certe nunc exauditurum esse gemitus nostros. Hoc igitur cogitabis, ubi filius Dei inquit: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Hanc meam commemorationem, etiamsi non est necessaria, tamen scio tibi non ingratam fore. Nec argumentum aliud hoc tempore habebam. Ex Hamburga scribitur, Gallum inferre bellum Anglis tanta classe, quanta in ea Oceani parte nunquam visa est. Caetera desiderabantur.

---

**No. 7055.**

## *N. N.*

Manlii farrag. p. 519. — Apographon in Cod. 401. p. 100 b. — Manlius inscripsit: *Adolescentis cuiusdam.* In codice: *Alia discipulo cuidam praescripta*, videl. a Phil. Mel.

### *N. N.*

Saepe decrevi ad te aliquid literarum dare, amice charissime, et [1]) specimen tibi studiorum meorum exhibere. Itaque [2]) gaudeo mihi nunc commodissimum argumentum oblatum esse. Nam cum provocaris me [3]) ad scribendum misso munere, non solum ingratus, sed etiam impius essem, si tibi nullam gratitudinis significationem vicissim ostenderem. Ad haec pater in proximis iussit, ut tibi gratias agerem [4]). Vult enim nos non solum literas [5]), sed etiam communia haec officia diligenter colere. Gratissimum igitur nobis tuum beneficium est: et quia nobis necessarium est, et quia declarat, te de studiis nostris bonam spem habere. Gaudemus etiam tua liberalitate sumptus nostros [6]) levari, quos pater in nobis docendis iam facit non exiguos [7]). Ago itaque tibi gratias, ac polliceor, me, quantum ingenio ac diligentia praestare possum, daturam esse operam, ne te beneficiorum tuorum poeniteat. Vale.

1) Cod. 401. *ac.*

2) *Itaque*] Manl. *Ideo.*

3) *provoc. me*] Cod. 401. *provocans nos.*

4) Cod. 401. *ageremus.*

5) Cod. 401. *solis literis.*

6) *nostros*] abest a Cod. 401.

7) *iam — exiguos*] Cod. 401. *sane facit magnos.*

---

**No. 7056.**

## *Senatui cuidam.*

Epist. lib. III. p. 125. (ed. Lond. lib. III. ep. 61.). Apographon in cod. Mehn. III. p. 155 b. et in cod. Vindobon. 53., ubi recte inscribitur: *Discipuli cuiusdam Melanthonis gratiarum actio.*

### *Gratiarum actio ad Senatum Reipubl. cuiusdam Scholastico praescripta.*

Nihil mihi accidere honorificentius hac quidem aetate potuit, quam ut is ordo † in patria*, cuius iudicium est gravissimum, me honesto testimonio, in danda commentatione ornaret. Deinde cum aditum mihi ad *Philippi* familiaritatem literaé vestrae patefecerint, spero hoc officium vestrum studiis meis plurimum profuturum esse. Reddidi enim Epistolam vestram *Philippo*, qui mihi non solum officia sua liberaliter detulit, sed etiam vestrum, in iuvandis civibus, et ornandis disciplinis studium valde praedicavit.

Itaque cum mihi nihil optabilius benevolentia vestra fuerit, et commendatio vestra mihi plurimum profuerit, gratiam vobis habeo maximam, et omni contentione ingenii enitar, ut mores, voluntatem, et studia mea probetis, egoque ad vestrum iudicium universum vitam meam componam. Existimo enim summam laudem esse boni civis, placere amplissimo ordini in patria. Praesertim autem cum peculiari beneficio a vobis adfectus sim, maiore cura praestare debeo, quam caeteri ne in me gratitudo desideretur. Cumque studia nostra ad communem utilitatem debeant referri, polliceor me daturum operam omnibus viribus, ut ex meis studiis olim aliquid utilitatis ad Rempubl. perveniat.

Nunc vero illud vos orandos esse duxi, quoniam scitis mihi patrimonium pertenue esse, ut si qua erit occasio me iuvandi, aliquando rationem meae inopiae habeatis. Est enim honestissimum vobis, tueri et iuvare literas, quarum quidem defensionem Deus etiam summis ordinibus commendavit. Quare ut mihi quadam cum spe in optima studia ingresso non desit vestra liberalitas, vos etiam atque etiam oro. Perficiam enim

et diligentia in discendo, et in omni officio modestia, ut beneficium vestrum bene collocatum iudicaturi sitis. Bene valete.

---

No. 7057.

## Io. Caesario.

Manlii farrag. p. 536 sqq.

*D. Caesario Georgius Aemilius* S. D.

Etsi de fide et constantia tua in colenda amicitia nunquam dubitavi: tamen quia tecum, si queam, vel quotidie colloqui cupio, literas tuas valde desiderabam. Sed mora, ut fit in usuris, aliquantulum lucri mihi attulit. Scripsisti enim copiosius quam antea, et addidisti xenium non aspernandum: hoc tuum officium adeo gratum est mihi, ut magna facta sit ad meum erga te amorem, quam vix fieri fore arbitrabar, accessio. Quanquam enim nullum munus pluris facio, quam tuas literas, testes et amoris et iudicii de me tui: tamen habet ipsum xenium singularis cuiusdam benevolentiae significationem. Ago igitur tibi gratias: ac polliceor, hunc libellum perpetuo fore apud me tanquam μνημόσυνον ac pignus tui amoris. Quoties aspiciam codicem, veniet mihi in mentem et amicitiae nostrae, et virtutum tuarum memoria: ac iuvabit, me talem virum et amicum et studiorum hortatorem habere. Praeterea Gellium ipsum tua causa pluris faciam, et legam avidius: quia mihi memoriam tuam subinde revocabit. Illud autem in tuis literis iucundius fuit mihi, quod significas te nostri desiderio maxime teneri. Ego vero vicissim magnopere opto, ut me aliquando bona fortuna tecum coniungat. Neminem enim possem habere ducem ad optimas artes ac veram philosophiam aptiórem, quam te, qui propter excellentem eruditionem docere potes optima, et propter summum tuum erga me amorem libentius mihi tui copiam faceres. Haec de te cum parentibus saepius iam egi: eisque demonstravi, quantum mei intersit, lustrare alias Germaniae scholas: maximeque quantum utilitatis mihi allatura sit tua consuetudo. Facile igitur eos in meam sententiam adduxi, praesertim cum intellexerint me nusquam malle esse quam apud te. Magna enim est apud te autoritas tua. Quare non despero, qui non ita multo post in Academiam profecturus sim. Erit autem mihi Academiae vice tua consuetudo, ubicunque eris. Interim te etiam atque etiam oro, ut consuetudinem ad me scribendi non intermittas. Vale.



---

No. 7058.

## Eidem Caesario.

Manlii farrag. p. 537 sq.

*D. Caesareo, Georgius Aemilius* S. D.

Si non veritus fuissem, ne si non opportuno tempore, in tanto occupationum tuarum concursu meae literae redderentur, te offenderem, hactenus saepe ad te scripsissem, vir ornatissime: sed nunc facile passus, sum plus in me patris authoritatem valere, quam illam meam verecundiam. Nam pater, una cum optimorum studiorum literis, etiam virtutis officia colere studens, vult ut pro eo beneficio, quo nos iter ingressos affecisti, gratias agerem. Cum enim nos hospitio exceperis, et liberalissime tractaveris, si nullam significationem gratitudinis ostenderem, non solum ingratus erga te, sic meritum, sed etiam iniustus adversus Deum essem, qui singulari pietate iura hospitii conservari vult. Ago itaque tibi gratias immortales: ac si quo officii genere, quo declarare aliquam meam erga te benevolentiam potero, efficiam profecto ut intelligas, me tui esse amantissimum. Cum autem de nobis non solum sanguinis coniunctio, sed etiam voluntas tua et religio devinceret: rogo, ut quod est humanitate tua dignissimum, vicissim nos ames, et commendatos habeas. Vale.

---

No. 7059.

## Eidem.

Manlii farrag. p. 538 sq.

*Caesario Georg. Aemilius.*

Quod in maximis occupationibus tuis duxisti nobis scribendum esse, magnum specimen singularis

benevolentiae erga nos praebuisti. Quare et officium tuum mihi iucundius est: et ipsis literis, cum sint humanitatis plenissimae, vehementer delector: easque tanquam pignus perpetui tui erga me amoris mecum in sinu circumfero et asservo. Itaque tibi gratias ago, qui nos hoc tempore, quod vides plus quam ferreum esse literarum studiosis, complexus es, et significas te studiis nostris non defuturum esse. Nec vero aut nobis quicquam optabilius est, quam habere patronum, cuius et authoritas sit praecipua, et in amicis tuendis fides: aut tibi honestius, quam literarum amantes adiuvare et provehere. Maxime enim decet te, cum tanta doctrina praeditus intelligas, quanta vis et dignitas sit bonarum artium, dare operam, ut quam maxime floreant literae. Et cum Respublica tibi defensionem omnium ornamentorum commendaverit, quibus opus habet: petit etiam, ut has disciplinas, in quibus versamur, omni ope tuearis et conserves. Quarum quanta sit utilitas in Republica, tu optime perspicis. Quare te rogo, ut quod facis, nos in haec studia cum quadam spe ingressos, ames, et authoritate tua iuvare pergas. Quod enim me adeo amanter hortatus es ne desim meo officio in discendo, et amore tuo et authoritate valde moveor: tibique polliceor, me, quantum omnibus ingenii nervis contendere possum, daturum esse operam, ne aut spem patris fefellisse, aut gravissimam admonitionem tuam contempsisse videar. Haec rescripsi ad tuas literas, quod verebar silentium meum non solum ingratitudinis, sed etiam negligentiae suspicionem apud te allaturum esse. Et hoc literarum nuncio utar saepius ob has ipsas causas, ut studium erga te meum et diligentiam in discendo cognoscas. Etsi autem mihi tuis literis nihil gratius esse potest: tamen non postulo ut ad me, nisi cum vacat et liber ab occupationibus atque curis es, scribas. Reliqua officia, quibus magis nobis opus est, ut nobis patrocineris apud principem et patrem, spero te non intermissurum esse. Addes vero etiam literas pro tua summa humanitate, si quando vacabit. Vale.

No. 7060.

## *Eidem.*

† Ex apogr. Dresd. in cod. Zeltneri p. 18 b. sqq. et apogr. in cod. Mehn. III. p. 63.

### *Iohanni Caesario.*

(A Melanthone quidem, non autem suo, sed discipuli nomine scripta.)

S. D. Nuper accepi literas tuas, humanissime D. Doctor, quae mihi magnam voluptatem attulerunt. Gaudebam enim primum propter benevolentiam erga me tuam, quae in hac epistola nusquam non apparebat. Tum non mediocriter delectabat me studium cognoscendi vitae meae statum. Inerant et alia multa, quae legentis animo iucunda erant, ut verbis assequi nequeam. Ex quibus omnibus intelligere potui, te non solum mei memorem esse verum etiam [1]) amantissimum [2]). Quae res facit, ut mihi felix esse videar, propterea quod me tuo amore dignum esse existimes. Ideoque non possum non te vicissim vehementer [3]) amare, et, quod aiunt, beneficium beneficio rependere. Quod si tibi animum meum aliquo munere probare possem, non deesset mihi ad hanc rem propensa gratificandi [4]) voluntas; sed cum hoc nunc fieri non potest, quod proximum est, facio teque ardentissime redamo. Cuius amoris tanta vis est et magnitudo, ut verear ne si verbis meis coner exprimere, assentandi gratia, id facere videar. Neque vero est quod verearis illud, quod poeta inquit: quantum oculis animo tam procul ibit amor. Nam interim ex quo a nobis abfuisti, ingens accessio ad amorem erga me tuum facta est propterea quod aetate procedente tuas eximias virtutes propius aspicere et magis intelligere videor [5]). Nihil autem ad conciliandum amorem efficacius est ipsa virtutis forma et pulchritudine. Quod autem iubes, ut de studiis meis ad te scribam, valde gaudeo res meas tibi curae esse. Itaque non solum ut tibi morem geram, sed etiam propterea de studiis rescribam, ut me consilio quo abundes, adiuves, quod ita

1) Cod. Zeltn. *ferventia*; mendose.
2) Cod. Zeltn. *amantissima.*
3) *vehementer*] non habet cod. Zeltn.
4) *gratific.*] non habet cod. Zeltn.
5) Cod. Zeltn. *videar.*

facere poteris, postquam hanc rationem cognoveris, in quam ingressus sum autoribus iis, quibuscum nunc versor. Utinam autem tecum vivere liceat[6]), teque audire de optimis artibus prudentissime disputantem atque disserentem[7]). Sed collocavit me pater Witebergam, quod faustum, foelixque sit, ubi de consilio *Philippi*[8]) nunc praecipuam operam colloco in Dialecticam, et quoque habeo ἐρωτήματα eius artis ad hunc nostrum usum composita, quae edisco. Tum[9]) etiam plurimum adiuvat me tua Dialectica, quae hic publice traditur cum magna utilitate inventutis. Confero etiam aliquam studii partem in elementa Mathematum, nec me magis ullum doctrinae genus delectat, quam illa vetus et germana philosophia[10]). Quod reliquum est temporis, partim graecis literis, partim exercitio styli tribuo. Habes totum curriculum meorum exercitiorum breviter descriptum. Nunc te oro per humanitatem tuam, ut pro tua prudentia mihi copiose perscribas, quod tibi probetur, aut secus videatur. Scis enim, quanta sit imbecillitas consilii in hac mea aetate, et tibi homini peritissimo honorificum est, consilio atque autoritate iuvenes cum spe quadam in literis versantes regere. Postremo te oro, postquam me amantissime complexus es, ut amicitiam nostram perpetuo conservandam atque colendam esse statuas, ex qua etsi fructum fortasse capere nullum potes; tamen te virum tali praeditum doctrina et sapientia, ut ceteras virtutes, ita etiam amicitiam non fructus, sed humanitatis causa colere decet. Ego tamen si quo officii genere declarare potero meam erga te pietatem, dabo operam, ut intelligas neminem te mihi postquam a domestico amore discessi, secundum patrem cariorem esse. Bene vale.

---

## No. 7061.

### *N. N.*

Edita a Manlio in farrag. p. 495. ubi inscribitur: *Hieronymo B. Philippus Melanchthon.* — Est autem non Melanthonis, sed eius discipuli nomine scripta. — Apographon in cod. Mehn. III. p. 79b., ubi inscriptione caret, et legitur ibi in epistolis discipulorum Melanthonis. Denique duo apographa in cod. Goth. 401.; A) p. 58b. et B) p. 91b., ubi inscripta legitur *Hieronymo Oedero*, an recte? definire nolo. Certe de Hieronymo Oedero praeterea nihil legitur.

*Hieronymo N.*

S. D. Periucundae mihi fuerunt literae tuae, *Hieronyme* suavissime, quod cum[1]) memoriam nostri summa cum benevolentia te retinere ostendas[2]), mirifice me constantia tua[3]) in amicitia delectat[4]). Neque vero[5]) difficulter fidem praestant hi, qui neque mercedem spectant[6]) in amicitia, neque caeco impetu feruntur, sed virtutis atque humanitatis causa amicitias colunt. Semper autem animadverti, nullam aliam ob causam te expetere nostram consuetudinem, nisi quod ingenii suavitas invitabat[7]) te ad complectendos studiorum tuorum socios. Ego vicissim perpetuo quodam iudicio meo in amicitiam †meam" te recepi. Videbam enim, te non solum delectari his meis studiis, sed velut ab ipsa natura ad humanitatem factum esse. Nec me[8]) iudicium fefellit. Nam postquam familiariter introspexi[9]) ingenium tuum, mea de tua virtute ac fide opinio valde confirmata est. Quamobrem quoad tu[10]) voles, hanc amicitiam[11]) conservabo, teque adhortor, ne sinas †eam" ulla aut temporum aut fortunae[12]) iniuria obrui atque[13]) extingui. B. Vale[14]).

---

## No. 7062.

### *N. N.*

Manlii farrag. p. 550. — Apographon in cod. Goth. 401. p. 99b. Est discipulo a Melanthone praescripta.

---

6) Cod. Mehn. *liceret.*
7) Cod. Mehn. *praecipientem.*
8) *de consilio Phil.*] non habet cod. Zeltn.
9) Cod. Mehn. *tamen.*
10) Cod. Zeltn. mendose: *persona.*

---

1) *cum*] Manl. *mihi.* Cod. Goth. 401. A. et B. non habent.
2) Manl. et cod. Goth. 401. A. *ostendis*, et plene interpungunt post *ostendis.*
3) *tua*] abest a cod. Goth. 401.
4) Cod. Mehn. *delectet.*
5) *vero*] *fere* cod. Mehn.
6) *spectant*] Manl. *praestolantur.*
7) Manl. *invitat.*
8) Cod. Goth. 401. B. *meum me.*
9) Cod. Goth. 401. A. et B. *inspexi.*
10) *tu*] addidi e cod. Mehn. et cod. Goth. 401. A.
11) Manl. *hanc in amicitia.*
12) Cod. Goth. 401. A. *fortunarum.*
13) *atque*] cod. Goth. 401. A. et B. *aut.*
14) Cod. Goth. 401. B. habet subscriptum nomen: *Phil. Mel.*

*Ad Patrem.*

S. D. Dedi nuper ad te literas, suavissime pater, quas spero ad te pervenisse, neque facile dixerim, quantum me animo [1]) cruciet expectatio tuarum literarum. Oro igitur te per summum erga me amorem primum, ut errori meo des veniam: deinde, ut pro tuo more iterum ad me scribas, quod si facies, plane tibi iterum vitam dabo. Tanti enim benevolentiam facio tuam, ut non ipsam vitam magis optandam mihi esse statuam, quam ut te habeam aequum et propitium. Nam secundum Deum, in uno te spes omnes opesque meae sitae sunt. Quare maxime liberabis me ab aerumnis ac miseriis, si mihi placatus rescripseris. Res, ut spero, declarabit, nullam haerere in meis moribus ac vita infamiam. Plura scriberem, si prae dolore animi possem: quem nulla res levare potest, nisi significatio aliqua redditae gratiae. Acerbissimum mihi fuit videre literas ad *Wolfgangum* datas; cum ad me nihil esset scriptum. "O me miserum, si priori loco quisquam apud te est, quam ego. Obsecro te per Deum [2]), ut me in gratiam recipias. †Ita tibi Deae optimae λιταί sint propitiae [3]), et depellant omnia mala, quas quidem Homerus scribit obambulare ad placandos eos, qui irascuntur, et tueri eos, qui precibus piorum flectuntur. Has ego λιτάς oro, ut meam apud te causam agant et pro me deprecentur" [4]). Bene vale.

---

No. 7063.

## *N. N.*

† Ex apographo in cod. Mehn. III. p. 77 b. — Inscribitur in codice:

„*Alia epistola cuidam adolescenti praescripta.*"

Cum haberem certum tabellarium, existimavi ad officium meum pertinere, ut literas ad amicos darem, ut intelligant, me eorum memoriam diligenter conservare. Quare tibi praecipue scribendum esse duxi de studiis et de omnibus rebus meis. Quale fuit iter nostrum spero te intellexisse ex nostro comite, qui statim ad vos rediit. Nunc adhuc versor in aedibus *Philippi*, cuius officia mihi neque in studiis neque in caeteris rebus desunt. Ubi accepero meas sarciunculas, collocabit me apud aliquem illorum, qui adulescentulos privatim in grammatica exercent. Nam ipse occupatus publicis negotiis plurimis non habet domesticam scholam, etsi me hactenus aliquoties una exercuit cum suo filio. Academia in hac urbe satis frequens est, et habet professores omnium honestarum disciplinarum. Quare dabo operam, ne sine fructu in tanto eruditorum coetu versatus esse videar, Deumque oro, ut faveat meis studiis. Te quoque rogo, ut liberalitate tua me iuves. Enitar enim omnibus ingenii et animi viribus, ut intelligas, te beneficium tuum bene collocasse. Bene vale, et amanter meis verbis salutem dicito coniugi tuae honestiss.

1) *animo*] abest a cod. Goth. 401.
2) *Deum*] Manl. *omnipotentem.*
3) Cod. Goth. 401: *propriae*; ex mendo.
4) Praetermissa haec sunt a Manlio.

---

No. 7064.

## *N. N.*

† Ex *Olshausenii* collatione, qui hoc fragmentum epistolae accepit descriptum: „aus dem Melanth. Concepte des Hrn. Geh. Raths v. Nagler zu Berlin." Est, ut ex argumento et ex verbis „te et nostram domum" elucet, epistola a Melanthone discipulo cuidam praecripta.

Hoc carmen accipies cum ecclesia celebrat gratis hymnis filium Dei, qui post mortem revixit. Hunc dominum oro, ut te et nostram domum servet, qui ideo placavit iram patris et mortem vicit, ut in genere humano perpetuum coetum sibi colligat. Studia mea adhuc sunt eadem, disco doctrinam de Deo, et quaero vestigia Dei in natura, considero coeli et stellarum motus. Iam vespere Arcturus oriens significat veros adventum (?), et monet, ut petam a Deo exitum tranquillum.

---

No. 7065.

## *N. N.*

† Ex apographo in cod. Monac. 88. no. IV. p. 258.

„*Epistola Ph. M. praescripta cuidam studioso.*"

Charissime pater, etsi me non poenitet huius meae peregrinationis, in qua in hac luce studio-

rum iucunda mihi cum multis doctis viris familiaritas contigit, et multa de republica audio, tamen hoc insuave est, quod et tuo conspectu careo, et raro a te literas accepi. Tantum enim unam epistolam abs te accepi postquam ex patria profectus sum. Meas etiam parum fideliter reddi animadverto. Nam et Tubingensi nuncio et mercatori Spirensi dedi fasciculos literarum, quos an acceperis valde dubito. Nunc alia ratione mihi utendum censeo. Norimbergae est vir doctus concionator *Vitus Theodorus*, qui et per *Brentium* et per *Georgium Brettanum*, amicum nostrum, meas literas tibi singulis mensibus mittere potest. Te quoque oro, ut per hos Norimbergam tuas literas mittere velis. Erunt mihi omnia studia iucundiora, si saepius accepero tuas literas. Cum autem in hac Academia videam mihi facultatem oblatam esse, ordine omnium disciplinarum fontes discendi, annitar, ut non tantum doctrinae umbram mihi circumdem, sed iuvante Deo fundamenta omnium honestarum artium ad coelestem doctrinam adiiciam. Interea te oro, chariss. pater, ut Deum aeternum patrem domini nostri I. C. preceris, ut nos omnes gubernet, et Ecclesiam suam defendat. Ego quoque assiduis precibus te et Ecclesiam nostram domesticam et universam Deo commendo.

---

**No. 7066.**

## *N. N.*

† Ex apographis in cod. Mehn. III. p. 75., cod. Goth. 401. p. 99. et cod. Monac. 90. no. VII. p. 401 b. Inscribitur in codd.:

### „*Ad Patrem, discipulo cuidam praescripta a Ph. Mel.*"

Nihil unquam mihi acerbius ista [1]) tui [2]) animi offensione accidit. Itaque me [3]) plane ex ipso orco revocatum in vitam putes [4]) postquam literis amantissime ad me scriptis [5]) ostendis, te mihi placatum esse. Habeo igitur tibi gratiam, quantam [6]) maximam [7]) animo concipere possum, quod veniam errori meo das, meque in pristinam gratiam recipis, ac vicissim tibi fidem do, me per omnem vitam effecturum esse, ut intelligas nihil me prius aut antiquius tua benevolentia [8]) ducere. Inhumanissimus enim [9]) essem omnium [10]), si talem parentem non omni cura mihi colendum esse existimarem, qui praeter communia parentum beneficia [11]) insuper [12]) me maximis vitae praesidiis curat instrui [13]) atque ornari. Hoc est bis vitam dare [14]). Cum autem tua natura nihil sit humanius, spero, me non plane ferreum [15]) esse, cum arbitrer, aliquam tuae humanitatis similitudinem in me propagatam esse, quam quidem ego doctrina et literis excitabo ad gratitudinem [16]) et pietatem et caetera virtutis officia [17]).

Adventum tuum avide expecto, de quo statues pro tuo iudicio. Scis enim quantum undique sit speculatorum [18]).

1) *isto*] cod. Mehn. non habet.
2) *tui*] cod. Goth. 401. *tua*.
3) *me*] cod. Monac. non habet.
4) *puto*] cod. Goth. 401.
5) *lit. amant. — scriptis*] cod. Goth. 401. *amantissime puter*.

6) *quam*] cod. Monac.
7) *maxime*] cod. Goth. 401.
8) *benev.*] *humanitate* cod. Monac.
9) *enim*] cod. Monac. et cod. Mehn. non habent.
10) Cod. Mehn. addit: *qui vivunt*.
11) *benef.*] *officia* cod. Monac.
12) *insuper*] cod. Goth. 401. et cod. Mon habent.
13) *instrui*] cod. Mehn. *institui*.
14) *Hoc est — dare*] cod. Goth. 401. non habet.
15) *ferreum*] habent quidem codd. Sed suspicor scriptum fuisse *fatuum*.
16) *gratitudinem*] *orationem* cod. Goth. 401.
17) Reliqua in cod. Monac. non leguntur.
18) *speculatorum*] cod. Goth. 401. *devastatio villarum*.

---

**No. 7067.**

## *N. N.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3]. — Non suo nomine Melanthon hanc epistolam dedit, sed discipulo alicui suo eam praescripsit.

### *Cuidam amico.*

S. Etsi propter nostram necessitudinem et amicitiam, cum praesertim ad te de interitu patris tui, optimi viri, scriberem, debebam orationem instituere, quae ad levandum tuum dolorem videretur profutura: tamen ita erat animus societate luctus et doloris impeditus, ut ad te consolandum non satis idoneus essem. Magnum enim vulnus

accepi amisso tali amico, qui sua autoritate studia measque fortunas omnes regebat. Itaque eius mortem non aliter mihi ac patris mei lugendam esse duco, tibique facile ignosco, quem audio orbatum patre carissimo magno in moerore esse. Et accedit ad meum dolorem illud, quod te quoque in tanto squalore et luctu versari intelligo, cuius fortuna non secus ac mea afficior. Te enim propter benevolentiam patris tui erga me summam et propter tuam[1]) virtutem non secus ac fratrem amo. Sed tamen quia in iis studiis ambo versati sumus, quae in secundis rebus ornamento esse debent, in adversis solatio: non alienum esse putavi hoc ipso tempore, a literis remedium petere, quas ego plus apud te valere scio, quia te natura forti et excelso animo praeditum esse cognovi. Etsi enim tanta vis est amoris et στοργῆς illius, quam natura nobis indidit, ut non dolere mortem patris scelus etiam esset, tamen ut ratione luctum et moestitiam moderemur, doctissimi homines magna autoritate praecipiunt. Etsi enim avelli a nobis eos, quos charissimos habemus, lugere merito debemus, tamen decet nos colligere illas etiam causas, quae minuunt luctum. Nec illa tantum nos erigant, quae movent indoctos, quod fata sunt immutabilia, quod et lacrimis et moestitia flecti non possint: sed nos haec multo verior et gravior ratio consoletur, quod, cum divinae literae testentur, non occidere casu homines, sed aliquo certo consilio Dei, deceat nos voluntate divinae obtemperare. Meministi enim nobis scriptum esse: nec passeres sine voluntate Dei extingui. Deinde alia multa uberior est consolatio, quod bonis viris, (qualem fuisse patrem tuum egregia erga Deum pietas in omni vita et sanctissima mens testabatur) mors est aditus ad immortalitatem, ad quam conditos esse homines non solum sacrae literae, sed etiam multa alia testimonia impressa naturae ostendunt. Audio autem patrem ipsum cum se summa pietate Deo commendasset, tanta animi praesentia, tanta cum spe excessisse ex hac vita, ut dubitare non debeamus, quin illa mirabili luce et conspectu Dei iam fruatur, ad quem fruendum natura hominum praecipue condita est, ubi ut olim una cum ipso regamus et Deum prope intueamur, studia laboresque nostros omnes eo conferre debemus. Longa esset futura oratio, si colligere velim, quae philosophi ad levandum luctum scripserunt, sed nobis satisfacere debent ea, quae divinitus tradita de immortalitate et bonorum praemiis tenemus. Opinor te etiam patri tuo gratum facturum, si dolori repugnes, qui profecto non vult, te moerore confici. Quid? quod ea perturbatio reipublicae est, ut beati dicendi sint, quicunque ex his tumultibus eripiuntur, quod velut ex saevissimis tempestatibus in portum auferri videantur. Quare te adhortor, ut magno animo sis, et dolori, quem ex morte patris concepisti, repugnes, cum et Dei voluntati parendum sit, et cum patre bene actum esse multa sint signa. Postremo cum amicitiae nostrae pater autor fuerit, eaque inter nos coaluerit longo iam tempore, etiam societate studiorum confirmata, magnopere te oro, ne unquam animum tuum a me abalienari sinas. Vale.

P. M.

1) *tuam* scripsi pro *meam*, quod habet cod.

---

## No. 7068.

## *N. N.*

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[a]. et apogr. in cod. Basil. 89. p. 49. — Non suo nomine Melanthon epistolam scripsit, sed praescripsit eam cuidam discipulo.

### *Cuidam amico.*

S. D. Quod tam diu non dedi ad te literas, quidvis te suspicari malim, quam me veteris amicitiae nostrae oblitum esse. Ego enim cum[1]) in aliis officiis omnibus, tum vero in amicitia maxime constantiam probo et retinendam esse statuo. Cum autem ingenii tui suavitatem ita complexus sim, ut nemo mihi iucundior fuerit quam tu, hoc tibi velim persuadeas, me nullo modo passurum esse unquam, ut mihi memoria tui ex animo effluat. Ac facile possem testes meorum sermonum de te producere, qui audierint me honorifice de te loquentem quoties tui mentio incidit[2]). Et profecto nunc in me desiderari posset humanitas, si talis amici oblitus essem, qui doctrina, optimis moribus ita excellit, ut mihi hortator ad haec studia semper colenda extiterit, cum quo tam multi iucundiss. sermones de literis fuerunt.

1) *cum*] cod. Par. *tum*.
2) *quoties — incidit*] cod. Basil. non habet

Ego vero [3]) quoties aut scribo aut instituo aliquid, requiro omnino [4]) tuos illos doctiss. sermones, ac tecum colloqui teque consulere cupio. Quod autem hactenus nihil ad te scripsi, partim adversa valetudo in causa fuit, qua ita fui consternatus animo, ut facile omnia animi [5]) studia de manibus illa moestitia excusserit, partim verebar, ne meas ineptas literas homo acerrimi iudicii aequo animo lecturus esset. Sed nunc confisus tua humanitate et benevolentia erga me pristina, duxi tandem te salutandum esse, ut de mea erga te voluntate te certiorem redderem et revocarem amicitiam nostram teque ad scribendum provocarem. Nihil enim mihi tua amicitia antiquius aut charius est, aut [6]) literis tuis gratius mihi esse potest. Vale.

[Philippus.] [7])

---

No. 7069.

## *N. N.*

† E cod. Mehn. III. p. 67 b. — Est haud dubie epistola, quam Melanthon, quod fecit saepius, discipulo cuidam suo praescripsit. Quo anno? definiri non potuit.

*Cuidam amico.*

Unde vero nova isthaec incessit tibi religio, ut qui paulo ante tam eras theologus, nunc per superstitionem desistas ab instituto. Mones, ut Witeberga decedam. Laudo amici voluntatem, sed parum prudenter consulere videris, praesertim in re, quam tu non adeo exploratam habes. Non enim nos plane stertimus etiamsi tu somnium Epimenidum et nescio quam ληθαργίαν nobis tribuas. Porro si ληθάργους putabas, quid erat cur moneas? An quia medicus es repente nos ab illa Epimenidis ληθαργίᾳ liberasti? Opponat ergo te aetas nostra illi quondam celebrato Aesculapio, qui lethargum in lucem ut ille Thesei filium discerptum in lucem restituis. Quantillum enim interest mortem et lethargum? Sed tamen haud scio, an fuerit epistola quam ad me scripsisti lethargiae cuiusdam somnium. Quibus enim quaeso rationibus agis? Ideoque nisi mihi nunc indormiendum esset, nempe lethargo, quibus tecum argumentis quam pertinaciter conflictarer? Sed nunc abeo et recondo me in Epimenidis specum, nonnihil successurus tibi, qui blandissimam quietem interpellaris. Itaque si gratum voles facere, abi et renuncia, Cretae revixisse Epimenidem, sed dormire tamen adhuc nunciabis et Lacedaemoniis frustra τὸ ἐπιμενίδου δέρμα ab iis conservari, quum is iam revixerit. Sed ecce nunc iterum blandus sopor fessos complectitur artus. Vale et hanc ab amico epistolam puta scriptam.

3) *vero*] cod. Basil. *non.*
4) *omnino*] cod. Par. *animo.*
5) *animi*] cod. Basil. *omnium.*
6) *aut*] cod. Paris. *nihil.*
7) Addit cod. Paris., sed epistola haud dubie in commodum discipuli scripta est.

---

No. 7070.

## *N. N.*

† E cod. Mehn. III. p. 145 b.

*N. N.* (Videtur Mel. hanc epistolam alterius nomine scripsisse.)

Humanissime praeceptum est ab Isocrate, ut velut patrimonium ita paternas amicitias liberi tueantur. Quod cum mihi quoque faciendum putarem, magnopere amicitiam expetivi tuam. Memini enim patrem meum saepe de te amanter loqui, et non solum eruditionem tuam, sed et gravitatem tuam et eximiam in omni officio diligentiam tuam copiose praedicare. Ego autem cum caeteros paternos amicos colendos mihi duxi, tum vero eos, quos doctrina excellere video. Intelligo, quod nullae sint suaviores amicitiae, quam inter eruditos, qui praeter caetera officia doctrinam etiam, qua nihil est dulcius bonis ingeniis, communicare inter se possunt. Hanc habui causam meo iudicio gravissimam, ut et tibi quoque, homini doctrina et humanitate praestanti, probarer. Quare nuper Lipsiae a te acceperim *), ubi cum me amanter exciperes et officia mihi tua liberaliter deferres, auspicia nostrae amicitiae mihi iucundissima fuerunt. Scripsi autem nunc ad te, ut his literis memoriam mei apud te renovarem et benevolentiam accenderem, postremo, ut hanc epistolam tanquam pignus perpetuae erga te observantiae

*) Excidisse hic quaedam videntur.

meae habeat. Non ausim a te, homine occupato flagitare literas; sed tamen arbitror, te aliquid temporis amicis tribuere, ubi si quid ad me quoque literarum dederis, magnum me abs te beneficium accepisse statuam. Ego si quo officio declarare meum erga te animum unquam potero, perficiam ut intelliges me tui amantissimum esse.

---

No. 7071.

## N. N.

Ex apogr. in cod. Bibl. Palat. Vienn. Theol. no. 925. fol. 27. Verso.

*Ad amicum Phil. Mel. epistola Iuveni cuidam *) praescripta.*

S. D. Misit nobis pater munus tuum Ave charissime, ac diligenter praecepit, ut tibi per literas ageremus gratias, quod etsi, ut decet, ultro facturi eramus, tamen delector patris humanitate, qui cognosci a te gratitudinem nostram voluit, ut mores nostri tibi voluptati essent. Libenter igitur ad te scripsi ut significationem grati animi tibi ostenderem. Nam beneficium tuum non solum hoc nomine mihi gratum est, quod nobis hoc tempore, in tanta difficultate rerum pecunia maiore opus est, sed etiam quia significas te favere studiis nostris. Plurimum autem apud patrem tua autoritas nobis prodesse potest. Aequiore animo fovebit studia nostra, si tibi placere ea intelliget. Ago itaque tibi gratias pro munere, et dabo operam ut cognoscas recte collocatum esse. Quanquam autem patris summa est erga nos pietas, tamen te orandum esse duxi, ut eius iudicium de nostris studiis ac voluntatem confirmes, eumque horteris, ut postquam iam aliqua cum spe in studiis versamur, non gravatim suppeditet sumptus. Enitemur enim omnibus ingenii viribus, ac summa diligentia ut studia nostra liberalitati patris ac expectationi vestrae respondeant. Deum precor ut hunc cursum institutae vitae meae ita gubernet, ut vobis voluptati esse possit. Bene vale.

*) Fortasse *Reiffensteinio.*

---

# C) SCHEDAE PUBLICE AFFIXAE A MELANTHONE.

(Servavit plerasque cod. Basil. 39. et Riccius in Miscellaneis, et pertinent ad annos 1530 — 1539.)

No. 7072.

## Studiosis.

Manl. farrag. p. 486 sq.

*Dehortatio, ne puellae in gyros ducantur: et causa cur choreae institutae sunt.*

Intelligimus quosdam in choreis publicis sibi licentiam permittere quarundam ineptiarum, quae non decent, et interdum afferunt periculum puellis saltantibus. Cum autem choreae non debeant esse barbarici aut turpes ludi, sed institutae sint displicinae causa, ut honesta officia adolescentes discant exhibere foemineo sexui: habent honestas causas choreae. Quare non est permittendum, ut mos ad disciplinam et humanitatem institutus, depravetur obscoenitate vel scurrilitate. Prohibemus igitur, inter saltandum in gyros circumduci puellas, ut fit a quibusdam. Prohibemus et alia inhonesta exempla. Choreae habent nomen a choris, qui non tantum constant harmonia cantus, sed etiam gestuum et morum. Haec harmonia non est perturbanda. Sed mos honestus, honeste colendus est. Si quis contra hoc edictum fecerit, in hunc severe animadvertemus. Postremo

petimus, ut memineritis scholam esse officinam virtutum: et praecipue nos in Christiana schola decet pie praestare, ne propter mala exempla, doctrina religionis male audiat. Mandamus igitur, ut in omni consuetudine vitae modesti sitis, ac tranquilli.

Rector Academiae Vitebergensis.

---

**No. 7073.**

## (*Studiosis.*)

Edita in Riccii Miscell. no. XV. (descr. a cl. *Foerstem* )

*Intimatio P. M. de ethicis Aristotelis praelegendis.*

Sicut hactenus tradidi Epitomen Philosophiae Moralis die Mercurii, quod ea pars doctrinae humanioris cum ad formandum iudicium de moribus pernecessaria sit, tum ad alias professiones utiles praeparet studiosos, ita cum propemodum eam absolverimus, nunc retexere institui, hodieque de integro ordiar. Ac spero me plaeraque tractaturum accuratius, quam antea. Sunt enim *δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι.* Hoc duxi studiosis significandum esse. Quanta autem sit utilitas harum disputationum, non ignorant ii, qui liberaliter educati et instituti sunt. Nec inquisissent ista summi viri tanta diligentia, nisi iudicassent ea ad iudicium formandum prodesse. Etsi est iucunda gemmae alicuius cognitio, quae sunt in nobis ipsis atque in animis nostris pulcherrimae, atque optimae, videlicet, virtutum causae ac fontes.

---

**No. 7074.**

## (*Studiosis.*)

Ex Riccii Miscell. no. LII. (descripta a *Foerstem*.)

*Intimatio P. M. de praelegendo Thucydide.*

Fortassis aliquis dicet mihi me sine causa laborem accersere, quod praelego qualiacunque, sed tamen animo supplici [1]) hanc assiduitatem hactenus praestiti, et duxi invitandam esse iuventutem ad veterum scriptorum etiam difficilium [2]) cognitionem. Enarravi graeca Poemata utcunque ut authores optimos iuventus in manus sumeret. Cras Deo iuvante enarrationem inchoabo *Thucydidis* historici, quem Demosthenes descripsisse octies, et memoriter tenuisse dicitur. Si quem et linguae et veterum historiarum studium delectat, Is fortassis alicubi nostra opera adiuvari in eo authore poterit. —

---

**No. 7075.**

## (*Studiosis.*)

(Riccii Miscell. n. XLII., et cod. Basil. 89. p. 70.)

*Studiosis.*

*Nicandrum* ideo enarrare decrevi, quia plurimas habet herbarum descriptiones plenas frugiferae eruditionis. Est autem non infima pars philosophiae consideratio plantarum. Cum enim describuntur earum naturae, cum usus ostenditur in remediis, multa physica commemorare simul necesse est. Est utilitas in promptu. Non enim dubium est, mirificam plantis vim inesse, divinitus insitam ad salutem corporis humani tuendam. Et cum gnaviter utimur, plerumque respondent eventus in medicando, cuius rei certos testes plurimos allegare possem. Ruta arcet pestilentiam et veneficia, quare ab Homero *Μόλυ* tantopere praedicatur, quod rutam silvestrem sp..... Camelion et Carduus benedictus praesens suppeditant remedium in pleuritide. Cumque haec efficacia et rerum varietas ostendat, non casu extitisse naturam, sed ab aliqua aeterna mente ordinatam ad usus humanos, admonet nos haec consideratio de providentia. Estque et ob hanc causam bonis ingeniis gratior haec doctrina, quod mentes humanas ad agnitionem Dei opificis traducit, *καὶ οὐ* ... ..... *) Quare studiosos adhortor, ut frequentes audiant. Etsi enim non omnes plantas monstrare potero, tamen plerasque indicabi-

---

1) *supplici*] in textu Foerst. deletum est; alia manus superscripsit: *simplici.*

2) *difficilium*] in textu *difficillimum*; ex mendo.

*) Est hic lacuna in codice. Totum locum inde a verbis: *Cum enim describuntur* etc. non habet Strobel. in d. neu. Beitr. II. p. 187. qui hoc scriptum descripsit ex Riccii Miscellaneis

mus, ita, ut agnosci possint. Sed quibus desunt codices facile possunt singulis septimanis paucos versiculos describere. Cras hora 3. deo dante incipiam enarrationem.

---

No. 7076.

## (*Studiosis.*)

Ex Riccii Miscell. no. XXXX. (descr. a *Foerstem.*)

*Intimatio P. M. in orationem Isocratis de actione illa transferendi muneris publici.*

Cras Deo dante inchoabo enarrationem orationis Isocrateae περὶ τῆς ἀντιδόσεως, in qua utilis est commemoratio, quod genus literarum et studiorum praecipue prosit civitatibus, ac multa ibi gravissime dicuntur de honestis et iustis officiis. Quare spero eam orationem studiosis profuturam et placituram esse. Proinde hortor auditores, ne pigeat eos operam collocare in cognoscendo scriptore imprimis utili et Eloquentiae et continente res dignas cognitione.

---

No. 7077.

## (*Studiosis.*)

Ex Riccii Miscell. no. XLII. (descr. a *Foerstem.*) Apographon in cod. Basil. 39. p. 53 b.

*Intimatio P. M. in librum Aristotelis de Mundo.*

Absoluto hoc capite Problematum in quo hactenus versati sumus, proxime incipiam Deo volente enarrare Graecum Aristotelis libellum, cui titulum fecit de Mundo. Brevis est et elegans Epitome de Planetis, Aëre, Meteoris, Terra et partibus Terrae ideoque enarrare decrevi, quia propemodum Methodus quaedam est, qua Physice in brevem summam contracta est. Libellus ad regem Alexandrum scriptus est. Quare si Aristoteles hoc scriptum dignum putavit rege omnium, qui unquam fuerunt, ingeniosissimo, nos quoque dignum esse nostra lectione putemus. Nec vobis turpe est tanti regis condiscipulos esse. Versionem pro more dictabo, et ubi videbitur, aliquid addemus. —

---

No. 7078.

## (*Studiosis.*)

E cod. Basil. 39. p. 115 b.

*Decanus collegii facultatis artium.* (quis? — An Melanthon?)

Si saepe et integre possent reposci dictata in scholis et accurate examinari adolescentes, multo magis florerent studia. Circumdaretur enim cura adolescentibus reddendi et quae audiunt et perspicue explicandi. Haec cura diligentiam pareret, et ipsa explicatio acueret iudicia. Magis enim intendunt se animi in ea, quae quasi gignentes aliis exponunt, quam quae tantum auribus hauriunt. Monent etiam examina adolescentes quid praecipue observare et meminisse debeant. Colloquium vero alit facundiam et affert quandam animi constantiam. Nam qui non sunt assuefacti ad respondendum, si qui interrogantur, veluti attoniti obmutescunt, et quidam animi confusione impediuntur, ut ne quidem accipere et intelligere possint, quae proponuntur. Denique nullum exercitii genus est utilius, praesertim tenerae aetati, quam examina. Indignum est autem desiderari in schola praecipuum exercitii genus, idque scio saepe a doctis viris in hac Academia deplorari, ac in turba ne possunt quidem in publicis lectionibus omnes integre examinari. Ideo gradus etiam instituti fuerunt, ut adolescentium doctrina certis intervallis exploretur. Ac nos ipsi comperimus, examina in gradu magisterii multum ad excitanda studia opis attulisse. Ut igitur saepius audiri scholastici possint etiam primum gradum cupimus peti frequentius. Tenerae aetati maxime est opus hoc ipso exercitio in iis elementis artium, quae primum inculcandae sunt, videlicet in Grammaticis et dialecticis. Imo hoc examen velut κατήχησις esse debet etiam ecclesiasticae doctrinae. Animadvertimus enim in tanta iuventutis incuria et negligentia multos sane grandiusculos pleraque pietatis elementa nescire. Est autem officii nostri occurrere publicae inertiae, eamque emendare quibus possumus modis, nec alia via est nisi integrae doctrinae explicatio. Haec

gravissima causa nos monet, quare publice studiosis aliquot decernere primum gradum velimus. Hortamur igitur, ut alii quoque accedant, ut consuetudinem examinum revocare possimus. Gravissime dictum est in veteri versu: τὸ μικρὸν οὐ μικρὸν, ὅταν ἐκφέρει μέγα. Puerilis ludus est spectaculum ipsum gradus; sed examen est utilissimum et multifarium studiosis conducit. Ideo arbitror veteres tam honorifica appellatione hanc gradum ornasse, ne contemneretur. Nam a lauro ei nomen tribuerunt. Plane triumphali lauro digna res est cognitio grammatices. Est et illud triumphalibus ornamentis dignum, conservare consuetudinem examinandi in scholis. Proinde si qui petituri sunt hunc gradum, conveniant ad Decanum intra proximum biduum aut triduum.

---

## No. 7079.

### (*Studiosis.*)

† E cod. Mehn. III. p. 189 b. — Quonam anno haec scripta sit, definiri non potest. Fortasse pertinet ad ann. 1532.

*(Auditoribus) Ph. Melancht.*

Astraeam pulsam ex civitatibus et imperiis finxit poëta aliquamdiu in rure concionatam esse generi hominum adhuc nimis corrupto. Nunc quidem propemodum tantum in scholis philosophatur; ideo decet nos eam colere et lubenter audire. Enarrabo igitur quintum *Ethicorum*, ut in eo libello concionantem iustitiam studiosi audiant. Quod ut faciant invitet eos magnitudo utilitatis. Nam hae disputationes cum moribus prosunt, tum vero praeparant ingenia ad iuris doctrinam, et plerasque theologiae materias. Quare hic libellus retinendus est, et inculcandus adolescentibus. Tanta autem venustas est in methodo et filo orationis apud *Aristotelem*, nullam ut pulchriorem imaginem iustitiae quisquam pingere potuerit. Est autem utilissimum, tenere imaginem praestantissimae virtutis, quae nos non solum de nostris moribus admoneat, sed etiam ostendat, qualia vestigia impresserit Deus animis hominum. Nam discrimen honestorum et turpium est expressissima imago Dei. Incipiam autem Deo dante cras hora sexta.

## No. 7080.

### (*Studiosis.*)

Ex Steph. Riccii Miscellan. no. XXIII. (descr. a *Foerstem.*) — Fuit Melanthon mense Augusto a. 1532. Decanus Collegii professorum artium; quare fortasse ad hunc annum haec pagella pertinet.

*Decanus Collegii professorum artium Lectori* S. D.

His qui olim studiorum iuvenilium gradus fecerunt, haud dubie hoc in consilio fuit, ut scholam in classes distribuerent, et certum discendi ordinem constituerent, et per gradus quosdam teneras mentes a primis elementis literarum ad fastigium usque ducerent. Nam videmus eos, qui, priusquam maturit ingenium, ad summam properant, plerunque operam perdere. Fieri enim non potest, ut illa foeliciter tractentur, nisi ordine perceptis ante puerilibus disciplinis. Quare et nos ordinem praelectionum praescribemus his, qui ipsi iudicare non possunt, qua via facillime solidam eruditionem consequantur, ut nostris legibus moniti, suis studiis melius consulant.

Principio adigant Paedagogi pueros ad audiendam Latinam grammaticen, quam Paedagogus ita tradit, ut addat Terentium et Epistolas Ciceronis, Item ad Virgilium discendum. Ad Dialecticam, Rhetoricae elementa, et Copiam *Erasmicam.* Ad Sphaeram *Procli* et similia Mathematum elementa. In his tantisper commorandum censemus, dum Grammaticen perdidicerint et latine loqui et scribere audeant, et sermo puerilibus viciis careat. Hoc qui consecutus erit, tum demum admittatur ad alias praelectiones. Et, quia olim iudicio praeceptorum publice in superiorem classem transferebantur, additus est Baccalaurei titulus, qui distingueret classem a coetu imperitiorum, quos oportebat detineri diutius in primis illis progymnasmatis.

Si quis autem hoc titulo uti volet, huic ita demum concedetur, si hoc modo quem praescripsimus, se exercuerit.

Ab his initiis gradus fit ad superiora. Porro qui volet utiliter discere, danda opera est, ut totam ἐγκυκλοπαιδείαν cognoscat, ut et scientiam de tota natura ac moribus recte ac certo iudicandi, et facultatem quandam dilucide explicandi et

illustrandi res abstrusas et de gravioribus causis clare dicendi, sibi comparet. Nam quid attinet attingere literas, nisi earum tractatione tum iudicium acuamus, tum assuescamus obscuris rebus adferre lumen dicendo, ut et rectius vera pervideamus, et imperitis commodius exponamus, et in aspectum lucemque proferamus. Ergo proponitur Quintilianus, ut inde Dialectica et Rhetorica absolute discantur.

Ad naturae scientiam conducent Mathematicae et Physicae praelectiones.

Ad iudicandum de moribus traduntur privatim et publice plerique libri oratorum ac Poetarum, qui pleni sunt honestis praeceptis civilis vitae. Est enim verissimum illud, quod scripsit Horatius, *Et prodesse volunt et delectare Poetae.* Plurimum autem ad hanc partem eruditionis conferunt libelli Ciceronis de officiis.

Et quia plaeraque de natura et moribus a Graecis authoribus petenda sunt, debet ad haec accedere etiam studium eius linguae. His vero, qui sacras literas recte tractare volent, est utraque tum Hebrea, cum Graeca pernecessaria.

Qui praeparavit ingenium hoc genere doctrinae et his artibus, quas recensuimus, is demum viam ad sacras literas recte tractandas, et ad ius publicum sibi munivit. Quomodo enim iudicabunt ii, qui in Theologicis literis versari volent, de sermone sacrorum voluminum, si linguas, si figurarum vim ignoraverint? quomodo exponent sacra dogmata, si nullam scientiam recte disponendae contexendaeque orationis scierint? At haec nulli sine magno usu harum artium, quas diximus contingit. Quid autem efficiunt in templis ii, qui in docenda religione nullam ad explicandum rationem certam adhibent, nisi ut tenebras offundant auditorum oculis, non ut dimittant auditorem, aut eruditiorem, aut meliorem. Quid in foro causidicus, si honesta oratio eum de aequo ac bono, deque omni natura virtutis destituet, praestabit aliud, quam quod in Comoediis, quae vocant, *κῶφα πρόςωπα.* Qui vero se ad Medicinam contulerit, nisi eo hoc adferet instrumentum φυσιολογίαν et Mathemata, haerebit ubique, tanquam in luto, in eius artis disputationibus.

Haec monere adulescentiam voluimus, non modo ut sciret, quem in discendo ordinem sequi conducat, sed etiam ut expenderet, quantam utilitatem privatim omnibus et rebuspub. adferat haec, quae vocantur, puerilia studia.

Si quis Magisterii titulum ambit, is sciat sibi in his artibus operam esse ponendam.

*P. M.*

---

## No. 7081.

### (*Studiosis.*)

† (E cod. Basil. 39. p. 70 b.)

*Rector Academiae (Scholasticis).*

Praecipua consolatio in tantis ruinis orbis terrarum haec nobis proposita est, quod ecclesiae pollicetur Deus, non interituram esse. Erunt igitur aliquae politiae, quae sint domicilia ecclesiarum, in quibus videlicet sonat vox evangelii. Nusquam enim alibi est ecclesia nisi ubi vox evangelii sonat. Cum igitur Dei benignitate in hac academia sint evangelii studia, ut ea retineamus profecto maiore cura et pietate politia nostra tuenda et fovenda erat, et ab iis, qui praesunt, et a caeteris. Quidam sic vivunt in republica quasi cupiant evertere omnia. Alii sua frivola vitia nihil pertinere ad rempublicam putant. Sed scire omnes debebant, non posse ullam politiam incolumem servari, nisi singulari diligentia omnes coniungant studia, sicut in humano corpore necesse est, membra congruere. Cras autem, quod faustum felixque sit, eligetur Academiae rector. Quare mandamus, ut scholastici conveniant hora septima in maximo auditorio et renunciationem audiant. Debemus enim ecclesiae diligentiam conservandae huius politiae. Pridie Calend. Maii.

---

## No. 7082.

### (*Studiosis.*)

† (E cod. Basil. 39. p. 62.)

*(Auditoribus.)*

Praebui gustum seu, ut dicunt, *δεῖγμα* fabularum *Euripidis*, et opinor, lectionem duarum tragoediarum, quas interpretatus sum, studiosis

gratam fuisse propter rerum gravissimarum exempla et locos communes, qui de multis vitae partibus nos admonent, et suppeditant egregia lumina scribentibus. Cras, Deo volente, inchoabo enarrationem *fabulae*, cui titulus est ἱκέτιδες, quae et ipsa referta est locis communibus et est apta his temporibus. Principale enim argumentum est, quod civitates se mutuis auxiliis iuvare debeant. Ita hoc tempore respublicae adversus Turcam coniungi optandum est. Disputat etiam de optimo statu reipublicae, praestetne monarchia an aristocratia. Harum rerum consideratio utilis est studiosis. Sed cras, Deo dantę, copiosius dicam de argumento.

---

No. 7083. — —

## (*Studiosis.*)

† (E cod. Basil. 89. p. 53.)

*(Auditoribus.)*

Enarravi aliquot orationes *Isocratis*, quae continent locos communes et exempla iucundissima, quae praecipue cuivis sunt utiles cum ad eloquentiam, tum ad iudicandum de communibus casibus, mutationibusque rerum publicarum. Delegi etiam breviores me prolixitas pareret fastidiam. Nunc autem absoluta oratione Areopagitica, decrevi alium quendam autorem proponere, sed quem potissimum sumturus sim, deliberabo, cum novi libri ex Francofordia allati fuerint. Interea brevem orationem *Demosthenis* videlicet secundam Olynthiacam iis proximis diebus interpretabor. Praelegi eam antea quoque, sed tanta suavitas est, et tam elegans exemplum diligenter dicendi, tantam rerum et exemplorum varietatem continet, ut ediscenda etiam sit, atque eam ob causam praecipue adolescentibus propono, ut videant, quam diligenter illi summi viri dixerint, seque ad curam fore mandae orationis exsuscitent. Si qui non habent excusam orationem, describant. Est enim admodum brevis, et ego pauciores versus interpretabor, quia addam versionem. Cras incipiam hora 7. Hodie hora nona incipiam *Milonianam.*

No. 7084. — —

## (*Studiosis.*)

† (E cod. Basil. 89. p. 69.)

*(Scholasticis.)*

Habeo gratiam publicorum studiorum cum his, qui praestant assiduitatem in audienda *Ptolemaei* enarratione. Quanquam enim non omnia explicamus, tamen est operae pretium, aliquos insignes locos assequi, atque ego quidem enarrandos eos libellos in manus accepi, ut quorundam studia excitarem. Hoc consilio, Deo dante, pergam. Sed hoc biduo non praelegam impeditus non solum valetudine, sed etiam negotiis.

---

No. 7085. — —

## (*Studiosis.*)

† Ex apogr. in cod. Basil. 89. p. 69.

*(Studiosis.)*

Inceptos iterum cras exercebo labores,
  Crudeli non me iam remorante febri.
Gratia sit Christo, miseros qui respicit, atque
  Fert dubio certam tempore nobis opem.

---

No. 7086. — —

## (*Studiosis.*)

E cod. Mehn. III. p. 140. nunc primum edita.

*(Studiosis) Philipp. Mel.*

Cum *Oresten Euripidis* audiret *Socrates* in theatro primos versus tanta cum admiratione excepit, ut interpellaverit actorem ac iusserit versus illos repetere, cum quidem ille stans velut attonitus in cogitationem eius sententiae defixum animum haberet. Hanc fabulam Euripidis Deo dante interpretabor, quam cum Socrates summa cum admiratione audiverit, velim eam vos quoque in manibus habere, quod certe magis egemus bonis monitoribus quam ille. Habet autem illustres locos. Prima pars δικανικά: licueritne Oresti matrem

sine iudicio interficere; deinde sunt ἤθικα, de amici et cognati officio, de moribus popularibus sedandis non vi sed ratione, et arte cedendi; quales sint in civitatibus seditionum auctores. Denique imago est multarum rerum haec fabula huius scriptoris *). Propterea hortor scholasticos ut eam diligenter audiant. Si quibus desunt codices hi sciant venales esse apud bibliopolam *Christoph. Schram.* Incipiam autem die proxima lunae.

No. 7087.

(*Studiosis.*)

† Ex autographo Melanth. in biblioth. Reg. Hannoverana.

*) Scriptum est *Iφis*; vel *ἶφις*.

(*Studiosis.*)

Duas iudico utilissimas esse praelectiones omnibus scholasticis, qui initia philosophiae discunt, eam, in qua traduntur Arithmetica, et elementa sphaerica, ac alteram, in qua exordia physices et doctrina de anima, proponuntur. Cum autem hora duodecima nec lectori, nec auditoribus idonea sit, ita iudicavimus distribuendas esse has operas, ut hora tertia in auditorio maximo tribuatur Arithmeticae et Sphaericae doctrinae, quarta vero in auditorio Medicorum, doctrinae physicae. Hortor autem scholasticos, imo propter salutem ecclesiae et propter gloriam dei obtestor omnes, ut hanc ipsam doctrinam ament, nec eius studia negligent.

Philippus Melanthon.

## D) IUDICIA, CONSILIA, SCRIPTA MELANTHONIS,

quae quo tempore scripta sint definiri non potuit.

No. 7088.

(*De ritibus Veterum in coena.*)

Manlii farrag. p. 298 sq.

*De consuetudine cibum capiendi apud veteres.*

Fuit antiqua consuetudo, ut accumberent ad mensam: sicut Christus sedet, quando mulier peccatrix (Lucae 7.) contrectavit eius pedes. Pedes erant positi in scamno, seu lectulo. Pictores non recte imitantur pingentes Mariam Magdalenam, quae non sub scamnis, sed in lectulo Christi pedes osculata est. Triclinium vocatur: quia fuerunt tres lectuli ad mensam collocati. Fuitque haec consuetudo: homines sapientes defatigati laboribus, semel comederunt. Venientes vero ad mensam, quo melius acquiescerent, unusquisque occupabat integrum lectum: sic mensa debet esse locus quietus, et non Centaurorum stabulum. Ideo assidebant tres: quia numerus ternarius conveniens est colloquiis. iuxta vetus proverbium: Tres convivium, novem convicium. Item dialogi sunt plerunque trium: duo sunt colloquentes, tertius est quasi arbiter interloquens: ut est in dialogis Platonis. Omnia exempla antiquitatis vere habent aliquam pulchram et gravem causam.

Illud autem dictum, quod antiquitas tantum semel comederit, non est intelligendum de messoribus, servis, aut pueris. nam tales sumebant

ientacula. Sed honestiores, grandiores natu, et occupati consiliis, non coenabant: inde sunt hi veteres versiculi:

Sex horae tantum tribuantur rebus agendis:
Vivere post illas litera zetha monet.

Tempus matutinum a sexta usque ad duodecimam horam deliberationibus et negociis tribuebatur: deinde se relaxabant, lavabant, ita ut circa horam secundam aut circiter comederent. Vesperi vero cito se cubitum conferebant, ut postridie venirent promptiores ad negocia. Ille ordo conveniens est naturae.

---

No. 7089.

## (*De descensu Christi ad inferos.*)

Manlii farrag. p. 547. collato apographo in cod. Goth. 79. in 4to p. 957. Non est iudicium a Melanthone scriptum, sed dictum ex ore Melanthonis calamo exceptum a quodam discipulo, quare ad sermones ore prolatas referendum est.

*De articulo: descendit ad inferna.*

*Quod necesse sit credere, animum Christi separatam passam esse dolores inferorum, quia articulus inquit: descendit ad inferos* [1]). Id non significat: passus est [2]) dolores in hac vita, ut David, quia inquit *descendit*, nec descendit tantum ut victor et triumphator, sicut aliqui enarrant, sed addit: *ad inferos.* Inferi autem significant illos horrendos cruciatus. Convenit et dictum in [3]) Psalmo: *non relinques animam meam in inferno.* Cur peteret, se non relinqui in inferno [4]), si non fuerunt poenae [5]) inferorum? Haec mihi videntur praecipua argumenta *Aepini.*

Alii contradicunt: articulus inquinat, *descendit ad inferos* non est in Veterum symbolo, sed [6]) tamen recipiunt articulum et dicunt, non oportere restringi dolores inferorum ad tempus post separationem. Christus passus est dolores inferni in agone sudans sanguinem, et saepe alias. Dicunt item, unicum esse sacrificium et sufficiens, filii Dei passionem usque ad mortem crucis [7]), et quanquam urgent vocabulum *descendit*, tamen dicunt descendisse ut victorem, sive solam animam, sive [8]) resuscitatum [9]), ut resuscitaret multos mortuos [10]), quibus se Christus ostendit, et docuit eos multa de suo regno et de intellectu promissionum. Est enim consentaneum, Petrum hoc velle in epistola sua.

*Amsdorfius* breviter hunc nodum Gordium [11]) secat; dicit scripturam nusquam loqui de illa [12]) separata anima vel Christi vel aliorum.

Phil. M.

1) Haec verba: *Quod — inferos*, sunt inscriptio. Manlius tantum habet: *quia articulus* etc.

2) Manl. *passum esse.*

3) Manl. *cum.*

4) *Cur peteret* etc.] desiderantur in Manl.

5) Manl. *si non fuit in poenis.*

6) Manl. *sic.*

7) *Dicunt item* etc.] non habet cod.

8) Manl. *sola anima* simulque.

9) Manl. addit: *esse.*

10) *mortuos*] non habet Manl.

11) *Gordium*] non habet Manl.

12) Manl. *ulla.*

---

No. 7090.

## (*Commendatio Musicae.*)

Select. epist. p. 262. Epist. lib. I. p. 473. (ed. Lond. lib. I. ep. 135.).

*Epistola complectens commendationem Musicae.*

Totum opificium hominis plenum est ingentium miraculorum, quae non solum acie humanae mentis penetrari, ac penitus cognosci non possunt, sed ne quidem numerari omnia queunt. Miranda est sensuum extructio, sed in mente et cerebro cogitatio, formatio imaginum, ratiocinatio, iudicium, memoria, notitiae insitae, et indices recte ac secus factorum, dolor cordis vindex scelerum, sunt admirabiliora. Haec fieri scimus: Quomodo fiant spirituum et cerebri congruente motu, non perspicimus: Sed sic condita sunt omnia, ut sciamus hanc rerum naturam non casu ex *Democriti* atomis confluxisse, sed magno consilio et summa arte ab architecto immensae potentiae, sapientiae et bonitatis, extructam esse. Testimonium igitur de Deo est hoc totum aedifi-

cium, in quo etiam singulare opus est, sensus harmoniarum. Cerebrum, mens, cor, suaviter adficiuntur vocum consonantiis, et ad varios adfectus traducuntur, ad placidos et turbulentos motus, ad laetitiam et moestitiam, ut *Alexander* Musico bellicum canente, tanquam praeliaturus exiliebat, et eodem remittente melodiam, residebat tacitus. Haec ita fieri sentimus. Cur vocum percussio in cerebro, mente et corde, tantam vim habeat, non scimus, sed agnoscamus sic a Deo conditam esse hominum naturam, nec fortuitas esse vocum consonantias, sed certis metis harmonicae proportionis contineri, in qua singularis est sapientia. Multiplex usus est *Arithmeticae* proportionis, et in *Physica* et in contractibus, ut in nutritione tantum transformatur, quantum assumere et coquere natura potuit, et in contractibus si libra una cerae valeat una drachma, decem librae valebunt decem drachmis. Hic usus *Arithmeticae* proportionis manifestus est, cui vetustas dixit similem esse Democratiam, in qua leguntur Magistratus ex omnibus sine discrimine generis, opum et industriae. Late etiam patet usus *Geometricae* proportionis, ut in artibus et officiis, ubi et personarum et artium fit collatio, ut sicut ad imperium *Castrense* idoneus est *Scipio*, sic idoneus est *Laelius* ad senatoriam gubernationem. Hic et personae et numeri discernuntur gradibus. Quare huic proportioni vetustas comparavit Aristocratiam, in qua anteferuntur antecellentes industria in quolibet genere et meritis, caeteri negliguntur: Ac *Plato* dixit, beatam esse hominum vitam, ubi in gubernatione, vel exiguum *Geometricae* proportionis Deus imperiis tribuit. Ut si *Themistocles* ignarus *Musicae* sit Senator, *Timotheus* vero *Musicus* doceat *Musicam.* Horum graduum distinctio salutaris est vitae, ut omnes sani intelligunt. Quam cum non observet Democratia, quae sine discrimine ex omnibus eligit *Musicos*, ex nautis et cerdonibus, manifestum est, hanc aequalitatem perniciosam esse. At extra has Harmonias, ubi conspici in *Physica*, aut in contractibus, aut in moribus usus Harmonicae proportionis potest? Vix invenio exempla. Vetustas ad Oligarchiam contulit: ut enim concursus est numerorum, quorum non est similis proportio inter sese, ut 6. 4. 3. et tamen differentiarum similis est proportio: ita in Oligarchia concurrunt gubernatores dissimiles genere, opibus, industria, meritis, quorum tamen eadem est autoritas, et ut ita dicam, consonantia. Mihi videtur concinnius accommodari ad Ecclesiam, in qua non est concursus sine discrimine omnium honestorum et sceleratorum, qui tales manent. Nec electio fit *Geometrica* proportione ex virtute et meritis; Sed valet ibi dulcissima Harmonia *Musica*, quia concursus est dissimilium, honestorum et deformium, *Ioseph*, *Davidis* et Latronis in cruce. Sed hi sic concurrunt, ut sit proportio consentiens differentiarum, videlicet consonantia in agnitione Filii Dei ac fide. Haec si quis diligentius considerabit, animadvertet, in quolibet genere proportionum, admirandam sapientiam proponi. *Physica* plurimum requirunt *Arithmeticam* aequalitatem: Gubernatio humana *Geometricam*. In Ecclesia conspicitur Harmonica. Praecipue enim Deus *Musicam* generi humano ideo attribuit, ut cantu comprehenderetur, et aliis traderetur vera doctrina de essentia et voluntate Dei, simul ut memoria extenderetur, quia cantilenarum diuturnior est membria, et ut adfectus doctrinae congruentes excitarentur, ideo semper in Templis verae Ecclesiae, et retenta est *Musica*, et culta est. Itaque et proportionem ipsam Harmonicam, voluit imaginem esse collectionis Ecclesiae ex concursu dissimilium numerorum, quorum tamen sit in fide consonantia. Deinde et aliae sunt congruentiae. Ut autem Deus vult caeteras artes Ecclesiae utiles a gubernatoribus foveri, ita vult et *Musicae* studia ab eis conservari.

---

No. 7091.

## (*De Musica.*)

† Ex cod. Goth. 28. p. 25.

### *Elogium de Musica Phil. Mel.*

Excitabatur Spiritus sanctus Musica in Davide et in Elyseo. Excitemus et nostras mentes cantu, ut maiore motu accipiant sententias horum carminum. Et hoc studium canendi in aliis accendamus, ut rerum cogitatione ad Christi agnitionem invitentur, et doctrina ad posteros etiam huius artis ope transmittatur. Naturale est homini in moerore, vel cantu lenire animi perturbationem,

vel cogitatione sententiae, quae altius illapsa est animo propter melodiam, se erigere. Quis nostrum adeo durus est, ut non cantu lusciniae in dumetis et cassitae in agris simul voce et volatu coelum petentem mirifice exhilaretur? Cum quidem etiam nos admonemur, ut simili studio ex hilaritate conditorem Deum celebremus, et laudes ei veras decantemus. Quanto magis exhilarari mentes non efferatos consentaneum est. Cum audiunt in vernantibus hortis in floridis pratis in collibus herbidis sanctarum virginum pios cantus, in quarum choris certum est, una vagari et canere angelos Dei, custodes harum agminum. Quare non sequamur exemplum eorum, qui Musicen negligunt, sed potius excitemus canendi studium, et exemplis et dulcedine carminum invitemus iuventutem et populum, ut se ad cogitationem de Deo his musicis exercitiis accendant. Etc.

---

No. 7092.

## *De depositione.*

Ex libro: De origine, causis, typo et ceremoniis illius ritus, qui vulgo in scholis Depositio appellatur, etc. auctore Friderico Witebrando a. MDLXXVIII.

***Iudicium reverendi et clarissimi viri, Domini Philippi Melanthonis, piae et sanctae memoriae, de Depositione in Academiis usitata.***

*Nazianzenus* narrat, sibi hoc Athenis contigisse, ubi fuit olim celeberrima Academia, cum balneas fuisset ingressus, agnoverunt eum quidam ex Philosophis, qui tunc una aderant, et, arreptum eum, aqua frigida perfuderunt ac corpus quadam nigredine deformarunt. Idem accidisse Basilio Magno, testatur ipse idem.

Vetus itaque mos fuit, et adhuc est in Academiis, ut novorum hominum seu discipulorum, *Beanorum*que, qui se in Academiam aliquam conferunt, ingenia quibusdam ridiculis ceremoniis ac vexationibus explorarentur, atque mitiora redderentur. Simul autem monet haec vexatio et illusio, multas iniurias et difficultates in omni genere vitae et vocationum accidere, easque aequo animo ferendas, ne forte in maius malum incurras tua impatientia. Ferre minora volo, ne graviora feram. Adhibetur autem sal hoc fine: nam cum Christus dicit ad Apostolos: vos estis sal terrae, non sine significatione aliqua factum est. Salis enim natura est quadam dulcedine et sapore condire cibum; item, prohibere putrefactionem. Tales autem nos, sive in Ecclesia versemur, sive in Reipublicae societate, esse debemus, ut alios delectemus suavitate vitae, et scandala vitemus.

Vinum capiti super infunditur, propter electionem ad hoc genus vitae, seu ad hanc provinciam gubernandam. Mos enim fuit antiquis, ut reges et sacerdotes ungerentur ad electionem huius muneris.

Haec omnia considerare debet pius studiosus, et ita regere vitam, ut et Ecclesiae et Reipublicae prosit, et honorificet Deum.

Simul et doctrina singulorum hic examinetur *).



---

*) Liceat, hic de depositionis ritu ex eodem libro, e quo haec descripta sunt, adiicere quaedam, quum liber ipse inter rariores sit numerandus.

*Depositionis* (Niederlegung) ritus, quo qui recentes in Academiam veniebant, *Beani* dicti (*), initiabantur a sociis, sic se habuit, ut novus scholasticus, cornubus capiti suo appositis, deponeretur in tabula, et a *depositore*, adiuvantibus aliis sociis, mundabatur et corrigebatur. Habet ille liber de depositione haec: „Depositio est ritus in scholis usitatus, a maioribus institutus, lusui iocoso non absimilis — — quo animum a vitiis purgari voluerunt ita, ut membra exteriora [usu salis, ut ex aliis colligendum est] a sordibus mundantur a depositione, singula armis suis attentante, et nodosum distorto robore truncum tondente, secante, radente, lavante, levigante, limante, scalpente, sculpente, scabente, tornante, terebrante, dividente, componente, fricante, dedolante, curvum, quod est, recte ponente." — In carmine de eodem ritu, quod ibidem legitur consilium huius ritus esse dicitur, ut novus scholasticus elatus et sublimia spirans:

„Depositus longeque gradu inferiore locatus
Serpere discat humi, caudamque remittere supplex,
Ne volet ante diem nondum crescentibus alis,
Verbis, verberibus mentem mutare coactus.

Hic armis opus est, variis opus instrumentis,
Huc directa mihi tota est, quam tracto, suppellex,
Horrida, materiae similis, cui forma paratur,
Serra, dolabra, bidens, dens, clava, novacula, pecten,
Cum terebra tornus, cum lima malleus, incus,
Rastraque cum rostris, cum furca et forcipe forpex,
His ego distortum nodoso robore truncum
Tondeo, tundo, seco, rado, lavo, levigo, limo,
Scalpo, sculpo, scabo, fodio, tero, torno, terebro,
Divido, compono, frico, dedolo, cudo, recudo,
Si qua, iuvante Deo, tam crasso e stipite possim
Fingere Mercurium, et quod curvum est ponere rectum."

(*) *Beani* vocabulum ortum esse putatur ex gallico *béjaune*, quasi *bec-jaune* (Gelbschnabel), quales sunt aviculae.

**No. 7093.** — —

## (*Ratio studiorum.*)

† Ex apographo in cod. Manuc. 89. No. VI. p. 69.

*Ratio studiorum praescripta Andreae Polono a Philippo Melanthone.*

Die Lunae et Martis mane surgens legito unum caput veteris testamenti, et ordine textus legas, ut seriem historiae recte discas, et ipsa verba textus fiant tibi familiaria. Postea hora sit die Lunae epistolarum Ciceronis aut Orationum, die Martis Terentii aut iucundae lectionis ex alio scriptore profuturae ad eloquentiam. Reliquum tempus antemeridianum tribuito lectionibus *Viti* et dialecticis. Post meridiem audito librum de Anima et Ebraicam Grammaticam. Reliquum tempus tribuito alias exercitio styli, alias cuicunque iucundae lectioni novorum aut veterum scriptorum.

Diem Mercurii totum tribuito graecae linguae et ethicis. Nec superstitiose hic ordo intelligatur, sed misceantur iucundae lectiones vel styli exercitia ita, ut tamen studia ad aliquem certum finem referantur, et cogites, quid velis discere, videlicet Ecclesiae doctrinam, Dialecticen et latine scribendi rationem, graecam linguam, elementa linguae ebraicae, ethicen et elementa physices.

Die Iovis et Veneris mane surgens legito caput veteris testamenti, ut supra dictum est. Proximam horam tribuito Livii lectioni. Die Iovis aut Veneris Virgilii aut Ovidii, deinde lectiones audito *Viti* et Paulinam, hora pomeridiana ebraicam grammaticen; reliquas horas iucundis lectionibus aut exercitio styli tribuito. Ac placet mihi, ubi primum vales, ut discas arithmeticam et elementa sphaerica, seu privatim seu publice. Sint certi fines propositi in discendo, nec tantum ut in ludo vagetur animus, sed genera artium considerentur, et ex eis deligantur ea, quae accommodata sunt ad vitam, quam instituere decrevisti.

Diem Saturni et festum diem tribuito lectioni Epistolae ad Romanos et locorum communium. Quotidie autem vesperi iturus cubitum legito caput novi Testamenti et latine et graece, et proprietatem verborum mediocri diligentia considerato. Ita multum et in doctrina Ecclesiae proficies, et in linguae graecae cognitione.

In scribendis epistolis imitare veterem latinam consuetudinem, nec semper ita scribas, ut epistolae sint similes concionum ecclesiasticarum, sed potius, ut formam habeant oratoriam et vere epistolarem, similem aliquo modo Ciceronianis epistolis, et familiari sermoni, commemoranti privatam benevolentiam.

Ph. M.

---

Aliud carmen ibidem hunc ritum ita depingit:

„Salvete candidi hospites,
Conviviumque sospites,
Quod apparatu divite
Hospes paravit, sumite.

Beanus iste sordidus
Spectandus altis cornibus,
Ut sit novus scholasticus,
Providerit de sumtibus.

Mos est, cibum magnatibus
Condire morionibus,
Nos dum iocamur crassius
Bonis studemus moribus.

Lignum fricamus horridum,
Crassum dolamus rusticum,
Curvum quod est hoc flectimus,
Altum quod est deponimus.

Ut hunc novum seu militem
Nostrum referre in ordinem
Queamus, atque stipitem
Formare doctam Palladem.

Contrariis contraria
Curanda pharmacis mala,
Ferox Asellus esurit,
Lactuca labris convenit.

Ubi malignus nodus est,
Quaerendus asper clavus est,
Ut haec dometur bestia
Addenda verbis verbera.

Vos interim dum ludicro
Tempus datis spectaculo,
Vultus severos ponite,
Frontem serenam sumite.

---

**No. 7094.** — —

## (*De institutione puerorum.*)

† Ex apogr. in cod. Goth. 402. p. 413 b.

(*N. N.*)

*„Phil. Mel. de duobus pueris instituendis."*

(Est fragmentum epistolae ad amicum quendam; fortasse Guil. Reiffenstein scripta est, quod si verum esset, scriptam putarem anno 1531.)

Opinor puerorum doctrinam non esse parem. Nam, si non fallor, alter tenet iam praecepta

grammatices, alter non tenet. Quod si ita res habet, alteri oportebit proponi praecepta grammatices ediscenda. Haec recitabit mane antemeridiana, postea exponet autorem propositum. Alter qui grammatices peritus etiam exponet autorem, sed in declinando et coniugando exerceatur, ne obliviscatur, nisi forte tanta doctrina est, ut prorsus ista puerili exercitatione nihil opus habeat. Grammatica proponatur, quam prius [?] audierunt quaecunque est. Autores enarrentur, quam primum *Terentius*, quem ediscant; sed cavendum est, ne onerentur nimium. Satis est quotidie decem Terentii versus ediscere. Si norunt Terentium potest proponi aulularia *Plauti.* A prandio enarrentur aliqui versus Virgilii, et tradatur eis Syntaxis quam non ediscant, nisi prius etymologiam memoriter didicerint. In construendo quaerantur regulae, quare illa oratio sit congrua, etc. item, quis sit ordo orationis et dictionum. A prandio singulis hebdomatis die Veneris et Saturni interpretare epistolas Ciceronis, sed eligendae sunt faciliores et iucundiores. Puero imperitiori prodesset proponere Catonem. Postea aliquid ex colloquiis Erasmi. Omnino omnis cura conferatur in hoc, ut perfecte discant grammaticam, quod fere negligunt praeceptores. Singulis hebdomatis puer eruditior bis scribat epistolas; alterum semel scribere fortassis satis erit. Assuefaciendi sunt etiam cum videbitur oportunum, ad versus faciendos.

---

No. 7095.

## (*De Messia eiusque regno.*)

† Ex apogr. in cod. Servest. p. 170., descriptum a Cl. *Sintenis.*

*Quare Messias promissus Iudaeis et Gentibus, et quae sit sententia harum promissionum De novo regno etc. secundum Paulum.*

***Phil. Melanthon.***

Iudaei pertinacissime contendebant non posse aboleri legem, tantis miraculis a Deo traditam et defensam, nec poterant intelligere, ulla re alia iustos esse homines, nisi hac pulcherrima obedientia, quam lex proponit. Ideoque promissum salvatorem praecipue arbitrabantur hoc modo revocaturum totum genus humanum ad agnitionem Dei et salutem, propagatione legis inter gentes. Huius tanti operis ducem existimabant fore Christum et per Apostolos constituendam esse hanc optimam politiam toto orbe terrarum. Cum his humanis ac politicis opinionibus mentes plurimorum fascinatae essent, Paulus, ut has tenebras et hanc caliginem depellat, ostendit, longe aliud esse munus promissi liberatoris, quam politiae humanae constitutionem. Non missum esse Christum, ut lex inter gentes propagetur, ut nova Imperii forma constituatur; relinquendam eam curam esse Regibus, qui tenent imperia, sed datum esse Filium Dei, ut re ipsa tollat peccatum, placata ira Dei et mortem, ac reddat generi humano perpetuam iusticiam et vitam, quam hic voce Evangelii et dato Spiritu sancto inchoari oporteat. Haec est sententia promissionum, quae patribus datae sunt, et concionum, quae in prophetis extant de Christo. Sicut Esaias clare vocat Christum patrem aeternae vitae, et Ieremias ait, Sanctum Domini non evellatur in aeternum. Et in Osea dicitur: Ero mors tua o Mors, ero morsus tuus Inferne. Haec non de liberatione civili aut de Imperiis dicuntur, sed de rebus aeternis, de peccato et ira Dei, de nova et propria luce, iusticia et vita in iis, qui Christi evangelium accipiunt. Sed eo mentes humanae non recte intelligunt promissiones et novam Iustitiam, quia non norunt peccatum, nec vident iram Dei, sed arbitrantur esse levia mala et tolli posse humana disciplina, hoc est iusticia legis. Deinde, cum in tanta imbecillitate hominum pauci iusticiam legis praestent, sic admirantur legem et disciplinam, ut amentiam et vitae perniciem esse iudicent, de alia iusticia concionari, aut latefactare nervos disciplinae. Nec vero inficiandum est, rem bonam, pulchram et suspiciendam esse disciplinam, sed tamen illa non sunt adfingenda, placari iram Dei, tolli peccatum, recuperari vitam aeternam iusticia legis.

Ideo Evangelium de alia placatione et de alia iusticia concionatur et vitam aeternam inchoat. De his arcanis rebus, ut doceat Paulus Ecclesiam et refutet errores Iudaicos, tradit doctrinam de peccato, de lege, de iusticia fidei, aliena a sapientia humana; negat peccatum, iram Dei, mortem tolli humana disciplina. Negat homines legi Dei satisfacere, cum oppressi peccato haerente in natura perpetuas tenebras et contumaciam adversus

legem habeant et sint rei irae Dei. Ut autem monstret liberationem, concionatur de Christo et huius propria beneficia proponit. Etsi autem eadem doctrina in promissionibus, quae patribus datae sunt, breviter significatur et postea a prophetis satis dilucide et copiose declaratur, una est enim perpetua vox Evangelii, semper in vera Ecclesia sonans, tamen a Christo ipso et Apostolis clarius explicata est. Ostendit se Christus sine exercitu, sine potentia, non depulit tyrannos, qui populum tristi servitute oppresserant; postea etiam deterrimo supplicio affectus est. — Haec nequaquam videbantur Iudaeis congruere ad amplissimas promissiones de novo regno traditas, sed Apostoli enarrant promissiones et conciones prophetarum, testantur mirabili et inenarrabili consilio Dei decretum fuisse, ut filius fieret victima pro peccato, et resuscitatus regnaret et voce Evangelii et Spiritu sancto credentes reciperet et heredes faceret aeternae vitae. Docet igitur Paulus, homines fieri iustos, id est, consequi remissionem peccatorum et reconciliari Deo, non propter legem, sed propter filium Mediatorem gratis fide, cum videlicet vere credimus, Deum nobis propter hunc Mediatorem ignoscere et nos recipere. Nisi enim luceat haec fiducia reconciliationis in mentibus in agnitione peccati, fugiunt homines iram Dei et ruunt in aeternam mortem; sed hac fide inchoatur in nobis nova Lux, Iusticia et Vita aeterna, sicut haec sententia docet: Iustus fide sua vivet. Ut igitur ostendat Paulus, hoc modo semper Ecclesiam fide iustam fuisse et esse, non lege recitat exemplum Abrahae et sumit testimonium ex dicto Genesis, quod omnium primum expresse de iusticia concionatur. Et hoc dictum copiose enarrat collatis testimoniis Psalmorum: Beati quibus remissae sunt iniquitates et tecta sunt peccata, Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Hi Psalmi testantur, omnes homines sub peccato esse, nec legi vere obedire, sed eos esse iustos, quibus remittantur peccata. Addit et argumentum gravissimum, sumptum ex natura promissionis, promissionem reconciliationis esse certam (esse) oportet; promissio vero pendens ex conditione legis sit incerta, cum nemo legi satisfaciat. Non igitur pendet promissio ex conditione legis, sed gratis donatur propter mediatorem et fide accipienda est. Post hanc disputationem instituit Paulus collationem peccati, graciae et legis, et ostendit, lege non tolli peccatum, sed argui et iudicari, tolli vero peccatum et inchoari vitam aeternam per graciam. Refutat etiam obiectiones, etiamsi a lege liberi sumus, tamen non propterea concedi licentiam secundum carnem vivendi.

*Φ. Μελ.*

---

**No. 7096.**

## (*De baptismo.*)

E cod. Goth. 28. p. 79.

*Consilium Philippi Melan. de baptismo.*

Proximo anno simile exemplum tuo hic accidit. Infantem recens natum mulier baptisans perfundit vino acetico, putans aquam sibi porrectam esse, ac verba rite pronuncians. Errorem postea deprehensum indicavit patri iurisconsulto [1]). Is rem defert ad D. *Lutherum* et pastorem, et dubitans de pueri baptismo petit, ut rursus baptisetur infans. Audi quid hic responderit. Valere baptismum primum respondet, quia verba recte dicta sunt, et mulierum intentio seu mens fuerit hunc infantem baptizare et Christo commendare tanquam Ecclesiae ministros. Neque ministerii tanti vim et verba propter hunc in materia errorem impediri, nec dubitandum esse de eius infantis salute si decederet, censent. Et quod primus baptismus valeret, non iterandum esse baptismum iudicant, ne priori fiat iniuria, i. e. ne Dei illam invocationem priorem recitans iudicarent [2]), neve abuterentur nomine Dei. Exaggerant, nomen Dei vere invocatum esse super infante in priori baptismo. Etsi autem hae rationes caeteros movebant, tamen patris anxio animo non satisfaciebant. Decurrit igitur pater eo, ut rursus domi infans baptizaretur per alium ministrum vicinae Ecclesiae, non prohibente nostro pastore, sed nec adiuvante eam rem. Nam et de scandalo nostri solliciti erant ne spargerentur sermones, praesertim de hac urbe, hic iterationem baptismi comprobari. Nosti quam haec aetas sit captatrix talium sermonum praesertim de nobis. Habes quid hic accide-

---

1) Margini adscriptum est: M. *Kling*.

2) Mendosa haec videntur, et omissa sunt quaedam.

rit, et quid tunc nostri iudicaverint; sed quid mihi videatur iam adscribam.

Quia intelligo, saepe accidere, ut vino infantes in baptismo perfundantur, meum consilium est ad reprehendendum vitiosum morem, ut rursus baptises infantem. Aliud est erratum condonare, aliud est confirmare opinionem, quasi error sit nullius momenti. Deinde baptismus publica ceremonia est. Ideo haec repetitio non est prioris improbatio, sed eius ceremoniae, quae debet in publico fieri, publica actio coram Ecclesia, testante de baptismo, et simul invocante Deum in nomine et mandato filii Dei.

---

No. 7097. — —

## (*De coniugio.*)

Ex apographo in cod. Monac. 90. No. VII. p. 8.

### *De coniugio Ph. M.*

In sanctissimo et arctissimo foedere amicitiae quod appellatur coniugium, hae 5 res inesse debent.

Primum sit amor mutuus inter ipsos coniuges constans et perpetuus, qui quidem regendus est verbo Dei, sicut saepe de hoc amore praecipitur, Eph. 5.

II. Deinde servetur fides quae vitet omnes et alibi vagas libidines, nec alteri extra hunc ordinem suum corpus communicat.

III. Constituatur societas bonorum et aerumnarum, quam Plutarchus venustissima similitudine illustrat: ut in mixtione, inquit, omnia simplicia sic inter se temperantur, ut unam quandam communem speciem efficiant, quae non fuit antea in singulis partibus concurrentibus ad mixtionem; sic in coniugio non debent locum habere meum et tuum, sed talis communicatio bonorum omnium constituatur, ut non agnosci possit, quid cuiusquam fuerit proprium ante conventionem.

IV. Quarto praecipuum decus, quo deus ornare potest ordinem a se constitutum est procreatio sobolis, sicut venustissime dixit Augustinus: ut mundus sine sole, ita matrimonium sine prole.

V. Quinto et postremo ad mariti officium pertinet defensio coniugis.

Has quinque res complectamur animo, quoties insignem locum Pauli ad Ephes. 1. legimus, ubi diserte affirmat, coniugem esse imaginem arcani et aeterni foederis inter Christum et Ecclesiam, quam similitudinem licet paucis prosequi. Ut enim maritus ardet casto amore coniugis et ei fidem servat, ita filius Dei vere amat Ecclesiam, et hanc solam amat et amplectitur ipsius probrum. Deinde sicut coniuges sunt socii non modo facultatum, quas habent, sed etiam aerumnarum: ita filius Dei cum Ecclesia sua liberali pectore communicat donans ei suam s.....am, Spiritum sanctum et vitam aeternam. Ecclesia vero vicissim ei offert sua, invocationem, obedientiam, gratiarum actionem, confessionem et tolerantiam in aerumnis. Postremo ut fortis maritus suscipit non modo patrocinium corporis, sed etiam famae suae coniugis, aut ex ea legitimo ordine liberos suscipit: ita filius Dei defendit suam Ecclesiam, reprimens furores diabolorum, Tyrannorum, Ethnicorum, et ex aqua et spiritu per ministerium Ecclesiae gignit Deo filios ac sibi fratres carissimos.

Hanc collationem meminisse prodest, non modo ad Pauli locum intelligendum, sed etiam ad nos consolandos in hac difficultate temporum, in qua multi existimant Ecclesiam negligi a filio Dei. Quid de 2. gradu amicitiae sentiendum sit, qui nos copulat cum Ecclesia et republica sapientiss. docent versiculi Euripidis, quos citat in oratione sua Lycurgus accusans Leocratem perfidiae, qua deseruit et perdidit patriam propter privatas cupiditates. Inducit enim reginam suam sponte offerentem filiam unicam pro salute patriae, et hanc ei orationem tribuit: o utinam singuli haec cives ita diligant, ut ardet hoc meum pectus amore tui! Quod si faceret salva et incolumis esset patria.

---

No. 7098. — —

## (*De gradu prohibito.*)

† Ex apographo in cod. Monac. 65. p. 158 b.

*An liceat ducere eam, quae fuit nupta fratri uxoris meae. Ph. M.*

Vetus institutio est in decretis, (quae) prohibet nominatim ducere eam, quae fuit nupta fratri uxoris meae (capite 85. hoc quoque statum est q. 3.). Et ratio maxime probabilis est, quod maritus et uxor sunt una caro, quare videntur mihi pari gradu iuncti frater uxoris et uxor sua. Sed Iurisconsulti disputant, hanc sententiam esse duriorem, et dicunt affinitatem esse secundi generis quae nunc habet prohibitionem. Frater uxoris meae attingit me primo genere affinitatis. Ego vero malim talia connubia dissuadere. Si qui sunt qui de hac re contendunt, flagitent sententias Iurisconsultorum. Non ego meam sententiam veriorem esse iudico. Est enim gravissima ratio quod mulier sunt una caro. Cogi coniugia divinitus manifeste videmus. Etsi enim leges divinae et humanae eorum defendendorum curam Magistratibus et Ecclesiis commendant, tamen videat [?] haec iudicia nunquam diligenter constituta esse. Magistratus prophani, ubi puniunt adulteria? Dirimunt controversias matrimoniales Episcopi multis saeculis, adulteria confirmarunt. Nunc pii pastores non adiuvantur a Magistratibus. Nisi enim Deus tueretur coniugia, infinita dissipatio esset, et hic orandus est, ut sua dona, coniugium, disciplinam, Ecclesiam et politias, quod certe faciet, propter gloriam filii sui et tueatur et defendat.

---

No. 7099.

## (*De eadem re.*)

† Ex autographo Melanthonis in cod. Goth. 79. fol. 27.

Sicut non possum ducere sororem uxoris meae, sic non possum ducere uxorem relictam a fratre uxoris meae. Est enim adfinitas primi generis et gradus, quia, ut soror uxoris meae mihi est adfinis, sic fratris uxor. Nam uxor et vir fiunt una caro. Haec est vera et omnium eruditorum sententia.

No. 7100.

## (*Casus matrimonialis.*)

† Ex apogr. in cod. Serv. p. 234. descriptum a Cl. *Sintenis*.

*Phil. Mel. Consilium.*

Furchtsamen Personen Eid aufzulegen ist sehr schädlich, und so sie unrecht schwören, wird Gott schwerlich erzürnet und folgen Strafen und bleibet in den armen Leuten ein verwundt elend Gewissen. So kann der Richter probabili modo sunst zu dieser Sach recht schließen: Wenn die Frau für die Herrn die zu vorhör verordent sind, oder für den Pastor und Burgermeister und Stadtschreiber erfordert wurde und freundlich erinnert, sie sollt ihr Gemüth eröffnen, ob sie ihm hätte ein Ehe zugesagt und noch ihr Gemüth also wäre, daß sie ihn gern haben wolt, und wär ein beständiger Wille bey ihr und ließ sich vernehmen, sie hätte Beschwerung zu Ihrem Gewissen, so sie ein andern nehmen wurde, und der Magister auch ein beständigen Willen hätt: so möchte sie der Richter im Namen Gottes zusammen sprechen. Denn der Vater ist in dieser Sachen zu hart. Denn wiewohl ich die Regel auch für Recht und nützlich halt, daß wider der Eltern Willen die Gelübden nichtig sein sollen: so hat doch solcher diese Maß, daß die Eltern den Kindern in ihrer Jugend zu ihrer Seelen Seligkeit rathen sollen. Und so die Personen in vernünftigem Alter sind, und wissentlich sich mit ehrlichen Personen verloben, da kein dolus gemerkt wird, So man solche Gelübde trennet, folgen böse Gewissen.

So aber in diesem Fall der Frauen oder des Magistri Wille anders worden, oder die Frau darauf beharret, sie habe ihm nichts zugesaget, oder sie wolle ihn nicht haben: so mag der Richter stracks sprechen uff des Vaters Verboth.

---

No. 7101.

## (*Item.*)

† Ex apogr. in cod. Servest. p. 215. descriptum nobis a Clariss. *Sintenis*.

*Casus matrimonialis.*

Ein Mann von Aldenburgk hat angesucht, ihm zu erlauben seines Stiffsohns gelassene Witfrawe zu ehe-

lichen. Darauf ist bedacht worden, daß solche Vermischung oder Ehe nicht soll zugelassen werden, aus Ursachen wie folget:

Der Text in Levitico spricht mit klaren Worten, daß niemand seine Stifftochter beschlaffen soll. Nu ist des Stiffsohns Weib in gleichem gradu und ist una caro mit dem Stiffsohn, wie auch dagegen der Stiffsohn nicht zur noverca kommen soll, denn sie ist una caro mit dem Vater.

Daß aber im Aldenburgischen Fall dieses angezogen wird, daß in secundo genere adfinitatis keine prohibitio sey und derselbige Fall sey in secundo genere adfinitatis, von wegen dieser weitleufftigen Rede, ist dennoch in diesem Fall die Vermischung nicht zuzulassen. —

Denn diese Regula iuris divini ist klar und stark. Mann und Weib sind una caro. Darum, wie dem Stiffvater die Stifftochter verbothen ist, also ist ihm auch des Stiffsohns Weib verbothen.

Philippus Melanthon.

---

No. 7102.

## (*Item.*)

† E cod. Guelphb. in fol. num. 11. 10. p. 222 b.

*Casus matrimonialis.*
(Est tantum excerptum.)

Ego sentio coniugium pastoris, qui novercam uxoris suae duxit, incestum esse, nisi sic sit noverca, quod defunctae pater item fuisset vitricus, non naturalis; ideoque aut dirimendum esse, vel extra dioecesin tuam expellendum. Deinde propter scandalum, quod pastor Ecclesiae toties praemonitus hoc est ausus.

---

No. 7103.

## (*Item.*)

† E collect. Ballenst. Vol. I. p. 199. e cod. Msto. Matthesii.

*De impraegnata a Peslero quodam antequam esset a desertrice absolutus.*

Dom. Doctorem [*Lutherum*] interrogavi de causa *Pesleri*. Is ita respondebat: *Peslerum* esse absolvendum omnibus modis, qui ultra terminum receptum et usitatum eam exspectasset. Nam satis fuisset, eum exspectare annum. Deinde si impraegnasset ancillam postquam est citata mulier in valvis templi, se quoque velle eum absolvi sine aliqua poena. Sed cum hoc fecerit antequam fuerit attexta citatio, puniendus sit tolerabili poena propter exemplum, quod voluit ipse esse iudex. „Ich wollte ihn, inquit, ein acht Tage lassen im Kerker sitzen, und darnach die Magd geben im Namen des Herrn. Aber die *poenam* werden sie *pro circumstantia* wohl wissen zu machen. Von der Verlaufenen ist er frey, und mag die beschlafene haben *bona conscientia.* Magister *Vitus* dixit in eandem sententiam: er möge die *ancillam iam gravidam factam* nehmen, *praesertim cum desertrix abfuerit totum quinquennium.* Aber man soll ihn ein vier Wochen im Thurm legen, *si posset ferre carcerem propter valetudinem. Sin minus* so soll er ein vierzehn Tage sitzen und für andere vierzehn Tage eine Summe Geldes geben, damit andere einen Abscheu haben."

---

No. 7104.

## (*Fragmentum de ira Dei.*)

Duo Fragmenta tribus foliis manu Philippi exarata, quae asservantur in bibliotheca Magniduc. Badens., mihi descripta a Clar. *Mollero.*

I.

— — generis, caedes, odia, bella et alia infinita mala, quae omnia sunt signa irae divinae. Nam his modis punit Deus peccata sicut Moises satis praedicit, in maledictionibus fore, ut matres devorent liberos, ut rixentur cum patre de foetu edendo. Et haec acciderunt saepe. Saepe enim accidit, ut in obsidionibus homines sortiti sint corpora hominum edenda. Hae tantae poenae debebant nos monere, deum vere irasci peccatis.

Sed frigide moventur animi hominum. Ideo proponitur adhuc alia imago, s. filius Dei. Hic testatur, tantam esse iram, ut placari alia victima nulla potuerit. Cur igitur non exhorrescimus,

cur huius hostiae ac victimae dignitate non movemur. Certe non parcet deus his, qui contemnunt hanc hostiam.

Sit igitur hoc primum. Cogitemus de ira Dei, cum filium pati voluerit; expavescamus, et iudicemus veram esse iram, non simulatam et desinamus peccare.

Secundum.

Non satis est de ira cogitare. Nec venit hic filius Dei, ut tantum annunciet iram, ut perdat genus hominum. Sed necesse est ..... de bonitate dei cogitare.

II.

Lucius Cyreneus σταυροφόρον filius primum docuit Evangelium ad Danubium in Augusta Tiberina Regensburg

Crescens, Moguntiae

Clemens, Meti

Trophimus, Arelati

Marcus Pauli discipulus in Passau

Maternus Petri discipulus Coloniae et Argentorati

Nathanael apud bituriges, Treviros

Lasarus resuscitatus Massyliae

Anno domini 35. lapidatus Stephanus et conversus Paulus.

Paulus passus ultimo anno Neronis, videlicet anno domini 70. Ergo concionatus est Paulus circiter 35 annos.

---

No. 7105.

## (*Fragm. de monstris.*)

Ex autographo Philippi in cod. Goth. fol. No. 580.

Est scheda Philippi, in qua multa talamo iterum deleta sunt. Est fragmentum scripti *de monstris.*

Est itaque monstrum, erratum naturae quod ad finem attinet, hoc est, cum natura frustratur fine, quem alioqui expetit. Cupit enim natura certae speciei individuum gignere, sed cum impedita non assequitur hunc finem, monstra nascuntur. Varie autem impeditur natura, vel cum efficientes causae non recte conveniunt, ut cum diversarum specierum animantia committuntur, vel cum redundat aut deficit materia, ut cum accrescunt aliqua membra aut desiderantur, sicut in agro Augustano biceps vitulus natus est tempore conventus, qui fuit anno 1530. Materia et aliis circumstantiis varie confunditur ut cum causam*); tamen experientia testatur, ea non esse ἄσημα. Itaque non solum a poëtis, sed etiam ab Astrologis inter signa collocantur, etsi astrologi has significationes obscuriores esse censent quam significationes stellarum, ideoque Ptolemaeus ait: Traiectiones et crinitae secundas partes habent in iudiciis. Ac physici quidem rationes quaerunt, ut non signa tantum, sed etiam causas mutationum aëris esse doceant. De hoc toto — — —

(Hic desinit pagella.)

---

No. 7106.

## (*Fragm. de iustificatione.*)

† Ex autographo Melanthonis in bibliis germanicis Lutheri, descriptum a S. V. *Schulzio*, theologo Vratislaviensi.

(*De iustificatione hominis.*)

Nulli Christiano dubitandum est, post lapsum primi parentis omnes homines, ut inquit Apostolus, nasci filios irae et inimicos dei, eoque esse in morte et servitute peccati.

Item nulli Christiano ambigendum est nullum hominem posse Deo reconciliari, itemque liberari a servitute peccati, nisi per Christum unum mediatorem Dei et hominum, per cuius gratiam (ut inquit Apostolus ad Rom.) non tantum reconciliamur Deo, et liberamur a servitute peccati, sed etiam efficimur consortes divinae naturae et filii Dei.

Item perspicuum est, quod adulti non consequuntur haec beneficia christi, nisi praeveniente motu spiritus sancti, quo eorum mens et voluntas

*) Desideratur hic nexus.

movetur ad detestationem peccati. Nam impossibile est (ut inquit Augustinus) novam vitam inchoare, nisi prioris nos poeniteat.

Item Lucae ultimo Christus iubet praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum. Iohannes etiam Baptista missus ad parandas vias domini praedicavit poenitentiam, inquiens, poenitentiam agite, adpropinquat enim regnum coelorum.

Deinde a spiritu sancto movetur hominis mens in deum per Christum, et hic motus est per fidem, per quam hominis mens certo credens omnibus quae tradita sunt a Deo, etiam certissime et sine dubio adsentitur promissionibus nobis exhibitis a deo, qui ut dicitur in psalmo, Fidelis est in omnibus verbis suis. Et ex eo fiduciam capit propter promissionem dei, qua pollicitus est se gratis remissurum peccata, et adoptaturum in filios credentes in Christum, eos inquam, quos prioris vitae poenituerit. Et hac fide erigitur in deum a spiritu sancto, Ideoque accipit spiritum sanctum, remissionem peccatorum, imputationem iusticiae et innumera alia dona.

Firma itaque est et sana doctrina per fidem vivam et efficacem iustificari peccatorem. Nam per illam deo grati et accepti sumus propter Christum. Vocamus autem fidem vivam motum spiritus sancti, quo vere poenitentes veteris vitae, eriguntur ad Deum, et vere apprehendunt misericordiam in Christo promissam, ut iam vere sentiant, quod remissionem peccatorum et reconciliationem propter meritum Christi, gratuita dei bonitate acceperunt, et clamant ad eum Abba pater. Id quod tamen nulli obtingit, nisi etiam simul infundatur caritas, sanans voluntatem, ut voluntas sanata (quemadmodum divus Augustinus ait) incipiat implere legem. Fides ergo viva ea est, quae et apprehendit misericordiam in Christo, ac credit iusticiam quae est in Christo nobis gratis imputari, et quae simul pollicitationem spiritus sancti et caritatem accipit. Ita quod fides quidem iustificans, est illa fides, quae est efficax per caritatem. Sed interim hoc verum est, quod hac fide eatenus iustificamur, id est, acceptamur et reconciliamur deo, quatenus apprehendit misericordiam et iusticiam, quae nobis imputatur propter Christum, non autem propter dignitatem seu perfectionem iustitiae nobis per Christum communicatae.

Etsi autem is qui iustificatur, iusticiam accipit et habet per Christum, etiam inherentem, sicut dicit apostolus: Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis. Quare sancti patres iustificari etiam pro eo quod est inherentem iusticiam accipere usurparunt. Tamen anima fidelis huic non innititur, sed soli iusticiae Christi nobis donatae, sine qua nulla omnino est, nec esse potest iusticia. Et sic fide in Christum iustificamur, seu reputamur iusti, id est, accepti, propter ipsius merita, non propter nostram dignitatem aut opera. Et propter inherentem iusticiam eo iusti dicimur, quia quae iusta sunt operamur, iuxta illud Iohannis, qui facit iusticiam iustus est.

Et quamquam in renatis semper crescere debent, timor dei, poenitentia, humilitas et aliae virtutes, cum renovatio sit imperfecta, et hereat in eis ingens infirmitas; tamen docendum est, ut qui vere poenitent, semper fide certissima sentiant, se propter mediatorem Christum deo placere. Quia Christus est propiciator, pontifex et interpellator pro nobis, quem pater donavit nobis et omnia bona cum illo. Quoniam autem perfecta certitudo in hac imbecillitate non est, suntque multae infirmae et pavidae conscientiae, quae cum gravi saepe dubitatione luctantur, nemo est a gratia Christi propter eiusmodi infirmitatem excludendus, sed convenit tales diligenter hortari, ut his dubitationibus promissiones Christi fortiter opponant, et augeri sibi fidem sedulis precibus orent, iuxta illud. Adauge nobis domini fidem Christi.

Item Christiano cuique debet esse compertum, non in hoc datam esse nobis hanc gratiam, et hanc regenerationem, ut in eo gradu innovationis nostrae, quem primum nacti sumus ociosi consistamus. Sed crescamus in ipsum per omnia, qui est caput Christus. Ideoque docendus est populus, ut det operam huic augmento, quod quidem fit per bona opera, et interna et externa a deo mandata et commendata, quibus deus promisit propter Christum in pluribus locis evangelii clare et manifeste mercedem, bona tam corporis, quam spiritus in hac vita, prout divinae providentiae virum fuerit, et post hanc vitam in coelis. Ideo-

que quamvis hereditas vitae aeternae propter promissionem debeatur renatis, etiam cum primum in Christo renati sunt, nihilominus reddit deus etiam bonis operibus mercedem, non secundum substantiam operum, neque secundum quod sunt a nobis. Sed quatenus in fide fiunt, et sunt a spiritu sancto, qui habitat in nobis, concurrente libero arbitrio tanquam partiali agente. Et amplior et maior erit foelicitas eorum, qui maiora et plura opera fecerunt, propter augmentum fidei et caritatis, in qua creverunt huiusmodi exerciciis.

Qui autem dicunt, sola fide iustificamur, simul tradere debent doctrinam de poenitentia de timore dei, de iudicio dei, de bonis operibus, ut tota summa praedicationis constet, sicut Christus inquit, praedicantes poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine meo.

Idque ne haec loquendi formula aliter quam praedictum est intelligatur.

---

**No. 7107.**

## (*Fragm. de fide.*)

† Fragmentum scripti quod delineavit Mel. sua manu in cod. Monac. II. p. 76. (Senili manu scriptum est.)

### (*De fide.*)

— — resuscitationem et integram novitatem, in qua erit Deus omnia in omnibus.

Nec movemur cavillatione sophistica eorum, qui dicunt nos miscere virtutes theologicas, fidem et spem, et disputant, fiduciam esse actum spei. Certum est reipsa has virtutes seu motus non posse distrahi, sed tamen officiis propriis distinctae sunt. Fides accipit et notitia est et motus accensus a Spiritu S., qui inposterum accipit remissionem peccatorum et reconciliationem et vivificationem, quae fit per filium et per Spiritum S.

Sed spes est certa expectatio salutis aeternae gratis dandae propter mediatorem, et mitigationes calamitatum in hac vita iuxta consilium Dei. Haec expectatio motus in corde accensus a Sp. S. sequens erit. Sic propria cuiusque virtutis officia intelligantur.

**No. 7108.**

## (*Fragmenta.*)

Fragmentum autographi Mel. in cod. Monac. No. 375. fol. 14. Ex scriptura intelligitur, Mel. post ann. 1540. haec scripsisse.

sine discrimine eos prorsus extingui sicut inferunt plantae aut pecudes.

De hac necessaria consideratione cum professio nos in symbolo admonet, simul etiam cogitandum est, quae et ubi sit illa vera Ecclesia, quae fruetur aeterna consuetudine Dei, ut nos in eam includamus, et ut fideles cives ....

---

Apocha brevis ibidem p. 15.

Accepi sex Ioachimicos pro Bavaricis Monachis quos misi in ditionem ducis Othenrici, et ago gratias pro hac elemosyna.

---

**No. 7109.**

## *Precatio.*

† Ex apographo in cod. Goth. 79. in 4to p. 527.

### *Precatio Phil. Mel.*

Te, fili Dei, labefactatae et deformatae imaginis Dei in homine instaurator, qui mortuus es propter peccata nostra, et resurrexisti propter iustitiam nostram, toto te pectore precor, ut nos regeneres et vivifices per Spiritum S. tuum, et accendas in nobis veram agnitionem Dei, invocationem et dilectionem, utque sis nobis umbraculum, ne horrenda ira Dei in nos incurrens consumat nos, neve nostrae sordes et immunda natura veniat in conspectum Dei, sed vestiti nos tua iustitia, et mundati sanguine tuo placeamus propter te aeterno patri. Confirmare etiam fidem nostram, ut post hanc vitam integre restituti tibi gratias agamus, et cum omnibus piis tum angelis tum hominibus te et patrem aeternum et Spiritum tuum sanctum perpetuo celebremus. Amen.

No. 7110.

## (*Ordinatio ministrorum Witebergae.*)

Ex apogr. cod. Goth. 190. p. 66.; ubi legitur inter scripta Melanthoniana, at vix ab eo concepta.

### *Ordinatio ministrorum Witebergae.*

Primum examinatione facta vel hoc vel praecedente die, si fuerint idonei, oratur ab ecclesia pro concione admonita precibus et universo ministerio, scilicet ut Deus in messem suam dignetur mittere operarios eosque sinceros, et ut constantes sint in doctrina sana contra portas inferorum. Secundo flexis genubus contra altare ordinator et ministri sui presbyteri ecclesiae ordinandos in medio locent iuxta ordinationem, et chorus cantet: *veni sanctus spiritus;* (ein Versus). *Cor mundum crea in me Deus;* et: *spiritum certum innova in visceribus meis.* Collecta de Spiritu Sancto solita. His finitis adscendat gradum ordinator et verso ad ordinandos vultu stans recitet clara voce caput 3. Timoth. 1.: So schreibet S. Paulus in der ersten Epistel an Thimotheus im 3. Capitel: das ist je gewißlich wahr, ꝛc. Ende: auf daß er nicht falle dem Lästerer in die Schmach und Stricke. — Item: So ermahnet S. Paulus die Christen der Gemeine zu Epheso: So habt nun acht auf euch selbst ꝛc. Ende: einem jeglichen mit Thränen zu vermahnen.

Quarto loquatur ordinator in hanc aut similem formam ad ordinandos: hier hört ihr, zu was die Bischöffe, das ist Pfarrer und Prediger berufen sind. Nicht wird befohlen, Gänse oder Kühe zu hüten, sondern die Gemeine, so Christus durch sein eigen Blut erworben hat, daß wir sie weiden sollen mit dem reinen Wort Gottes, auch zusehen, daß nicht Wölfe oder Rotten unter die armen Schaafe einreißen. Darum nennet er es ein köstlich Werk. Auch für unsre Person sollen wir züchtig und ehrlich leben, unser Haus, Weib, Kind und Gesind christlich halten und ziehen. Seid ihr nun solches zu thun bereit, so sprechet: Ja. — Dicat: Ja.

Quinto tunc impositis manibus totius presbyterii super capita eorum dicat ordinator clara voce orationem dominicam: Laßt uns bethen: Vater unser ꝛc. Et: Barmherziger Gott, himmlischer Vater, Du hast durch den Mund deines lieben Sohnes, unsers Herrn Jesu Christi zu uns gesagt: die Ernte ist groß, aber wenig sind der Arbeiter; bittet den Herrn der Ernte, daß er Arbeiter in seine Ernte sende. Auf solchen deinen göttlichen Befehl bitten wir von Herzen, du wollest diesen deinen Dienern, samt uns und allen, die zu deinem Wort berufen sind, den heiligen Geist reichlich geben, daß wir mit großem Hauffen deine Evangelisten seyn, treu und fest bleiben wider den Teufel, Welt und Fleisch, damit dein Name geheiliget, dein Reich gemehret, dein Wille vollbracht werde. Du wollest auch den leidigen Greuel des Papstes und Mahomeds samt andern Rotten, so deinen Namen lästern und deinem Willen widerstreben, endlich steuern und ein Ende machen. Solch unser Gebeth, weil du es geheißen, gelehrt und zugesagt hast, wollest du gnädiglich erhören, wie wir glauben und trauen durch deinen lieben Sohn, Jesum Christum, unsern Herrn, der mit dir und dem heil. Geiste lebet und herrschet in Ewigkeit. Amen.

Sexto hic S. Petri verbis ordinator alloquatur ordinatos, Petr. 5.: So gehet nun hin und weidet die Heerde Christi, so euch befohlen ist, und sehet wohl zu, nicht gezwungen, sondern williglich, nicht um schändlichen Gewinns willen, sondern von Herzensgrund, nicht als die über das Volck herfahren, sondern werdet Fürbilder der Heerde, so werdet ihr, wenn der Erzhirte erscheinen wird, die unverwelkliche Krone der Ehren empfahen.

Septimo ordinator eis benedicat crucis signo, et istis vel aliis verbis utatur: Benedicat vobis dominus ut faciatis fructum multum. Inde abeat unusquisque in suum locum. Etsi placet, cantet ecclesia: Nun bitten wir den heil. Geist etc.

His finitis canat presbyter: *pater noster* etc. et ordinati communicent primum cum ecclesia. Tunc ordinator, si valet vel licet proxime eos sequas similiter communicet.

Dantur testimonia.

No, 7111. — —

## *Confessio.*

**Phil. Melanth. forma confessionis coram Ministro Ecclesiae. Ex autographo edita in der Fortgesetzt. Samml. von alten und neuen rc. Jahrg. 1729. p. 879.**

Venerande domine. Ego miser homo confiteor coram Deo et Vobis, quod multis peccatis contaminatus sim, quibus provocavi iustam iram Dei adversus me, et commerui graves poenas. Inprimis autem poenitet et pudet me, quod Deum conditorem meum et patrem, a quo summis quotidie beneficiis cumulate afficior, mea detestanda securitate offendi, et causam praebui praesentibus aerumnis publicis, et impendentibus malis. Confugio autem ad Dei clementissimi misericordiam, fiducia filii ipsius Domini Iesu Christi nostri, et oro Te, Ministrum Ecclesiae, ut, pro potestate Tibi a filio Dei concessa, omnium meorum peccatorum solutionem mihi annunties. Promitto Deo et Tibi, me serio posthac meos mores emendaturum esse.

# SUPPLEMENTORUM

## PARS ALTERA.

(Priorem partem quaere in Vol. IV. p. 915.)

## ANNO 1530.

(Ad no. 743. Vol. II. p. 104.)

**No. 7112.** — **15. Iun.**

## (*Narratio.*)

Edita est prior pars huius narrationis, tanquam Spalatini scriptum, in opp. Lutheri, Witt b. IX. p. 409., ed. Ien. V. p. 34., ed. Lips. XX. p. 202., Altenb. p. 26., Halens. XVI. p. 873. — Inveni in Actis tabularii Comitum a Gleichen, quod nunc est in Archivo Ducali Gothano, eandem narrationem a nescio quo in comitiis Augustanis scriptam, et, ut videtur, Comitibus a Gleichen missam, quae non solum multarum emendationum copiam facit, sed etiam in fine plura addit, in opp. Lutheri praetermissa, quare hic eam ex hoc msto. accurate descriptam denuo edidimus, addita varia lectione ex opp. Luth. Halens.

(*Narratio de adventu Caesaris ad Comitia Augustana et de iis, quae proxime evenerunt.*)

Kays. Mayᵗᵗ. ist am Abend corporis christi ungefährlich umb 8 Schläge [1]) zu Auspurg unter einem [2]) Himmel eingeritten, und im Einreiten als sein May. über Chor [3]) kommen ist, hat sein May. die evangelischen Fürsten zu sich fordern lassen, an [4]) Ihre Churfl. und F. G. begehret, daß sie hinfurt nicht wollten zu Auspurg predigen lassen. Darauf sich die Fürsten unterredt, und durch Margraffen Jeorgen wiederumb in kurz Ursach [angezeigt] [5]), warumb Ihre Churf. und F. G. nicht willigen könnten, die Predigt nachzulassen. So hab doch sein May. wiederumb sagen lassen, sein May. könne von ihrem Begehren auch nicht abstehen, und also dreimal [6]) die Entschuldung und den Wiederwort [7]) erholt. Und hat der König selbs ernstlich gesaget: Kays. May. könnte noch wollte davon nicht abstehen. Also hat der Margraff zum vierten gesaget: Kays. May. [8]), ehe ich wollt meinen Gott und sein Evangelion verleucknen, ehe wollt ich hie vor E. May. nieder knien, und mir den Kopf lassen abhauen. Hat darauf Kays. May. gesaget: nicht Kopf abhauen, nicht Kopf abhauen, und nachmals auf seinem Begehren beruhet. Haben es die Fürsten in Bedenken genommen bis auf den Morgen, das ist den heiligen [9]) Fronleichnams Tag, wie darumb Antwort zu geben. Auf den Morgen frühe sein der junge Herzog [10]), Margraff Jeorge, Landgraff, Lüneburg [11]), Anhalt zu Kays. May. geritten, und ist der Churfürst in der Herberg blieben. Nachdem Kays. May. auf den Abend begehret, auch mit in der Procession zu gehen, haben die Fürsten auf den gestrigen Vorhalt Antwort geben, und seind mit vorgenennter Ursach nach der Länge auf ihrer vorigen Meinung bestanden [12]), hat länger denn zwo Stunde gewähret, und ist also Kays. May. damit aufgehalten, daß sein May. erst umb X Schläge [13]) in die Kirchen gangen ist. Seind unsre Fürsten heimgezogen, und haben den Kaiser mit den [14]) andern Churfürsten und Fürsten die Procession halten lassen. Hat der Bischoff zu Menz das Sacrament getragen, und so man die Herrschaft hinweg gethan hätt mit ihren Dienern, hätt man nicht hundert Auspurger, die dem Sacrament gefolget, funden, und ich mag wohl sagen, daß ich in dieser Procession unter allen Ständen, geistlichen und weltlichen, kein andächtiger, züchtiger Person nicht gesehen habe denn Kay. May., trug ein brunnen [15])

---

1) opp. Luth. drei Schläge; male.
2) einem] opp. Luth. den.
3) Incertus sum an Chor, an vero Thor scriptum sit. Opp. Luth. über den Lech.
4) an] Spal. von.
5) angezeigt, quod habet Spal. hic praetermissum est.
6) Spal. zweimal.
7) Spal. das Wiederbegehren.
8) Spal. Marggraf zu ihrer Kais. Maj. gesagt.
9) den heiligen] Spal. auf den wahren.
10) Spal. Herzog zu Sachsen.
11) Lüneburg] Spal. non habet.
12) Spal. gestanden.
13) Spal. nach zehen Schlägen.
14) den] Spal. non habet.
15) Spal. brennend.

Licht, wie die andern, ging die ganze Procession barhauptig, und währet die [16]) Procession des langen Aufzogs-halben bis um ein Schlag. Nach dem [ist] aber unsern Fürsten auch aufgeleget worden vom Kayser, weil sie mit der Procession umzugehen sich wegerten, daß sie Ursache, warumb sie mit umzugehen beschweret wären, in Schriften sollten übergeben, auch warumb sie das Predigen nicht wollten nachlassen. Das also geschehen hat Kay. May. dasselbige allen andern Fürsten zu berathschlagen untergeben. Die seind am Freitag alle in der Thumprobstey zusammen kommen nach Mittage, und einen Ausschloß [17]) zuletzt unter sich gemacht, welche am Sonnabend Vormittage [18]) zu unsern Fürsten kommen, und aufs höchst gebethen, Kay. May. hierinne, mit der Predigt stille zu stehn, willenfahren, denn Kay. May. solches nicht allein von ihnen, sondern auch vom Gegentheil begehrten, mit dieser Zusage: so von allen Theilen [19]) vom Predigen abgestanden, so wollt Kay. May. die Sachen alsdann fürnehmen und laut des Ausschreibens handeln. Die Unsern haben alle ihr christliche Nothdurft fürgewendt, warumb sie darinne nicht konnen willigen, und doch weil Kay. May. sich anzeigt [20]) als ein Oberherr dieser Stadt, und der Abscheid des ersten Reichstags zu Speyr vermag [21]), daß eine jede Oberkeit es damit halten solle, wie sie es gegen Gott und Kay. May. konnt verantworten: haben unsre Fürsten, als die so aus Ihrer Oberkeit und Gebühr, sein [22]) Kay. May. kein Maß [23]) hierinne stellen, oder [24]) vom Predigen nicht willigen abzustehen, sondern Ihrer May. Gescheſte leiden und tragen müssen. Und erzeigt sich [25]) Braunschwig neben dem Erzbischoff zu Mentz sonderlich wohl mehr denn man sich versehen hätte. Gott gebe seine Gnade. Aber Kay. May. will aus Kayserlicher Oberkeit Prediger verordnen, doch aus keinem der Partheiischen, auch nicht den Fabrum. Dieselbige, so Kay. May. verordent, sollen nicht mehr denn schlecht das Evangelion mit der Epistel nach dem bloßen Text ohne alle Auslegung sagen, und mit der Confession und Gnadengeboth [26]) beschließen. Ist also geschehen, und wird dem Kaiser eine große Demuth [27]) mit einem sünlichen [28]) Herzen zugemessen. Hat darauf sein May. itzt Sonnabend durch die ganze Stadt durch drei [29]) Herold mit acht [30]) Posaunen lassen ausrufen, daß in Auspurg niemand solle predigen bei Leibes Straf denn die, so sein May. dazu verordent hat. Es ist ein wilde Ding hier mit Predigen, denn es ist voller Sacrament Schwärmer, und hat sich der Eysslebe wider sie in seiner Predigt wohl beweiset, aber übel um sie verdienet. Gott gebe seine Gnade. Es ist allenthalben gute Hofnung. Man findet den Kaiser geneigt zum Friede und guter christlicher Ordnung auszurichten [31]), wiewohl der König sehr giftig, und er es gerne böß macht. Er mit seinem Haufen haben das Spiel angericht im Einzuge, wie sie es zu Mönchen beschlossen, haben Kay. May. überredt, wenn ers geböth, sie würden froh seyn, daß sie thäten was er wollt. Hat sich rächen wollen und gesagt, er habe es auf zweien Reichstagen vorhin von wegen seiner May. auch verbotten, aber keinen Gehorsam erhalten können. Haben aber, Gott Lob, gefehlet, unsre Fürsten sind von Gnaden Gottes gestärkt und beständig blieben, keine Furcht sich abschrecken lassen, hat sich der Pfeil, den sie abgeschossen, in sie gewendt [32]). Gott gebe fürder seine Gnade.

Bis Montag wird man den Reichstag anfahen. Gott der wolle seinen heiligen Geist dazu senden, Amen [33]).

† Am gemeldten Sonnabend [34]) haben das Kapitel zu Auspurg Kay. May. empfangen, und ihr Geschenk geschickt, die hat er persönlich gehört, und dem Bischoff von Hildesheim befohlen mit senlichen [35]) Augen, daß man es gemerkt, diese Wort zu sagen: Kay. May. nehme das Geschenk zu Gnaden an; Seine May.

---

16) Spal. die ganze.
17) Spal. Ausschuß.
18) Opp. Luth. zu Mittag.
19) Theilen] opp. Luth. non habent.
20) Opp. Luth. anzeucht.
21) Opp. Luth. vermochte.
22) Gebühr, sein] opp. Luth. Gebühr sind.
23) Opp. Luth. addunt: wollen.
24) oder] opp. Luth. aber.
25) Opp. Luth. erzeigte sich hierin.
26) und Gnad. Geboth] opp. Luth. Gebeth.

27) eine grosse Demuth] opp. Luth. ein großer Dank.
28) sünlichen] opp. Luth. friedlichen.
29) drei] opp. Luth. sein.
30) acht] opp. etlichen.
31) Opp. Luth. aufzurichten.
32) wiewohl der König sehr giftig — gewendt] haec in opp. Luth. sic mutata sunt: obgleich etliche grosse Häupter sammt ihrem großen Haufen anders gesinnet, gern sähen, daß dies Spiel, wie sie es zu München beschlossen, fortging, und Kais. Maj. beredet, wo sie nur geböthe würden sie froh seyn, daß sie thäten was Ihro Maj. begehrte; wie sie denn solches auch mit Worten und Thaten genugsam beweiset haben. Gott aber hats gnädiglich gewandt. Unsre Fürsten sind Gottlob durch seine Gnade gestärkt und beständig blieben, keine Furcht sich abschrecken lassen.
33) Amen] abest ab opp. Luth.
34) Haec omnia quae iam sequuntur in opp. Luth. non leguntur.
35) senlichen] i. q. sehenden, vel sichtlichen.

bitt, er mit seinem Bruder wollten Gott den allmächtigen vor ihn als vor einen armen Sünder bitten, daß er ihm seinen heiligen Geist wollt senden, der ihnen unterweiset, daß er zu diesen großen Sachen möchte ein gemein und gut christlich Ordnung aufrichten, und Gott nicht erzürnen. Seyn ihnen die Augen übergangen.

Der **Alfonsus** Kay. May. in Hispanien Cantzler, auch der **Cornelius** haben etliche freundliche Unterrede und Gespräch mit **Philippo** gehalten, ihme angezeigt, daß die Hispanier beredt seyn, als sollten sie an Gott nicht glauben, auch an die heilige Dreifaltigkeit, von Christo und Marien nichts halten, also daß sie meinen, wo sie einen Lutherischen erwürgten, meinten sie Gott einen größern Dienst zu thun denn so sie einen Türken erwürgten; saget, wiewohl er viel mit ihnen darvon geredt, das Thun erkläret, so erlanget er doch etliche, und etliche blieben auf ihrer Bahne.

Des Sonnabends hat der **Alfonsus** nach dem **Philippo** geschickt, ihme angezeigt, er sey den Morgen bei Kay. May. gewesen, und habe lange keine bequemere Stelle und Zeit mit seiner May. zu reden gehabt, habe er seiner May. aller der Lutherischen Artikel Unterricht gethan, und daß sie ganz nicht wider die Kirchen glauben; habe der Kayser gesagt: quid volunt de Monachis etc. und hat dem Alfonso befohlen, Philippo zu sagen, daß er ohne alle Weitläuftigkeit seine May. die Artikel, welche man nicht nachlassen könnte, wollt in kurz verzeichnet schicken, das **Philippus** also gethan, und darneben auch dem Alfonso befohlen, zum Legaten zu gehen, und mit ihm daraus zu handeln. Ist auch also geschehen, und ist der Stoß am größten allenthalben an der Messe. Läßt sich also Gott Lobe zu guter Hoffnung an, der Kayser woll der Sachen gern helfen. Gott hat auch sein Mittel zu ihme geworfen[36]).

Am Sonntag hat Kay. May. seinem Gebrauch nach das hochwürdige Sacrament zum heiligen Kreuz andächtig empfangen, und nach Mittage alle Fürsten zu ihme erfordert, sie der Session halben allenthalben freundlich vertragen, das vor auf keinem Reichstag nicht hat können geschehen.

Auf den Montag hat man die Messe mit aller Herrlichkeit de sancto spiritu gesungen, hat der Erzbischoff von Mentz das Ampt gehalten. Nach dem Credo hat Orator pontificis ein swewnde[37]) Oracion in die Leutherische und Deutze heftig zu Kriege wider den Türken gethan; vorsehens sie werde gedruckt und wiederholet. Was das geschieht, will ich euch zuschicken.

Nach geschehener Oracion ist Kay. May. zum Opfer gangen, hat ihm der Churfürst zu Sachsen das Schwert vorgetragen. Hernach ist der König mit allen Churfürsten zum Opfer gangen, doch die unsern mit einem gelegt, Allein der Landgraff hat nicht geopfert, ist aber mit in der Messe gewest. Nach der Messe ist der Kaiser mit allen Churfürsten und Fürsten aufs Haus geritten, allda den Reichstag angefangen. Zweierlei zu berathschlagen nach der Länge ihnen vorgehalten, erstlich daß man soll berathschlagen, wie man dem Türken wolle widerstehen, und zum andern, daß ein iglicher Fürst seine Meinung der Religion halben soll in Schriften auf Mitwochen einlegen in zweien Sprachen, eins latinisch, das andere teutsch. Versehe mich, Kay. May. werde dieselbige Sache in eigen Rath handeln, nach dem die Fürsten Widersinns hierin seyn. So viel ist bisher gehandelt.

Es ist hier von Ferrar geschrieben, daß der Franzos alle practica suche, in Welschlande einen Tumult zu erwecken. Dergleichen feiert der Teufel hier auch nicht, und es ist eine große Summa Geldes bei vier Stadt in Schweitzen gelegt, nämlich zwölfmal hundert tausend Gülden, die darauf warten, daß die Sacrament-Schwärmer gern etwas wollten anrichten. Das sie nicht können mit der Schrift erhalten, wollen sie gerne mit der Faust irre[?] machen. Gott wolle ihnen wehren. Seind mit diesem gewarnt, obs Gerücht käme, daß unsre Fürsten in Etwas hie sollten gewichen seyn, so wisset, daß es nicht wahr ist. Sie haben auf hohes Ansuchen nicht wegern können, mit in die Kirchen zu gehen, sie haben aber vorher protestirt, daß sie die Messe nicht solle angehen, wollen auch der kein Reverenz thun, wie geschehen. Darzu so stehet man auch nicht abe vom Predigen, sondern man läßt das Geboth voraus, weil die Papisten auch nicht predigen dürfen, und die, so Kay. May. aus hoher Oberkeit hat verordent, nichts mehr denn das Evangelion ohne alle Auslegung sagen müssen.

Hie wird das Fleischessen und anderes nicht angefochten. Bittet Gott, daß er seinen heiligen Geist wollt geben, sein heilig Wort zu erhalten.

Man schreibt von Ferrar, daß die Rothen Juden auskommen seyn, Gog und Magog, und zögen mit großer Menge dem heiligen Lande zu.

Man schreibet auch, Florenz sey noch belagert, haben an allerlei Mangel in der Stadt, ohne allein an Brod und Wein haben sie noch eine Nothdurft,

36) Sic satis distincte scriptum est.

37) Sic scriptum est. Puto esse: geschwinde, d. i. heftige.

und man kauft ein Kalb in der Schern [38]) umb LX Ducaten.

---

(Ad no. 785. Vol. II. p. 700.)

No. 7113. 16. Iul.

## Gerbelius ad Melanthonem.

† Ex apographo Os. Schadaei in sua Collectione epistolarum Sacramentarior. Vol. I., quae asservatur in biblioth. S. Thomasii Argentorati, descripta a S. V. *Röhrich*, Parocho Argentorat. Schadaeus margini adscripsit: „1530. 16. Iuli ex autographo". Fortasse est Nic. Gerbelii epistola, quod opinatur Rohrichius; certe Argentorati scripta est, et putaverim, eam Capitoni et Bucero traditam fuisse, ut eam secum ferrent Augustam in comitia, et Melanthonis favorem quaererent.

### *Philippo Melanchthoni.*

S. Constans apud nos fama est, humanissime mi *Philippe*, variis motibus atque consiliis Comitia agitari, eoque spectare consiliorum omnium eventum, ut mutuis vulneribus atque caedibus Germania intereat, cum malis boni periclitentur, publicusque rerum omnium ordo inextricabilibus erroribus commisceatur. Germaniae, bonorum publicique status me miseret, mi Philippe, vellemque, ni prorsus aliter superis visum, communi tranquillitati ac paci consuli posse. Quod si, quod unum omnium maxime vereor, dissidium inter capita professorum pietatis subortum fomitem malo huic praebet, cupio ex animo, singula prius ab his, qui aliqua ratione rebus tam adversis mederi possunt, expendi, quam novum aliquem tumultum excitari: ne ob quorundam praecipitata consilia communis patria nostra tantusque optimorum hominum ordo periculo atque internecioni subiaceat. Nihil unquam evenit adversariis gratius, quam tot principes, tot urbes, pietatem professos, inter se tam acerbo et immedicabili odio scindi. Haec vero una res est, Philippe, quae illis animum, ferociam, tyrannidem impendii auget, neque aliud quicquam celeriorem his triumphum pollicetur, quam eorum, quos coniunctissimos esse conveniebat, fatalem atque deplorandam discordiam*). Eam ob causam, Philippe mi amantissime, quando omnia studia tua, omnes libri atque literae pacem atque quietem reipublicae docuerunt: rogo, ne ullo modo patiaris futilem ob causam eos se invicem disiungi aut separari, qui concordia sola adversariorum conatus non bonos iure reprimere possunt. Dissidium inter hos est, fateor et doleo: fieri tamen potest, Philippe, id quod ex animo opto, ut Deo miserante dissidii authores facti poeniteat, mutentque consilia in melius. Neque video, cur ob paucorum imprudentiam totius Reipublicae et Germaniae status aut communis omnium quies debuerit perturbari. Quare te, mi Philippe, oro et obtestor, ne sinas latius illud quicquid est discordiae inter Principes et urbes grassari, sed ad pacem, ad concordiam, ad unitatem fidei et animorum quantum potes, potes autem plurimum, ad unum omnes adhorteris. Utinam authoritas atque dignitas Senatus nostri, utinam dexteritas tibi cognita foret, utinam populi frequentia et civilitas: non patereris dubio procul quicquam detrimenti hanc urbem pati. Eam fidei tuae commendo, et ut pacis author sis inter dissidentes, te vehementer adhortor. Si qui peccarunt, admone illos amanter, et forsan resipiscent, perdurabitque Germaniae sua pax, sua quies, qua nihil ad colenda studia, ad colendam pietatem conducibilius. Vale.

38) Schern] Scharn, d. i. auf dem Fleischmarkt.

*) Aut excidit hic *augere* vel simile verbum, aut scribendum: *fatalis* et *deploranda* discor*dia*.

---

## ANNO 1531.

(Ad. no. 994. Vol. II. p. 574.)

No. 7114. 21. Iul.

## B. Rothmanno.

† Descripta ex autographo Mel. in Bibliotheca Havniensi.

*Venerabili et docto viro D. Bernardo Rodmann, docenti Evangelium apud Monasterienses.*

S. D. Memini me de *Campano* *), cum hic adesses, tecum loqui. Inque eo sermone ostendi, omnia ipsius scripta calumniarum et inscitiae plena esse. De filio Dei negat esse aeternum; Spiritum sanctum simpliciter negat esse personam. Postea de iustificatione litigat nobiscum, ubi non

*) Vid. de eo epp. ad Heresb. Vol. II. p. 28., ad Mycon. ib. p. 35., ad Heresbachium d. 15. Iul. 1531. ib. p. 512.

intelligens causam valde nos flagellat. Caetera omnia, quae reprehendit, merae sunt calumniae. *Περὶ εὐχαριστίας* homo acutus invenit medium inter contradictiones, inter Lutherum et Oecolampadium. Non opinor, homines applausuros esse tam ineptis sycophantis, praesertim cum etiam genus sermonis sit obscurissimum. Et hactenus ita iudicavi, non statim ei respondendum esse, ne irritatus tragoediam maiorem excitaret: nam quae adhuc edidit sperabam fore ut contempta statim evanescerent. Sed si tu rem serpere putas, et responsione opus esse existimas, omnino respondebimus. Ego illam veneni et calumniarum plenam bestiam sic accipiam, ut orbis intelligat, nihil eum afferre nisi puerilia quaedam sophismata et verborum cavillationes, et tamen se censorem facit omnium aetatum, omnium doctorum, Erasmi, Lutheri. Scripsi ad aulam *Iuliacensem*, ut videant, ne quid ab eo mali oriatur. Sed habet ibi amicos nimium indulgentes. Quod diaconum a nobis petis, difficile est invenire, sed *Iohannes Oceppenburg* meo iudicio idoneus est ad docendam Ecclesiam. *Sufatensem* tibi commendo. Bene vale. 21. Iulii.

Philippus.

---

## ANNO 1532.

(Ad no. 1067. Vol. II. p. 604.)

No. 7115. 2. Aug.

### *G. Voglero.*

† Ex autographo in biblioth. Gymn. Heilbronn. mihi descripta a S. R. *Iägero*, Pastore in Burg.

*Clariss. viro D. Georgio Voglero, Cancellario Princip. Brandenburg. Marchionis Georgio, suo patrono*

S. D. Clarissime D. Cancellarie. Literae vestrae fuerunt mihi gratissimae. Nam benevolentiam vestram plurimi facio. De ordine visitationis vestrae breviter respondimus *). Pauca enim invenimus, quae viderentur nobis mutanda esse, satis pie et sancte et de doctrina et de ritibus ordinatis *). Christus Ecclesiae suae tranquillitatem et profectum in veris et spiritualibus dotibus largiatur. De privata missa non multa scripsimus. Postquam enim Norimbergenses, sicut facturos se significant, aboleverint privatas missas apud suos, facilior erit deliberatio apud vos, et facile est, abolere praesentes ceremonias, illud difficile est, homines postea idoneos ad docendum inveniri, qui tenere auditoria, et allicere populum ad Ecclesias possunt. Ego me vobis commendo. Bene valete in Christo. Postridie Kalend. Aug. 1532.

Philippus.

Nuntius vester hic expectavit dies quatuor.

*) Legitur responsum in epistolatis Lutheri a *de Wettio* editis T. IV. p. 387.

---

## ANNO 1534.

(Ad. no. 1235. Vol. II. p. 842.)

No. 7116. — —

### *Urbano Regio.*

Epistola ad *Urbanum Regium* ibi data ex parte, integra legitur in Epistolis Sacramentariis collectis ab *Os. Schadaeo* T. I., quae asservantur in bibliotheca Thomana Argentorati. — Addidi hic ea, quae Vol. II. desiderabantur.

(*Urbano Regio.*)

Excusant utrinque et te et me, ne ex scribendi tarditate iudicemur inofficiosi, quotidiani labores vel aerumnae potius. Nunc magna causa incidit cur ad te scribendum fuerit, ac sane gaudeo mihi contigisse nuntium fidum hunc Georgium nostrum. Cassellae cum Bucero collocutus etc. — — — —
— — — — — — — — — — — — — —
nec damno eos. Expecto tuum responsum. Quaeso ne invulges exemplum, donec aliquando tota res perficiatur. Vale. Datae Wittebergae A. 1534 **).

Philippus Mel.

*) Excidisse hic aliquid videtur, velut: *dictum est*, vel simile.

**) Annus haud dubie ex arbitrio eius, qui descripsit epistolam, additus est.

## ANNO 1535.

(Ad no. 1265. Vol. II. p. 866.)

No. 7117. (ex. Martio.)

### *Bucerus ad Bullingerum.*

† Epistola Buceri descripta ex collectione epistolarum Buceri, quae, tribus voluminibus comprehensa, asservatur in bibliotheca S. Thomae Argentorati, descripta a S. V. *Röhrich*, Pastore Eccles. S. Guilielmi, Argentorati. — Dies et annus, quo data est haec epistola, non additus est in autographo, sed scripta est, ut argumentum docet, anno 1535. et quidem circa pascha. — Addidi hanc epistolam Melanthonis epistolis, quia praeclare illustrat ea, quae post colloquium Melanthonis cum Bucero habitum a Bucero acta sint ad concordiam in doctrina de sacra coena efficiendam.

(*Mart. Bucerus ad Henr. Bullingerum.*)

Gratia et pax observande Bullingere. Literas tuas binas accepi, Augustae alteras, alteras hic accepi, et a *Leone*[1]) nostro. Unum vobis in Domino cor, et mihi vobiscum. Condonabitis igitur hoc occupationibus meis, quod unis vobis ad ternas literas respondeo, idque paucis. Requiritis siquidem et ipsi brevitatem et simplicitatem.

De mora rescribendi. Hanc tribuite occupationibus et spei conveniendi, quam feceras, Bullingere. Literis video quam parum proficiamus in iis, quae nobis convenerunt. Nec ergo vestra in monendo libertas, nec studium *Lutheri* me vel offensum reddidit, vel a scribendo retardavit. Credo, in Christum hunc et vos credere, credo, diligam ergo et observem vos necesse est. De causa sacramentaria pridem videre mihi visus sum nos aliquo colloquio parum profecturos; hoc autem etiamsi pollicitus sis, eoque me mirifice recreaveris, nunc, quia scribis iterum te nullum eius videre usum, negas. Cur enim tu facias, ego a te petam, quare tu iudicas inutilia? Sed mirum profecto cum Spiritus sanctus apud veteres veros Episcopos tanti fecerit, eos in Domino convenire, et de rebus sacris colloqui, quod id habeatur tam noxium, vel, ut dicam mitius, tam infrugiferum. Haud enim deceat vos, non consulto religiosissimo Spiritu Christi, toties orantibus, et quidem enixe, vestram copiam negare. Dominus ipse vos regat.

De vestra confessione, dum spiritualem et carnalem Christi in coena praesentiam facitis, ostenditis vos nondum videre in quo sita sit ista controversia. Carnalem enim nemo defendit. Ita nemo exigit, ut dicatur, panem esse corpus Christi, utque caveatur, ne qui simpliciores venerentur signa pro rebus, omnes probant. Hoc contenditur: cum verba ista: accipite, manducate, hoc est corpus, sunt verba Domini exhibentis, et non panem modo, sed etiam corpus suum, quod traditur in nobis et per nos haec loquitur, utitur nobis dispensatoribus mysteriorum suorum, ut credamus[2]) et doceamus, in sacra coena exhiberi cum pane (signo scilicet exhibitivo) ipsum corpus domini, sicut cum aqua baptismatis exhibetur regeneratio, et olim per circumcisionem communio foederis divini, cum halitu Domini Spiritus sanctus, cum impositione manuum benedictio Domini et varia charismata, Pasah erat signum rememorativum. Si minister nihil quam signum exhibet, non dispensabit mysterium Dei, non erit minister spiritus et novi Testamenti, non salvabit, non regenerabit; quae omnia Apostolus sacro ministerio tribuit, sed sic tamen, ut simul affirmet, nos nihil posse cogitare ex nobis tanquam ex nobis, nedum facere. Nos non sumus ministri Domini, nisi cooperamur ei ad plantationem et rigationem sanctorum, quae certe in verbis et signis, absque spiritu, absque vera communione Christi non consistit. Paulus gloriatur, se fundamentum Christum in Corinthiis posuisse, non verba sacra et signa, se eos per Evangelium Domino genuisse, non verba modo administrasse. Ex eo vero non consequitur, non sola fide nos omnem salutem percipere, aut salutem non esse totum unius Christi opus. Christus loquitur et agit in ministro, et fide percipitur quod Christus per ministrum loquitur et agit, nec est minister Christi, in quo non omnia loquitur et agit Christus. Igitur paralogismus est παρα την τον έλεγχον άγνοιαν, sola fide editur Christus, ergo non beneficio ministri; similis huic: sola virtute attractiva commode cibum recipimus, non ergo pascimur beneficio coci. Haec, gratia Domino, concors iam est Ecclesiastarum per urbes imperii sententia et doctrina. De rebus sacris, quia naturalis homo nihil intelligit, sentiendum et loquendum est, ut Spiritus sanctus docet nos sentire et loqui. Non solum ergo sensa scripturae in his religiose cupimus tenere, sed illa etiam

1) *Leone Juda.*

2) Descripsi accurate ut leguntur, sed non satis cohaerent.

scripturae verbis eloqui. Dicimus itaque panem quem frangimus, esse communionem corporis Christi, huncque dare ministrum, sed ministerialiter; Dominus cibus et cibi praebitor ipse est. Ne quid crassius simpliciores corripiant addimus, Christum nec pani uniri notandum, nec includi in pane localiter, nec fieri cibum ventris, rem esse novi testamenti et coelestem, sed eandem efficacem et realissimam, quia nihil hic ficti nihil inane. Ad hunc modum satis occurrimus sive crassioribus sive etiam impiis opinionibus, quae ex veteri errore Papistarum invectae sunt: nihil involvimus, sed lingua utimur Spiritus sancti, qua Christianis nihil poterit fingi magis perspicuum magisve gratum. Hac usa est omnis vetus illa Ecclesia, quam et *Oecolampadius* approbavit, etsi id *Zvinglius* non per omnia probarit, sicut illis in multis non eadem sententia fuit, quod vos si non aliunde, ex utriusque tamen monumentis videtis. Certe *Oecolampadii* dialogus ad palatum *Zvinglii* non faciebat, id quod suis ad *Sturmium* literis testatus est. Sed haec quoque res, quid de disputationibus utriusque statuendum sit, literis transigi non potest, patet latius quam vos obiter, ut scribitis, aliorum scripta legentes, forsan putetis.

De commentariis tuis bene habet res. Oremus dominum, ut ubique nos suo Spiritu regat.

*De Wittenbergensibus.* Hic nihil aliud de vobis contendo quam ut quod damnatis illos facere vobis, vos illis ne feceritis: nempe ut incognita causa eos non condemnetis. Nam nec ex scriptis nec ex fratrum vestri vere amantium colloquio sustinetis causam hanc cognoscere. Sed mihi nunc huius iudicii mei extrema ratio reddenda sit vos non minus inique in illos, quam illi in vos, affecti estis et iniurii. Boni consulite me scribere quod sentio, et coram Domino sentio: mitioribus quidem vos verbis et non tam saepe aut tam palam illos laeditis. Sed quid possit atrocius tamen de eis dici, quam prodere veritatem Christi: impia tyrannide opprimere Ecclesiam Christi, et mendaciis insectari ministros Christi. Admittunt, proh dolor, illi unde forsan vobis sit harum occasio, at quo fortiores vobis videmini, hoc oportebat diligentius curare, ne quid praeter verum vel contra inimicissimos volis accideret. Errare ego possum dum existimo in utrisque esse, cur vos invicem in Domino complecti debeatis. Interea tamen dum video, vos illis sententias adscribere, quas primi impugnarunt et hodie impugnant, et de toto ingenio eorum plus nimio halucinari, non possum non dolore vicem vestram, qui sic fugitis de his serio colloqui: nec hoc solum, sed scripta etiam illorum legitis obiter, tantum considerando quid in genere dicant etc. Sed Domino sic visum est, ut qui cogendis in ovile Christi ovibus eius, quae ab illo aberrarunt, sanguinem impendere debemus, earum collectioni ipsi obstemus, et id interim interpretemur esse simplicitatem et constantiam. Christus dominus noster exuat nos nobis et induat se.

De Scholasticis. Non spectandum quid *Melanchthon* damnarit, sed quid damnari debeat: infinita turba est vere Christianorum, qui dogmatis detinentur Scholasticorum, sed depravatis. His longe malim quidem consuluissemus, si depravationem, non dogmata quae in se recta sunt, opugnassemus, sicque nostra omnia temperassemus, ne ulla in nobis haereret calumniae suspicio. Nunc ita tractavimus Scholasticos omnes, ut cordatis et bonis multis non contemnendum offendiculum obiecerimus, dum vident nos illos non legisse, aut prudentes calumniari voluisse. Sed de his quoque satisfieri per epistolam vobis non potest.

De concilio. Olim Dominus Ecclesiam suam sub piis principibus, Constantino et successoribus eius, sacrarum synodorum consultationibus constituit, et haereticorum furores, qui antea invaluerant, repressit. Quid si hanc et nobis Dominus gratiam faciat? Proximum est, ut omnes Germaniae principes, qui ad Septentriones sunt, Evangelii praedicationem publicitus admiserint, nec multum abest, ut totum regnum *Daniae* cedat *Christierno* iuniori [8]) principi pientissimo, nuper enim exercitum hostilem totum prope delevit. Huic si pacem Dominus dederit, omne regnum suum Christo consecrabit. Id pridem fecit *Suecus;* sequuntur nunc *Anglus* et *Scotus*, non vulgaris potentiae reges. Ista si Dominus maiori ex parte intra biennium confecit, quo nimirum accesserunt duo amplissima Regna Angliae et Scotiae et primariae ducatus Pomeraniae et Wirtembergae, debemus utique ampliora sperare, quam ut de regno Christi in nostris modo angulis solli-

8) Christianus Dux Holsatiae, a. 1584. Rex Daniae electus, et a. 1586. regno potitus est, devictis adversariis.

citi simus. Rigatur nunc *Gallia* sanguine Christianorum, in *Italia* passim veritas admittitur, incipiunt hanc sentire et *Hispani*. Quam facile iam sit Deo adversarias frangere tyrannides, quotidie praedicamus. Hinc videtur mihi haud dedecere nos ad omnia ea parare, quibus ullo pacto possit regno Christi fieri accessio. Atqui hoc ingenium Dominus nobis tribuit, ut ex notis iam ad ignota deducamur, et dilucida ver"ate liberemur ab erroribus, ita ut factum nobis est. *Lutherus* profecto initio causae non parum veritati profuit, dum publicam doctrinae Christi depravationem piis rationibus confutavit, quae tum potuerunt cognosci. Et haec existimo esse prudentis simplicitatis fideique constantis.

*De responso nostro ad Gallos.* Mihi in Christo nec Gallus nec Germanus est; et non licet damnare, quos non deprehenderis nunc malos esse; fuisse, satis non est ad condemnationem. Rogatus sum ut responderem, quo pacto rex operam suam conferre queat ad conciliandas Ecclesias, et quid ex receptis observationibus possit ferri pietate illaesa. Qui rogabant tam mali non erant, ut pro canibus et porcis haberi, mihi quidem haberi, potuissent. Ignoro autem cautiones, quae nituntur suspicionibus. Circumveniri Christianus non potest, sequitur enim verbum Domini: et si errans ab eo declinet, dare hic poenas lucro ducit bono. Respondi igitur duo. Alterum, rationem conciliandi Ecclesias quaerendam esse per bonos aliquos et cordatos viros, qui primo parvo numero utrinque coëuntes de controversiis religionis dispiciant. Diserte addidi, hanc commentationem praeambulam nullis posse permitti, qui sint e vulgo Ecclesiastarum huius temporis; eos adhibendos, qui vitâ probarunt se veros religiosos. Alterum, salva doctrina iustificationis, hoc est toto Evangelio, omnem nos ferre posse disciplinam, quos libet in Ecclesia ordines, omnes ceremonias; modo fidei serviant, non officiant. Haec tot editis libris professi omnes sumus, et nec Romano nec aliis Episcopis quidquam detraxissemus semper, si illam, quam verbis pollicentur, pastoralem curam vere et iuxta verbum Domini voluissent praestare. Mos olim fuit, ut primarii Archiepiscopi, Romanus, Constantinopolitanus, Antiochenus, statim ut in Episcopos consecrati erant, sibi invicem fidei suae confessionem mitterent, et sanctae administrationis societatem mitemque[4]) etiam subiectionem profiterentur. His se commendabant alii. Singulis erant quodammodo sancti observatores et praesides. Iste ordo et mutua cura si hodie obtineret in Christo et iuxta verbum eius, quid obsecro hinc periculi? Charitas, quia ingenium Dei est, nullam benefaciendi rationem a se ducit alienam et sola rectam viam iustumque ordinem in rebus humanis statuit. Sed Pontificii pollicebantur quidvis et facient quod libet. Nec nos his quicquam detulimus aut deferemus. Sique falsa aliqua specie quid obtinerent, mihi adhuc verbum Domini est, non minus posthac quam antehac ad detrahendam illis personam efficax. Habeo iugulum quod officiam, et potius est Dominus meus ut antea.

*Philippo* subscripsi etsi mallem in eius responso quaedam magis expressa, quia ad disputationem et bonorum retulit dubia et nihil dare voluit, nisi quod iustificationis doctrinam promoveret. Hac autem salva, nihil loci ulli superstitioni manere potest. Rex diversa scribit et fallit? Habet suum iudicem, nos nostrum custodem, ne eius nobis fallaciae obsint. Clamant quidam: Botz Wunder! hos ex ipsorum sermone video mittendos esse. Redimeres magno non data haec responsa? Ego vero non pauco quod vel ipsi ad Ecclesiarum concordiam plusculum propenderetis, vel fratres vestri observantissimos et amantissimos audiretis. Seminaria scribis maximarum discordiarum? Quare, obsecro? Utinam tam parum discordiae faveremus, quod nos invicem non audimus et tam secure tamen de alienis sententiis iudicamus. Vix inutile et perniciosum institutum est, si quis peccata sua fateatur sacerdoti, ut et legem et Evangelium Dei melius discens, in poenitentia et fide proficiat. Atqui *Philippus* nullam aliam confessionem probat. Et si velis ex vero iudicare quae hic doctissimus et candidissimus vir vestrique vere amans (nam est, est omnino alio de vobis quam erat iudicio) nunc scribit et olim scripsit haud ita multas nobis proferes ἀντιφράσεις. Iniquo et aegro animo estis in istos viros. Dominus vos corrigat et sanet. Charitas ista non parit nec timor Dei: ita nec quae Lutherus et alii falso vobis tribuunt. Tu desideres in nobis soliditatem et simplicitatem, brevitatem et puritatem? Ora Dominum, ut hoc nobis largiatur et vobis aequius iudicium de donis Dei in aliis. De me non lo-

4) *mutuamque?*

quor; scis pro quibus. Tribuo plus satis Hierarchiae pontificiae? Quid vero tribuo? Fas non est dicere qualem ferre possemus Pontificem, et eo pacto ostendere quae non responderent suo ordini qui Pontifices vocantur? Vel impium est dicere, quae sint christiani hominis officia etiamsi nemo fuerit vel esse posset hic qui illa impleat? Non aedificamus civitatem platonicam, sed prodimus impudentiam eorum, qui verbis sibi sumunt, posse tot Ecclesiis prospicere cum certo sint omnibus exitio. Nihil movet quidem multorum in nos invidia inque hoc consilium. Mirum quam [?] ego istam invidiam sic evado, quantum quidem me hactenus rescire contingit. Ad quotumquemque pervenit hoc consilium? At vero, mi Bullingere, circumferunt quidam excerptum quoddam ex responso *Philippi* depravatum: sed cum non sit insolens, illos nugas circumferre, ego non audio qui ita moveantur. Et cui mica aequitatis, qui scripta nostra publica legit de his ipsis rebus edita ante et post data illa responsa, an de nobis iudicet ex schedis quas circumferunt privatim hostes? Fuerunt horum Responsorum causa irati nobis et alii quidam amici et fratres longe observandissimi, quia itaque apud illos et vos video, nostri consilii rationem de Responsis istis tam male stare, et illa in Francia parum adhuc, quod quidem audio, ad id conferre, ad quod data sunt, malim non data. At vero vel in se adeo male consulta sunt, vel tamen dederunt Ecclesiis damni, quia neutrum compertum habeo, non apparet mihi causam ex his fuisse, cur tantopere angamur. Nam id falso falsius est, cuique in Gallia occasione horum Responsorum aliquid periculi creatum fuisse. Et siquidem Pontificiis haec Responsa non conceduntur, quum capitale fuerit quae in eis continentur profiteri; non solum Lutheranum sed etiam Erasmianum esse, imo non purum puto Papistam esse, et id modis omnibus profiteri, satis ad supplicium fuit. Nunc, cum eos, qui fugerunt, Rex revocat data venia, excipiuntur sacramentarii. At quae huius in nostris responsis causa, cum Philippus meam probet in sententia Eucharistiae moderationem et ego concordiam in re esse inter nos profitear? Sed satis de his. At Gallos sine exceptione lubricos et fallaces facis. Scio te id non ex spiritu Christi facere. Is enim nos docet, nos ex natura ex aequo omnes perditos esse, ipsum autem ad regenerationem nullam gentem abiicere. Attamen quia peccasse adeo hic nobis videor, quod ego ex eo solo iudicare possum, quod vos sic iudicatis, oro huius incogitantiae. Posthac ero cautior. Hactenus ad tuas, Bullingere, priores literas, die Paschae ad me datas.

Ad alteras tuas literas. In his plusculum iratus es et grave minitaris. *Commentarius ille in Galatas* de quo quereris, exceptus est per *Caspar. Crucigerum* praelegente *Luthero* ante annos tres, nuper vero editus. Maledicit charitati et concordiae, propter quam conservandam necesse sit periclitari verbum Dei. In hac sententia quid impii? Sed Sacramentarios facit talem concordiam petentes! Qui sunt Sacramentarii? Ille Sacramentarios intelligit, qui nihil quam panem et vinum in Sacramento esse ponunt. Tales vos non estis. Nihil igitur hoc ad vos. At ille nos hoc nomine intelligit? Dolet, quid autem faciam? Vos quoque dum formis uti Scripturae et Patrum detrectatis, aliud illi de vobis persuadere non possum. Impugnandus igitur tibi est? Verum si officii mei sit impugnare omnes eos, qui mihi de aliis male iudicare videntur, si sic, et vos mihi impugnandi eritis, quia de Luthero et aliis iudicatis quod scio secus habere. At Christo olim iudice ipsi quoque agnoscetis, quam longe ab omni pietate sit istud quod *Lutherum* scribis dissidiis excitandis et fovendis natum. Evangelio Christi Iesu excitando et fovendo natus est, mi Bullingere, id operae etiam praestitit. Impetentius tractat adversarios tam falsa ipsi opinione creditos quam veros. Hoc tamen verum est, ipsum nulli unquam bellum intulisse priorem. Provocatus est a Papistis, provocatus est a *Munzero* et *Carolostadio*, cum quo et facere putavit *Zwinglium* et *Oecolampadium*; hos inter hostes Carolostadianos habuit, quum etiam (licet modestius) priores tamen sententiam Lutheranam vellicarent. His tamen non excuso viri impetentiam, sed quia scio Dominum Iesum eum pure praedicasse atque praedicare (exceptaque ista importunitate in adversarios) etiam vivere, quia denique tantum universae Ecclesiae eius labores profuerunt, ego non possum non gravissime accipere, quae tu, Bullingere, mihi alioquin ingenio natus, sic audes scribere de Luthero, qui tantopere inquam Ecclesiae Dei commodavit. Nam ut de sola versione Bibliorum loquar, quantus is thesaurus est? Existimo enim vos non inficiari, quam multa in vestra versione desiderata semper sint, etiam ab ipso Oecolampadio, et ut nunc video ab ipso

quoque Pelicano et Theodoro desiderantur. De sacramentis videtur vobis orasse errare? Sed, Christo iudice, cognoscetis hunc virum in his adserendis nihil aliud spectare, quam ut verbum et promissio Christi suo loco habeatur. Fructum omnem sacramentorum uni benevolentiae Dei et filii, qua benevolentiam istam in Christo oblatam excipimus, tribuit. Ista ut ostenderem vobis, adscenderam ad vos hinc biennio, obtuleram scriptum, ambivi postea conventum. Sed omnia frustra vos iudicare vultis, causam cognoscere non vultis; id Ecclesiae nostrae in Zvinglio magnum damnum dedit. Dominus noster Iesus Christus avertat, ne et in vobis det. Sensim infamamur nos, qui in Ecclesiis Reipublicae Imperii Christum praedicamus, ceu non simpliciter versemur in hac causa, deficiamus a praedicata veritate, simus hoc quod sonat vox Quärler, quo nos nomine *Leo* noster insignivit scribens ad *Guilielmum a Zell* pium quidem sennionem [?], sed qui eo pervenit, ut iam ministerio nostro non utatur. Ita haec Respublica, quae melius semper mereri de vestris voluit quam vestri voluerunt admittere, passim a vobis insimulatur in periculo esse, ut alterum Monasterium evadat, cum tamen ab ortu sectarum nunquam minus hic sectarii valuerunt quam modo, nunquam saevius in sectarios actum sit. In his quia multa vana sunt et praeter charitatis regulam agitur, frustra boni offenduntur alieno tempore pax et concordia respuuntur; magna est securitas non suis viribus fulta, vehementer vereor, ne quid ipsi vobis detis incommodi. Tu scribis, vobis fore posthac maiorem rationem et authoritatem veritatis, minorem hominum, et ita iniurias Lutheranas laturos, ut simplices aliquando videant, quod nullius Lutherum pudeat mendacii. Ut solius veritatis rationem habeatis valde obsecro, et pro hac etiam homines odisse? Verum interim Christum in suis hominibus agnoscite, et non, dum vultis videri patroni tam strenui veritatis, ipsi adeo contra omnem veritatem scribite: Lutherum nullius pudere mendacii. Laborat ille hoc malo, ut quas aliquando admisit de Zvinglio falsas opiniones, eas nimis pertinaciter tribuat omnibus, qui hunc videntur sectari. Ut vos itaque cum Zvinglii tum vestram innocentiam defendatis, sed ex vero et citra communionem vitii, quod impugnatis, nemo bonorum improbabit. Ego ipse in commentariis meis in Romanos Zvinglium defendi, de peccato originali, sed defensioni sic temperavi, ut interim neminem servorum Domini deiecerim, dum [nedum?] falso crimine impetierim. Hoc certe solum, optimi fratres, nos hic in perniciosam istam pugnam sacramentariam protraxit, quod ferre non possemus, Oecolampadium et Zvinglium a Luthero et aliis quibusdam tractari tam inhumaniter. Nos semper vidimus in Lutheri sententia de Eucharistia nihil statui, quod per se impium sit, ideo initio a contentione nostros avocabamus, et neutri partium palam adstipulabamur. Iam si velitis vos frustra, imo cum pernicie Ecclesiarum pugnam resuscitare, et id falsis criminibus cum imperfecta confessione veritatis de sacramentis, ne dubitetis Deus aderit Ecclesiae suae, ut qualitercunque coeptam concordiam ei tueatur et vestros conatus vobis maxime perniciosos faciet. Proxime accessistis confessioni veritatis plenae Basileae, dum tamen formis scripturae aperte adhuc contradicitis, affirmantes ministrum nihil nisi signum exhibere, quo pacto non esset minister Christi, non enim administraret mysterium Christi et spiritum, sed literam modo: certe sanctorum calculis causa cadetis et gravem iram Christi in vos conciliabitis. Alia tempora sunt, amplior crucis Christi cognitio, debacchatum satis est. Imo *Philippus*, et cum eo alii plurimi toti in eo sunt, ut paucorum intemperiem avertant, Christum in vobis defendant et magnificent. Et vos sic propitiis divis revocabitis orbi bellum istud exitiale? Eo pacto ergo sistetis sanguinem sanctorum in Gallia? promovebitis cursum Evangelii in Anglia et in Scotia? et paci inservietis Germaniae? Augusta modo et Francofurdia hoc nomine deseruntur. Accesserat Reginopolis in initio extinctus conatus est, quod, nobis concordibus, non fuisset factum; ad haec dare occasionem intempestivas pugnas et imminutam professionem veritatis, quis non execratur? Si tamen Helvetiorum Christus est, pergite: sin, sustinete imitari Paulum, ut ubi fundamentum Christus iacet, ibi ferri et ferre omnia non gravemini, quo perstet et provehatur quod coeptum est. Haec ad tuas alteras, mi Bullingere.

Ad tuas, mi charissime *Leo*, cum iam ex maiori parte responsum sit, quantum quidem literis responderi queat, haec accipe. Lutherus non alienavit nos, sed cum conventum spero et literis video parum perfici et plurimis occupatus sum, denique ad manum nulli fuerunt tabellarii, feci

quod vos quoque fecistis, raro scripsi. Nam unis duntaxat distuli respondere literis. Improbas quod circumierim et visitarim Ecclesias et dederim eo damnum meae et Gallicis Ecclesiis. De hoc iudicent, qui causam norunt, quam, ut video, tu ignoras, mi Leo. *Augustani* in magno discrimine constituti ob dissidias concionatorum et civium me vocarant sanctissimis obtestationibus illis, miserunt me magistratus mei, quo [?] advenire non potuissem. Interea vocavit me *Landgravius* ad *Philippum* Casselam, ut igitur certius nomine fratrum Symmistarum in Suevicis urbibus responderem convenimus *Constantiae*, omnia iussu magistratus mei. Existimo hic quoque me nihil fecisse temere. *Augustae* autem ubi coepta tantum omnia essent, nondum firmata et concionatorum dissidia magis proferrent se, ne posteriora haberent peiora prioribus, revocatus sum ab Augustensibus et missus a meis. Et dominus dedit, ut maior in religionis causa concordia Augustae non fuerit, quam diu praedicatum illis est Evangelium, atque dominus dedit, dum illic fui, et nisi ultro dissipant eam concionatores, optima de hac Ecclesia spero. Abiturum hinc vocavit piissimus vir *Bufflerus* Isnensis propter *Fagium*, qui illinc invitis sanctis abiit. Huc ergo veni inde *Constantiam*, ut fratribus illis satisfacerem de scriptis in Galliam. Discessi ab his, ut ipsi testati sunt amicissimis mihi. En habes causas circuitionis meae per menses sex. Domi interea optimus *Capito* et alii ita vigilarunt, ut coeptum sit a magistratu agi pro Ecclesiae vera constitutione et contra sectarios omne genus agi coepit gravius et severius quam antea unquam, et maius etiam Deus dedit incrementum quam unquam antea. Et cum a sorte Monasteriensium absumus longissime, a vobis videmur quasi simus ei proximi. Non erat credendum cuivis, mi Leo, et si in tanto eramus periculo, pridem nos monitos oportuit. Valde miramur Helvetiarum Ecclesiarum in hac re credulitatem, nam a vobis Bernatibus et Basileam scribuntur, quae persuasionem horrendam de nobis prae se ferunt. Gratum est quod monetis, sed dolet, quod non amicius de nobis sentitis, quam quod dubitetis, nos pridem vos consulturos fuisse, vel ipsum opem a vobis imploraturos, si decima ex parte in tanto nostra Ecclesia discrimine fuisset. Ita dolet hoc quoque, quicquid nos pro Ecclesiarum sancta et christiana concordia molimur, hoc vos tribuitis metui a vi principum. Mentes, si sapitis, sinetis Christum iudicare, et quod fratres vestri in se haud malum quaerunt, vos adscribite fini malo. Concordes vis et constantes in simplici et vera unitate ministros, quique instent precibus: hos et nos volumus. Sed hi profecto de se invicem iudicabunt ex charitate, audient se invicem, congressum mutuum cum D. Paulo per terras et maria expetent. Siquidem hi non quaerent quae sua sunt, sed quae Christi, et norint haec Dominum largissime dare in nomine suo coëuntibus. Igitur coitione in nomine Christi nihil habebunt in hac vita expetibilius. Id verum agnosces legens Paulum, aut Paulum negabis Christianum fuisse. Quam diu vixero cruciatus mihi erit, non licuisse vobiscum de omni causa Christi amice disserere; vae nobis si de Christo non possumus colloqui sine contentionibus! Ego nunquam volui vos a vero abducere, et facile custodivisset vos Dominus a meis argutiis, si voluissem. Quid nunc faciam? amo vos et colo, et non vulgariter. Hoc ergo magis dolet cum adeo minutula sint quibus maxima possent averti offendicula, non licere de his vobiscum communicare. Interea scribendo nihil quam tempus perdimus, et animos magis alienamus. Quam facile enim rapiuntur scripta in alium sensum quam scripta sunt, quam facile quisque pro se scripto quidvis obiicit et firmum putat, dum nemo coram est qui obiectum dissolveret. Ego iam verbis prolixe vobis scripsi, sed si res spectas, quam nihil erit satis? quam ubique erit vobis quod regeratis? quam videbuntur diluta evanida? Rationes vestras si rescribitis, videbo multa vos non intellexisse, multa depravasse, obiecisse me quae nullius momenti sunt. Attamen ne viderer vos negligere et agnoscere (quod falsum putatis) me ita vobis indignari, rescripsi. Id utinam bene cadat! Libere scripsistis, libere rescripsi; boni consului vestram libertatem, sed ut responderem tamen, sic et vos meam boni consulite. Faciemus panim. Ego, nisi prorsus desit vobis facultas christiane colloquendi de Christo, non dubitarem nos, si serio in Domino conferremus et iusto tempore et pauci, et solis iis admissis, qui Deum timent serio, plurimum profecturos. Imperitorum clamores metuimus, sed quam perite! Deinde si secretum Domini tenere vellemus, quis adeo clamaret! Et quot sunt honestissimae causae conveniendi et discedendi rursus, quas nemo queat improbare? *Oecolampadio*, ut scis Leo, cum

ultimo cum legatis Reipublicae essemus Basileae, videbatur pernecessarium, ut quotannis ad Synodos nostras conveniretur, et valde tibi et *Megandro* tunc displicebat, quod colloquium etiam tunc adeo fugiebatis. Haec non scribo quod velim invitos vos pertrahere ad colloquium, sed quod videtur fatendum esse apud vos, quam ego putem, olim magnam causam fore vobis magni incommodi et non vobis solis. Dominus id avertat et custodiat nos in suis placitis. Amen.

Haec scripsi animo vestri vere amante, vos videritis ut excipiatis ea. Dominus iudex est, et res ipsa declarat, quo simus in vos animo.

---

(Ad no. 1274. Vol. II. p. 874.)

**No. 7118.** 8. Maii.

## *Antonio, Comiti Isenburg.*

Edita a Clariss. *Förstemanno* in den Neuen Mittheilungen aus dem Gebiet historisch-antiquarischer Forschungen. 2. B. S. 532. Autographon Mel. est in tabellario Comitum ab Isenburg-Budingae.

Dem Wohlgebornen Graven und Herrn, Herrn Antoni, Graven zu Isenburg und Budingen, meinem gnädigen Herrn.

Wohlgeborner, gnädiger Grave und Herr. E. G. sind meine arme Dienst zuvor. Gnädiger Grave und Herr. Ich bitt, E. G. wollen mir gnädiglich zu gut halten, daß ich geirret, denn ich habe gemeinet, es würde nur ein Schul seyn, Ew. G. Sohnen und der andern jungen Graven. Ich hab aber jetzund mit Johannes *Salveltensi* geredt, welcher sich erboten, zu E. G. zu ziehen, und, so ihn E. G. annehmen, treulich zu dienen. Ich hab mich fleißig erkundet von seinen Sitten und Studio, und vernimm, daß er züchtig, sittig und wohlgelahrt ist, daß ich hoff, er werde sich also halten, daß E. G. ein gnädiges Gefallen an ihm haben mogen. Ich hab ihn auch fleißig vermahnet, den jungen Herrn treulich zur Grammatica, und nämlich zun regulis anzuhalten, welches ich hoch vonnöthen acht, wiewohl etlich ein ander Weise und Meinung haben. Ich bitt aber, E. G. wollen selb darob auch halten, daß E. G. Sohn zur Grammatica wohl gewöhnet werde. Und wird gedachter Johannes ungefährlich in sechs Wochen zu E. G. ziehen, denn er muß zuvor solche seine Reise dem Rath zu Salveld, von welchem er ein Stipendium hat, anzeigen, und bitt, E. G. wollen kein Mißfallen an diesem kleinen Verzug haben. Gott bewahr E. G. sampt allen E. G. Geliebten gnädiglich allezeit, und bitt, E. G. wollen mein gnädiger Herr seyn. Datum Witeberg Sonnabend nach Ascensionis Domini 1535.

E. G. williger

Philippus Melanthon.

---

(Ad no. 1287. Vol. II. p. 891.)

**No. 7119.** — —

Textum latinum epistolae sub no. 1287. datae, habes in *Schadaei* epistolis sacramentariis in bibliotheca Thomana Argentorati, quem mihi descripsit S. V. *Röhrich*, parochus Argentoratensis. Is sic se habet:

*Reverendis et doctissimis viris Augustanae Ecclesiae Pastoribus, Evangelium Christi docentibus, suis amicis.*

S. D. Reverendi et doctissimi viri. Literae vestrae non solum pietatis sed etiam eruditionis notas minime obscuras habuerunt, quare mihi utramque ob causam gratissimae fuerunt. Ac testem huius mei iudicii habetis Dn. Doctorem *Gereonem*. D. *Urbani* negotium ipse exponet vobis Lutherus. Excusat se Princeps *) literis propria manu accurate scriptis. Meum animum ac iudicium de concordia nostrarum Ecclesiarum spero perspectum esse viris bonis. Nec profecto moveor imperitorum aut stupidorum iniquis de me iudiciis. Si quod possem proficere, vel morte mea Concordiam Ecclesiae Christi redimere velim. Et spero aditum ad concordiam factum esse. Christus gubernet et provehat piorum consilia. Vos quoque oro, ut institutam moderationem tueamini, quae mihi quidem probatur, et, ut spero, profutura est Ecclesiae Christi. Nescio an hoc quoquae sit fatum ultimae huius aetatis Ecclesiae, quod verae significationes dilectionis et necessariae Ecclesiis adeo inter nos negliguntur, [et] doctorum congressus **) velut studio impediuntur. Sed colloquamur per literas, si aliter non licet. Ego de vobis amanter sentio, vosque ex animo amo. Bene valete. Anno 1535. Iulii 21.

Philippus Melanchthon.

---

*) Ernestus Dux Luneburg.

**) Scriptum est in autographo: *negliguntur doctorum congressus, sed velut* etc., quae sine dubio mendosa sunt.

(Ad no. 1874. Vol. II. p. 1007.)

**No. 7120.** **11. Decb.**

## *M. Bucero.*

† Ex mst. Gerbelii descripsit hanc ep. *Os. Schadaeus*, cuius apographon nunc extat in Schadaei epistolis sacramentariis, quae sunt in biblioth. S. Thomae Argentorati, unde eam sibi descripsit S. V. *Röhrich*, Parochus Argent. e cuius mst. eam hic dedimus.

*Viro optimo D. Martino Bucero, Argentinae docenti Evangelium, suo amico, vel clarissimo viro D. Iacobo Sturmio.*

**S. D.** Vir optime, Christus provehat et gubernet totos conatus et studia ad laudem Dei et ad ornandum Evangelium. *Lutherus* non detrectat colloquium, et certe de vobis amanter sentit. Scripsi autem ad virum optimum et prudentissimum Dn. *Iacobum Sturmium* quid verear *). Habemus sane utrinque homines plus satis vehementes. Hi si in congressu inflammarent rursus discordiam, quantum esset incommodi futurum, iudicare facile potes. Itaque deliberatione res opus habet, potius illud velle. Non dubito quin Caesar synodum indicturus sit. Itaque oportet nostros principes et Superiores deliberare prius quid acturi sint, quos articulos defensuri sint ad extremum, quos dignos iudicent, propter quos sinant rem ad arma deduci, propter quos a consensu tam veteri tot annorum discedamus, si condemnentur. Haec est necessaria et magna deliberatio. Cogitandum enim est, qualem Ecclesiam posteris relinquere velimus, et efficiendum, ut inter nos sit consensus doctrinae. Ita et exteras nationes facilius nobis conciliabimus. Et in tali conventu plus libertatis esset futurum. Haec scripsi optimo animo nec praefero meum iudicium vestro. De meis articulis edidit iam *Lutherus* quandam correctionem, in qua commemorat, esse mutilatas et vitiatas. Et ita res se habet. Ego exemplar emendatum misi in Angliam, dedi et multis aliis, sed nihil edere volui, et certe occupationes impediverunt. Quid sentiam prudentes bene iudicare possunt ex locis communibus. Quod disputas, an edendum sit consilium aliquod, quid concedi nobis aequum sit, et quid largiri vicissim possimus: plane dissuadeo illam editionem, quia omnia plena sunt sycophantarum. Sed ut dixi, communi consilio velim deliberari, quos articulos simpliciter et sine ulla mitigatione defendere velimus. Profecto tempus monet, ut serias et non futiles deliberationes habeamus. Bene et feliciter vale. Reditum Ducis Saxoniae expectamus adhuc, sed dicebatur intra triduum adfuturus. In Anglia spes est, fore ut doctrina pura recipiatur et foeliciter propagetur. Nobiscum fuit legatus; nondum eum salutavi. Est enim Erfordiae. Iterum bene vale et foeliciter. XI. Decembris. Saluta D. *Capitonem*, *Hedionem*, *Bedrotum*, D. *Ulricum Chelium*. Ne ostendas parum notis.

Philippus.

*) Huius ad Iac. Sturmium epistolae extat in eadem collectione Schadaei versio Germanica a Bucero facta, quae sic se habet:

„Melanthons Brief an Jacob Sturm gen Schmalkalden."

Meinen Gruß ꝛc. Lieber Herr. Euere Prediger begehren ein Gespräch mit dem Luther zu halten, welches, meiner Achtung, dir wohl zu wissen, welches der Luther auch nicht abschlägt. Dieweil uns aber Etlicher unwirrsche Art bekannt ist, trag ich grossen Zweifel, ob nütz seyn werde, die zu berufen, so den Zank vielleicht mehr entzünden werden. Doch will ich besser Bedenken nicht verhindern. Aber ich bitte dich aufs geflissest, daß du solches bei dir erwägen und im Beiseyn des hochverständigsten Fürsten zu Hessen berathschlagen wollest. Dieser aber sieht auch . . . . *) für gut an. Ich trage keinen Zweifel, der Kaiser werde ein Synod anstiften. Darauf ist den Fürsten und Städten zu bedenken, daß wir vor diesem Synod eine Versammlung uns hätten, in welcher Versammlung, zugegen etlicher Fürsten [i. e. praesentibus quibusdam principibus], mit Ernst und unverdunkelt und ohne Scheuen bedacht werde, was wir gedächten endlich. Denn wir werden gleich im Synodo verdammet, (wir erscheinen dabei) **) oder erscheinen nicht. So ist vorhin mit Bestand zu entschliessen, welche Artikel genug seyen, daß wir uns darüber bekriegen lassen, der ganzen Kirche alte Vereinigung zerreissen und eine ewige Veränderung und beinahe eine neue Kirche aufrichten, die mit der andern einen ewigen Krieg führen werde; welches Bedenken warlich vonnöthen und fast hoch ist, in welchem zu handeln fast frei und tapfer, dabei die euern auch mehr Ansehns haben werden. Derhalben will für nützlich angesehen seyn, daß unser Gespräch gegen einander auf solche Versammlung aufgeschoben werde. Dieses schreibe ich nicht solcher Meinung, daß ich meinen Verstand den euern vorsetzte, sondern daß ich meinen Zweifel aus redlichem Gemüth dir als einem fast [?] redlichen Mann zu verstehen habe; denn ich begehr von Herzen, daß unter uns eine Concordi sey, und wollte auch nicht, daß dieser Bund zertrennet würde. Darum [so] zu Erhaltung der Bündniß eines Gesprächs vonnöthen, will ichs auch nicht mißrathen, daß wir zusammen kämen. Gehab dich wohl.

*) Legere verbum non potui. Fortasse: dieses. Caeterum conf. epp. ad Landgravium d. 11. et 19. April. 1536. datae.

**) Haec uncis inclusa excidisse videntur.

## ANNO 1539.

(Ad no. 1878. Vol. III. p. 761.)

**No. 7121.** **15. Aug.**

## *Senatui Altenburgensi.*

† Ex autographo Mel. in tabular. Senatus Altenburgensis mihi descripta a S. V. *Hesekiele*.

Den Ehrbaren fürnehmen und weisen Herrn Burgermeistern und Rath zu Aldenburg, meinen günstigen Herren.

Gottes Gnad durch unsern Herrn Jhesum Christum zuvor. Ehrbare weise günstige Herrn, Mich hat gebethen Matthäus Boler von Aldenburg ihm an E. W. ein Zeugniß seiner Sitte und Studien zu schreiben, und dabei zu bitten, daß ihm E. W. günstiglich das Stipendium leihen wolle, welches eine Zeitlang Petrus Berger genossen, denn er ohne Hülf sich in der Universität nicht enthalten könne, und müsse mit großem Nachtheil die Studia verlassen, so ihm nicht Hülf widerfahren würd. Nu wissen E. W. ohn Zweifel des Vaters bemeldts Bolers Unvermögen, und daß er viel Kinder hat. So mag ich mit Wahrheit berichten, daß gedachter Matthäus gute rühmeliche geschickliche Ingenii [?] und gute Sitten hat, fleißig studirt, und hat in der Lehr wohl zugenommen, daß nicht Zweifel, es sey an ihm wohl bewandt. Auch wollte er selb solch Stipendium nicht uff ein lange Zeit begehren, sondern noch ein Jahr oder zwei, bis er älter würde und in eine Schul besser zu gebrauchen, denn er noch seer jung ist. Dieweil denn E. W. wissen, daß solche Elemosynen christlich und besonder dieser Zeit hoch vonnöthen, und es an diesem Jungen wohl bewandt ist, bitt ich gar freundlich sampt ihm, E. W. wolle ihnen den günstiglich lassen befohlen seyn und ihm dasselbig Stipendium leihen. Dagegen wird er sich allezeit dankbar und gehorsam erzeigen. So ist zu hoffen, daß er mit der Zeit seinem Vaterland auch dienen möcht. Gott bewahr E. W., und E. W. zu dienen bin ich willig. Datum Witeberg 15. August 1539.

E. W.

williger

Philippus Melanthon.

---

## ANNO 1540.

(Ad no. 1938. Vol. III. p. 976.)

**No. 7122.** 9. Mart.

## *Bucerus ad N. N.*

† Ex autographo Buceri in Collect. epist. Buceri, quae asservatur in bibliotheca St. Thomae Argentorati, descripta a S. V. *Röhrich.* — Inscriptione caret. Doctiss. Röhrich putat, epistolam fortasse inscriptum fuisse Euchario, Cancellario Hassiaco. Clar. *Vierordt*, qui mecum hanc epist. communicavit, opinatur, eam scriptam fuisse Cancellario *Ernesti*, Marchionis Badensis, qui sedebat Pforzhemii. Ille, paulo post scriptam hanc epistolam, misit legatum suum in colloquium Hagenoense cum mandato, ut posceret concilium oecumenicum vel certe germanicum, et curaret, ut Episcopis et Ecclesiasticis Pontificiis bona sua et reditus servarentur. Bucerus in Actis Colloquii Ratisbonensis ab ipso editis, p. 88. Ernestum Marchionem adnumeravit quidem parti Romano-Catholicorum, sed addidit etiam, eum in quibusdam rebus ad concordiam faciendam propensum esse. Quod ad me attinet, nolo equidem opinioni viri clariss. contradicere, sed tamen nihil video, nisi hoc, hominem, cui epistola inscripta fuit, versatum esse illo tempore Hagenoae, et vel fuisse legatum Principis cuiusdam Catholici, vel virum nobilem, qui ipse esset in ordinibus imperii. Ex titulo D. T. i. e. *Dominatio tua*, Ew. Herrlichkeit, certi aliquid de dignitate huius hominis colligi vix potest.

(*M. Buceri epist. ad N. N.*)

Gratia et pax a Domino. Vir ornatissime, Illustrissime princeps Cattorum multa mihi de integritate tua, prudentia atque fide in patriam praedicavit: praecipue vero illud in te extulit, quod cum paucis videas et ubi maxime Germania laboret, et qua ratione consuli ei possit, ut cum pacem retineat tum libertatem tueatur. Sunt qui pacatam Germaniam volunt, sed sibi: nobis pax quaerenda est, quae non sit pactio servitutis, quae sit pax civilis, quae constet consensione statuum non oppressione. Huic paci nihil hodie obstat quam dissidium religionis, sicque Deus, vocans omnes nos ad meliorem frugem, omnia apud nos attemperat, ut haud quaquam solidam nobis pacem concessurus videatur, nisi in ipsius vera obedientia. Atqui iugum eius perquam commodum et utile est, et onus, quod imponit, leve. Quo vero minus sub iugo hoc coniugari multi hodie sustinent, quatuor maxime res obstant. I. Nam alii nondum de eo volent consentire quod sit iugum Domini. II. Alii ignorant, quod id sit commodum, inescati enim dignitatibus et opibus huius vitae metuunt, si subiugari se Domino patiantur, redigendos esse se ad vitam nimis duram et immitem. III. Plerosque tenet sic iugum Rom. Pontificis, ut Christi se iugo subdere non queant. IV. Postremo nec eorum paucus numerus est aut condemnenda potentia, qui Christo renuntiant. Nolumus hunc regnare super nos. Hi si in concilio Germaniae obtineant pacem veram, non admittent: nam bellum pacis authori inferunt, et dixit Dominus: non erit pax impiis. Nec paulo melior spes pacis erit, si praevaleant qui nequeunt abiicere iugum Pontificis Rom. Iste enim non apparet unquam admissurus regnum Christi, hoc est Ecclesiae iustam reformationem, praesertim dum sic teneret sibi obnoxios monarchas. Iam duobus dominis servire non licet, nec

unquam poterit leges admittere Christi, qui non ausit transgredi leges Papae, ut eae nunc quidem sunt. De tertio hominum genere minus metuendum videtur; vera enim religio opes non requirit, et mundi dignitates atque potentiam fugit. Quare de ditionibus et opibus Ecclesiae facile iniri ratio poterit, ne reformatio Ecclesiae harum rerum causa impediatur. Tantum absit impietas et Papae servitium. Qui primi ordinis ita sunt, ut non sint simul aliorum, hoc est, qui nec impii nec Papae servi, nec etiam addictiores aequo sunt divitiis et dignitatibus huius seculi, cupiunt se iugo Domini subdere, modo quod vere iugum Domini sit, constet, hi facillime omnium consentient. Qui enim volunt facere voluntatem patris, ii cognoscent de doctrina Christi, an ex Deo sit. Hi et petunt et inquirunt, igitur et invenient et accipient. His tamen conventu et mutuo colloquio opus est. Vult enim Christus suos ipsorum mutua opera de mysteriis suis erudire. Inde Apostoli et omnes sancti viri tanti semper fecerunt in Domino convenire, et sese de Domini placitis mutuo docere et admonere. Iam licet curandum sit hoc hominum genus, qui ea solum de causa de religione non plane conformantur, quod nondum satis constet eis, quae sit germana religio Christi, esse rarissimum, tamen scimus Deum per paucos filios suos salutem saepe maximis nationibus et populis adferre. Dilectio quoque vera de unoquoque homine, quoad licet, quae meliora sunt praesumit. Proinde bonis et timentibus Deum totis viribus incumbendum est, ut boni et docti tandem conveniant et controversias religionis excutiant, postquam tam grave de religione apud nos dissidium extitit. Et passim audimus iam multos, qui dicunt, se nihil malle quam Domino servire et sub iugo Christi esse, si modo scirent, quod verum Domini iugum sit et quae grata obsequia. Factum est culpa nostra, ut, sicut illi qui Babylonem exstruebant, in multis nos invicem non intelligamus. Inciderunt hyperbolae et alienae a scripturis Domini formae loquendi, quae multos perturbant, quae tamen gravi colloquio bonorum citra negotium explicari et elucidari possent. Hoc autem colloquium bonorum et veram concordiam bonorum Papa et quicunque non possunt regnum Christi admittere, ferre non possunt: quare non est ut operemus vos conventum talem cum gratia Papae et eorum, qui Papae serviunt, et quarum cupiditatibus magis commodum est, nos Germanos dissentire quam consentire; ita enim facilius opprimi possumus. Quanto autem praestiterit, aliquos indignari frustra nobis, quod Germaniam exitio ereptam in Christo pacatam reddamus quam cum illorum bona gratia admittere, ut illa vel funditus pereat vel impie et misere serviat? Iactat Papa, non posse haberi concilia ipso invito, sed illud non misi suppositiis et falsissimis decretalibus, quas Gratianus per imperitiam magis forsan quam malitiam in Dist. 17. adduxit. Norunt autem quicunque priores canones, authenticas Ecclesiae historias, scriptaque sanctiss. patrum, Cypriani, Ambrosii, Augustini, Basilii et maxime Leonis atque Gregorii legerunt, concilia provincialia celebrari oportere bina quotannis in singulis provinciis, nationalia vero in quavis natione, quoties aliquid in Ecclesia corrigendum extaret, quod ad omnes vel ad plures eius nationis Ecclesias pertinere videtur. Huic sanctioni Rom. Pontifex contradicere non potest, cum hanc sedem prae aliis SS. Patrum communibus institutis inhaerere necesse sit. Quin etiam generalia ad correctionem Rom. Episcoporum iure a religiosis principibus et indicta sunt olim, et hodie indicenda. Sic Ecclesia Christi servire non potest, ut non liceat piis Episcopis et principibus de salute eius habere concilia. Si non consentiatis a quo illa maxime laeditur, perspicit tua prudentia, pereundum omnino nobis esse vel a Turcis vel intestino bello, nisi vere consentiamus; consentire autem non possemus, nisi restituta Ecclesiae pace et vera administratione religionis, et haec haud quaquam posse restitui absque bonorum et doctorum virorum gravi et religiose colloquio. Id qui differre conatur, accersere nationi huic exitium molitur. Qui itaque salutem patriae expetunt, in id totis viribus incumbant necesse est, ut colloquium tale tandem admittatur, quale superiori anno *Francofurdiae* Caesar ultro obtulit et pollicitus est. Hac de re et aliis valde cuperem cum T. D. commentari. Nam ut tu et Illustriss. Landgrav. et aliquorum [?] alii boni ac praestantes viri, sollicitum esse pro salute patriae atque oculatum et attentum in his quae illi vel saluti vel exilio esse possent, praedicarunt, omnino spero nostrum colloquium Ecclesiae Christi haud fore inutile.

Hanc vero cupiditatem tecum colloquendi mire inflammavit vir rarissima eruditione et eloquentia D. D. *Bartolom. Latomus*, qui etiam spem

fecit, si occasio incideret, te non illibenter mecum de his rebus amice colloquuturum. Nam et ipse pietatem tuam in patriam et Ecclesiam mirifice laudavit, tum etiam non esse iniqua de me opinione. Iam inter pauculos dies abeundum mihi *Darmstadium* est, ubi conveniunt legati nostrorum principum et civitatum, scio autem, si abs te non orassem [1]) colloquium, id illustriss. Principem Cattorum aegre laturum esse. Fretus itaque tua bonitate et studio in patriam atque populum Christi, volui ista ad te scribere, atque orare per Christum, ut, si per negotia fieri queat, admittas me ad colloquium priusquam discedendum sit ad nostrum conventum et Landgravium. Istic [2]), fateor, citra suspicionem congredi nobis non facile erit, sed est pagus quidam vicinus Hagenoae *Bischweyler*, ubi habitat homo equestris ordinis *Ludovicus ab Eschnaw*, qui consiliarius est principis Palatini Electoris, vir fidus et integer, secretorum tenacissimus. Eo possit D. T. quasi animi causa egredi, mane vel vesperi. Si hoc loci convenire libeat, vel alia quaecunque ratio me admittendi placeat, rogo, vel scribas, vel huic, qui has exhibet, indices, qui responsum tuum bona fide ad me perferri curabit. Est enim homo exploratae fidei [3]), et aliquot dies propter aegrotum quendam cui remedia exhibet, (est enim medicus admodum doctus et diligens) istic haerebit. Sexta vero Iunii abeundum mihi erit ad conventum Darmstadium. D. T. boni consulat meam audaciam. Cura patriae et Ecclesiae me sollicitat. Vereor ut nostri principes perturbentur frustra per homines quosdam male consiliatos, quo minus se instituto conventui credere ausint, idque toti negotio nocere videatur. Sed de his, si volet Dominus, coram. Christus te servet et felicem reddat. Argentor. pridie Calend. Iunii MDXL.

D. T. deditiss.
Mart. Bucerus.

1) Mst. *orasset*, quod mendosum habeo.

2) Mst. *Ista*, quod mendosum puto. *Istic* videlicet, ubi vel habitas, vel nunc versaris, puto Hagenoae, a qua proxime abest Buschweiler.

3) Ad marginem manu Huberti Langueti scriptum est: *D. Ulricus Chelius.*

## ANNO 1541.

(Ad no. 2152. Vol. IV. p. 112.)

**No. 7123.** **(m. Martio.)**

### *Bucerus ad Memmingenses.*

† Ex autographo Buceri, quod est in Collectione Epistolarum Buceri, tribus voluminibus constante, et asservata in Bibliotheca S. Thomae Argentorati, descripta a S. V. *Röhrich*, Parochò Ecclesiae S. Guilielmi, Argentorati. — Puto epistolam mense Martio 1541. esse scriptam.

*Epistola Buceri ad Fratres Memmingenses, s. l. et a. Iacobus Cleberus Argentinam Huberto misit.* 1541.

Gratia et pax atque spiritus prudentiae et charitatis vobis augeantur a Domino, fratres carissimi atque observandi.

Moveor me isthic et alibi una cum Domino *Luthero*, *Philippo* et aliquot Ecclesiasticis Hassiacis traduci, quasi *Landgravius* nostro consilio concubinam adiunxerit sibi, qua una cum uxore utatur legitima, nosque istud factum defendere scripto foliorum 66. Nec desunt, qui admodum inhumaniter et obiurgent et criminentur etiam, tanquam convicti huius rei essemus. Scripsi ante hac vobis de ista causa, quae satis esse poterant fratribus, qui fidem nostram, labores et sollicitudinem pro Ecclesiis Dei norunt, quique offendicula ab Ecclesiis removere, non augere, cupiunt, qui denique, ut est charitatis Christi, mala fratrum sanare potius quam inquirere student. Verum dum video, illa nondum satisfecisse, scribam plura et planiora, idque vobis coram Domino affirmo, neque me, neque *Lutherum* aut *Philippum*, neque, quod scire equidem potuerim, quemquam Hessicum concionatorem principi huic tale consilium ullum dedisse, aut habere Christianis concubinam cum uxoribus licere docuisse, aut defendendum suscepisse. Nec unquam animadverti, hunc principem statuisse istud dogma, vel facto vel verbo in Ecclesiam invehere. Si quid autem ille fecerit affine huic, an secus, malui ego id quod offendiculo esse possit tegere quam praedicare, et ab inquisitione eius homines avocare, quam eam ullo pacto adiuvare. Neque enim Christiani hominis est, ullius peccatum inquirere, nisi cui velit et debeat remedium adhibere, nedum tanti principis, quo Dominus tam praeclare ad gloriam suam et salutem populi sui saepe usus est. Ad dum

adeo multi nostrorum hanc rem adeó pervestigant sollicite, quis omnium extitit, qui adhuc vel proposuisset, ad principem aliquid hac de re, aut coram verbis, aut absens scriptis deferre. Atqui si nec vocatio nec voluntas est corrigendi quod peccatum est, qua quaeso dilectione vestigatur, iudicatur, condemnatur quod peccatum rumor tantum et mali homines, qui alienis malis ipsi delectantur, quemadmodum Scarabei stercore ex quo nascuntur, ita etiam delectari alios volunt, accusant. Cum itaque non viderem, quod huic malo, si quidem admissum sit, vos remedium afferre vel velletis vel possetis, debui vos ab eius investigatione avertere, non in eam inducere. Scripsi itaque ea, quae novi vera esse argumenta, principem haud quaquam tale aliquid fecisse, quale est id, quod de eo inimici Evangelii sparserunt. Voluistis me monere de sinistra contra me excitata fama, egi gratias, putavique vos iam functos officio vestro; si quid potuissem citra metum gravioris offendiculi, iam palam me purgassem.

De scripto quod fertur foliorum 66 esse, si quid certi habetis, date operam, ut exemplum vobis contingat eius scripti, et mittite ad me; si meum fuerit haud quaquam negabo. Sed quod defendam istud facinus, equidem nullum scripsi aut subscripsi. Scio Dominum in novo populo restituisse monogamiam, et debere non solum Episcopos et Diaconos, quos Paulus solos repressit, cum Ecclesia a Iudaeis et gentibus venientes polygamos reciperet, sed quamlibet etiam Christianum unius tantum uxoris virum esse, uti initio matrimonium Dominus instituit, uni viro unam mulierem. Cumque Dominus dedit, ut non solum multas uxores simul habere, sed etiam concubinam cum uxore legibus piorum principum vetaretur, novi nostrûm esse neque veterum dispensationem repetere. Nam non solum revocatum illud eximium Ecclesiae ornamentum monogamiam conservare, verum etiam parere nos convenit omni humanae constitutioni, quae impia non sit. Ista doceo publice et privatim. At si quis sibi putans causas esse, aut et sibi hodie dispensationem veteribus concessam valere statuat, eaque utatur, si is modo Ecclesiae caveat de offendiculo, quod in ipso esse queat, nec id per se licere omnibusque concessum esse contendat, eum ego si affirmet sibi sui consilii et facti rationem coram Deo constare, nunquam ausim condemnare impietatis, aut extorrem regno Christi iudicare. Nec enim mihi aut cuiquam hominum, quanquam citra verbum Dei excludere regno Christi concessum est. At nullum verbum quod equidem sciam, extat, quod ita eos, qui tali pacto factum veteribus dispensationem sibi usurpandam existimant, de concubina uxori adiungenda qualiter scripsi consortio regni Christi eiiciat, sicut extat verbum de eiiciendis scortatoribus, ebriosis, fornicatoribus. Leges civiles ligant quidem homines christianos, uti etiam consuetudines non per se malae, at non ita ut si quis sine contumelia remissionem aliquam illarum sibi permittat, á Domino sanctis olim indultam, mox impietate condemnandus sit et exturbandus e civitate Dei. Venit enim filius hominis, ut quaereret et salvum faceret, quod periit. Est quoque sui similis, ut quod olim in sanctis suis tulit, possit et hodié ferre ducitque suos nonnunquam via insolita. Quocirca ego in talibus rebus malim in iudicando servo domini remissione et facilitate peccare quam severitate et iudicii praecipitatione; quanquam quid peccati metuam in suspendendo iudicio, de quo nullum mihi quidem verbum extat. Episcopos, Presbyteros et Diaconos, si quid tale designarent, muneris huius functione deiiciendos cum D. *Leone* sine scrupulo censerem, at Ecclesiae Dei praescribere tam non ausim, quam ille severus alioqui Pontifex ausus non fuit, quanto minus principem. Valentinianus primus palam alteram uxorem duxit, legemque publicatam per imperium liberum omnibus fecit idem faciendi, tamen nihil a sanctis patribus neque familiari illi *) Ambrosio contra eum scriptum aut factum legimus, ut tamen idem Ambrosius contra Theodosium decrevisse ac fecisse legitur, cum caedem ille Thessalonicae admisisset. Revocavit Dominus, fateor, rationem coniugii ad primaevam institutionem, cum ageret de divortio; initio non erat ita, inquit. Hoc libenter volo valere et contra polygamiam. At cum non abiiciat tamen, si qua per infirmitatem divortio liberius aequo utantur, id etiam sanctis patribus agnoscentibus; quid censeam de concubina ita adiuncta ut casum praemisi? nec quaelibet a prima rerum institutione statim extorrem facit a regno Dei.

Ista et similia, cum ortus esset contra Landgravium rumor, cum uno et altero fratre dispu-

*) *familiaris illo* habet apographon, quod mendosum puto.

tavi, non pluribus, et sententiam illorum rogavi, consilium autem me dedisse concubinam ducendi pernego, tantum abest ut illud approbari a bonis vel malis viris unquam petierim. Quocirca nimis praeter charitatem scribitur et dicitur, me nosse hoc a me factum, quod nemo mortalium novit quia factum non est. Illud etiam atrociter, haec esse nostra studia, ut vexemus Ecclesiam Dei, ut invehamus in eam praesentissimum venenum, sanctos turbemus, me fratrum albo censeri non debere, et si quid in me aut quovis alio pie a vobis damnari debet, id ante a vobis cognosci oportet quale sit, tum fraterne ab errore revocandi a vobis sumus, verbo Dei admoniti, non convitiis et devotionibus exagitandi. Aliud et de vobis et Ecclesia princeps ille et ego mereri studuimus. Si quid mali tentat Ecclesiam vestram, occurrite fortiter, et obsistite, quanta potestis virtute Domini, ut autem debacchemini in principes qui Reipublicae et Ecclesiae vestrae magnis in rebus, quod ego et vestri aliqui sciunt, commodarunt, et commodare adhuc cupiunt, atque in symmistas, qui etiam non nihil commodare vobis voluerunt, nondum comperto quid peccarunt nec eius quod damnatis rite vel admonitos vel convictos, quam id deceat vos ipsi videritis, certe divinus impetus ille non est. Facile est vociferari furias, insanias et similia; at mala ab Ecclesia Dei arcere, quae maxime oportet, et quae apertissimis scripturis passim damnantur, et ob quae quivis regno Dei expellendus est, veramque Christi disciplinam in Ecclesia Dei restituere, atque constanter et salubriter exercere, id vero tam facile non est. Si quid *Landgravius* tale admisit, quod fama fert, agnosco magnam ille dederit Papistis occasionem calumniandi Evangelium Christi; at quanto maiorem nos damus, cum tam humaniter ferimus et dissimulamus nostra, quod tam multi et magni ex vobis et nostris totum unum articulum fidei partim ignorant, partim reiiciunt, partim oppugnant, illud dico de Ecclesia et sanctorum communione. Ubi enim illud corpus Ecclesiae? ubi illa omnium professio et in obedientiam adductio? ubi iusta in gravissime peccantes *πλεονεξιᾳ*, ebrietate luxuque alio censura et castigatio? ubi legitima dignorum et indignorum in administratione sacramentorum discretio? ubi omnium aberrantium sedula satis ad Regnum Christi inquisitio? ubi tempestiva rebellium abstentio*) et communicatio? Atqui omnia ista communione sanctorum continentur et ad Ecclesiae legitimam administrationem necessario pertinent. Iam ubi ieiunia nostra? ubi verae supplicationes? ubi legitimae etiam ordinationes? quid vero et de bonorum Ecclesiasticorum ecclesiastico usu dicam? de horrendis et portentosis sacrilegiis nostrorum? Ista vero necessaria Ecclesiae ignorare, reiicere, oppugnare, quod multi nostrum faciunt, damnatum semper sacrilegium et Regni Dei eversio in scripturis cum veteribus tum novis iudicata est, cum illud quod Landgravio impingitur, a Deo sanctissimis aliquando viris permissum sit, et an possit et hodie aliquo in casu admitti, haud ita certo constet. Si quid peccavit hic princeps, quod tamen nobis affirmare non licere scio, doleat id nobis, et si qua via corrigi possit, annitamur, sicut ego ab orto rumore isto nihil sane praetermisisse mihi conscius sum omnium eorum, quae mei officii esse poterant. At interim agnoscamus esse multo graviora, ad quae nimis securi sumus. Neque enim nos vulgi iudicio peccata offendicula aestimare debemus, sed verbo Domini et re ipsa. Quid quaeso futurum sit, fratres, si prophetarum, si Christi et Apostolorum severitatem revocare studuerimus in usurarios, in mercatores, qui tam horrendis artibus et portentosis usuris orbem pecunia exhauriant, eaque deinde in cruentissima et plus quam satanalia bella suppeditent, et totam interim Germaniam emasculant. An qui nunc tam sancti tam immaculati tam casti sunt, ut in factum Landgravii quod tractatur, nec ipsis dum compertum esse potest, satis destomachari nequeant, sint et in suo peccato manifesto tantoque graviore parem severitatem admissuri?

Haec scribere ad vos volui, non quod quaquam factum Landgravii agnoscam aut defendere instituerim, sed ut monerem vos, bene perpendendum esse quid huiusmodi in incertis rebus. Atqui eorum hominum quibus pastoralem curam aut fraternam correctionem impendere vel volumus vel debere nobis non videmur, quibus etiam tam multis nominibus debemus summam charitatem et gratitudinem, deceat nos intempestivis querelis aut iudiciis exagitare aut tegere. Defendi non volo, imo ubi aedificat damnari volo, quod

*) Scriptum est *abstentio*, quod nihil est. Nolo definire, quid Bucerus scripserit.

quisque novit secundum verbum Domini damnandum esse; iudicium tantum fieri postulo secundum veritatem et charitatem et Ecclesiarum aedificationem. Tum volui etiam vos certiores reddere, si quidem fidem mihi habendam putatis, nec me nec alios, quos equidem sciam, symmistas cuiquam consilium dedisse concubinam ducendi, nec defendendum id suscepisse, sed de eo tantum disputasse et aliorum fratrum sententiam rogasse, si Landgravius vel alius veterum dispensationem, quantum in ipso esset occulte et citra Ecclesiarum offensionem, citraque assertionem novi dogmatis, id licere omnibus et palam facere usurpare, an putarent talem posse communione Regni Christi excludi. Id ut secreto rogarem, et cum fratribus duobus tantum de ea disputarem, effecit sollicitudo pro *Landgravio*, sic de Ecclesiis merito, sic etiam in caeteris pio ac fideli, quantum ego iudicare possum. Neque enim charitas, vel in privatum, debet esse ad damnandum quam ad defendendum propensior. *Lutherus* ante hoc in Genesin, cum locum assumtae Hagar tractaret, palam scripsit, se posse per verbum Domini damnare si quis hodie simile faceret. Si quis iam eo loco lecto, quem nemo vestrum hactenus impugnavit, aliquid intempestivius etiam fecisset, puto tamen satis causae esse, me illico causâ nondum probe excussa, ad condemnandum tam duriter prorumperem.

Haec ego ut coram Domino scripta, et scripta in gravi causa, et ab eo quem debetis in Christo ut fratrem complecti, non fratrum albo expingere, legite atque diiudicate, et item coram Domino et ut fratres et symmistas decet lectaque rursus diligenter obsignata *Frechto* mittite, et si videtur monete, ut servos Christi decet, cui otium et inanes curas nemo secundum charitatem obiecerit, sique Christi charitatem principi Ecclesiae praestare et mihi libet, nihil quod de isto principe aut nobis mali fertur, aut quod offendiculo cuiquam sit, non tegetis quam diu tegi poterit, in hoc inquam ut corrigatis. Bene valete. Do. *Wolffhardo* cum redierit date epistolam hanc legendam, et confirmate ei meo nomine, si quid in hac re a *Landgravio* admissum re ipsa est, mihi id nequaquam posse imputari nec *Luthero* aut *Philippo*.

## ANNO 1542.

(Ad no. 2444. Vol. IV. p. 774.)

### No. 7124.

Edidit Clariss. *Foerstemannus* in den neuen Mittheilungen aus dem Gebiet historisch-antiquarischer Forschungen, 2. B. p. 155. Foerstemannus ex tabellario Senatus Naumburgensis: „Wahrhaftige und gründliche Historia, welcher Gestalt der Ehrwirdig in Gott Herr Nicolaus Amsdorff, der heil. Schrift Licentiat, zu einem rechten, warhaftigen, christlichen Bischoff zur Neumburgk erwählet, bestätiget und eingeführt worden ist, Am Tag Fabiani und Sebastiani des 1542. Jahres." In hac narratione p. 175. insertum est etiam hoc Melanthonis iudicium his verbis:

„Volget des Herrn Doctoris Martini Rathschlag den „Stifts Ständen gegeben und durch den Herrn Philippum Melanchtonem aufs Pappir verfasset;"

ex quibus puto satis intelligi, Lutherum hoc scriptum suo nomine tradidisse, Melanthonem autem eius auctorem esse; quare etiam in Actis Wimariensibus habetur prima huius iudicii scriptura, manu Melanthonis facta, quam edidimus in Vol. IV. no. 2444. p. 774. — Traditum est hoc scriptum a Luthero ordinibus Episcopatus Naumburgensis d. 20. Ianuarii 1542., sed haud dubie a Melanthone antea conscriptum fuit. Docetur in eo, Iulium Pflugkium, quem capitulum elegerat episcopum, non ferendum esse. Puto Melanthonem haec Witebergae conscripsisse antequam cum Luthero profectus est Naumburgum.

(*De Episcopo, qui Evangelio adversatur, non ferendo.*)

Dieses ist gegründet, gewiß und offenbar, so ein regierender Bischof in einem Artikel oder mehr das Evangelium verfolget, so ist das Capitel sampt dem Patron, oder so Mangel am Capitel, der Patron sampt den Ständen schuldig, denselben Verfolger, so sich nicht bessert, zu entsetzen, unangesehen daß die Stände als Unterthanen dem Bischof Pflicht gethan. Denn dieses ist Gottes Befehl und Gebot, dagegen keine Pflicht bindet, daß*) man abgöttische Lehr fliehen, und daß die Kirche dieselbe entsetzen soll, wie Paulus klar spricht: so jemand ein ander Evangelium predigt, der sey verbannt. Item: Wer nicht verläßt Vater und Mutter etc. Und dieses vermögen auch die alten Canones und der alten Kirchen Gewohnheit, darinnen es also gehalten, daß die Kirchen selbs die ketzerischen Bischof entsetzt, als zu Antiochia Paulus Samosatenus entsetzt wurde**).

Dieweil nun dies ganz gewiß und offenbar, daß die Pflicht in diesem Fall nicht bindet, so ist dergleichen auch vom Capitel zu halten, so es nicht zu rechter Wahl schreiten will oder einem Verfolger anhanget, und ist alsdann solch Capitel eben also zu halten, wie der Verfolger, und sind die Stand sampt dem Patron schuldig,

*) Apud Foerstem. denn; mendose.

**) Usque ad haec verba hoc scriptum prorsus convenit cum illo quod dedimus Vol. IV. p. 774.

solchs Capitels Fürhaben zu wehren, und die Kirchen mit rechten Seelsorgern und Regenten zu bestellen, wie eine jede Obrikeit ihre eigene Pfarre zu bestellen schuldig, unangesehen alle Pflicht oder Hoheit. Denn das Gebot recht zu lehren und rechte Gottesdienst zu halten, gehet über alle andre Gebot.

Zum Andern so ist öffentlich, daß der Stände Pflicht den Patron nicht verhindern kann noch mag, die unrechte Wahl anzufechten, und so das Capitel sein Recht an der Wahl verloren, so ist gewiß, daß alle Gerechtigkeit zu wählen hernach auf die Kirch, das ist auf die Stände sampt den Patron kommt. Denn dieses ist der Kirchen als Recht und erste Ordnung, wie in einer Schrift Concilii Niceni und in vielen Historien ausgedruckt*), daß die Wahl durch die Stände, das ist durch die Glieder der Kirchen, in allen Ständen geschehen. Dieweil dann das Capitel kein Recht mehr hat, zu wählen, will auch nicht, so ist die Pflicht zugleich aufgelegt als ein Correlativum, so viel die Wahl belanget; und kommt die Wahl auf eine andre Versammlung, so ist auch die Pflicht, damit die Stände dem Capitel verwandt, nicht auf die gegenwärtige Person, sondern auf die Erhaltung der Kirchen in Grund gemeinet. Darumb auch die Wort also lauten: ich schwör dem Gotteshaus etc. So nun der Stände und des Patrons Meinung diese ist, einen christlichen Bischof zu haben, und zu christlicher Reformacion des Capitels Consistorien, Pflanzung rechter Lahr zu trachten, und nicht das Capitel zu tilgen, so wird in Grund dasjenige gehalten, das die Pflicht vermag, und das sie sämptlich, Patron und Stände, für Gott schuldig seindt. Man sehe aber, daß solche Besserung werde mit Ernst fürgenommen, und nit anderst gesucht.

Daß man aber dagegen reden wolle, es möge seyn, daß man von unrechten Lehren weichen, sie entsetzen soll etc., man mag aber nicht von Bischoffen oder Capiteln sich entziehen in weltlichem Gehorsam, Lehen etc. Antwort: das ist gewiß, daß die Pfarrgüter und Gerechtigkeit zum Dienst folgen sollen und müssen, wie das Evangelium spricht: dem Arbeiter gehöret sein Lohn; so seind diese Güter nicht dahin gegeben zu Gepräng und Müßiggang der Thumherren, sondern zu nothdürftiger Bestellung der Kirchenämter, davon der Text im Codice mit klaren Worten geboten: wer sein Ampt nicht thut, der soll seiner Präbende nicht genießen, sondern entsatzt werden. Und hierin gehört dem Patron und den Ständen Einsehen zu haben.

Ueber das alles, so weiß man, daß der Gegentheil selb diese zwei Stuck unzertrennt haben will; ihre Abgötterei und weltliche Macht oder Güter, und suchen in Grund nicht Erhaltung rechter Kirchenregierung, sondern fornehmlich und eigentlich Unterdruckung rechter Lehr und Erhaltung ihres unrechten Wesens sampt der Herrlikeit. Dieweil sie dann das bischofliche Ampt vom weltlichen nicht sondern lassen, und wir ihnen als Verfolgern das bischofliche Ampt nicht lassen können, so muß das andre auch dem rechten Bischof folgen, wie in decretis beschrieben, daß die Donatisten ihrer Kirchengüter entsatzt wurden, als die nicht mehr in rechtem Ampt waren, und sind dieselben Güter auf die rechten Kirchenregierung gewandt, wie solcher, der Fundatoren, Meinung ohne Zweifel gewesen, und sind solche Exempel in Historien umher zu finden.

Wir sind auch derhalben sicherer, daß wir uns von ihnen thun, daß wir gewiß seind, daß der Pfaffen Wille, Meinung, Anschlag und Practiken alle fürnehmlich zu Unterdruckung der Wahrheit gericht seyn und nicht zu rechter Kirchenregierung. Darumb gebührt den Patronen und den Kirchen zu gedenken, wie ihr ungöttlich Wesen zu wehren. Item, wie droben gesagt, hiemit wird dem Capitel der gebührlich Gehorsam nicht entzogen, dieweil Erhaltung dieser Kirchen und Besserung und nicht Verminderung gesucht wird, wie auch solchs die erneste und gründliche Meinung seyn soll, und anderst nicht, und der Stände Wille also stehet, daß sie einem christlichen Bischof und Capitel, das die Kirchenregierung recht und treulich erhält, allen billigen Gehorsam erzeigen wollen etc.

---

(Ad no. 2487. Vol. IV. p. 815.)

No. 7125. 9. Maji.

## *Senatui Saalveld.*

† Ex autogr. Mel. in tabular. Senatus Saalfeldensis, descripta a S. V. *Lomlero*, Superintend. Saalfeld.

Den Erbaren Weisen fürnehmen Herrn Burgermeistern und Rath zu Salveld, meinen günstigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Son Jhesum Christum unsern Heiland zuvor, Erbare weise fürnehme günstige Herren. Daß Ewr Weisheit Fleiß thut, die Kirch mit gelehrten und sittigen Personen zu bestellen, wie auch jetzund in Annehmung Magistri Stephani geschehen, daran thun E. W. löblich und christlich, Der

*) Foerstem. aufgedrackt; ex mendo.

ewige Gott wolle seine Gnad und Segen dazu geben. Daß auch E. W. Sebastianum Werner zur Schulregierung zu gebrauchen gedenkt, hab ich gern vernommen, daß ihr zu Euern eigen Bürgerkindern solchen guten Willen traget, und acht bemeldten Sebastianum für tüchtig, der auch seinem Vaterland mit allen Treuen zu dienen sich erboten. Und wo ich E. W. dienen kann, bin ich solchs zu thun willig. Gott bewahr E. W. Stadt und Kirch und erhalte sie allezeit in gutem Fried und Einikeit. Dat. Witeberg 9. May 1542.

Ew. Weisheit williger
Philippus Melanthon.

---

(Ad no. 2544. Vol. IV. p. 863.)

**No. 7126.** **4. Sept.**

## *Ad Senatum Saalfeld.*

† Ex autogr. Mel. in tabulario Senatus Saalfeldensis mihi descripta a S. V. *Lomlero*, Superint. Saalfeld.

Den Erbaren, weisen und fürnehmen Herrn Burgermeistern und Rath zu Salfeld, meinen günstigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Son Jhesum Christum unsern Heiland zuvor. Erbare weise fürnehme günstige Herren. Nachdem E. Weisheit begehrt, daß ich von Jacobo Birnstiel mich erkunden wollt und wiederumb berichten, ob ich ihn zur Schulübung tüchtig achte, hab ich bemeldten Jacobum für mich erfordert, und befind, daß er ein guter Grammaticus und wohl schreibet. Denn ich ihn verhört und seine Schriften besehen habe, darumb er, Geschicklichkeit halben, zu dieser Uebung tüchtig ist. Nachdem er aber noch jung ist, und die Jugend unachtsam ist, auch nicht alle *Ingenia* zu dieser Schularbeit Lust haben, und dieses Werk, wie alle Sachen, eine besondere Emsigkeit bei den jungen Knaben, sie anzuhalten, zu fragen, ein Ding oft zu repetiren, bedarf, wird Magistro Sebastiano zu befehlen seyn, daß er Aufseher seyn solle, und die jüngere Gesellen anhalten, wie ich auch mit ihnen beiden geredt habe. Und von Sebastiani Geschicklichkeit, Fleiß und Bescheidenheit hab ich ganz nicht Zweifel, hoff auch durch Gottes Gnad, Ewr Schul sey mit Sebastiano wohl versorget, will ihn E. W. derwegen ganz fleißig befohlen haben, und wo ich E. W. dienen kann, bin ich solchs zu thun willig. Dat. Witeberg 4. Septembris 1542.

E. W. williger
Philippus Melanthon.

(Ad no. 2578. Vol. IV. p. 892.)

**No. 7127.** **4. Nov.**

## *Io. Webero.*

† Ex autographo Mel. in tabular. Senatus Altenburg., mihi descripta a S. V. *Heseklele.*

*Egregia doctrina et pietate praedito Dom. Iohanni Webero, Pastori Ecclesiae Neapolitanae ad Orlam, amico suo*

S. D. Fontes causae philippi Regiomontani tibi noti sunt. Ideo, etsi desiderabis mecum lenitatem in Philippo, tamen adfici te eius calamitate non dubito. Semper omnino speravi fore, ut tempore mitigaretur, praesertim cum doctrina puritatem nunquam corrupisset. Et scio Principem placabiliorem esse his qui in doctrinae puritate tuenda praestant fidem et constantiam. Idque audivi ipsum quoque de philippo praedicare. Cum igitur nuper pro Philippo deprecaretur d. doctor Martinus *Lutherus*, rursus concessit Illustrissimus Princeps, ut liceat commendari philippo Ecclesias suae ditionis. Id tibi significo et d. doctoris Martini *Lutheri* testimonio, et de meo, Sed nec Calensi Ecclesiae praeficiendus est, nec pastori Calensi quidquam faciat negocii. In aliis locis si qua erit occasio, commendare ei Ecclesiam aliquam poteris. Bene vale cariss. Iohannes, die 4. Novembris 1542.

Philippus Melanthon.

Rogo ut d. Rufo vicino tuo meis verbis salutem optes. Et huic Philippum commendes.

---

ANNO 1544.

(Ad no. 2900. Vol. V. p. 350.)

**No. 7128.** **2. Apr.**

## *Senatui Altenburg.*

† Ex autographo in tabulario Senatus Altenburgensis descripta a S. V. *Heschiele.*

Den Erbaren, weisen und fürnehmen Herrn Burgermeistern und Rath zu Altenburg, unsern günstigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Son Jhesum Christum, unsern Heyland zuvor. Erbare, weise fürnehme, günstige Herrn. Wiewohl ich, Philippus,

neulich ein Vorbitt gethan für einen Jungen, genannt Christophorus Hoffmann, und wie man spricht, man soll nicht zweimal vor einer Thür betteln, scheint mir dieses mein ander Schreiben als eine Grobkeit, so bitt ich doch, E. W. wolle der armen Jugend und Christenheit Nothdurft betrachten. Dieweil wir denn hoffen, daß E. W. als die verständigen, und die Jugend und nützliche Lahr lieben, unser Schrift nicht unfreundlich verstehen, haben wir bedacht, auch Andream Hasen, eines armen Bürgers Sohn zu Altenburg, neben dem Hoffmann E. W. zu commendiren, und für ihnen zu bitten, so fern E. W. bedacht sind das Stipendium zu theilen. Denn bemeldter Andreas ist züchtig und still, und hat ein gut Ingenium und sehr eine gute Art Latein zu schreiben, daß zu hoffen, so ihm Gott das Leben verleihet, er werde in KirchenEmptern oder andern ehrlichen Diensten löblich und nützlich dienen. Darumb bitten wir, E. W. wolle ihm Hülff erzeigen, und so wir ihn mit der Zeit zu Dienst bringen können, wollen wir ihm gern mit allem Fleiß Förderung thun. E. W. bedenke, Gott zu Lob und mit Dankbarkeit gegen Gott, daß jetzund durch Gottes gnädigen Segen keine Land auf Erden sind, darinne so viel Gottesgaben zugleich sind, recht geordnete Kirchen, Schulen, ziemliche Regiment und Zucht, in Städten viel gelehrter Leut. Dieses sind Gottes Gaben, die wir zu erhalten schuldig sind, und so wir Fleiß dabei thun, wird Gott solches belohnen, wie er spricht vom treuen Knecht, der mit seinen Pfunden mehr erworben hat. Derselbige ewige Gott wolle Eure Kirchen und Euch alle gnädiglich bewahren. Datum Witeberg, 2. Aprilis Anno 1544.

Ewr Weisheit

willige

Philippus Melanthon.
Georgius Maior.

---

(Ad no. 2933. Vol. V. p. 377.)

**No. 7129.** **4. Maii.**

## *Wolfg. Musculo.*

† Ex autographo, quod habet Clar. D. *Baum*, Professor Seminarii Protestantium Argentorati, nobis descriptum et missum a S. V. *Rörich*, Past. ad aed. S. Guilhelmi Argentor.

*Clarissimo viro eruditione et virtute et vera pietate praestanti D. Wolfgango Musculo Evangelium docenti in Ecclesia Augustana, amico suo cariss.*

S. D. In conventu [1]) scio nihil agi digni viris heroicis. Ideo non libet de eo scribere. Nos Deum aeternum patrem domini nostri Iesu Christi oremus, ut ipse Ecclesiam suam et pia studia et hospicia Ecclesiae regat et servet; quod certe faciet, si apud Iesaiam inquit: ego habebo in alvo meo senescentem et canescentem Ecclesiam.

Hic Dei beneficio mediocriter florent studia honestarum artium, et ut diu floreant, faciat Deus. Gaudeo, et vestris studiis suorum studia curae esse. Redeunt in patriam quinque scholastici Academiae nostrae Augustani; boni et honesti iuvenes, qui profecto bonam operam navarunt in philosophia et doctrina christiana, quos ut commendes Senatui te etiam atque etiam rogo.

De spurio respondissem tibi multo ante, sed cum audissem iam dimissum esse, disputationem movere nolui. Honestius est non admittere spurios ad ministerium Ecclesiae.

Mitto tibi pagellam in qua dulcissimis versibus *Ioachimus* dulcissimum Psalmum reddidit [2]), teque rogo, ut interdum ad me scribas. Meam voluntatem ab Ecclesia Dei, cui et vestram adiunctam esse scio, nemo avellet. Bene vale. Die 4. Maii [3]).

Philippus Melanthon.

---

# ANNO 1545.

(Ad no. 3222. Vol. V. p. 794.)

**No. 7130.** **25. Iul.**

## *Senatui Saalfeld.*

† Ex autogr. Mel. in tabular. Senat. Saalfeld. descripta a S. V. *Lomlero*, Superint. Saalfeld.

An Burgermeister und Rath zu Saalfeld.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Son Jhesum Christum, unsern Heiland zuvor. Erbare, weise fürnehme günstige Herren. Uff E. W. Schrift habe ich einen wohlgelarten ernsten Mann angeredt, die Regie-

1) Spirae habito.

2) Est Psalmus de concordia; vid. ep. ad Camer. d. 13. Apr. et d. 19. Iul. 1544.

3) Margini adscriptum est: „redditae 1544. d 15. Maii.“

rung Ewrer Schul anzunehmen, welcher aber solchs abgeschlagen, darumb, daß der Sold zu gering sey. Und ist wahr, nach Gelegenheit der Stadt und Schul Salveld wäre von Noth, daß E. W. einem Schulmeister eine stattlichere Besoldung verordneten, wie in andern geringern Städten die Schulmeister besser versorgt sind, und sollte E. W. dazu desto williger seyn, da dieses Werk zu Gottes Ehre dienet, und da diese Fürstenthumb durch Gottes Gnad eine Zier haben zu dieser Zeit von der Schulen, dieweil in andern Landen die Schulen nit geacht und wüst werden durch der ungelarten Pfaffen Regiment. Ich bitt, Ew. W. wollen Gott zu Lob zu Besserung der Schul gedenken. Ich will auch fürderlich andere Personen anreden, und ist möglich, daß ein wohlgelarter geübter Mann, der jetzund die Schul zu Hall regirt, zu bewegen, sich zu euch zu begeben, davon ich E. W. fürderlich schreiben will. Und E. W. zu dienen bin ich willig. Dat. Witeberg 15. Jul. 1545.

E. W.

williger
Philippus Melanthon.

---

## ANNO 1546.

(Ad no. 3428. Vol. VI. p. 92.)

**No. 7131.** 25. Mart.

### *Ioanni Friderico Electori.*

† *Ex autographo in tabulario Senatus Altenburgensis asservato, descripta a S. V. Hesekiele.*

Dem Durchlauchtigsten, Hochgebornen Fürsten und Herrn, Herrn Johansfriedrich, Hertzogen zu Sachsen, des heil. Röm. Reichs Erzmarschall und Churfürsten, Landgraven in Thüringen, Marggraven zu Meissen und Burggraven zu Magdeburgk, meinen gnädigsten Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Son, Jhesum Christum unsern Heiland zuvor. Durchlauchtigster, Hochgeborner, gnädigster Churfürst und Herr. E. C. F. G. gnädige Schrift belangend Christoff Hoffmann, eines Burgers Sohn zu Altenburgk, der umb Erstreckung des Stipendii, so ein Erbar Rath zu Altenburgk jährlich gibet, gebeten, hab ich unterthäniglich empfangen, und thue darauf wahrhaftigen Bericht, daß ich gemeldten Christoff nu vier Jahr gekannt hab, und seine Schriften seer oft besehen, hab ihn auch im Examine und sonst vielmal gehört, und beweiset das Werk, daß er ein gut Ingenium hat, und hat im Latin und Grekischer Sprach und ganzer Philosophia und in christlicher Lahr wohl und löblich studieret. Hat auch derhalben Gradum Magisterii erlanget. Und so er der Jugend halben hätte mögen verschickt werden, wollt ich ihn vor dieser Zeit zu Dienst gebracht haben, wie er sich denn gern zu Dienst begeben wollt, und bitt umb Erstreckung des Stipendii allein so fern, bis er Dienst finden möge. Dieweil denn durch Gottes Gnad zu hoffen, daß gedachte Wohlthat mit Erstreckung des Stipendii an diesem Christophoro Hoffmann wohl und nützlich angewandt seyn werde, und er guter züchtiger Sitten und wohlgelahrt ist, Bitt ich in Unterthänigkeit neben ihm, E. C. F. G. wolle gnädiglich befehlen, daß ihm gedacht Stipendium noch länger geben werde. Das wird der allmächtig Gott belohnen. Der wolle E. C. F. G. allezeit gnädiglich schützen und bewahren. Dat. Witebergk, den 25. Martii, uff welchen Tag unser Heyland Jesus Christus vor 1547 Jahr im Leib Mariä menschlich Natur an sich genommen, und ein ewigen Bund mit menschlicher Natur gemacht hat, uns ewige Seligkeit zu geben.

E. C. F. G.

unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

---

## ANNO 1548.

(Ad no. 4315. Vol. VII. p. 92.)

**No. 7132.** (fere ineunte Aug.)

### *Io. Langero.*

† *Ex apogr. cod. Goth. 19. p. 15.*

*Iohanni Langero, concionatori Coburgensi*)*

Reverende vir et amice carissime. Usitata sunt Ecclesiae exilia omnibus fere aetatibus, ut vos commonefaciant de primo exilio generis humani, in quo patriam coelestem amiserunt primi parentes; deinde et de filio Dei, qui exul factus est nostra causa, ut nos in patriam primam inducat. Feramus igitur una cum reliqua Ecclesia communes aerumnas, et metuo multas dissipationes passim sequuturas esse. Sed, donec in hac nostra Academiola esse licebit, fideliter docebimus eandem doctrinam, quam sonant Ecclesiae tuae, et nostri libri, qui extant.

---

*) Is mortuus est d. 15. Septb. 1548.

## ANNO 1550.

(Ad no. 4712. Vol. VII. p. 589.)

**No. 7133.** **1. Maii.**

### *Testimonium.*

† Ex apographo in Schadaei collect. epistolar. sacramentariam (Argentorati) Tom. II., mihi descripta a S. V. *Rörich*, past. ad St. Guilhelmi aedes Argentorati.

*Philippus Melanthon omnibus lecturis has literas* S. D.

Petiverunt [1]) a me hi tres auditores nostri Hermannus *Wilken* Westphalus, Martinus *Pauker* Coburgensis, et Nicolaus *Eberwein* Coburgensis, testimonium de suis moribus et de causa susceptae peregrinationis, ne quis hoc praesertim periculo tempore secus de iis suspicetur. Quare hoc meo autographo testor, hos tres auditores nostros homines honestos esse et recte eruditos in latina et graeca lingua et initiis philosophiae. Cumque sciant praecipuam virtutem esse, agnitionem et invocationem veri Dei, doctrinam Ecclesiae incorruptam et studiose didicerunt, et pure amplectuntur, et animi pietatem vera invocatione et optimis moribus declarant. Peregrinationem vero susceperunt, ut honestos et doctos viros accedant in multis locis, et iudicia collatione sententiarum cum eruditis forment. Tales hospites amanter excipere et tueri iustum est et Deo gratum. Nota est etiam vetustae antiquitatis in hoc genere officiorum diligentia et fides: Sic enim inquit Homerus [2]):

*Ζεὺς ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε*
*ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.*

Bene vale Lector candide. Calend. Maii 1550.

Philippus Melanthon
manu propria.

1) *Petiverunt* scripsi pro *Decreverunt*, ut habet apographon.

2) Est locus Hom. Odyss. lib. 7, 270 sq.

## ANNO 1552.

(Ad no. 5100. Vol. VII. p. 986.)

**No. 7134.** **24. Apr.**

### *Concionatoribus Argentorat.*

† Ex apographo Os. Schadaei in eiusdem epistolis sacramentariis (quae Argentorati asservantur) Tom. II., mihi descripta a S. V. *Rörich*, Pastore ibidem. — Cave autem, putes, Melanthonem doctis hominibus germanice scripsisse. Textus germanicus sine dubio est versio a Schadaeo facta.

Sendbrief Herrn D. Philippi Melanthons an die Prediger zu Straßburg vom Concilio. (Inscriptio Schadaei.)

Gnad und Fried etc. Ehrwürdige und wohlgelarte Herren. Es hat der Sohn Gottes beides verkündigt, daß in diesem baufälligen und abnehmenden Alter der Welt größere Zwietracht zukünftig seyn werden, und so*) der Herr gleichwohl ein Häuflein in dem menschlichen Geschlecht erhalten werde, welche die wahre Kirche seyn, lehret auch, daß dieses Häuflein sichtbarlich an Gehör, Herzen, Lehr und Anrufung Gottes vor andern Heiden möge erkannt und unterschieden werden, nämlich wie unter diesem Häuflein das heilige Evangelium rein gelehret, und wahre Anrufung Gottes geschehe. Und will, daß wir solchs Häuflein mit aller Lieb und Freundschaft helfen erhalten. Daß nun Ihr euer Bedenken uns habt angezeigt, daran handelt ihr christlich, und danken Euch darum. Dann wie uns der wohlgelahrte und aufrichtige Er Doctor Johann Marbach Euern hochweisen und treuen Rathschlag hat eröffnet, also soll er auch hinwieder unser etlicher benachbarter Kirchen Bedenken anzeigen, welches, wie wir erachten, mit euerm Rath übereinkommt. Wir können nicht gedenken, daß die Oberkeiten sich des Kaysers Fürnehmen werden entgegensetzen, der haben will, daß sie die Lehr ihrer Kirchen vor dem Concilio erklären sollen, und ob wohl ihrer viel seyen, die die große Gefahr bedenken und heftig stritten, man sollte das Concilium nicht besuchen; jedoch, so wir darauf geschickt würden, und der Kayser uns vor dem Concilio hören will, sollen wir uns der Bewandniß nicht beschämen. Es würd auch ehrlicher und der Kirchen in dieser Zeit und den Nachkommen förständiger seyn, daß ihrer viele eine einhällige Confession thun und haben. Von dem allem aber wird Euch unsern Rathschlag und Gespräch davon D. Johann Marbach weiter erzählen. Wir bitten aber den einigen Sohn Gottes, unsern Herrn Jesum Christum, der ihm aus menschlichem Geschlecht eine wahre Kirchen versammlet, daß er unsre Kirchen mit seinem heiligen Geist regiere und erhalte, und verschaffe, daß wir warlich eins seyn in ihm. Der Herr sey allezeit mit Euch allen. Datum Leipzig den 24. April 1552.

Von wegen beider Universitäten,
Wittenberg und Leipzig
Philippus Melanthon.

*) Potius: daß.

# APPENDIX.

## SCRIPTA QUAEDAM AD VITAM ET OBITUM MELANTHONIS SPECTANTIA,

QUAE

IN ACADEMIA WITEB. AN. 1560. PRODIERUNT.

ITEM

IACOBI HEERBRANDI ORATIO FUNEBR. IN OBITUM MELANTHONIS TUBINGAE HABITA.

Post Melanthonis obitum Academia Witebergensis a. 1560. scripta quaedam edidit, quae non solum Melanthonis vitam, sed etiam et praecipue historiam morbi eius ultimi et obitus enarrant, quae ab Epistolis, quippe quasi commentariis perpetuis in vitam Melanthonis, abesse non debebant. Fuerunt autem haec:

A) Pagella Vicerectoris Academiae, *Georgii Maioris*, d. d. 21. April. 1560. de funere deducendo.

B) *Viti Oertelii*, Winshemii, oratio funebris, habita d. 21. Apr.

C) „Orationes aliquot recitatae in Academia Witebergensi eo tempore, quo praelectiones publicas reverendi et clariss. viri, Philippi Melanthonis, obitu huius interruptas, aliqui ex Professoribus de „consilio Academiae continuare ceperunt. Witebergae. Ex officina typographica Viti Creutzer. 1560." 11 pl. 4. [Insunt: 1) scriptum publice propositum in Academia Wit. de ordine lectionum publicar. constituto post Mel. obitum; — 2) oratio Vicerectoris Academiae, Georgii Maioris, qua annuntiavit, ordinem lectionum a Principe Electore probatum esse; — 3) oratio Viti Winshemii; — 4) oratio Casp. Peuceri; — 5) oratio Petri Vincentii; — 6) Pauli Crellii, et denique 7) altera oratio Petri Vincentii; quas orationes hi doctores praelegerunt eo die, quo lectiones Melanthonis in se susceperunt. Ex quibus tantum hic quaedam ex scripto Vicerectoris data sunt, ut intelligatur, quid Mel. in schola a. 1560. tractaverit, et quibusnam eius partes in docendo demandatae fuerint. Caeterum hae orationes leguntur etiam in Scriptis publ. Acad. Tom. IV. et in Declamationibus Mel. ad ann. 1560.]

D) Brevis narratio Professorum Witebergensium de morbo et obitu Melanthonis, latino sermone edita.

E) Eadem narratio, vernaculo sermone scripta, aucta et in multis mutata.

F) *Iac. Heerbrandi* oratio funebr. in obitum Melanthonis.

Cuncta haec scripta A—F, simulque carmina in mortem Melanthonis collecta habes in libro: „Orationes, epitaphia et scripta, quae edita sunt de morte Philippi Melanthonis omnia [tantum latina], cum „narratione exponente, quo fine vitam in terris suis clauserit, una cum praecedentium proxime dierum et „totius morbi, quo confectus est, descriptione, edita a Professoribus Academiae Witeb., qui omnibus „quae exponuntur, interfuerunt. Vitebergae. M. D. LXI." (In ultima pagella:) Vitebergae excudebat Ioannes Crato. M. D. LXII. 1 Alph. 11 1/2 pl. — Scriptum germanicum E est praetermissum, sed adiuncta sunt omnia carmina latina in obitum Melanthonis et unum germanicum a *Io. Matthesio* profectum.

**No. 7135.** 21. April.

## *Scriptum A.*

**Pagella publica Vicerectoris Acad. Witeb.**

Separatim prodiit: „Scriptum publice propositum in Academia Witebergensi, quo Scholastici convocati sunt ad deducendum funus Domini Philippi Melanthonis viri pietate, eruditione et virtute praestantis XXI. Aprilis. Witebergae excudebat Vitus Creutzer." 2 1/2 pl. 4. — Recusum est hoc scriptum in Scriptis publicis Acad. Witeb. Tom. IV. lit. N. et iterum in libro: Orationes, epitaphia et scripta, quae edita sunt etc. — Etiam germanice: Eine Klag und Trostschrift von dem christlichen Abschied und Begräbniß des Ehrwirdigen und Hochgelehrten Herrn Philippi Melanthonis, welche zu Wittenberg den XXI. Tag Aprilis Lateinisch im Druck ausgangen, und zu Nürnberg verdeutschet worden ist. M. D. LX. 4.

*Vicerector Academiae Witebergensis, Georgius Maior, S. Theologiae Doctor.*

Pie et utiliter monet Siracides, et luctum esse debere in morte domesticorum et aliorum, qui nobis qualicunque de causa cari fuerunt, non simulatum, qualis erat praeficarum apud Ethnicos, aut adhuc est conductitiorum Monachorum et sa-

crificulorum in Papatu, sed serium, moderatum tamen, et non adfligentem valetudinem, cum sic ait: *τέκνον, ἐπὶ νεκρῷ κατάγαγε δάκρυα, καὶ ὡς δεινὰ πάσχων ἔναρξε θρήνων, καὶ μὴ ὑπερίδῃς τὴν ταφὴν αὐτοῦ, καὶ ποίησον τὸ πένθος κατὰ τὴν ἀξίαν αὐτοῦ, καὶ παρακλήθητι λύπης ἕνεκα. Ἀπὸ λύπης γὰρ ἐκβαίνει θάνατος, καὶ λύπη καρδιάς κάμψει ἰσχύν*, hoc est: fili, super mortuo deduc lacrymas, et ut dura passus incipe lugubria, et non despicias sepulturam ipsius, et fac luctum pro dignitate ipsius, sed consolationem etiam admitte istius doloris. A moerore enim existit mors, et moesticia frangit robur cordis. Hoc dicto Siracides prohibet utrunque, et profanitatem *καὶ ἀστοργίαν* eorum, qui non adficiuntur suorum obitu, et clamitant indignum esse viro forti, nedum Christiano, profundere lacrymas et edere significationem ullam moesticiae: et rursus immoderatum dolorem, respuentem omnem consolationem, quo et valetudo laeditur, et Deus offenditur, volens nos acquiescere suo consilio, et non fremere adversus iustam et semper optimam voluntatem suam.

Cum autem Deus clementissimus nudiustertius placida obdormitione potius quam morte a nobis abduxerit reverendum et carissimum praeceptorem ac patrem nostrum, Dominum *Philippum Melanthonem*, communium studiorum in hac Academia summum et foelicissimum gubernatorem, tantus haud dubie sanorum omnium est dolor, ut ille nequaquam ullis rationibus accendendus magis, sed [1]) potius exquisitis argumentis leniendus et sedandus esse videatur. Quod cum me inprimis facere propter officium, quod sustineo, deceat, quae huic proprio et vestro [2]) dolori *θελκτήρια* et lenimenta adhibeam, non satis invenio. Cum enim recordor, quam dulcis mihi cum hoc viro intercesserit familiaritas et consuetudo domesticae similima iam a primis adolescentiae meae annis, quantis officiis ab ipso provectus, adiutus, ornatus sim, fieri non potest, quin eius mihi abitus acerbissimum dolorem adferat. Neque vero erga me solum talis fuit, et non alios omnes studio et benignitate sua complexus fovit et adiuvit. Scimus enim, eius bonitatem tantam fuisse, ut nihil omnium, quae habebat, et poterat, sibi aut suis servire et prodesse tantum voluerit, sed ea omnia ceu communia ad cuiusvis, etiam minimorum, saepe etiam indignorum usum comparata et exposita habuerit; quae ipsius inimitabilis benignitas privatim singulis petentibus, multis etiam ultro, omni officiorum genere praestita, cum latissime vagata sit, mors eius haud dubie plurimos ita commovebit, ut nos, qui tam diu in familiaritate ipsius a iuvenilibus annis viximus et consenuimus, iustissimam gravissimi doloris causam habere confessuri sint.

Sed consideratio publici incommodi et periculi, quod ipsius obitus hoc tempore Academiae et Ecclesiae huic attulit, hunc dolorem, quem privatae consuetudinis desiderium nobis facit, propemodum extinguit et obruit, etiam in iis, qui propter sanguinis vel affinitatis coniunctionem iustissime se dolere existimant. Noverunt enim omnes, quotquot hic nobiscum studiorum societate coniuncti vixerunt, quanta cura, vigilantia, sedulitate gubernationi communium studiorum praefuerit, quanta contentione animi illa excitarit, plurimas easque difficillimas lectiones in sese recipiens, mira adsiduitate lectionum operas continuans, sua sapientia operas rite distribuens, Collegis aliquibus, quae cum utilitate auditoribus suis traderent, praescribens, omnium professionum et officiorum necessitatibus et ornamentis subserviens, denique quod singulis laboriosum et difficile futurum erat, ipse unus pro omnibus subiens et magna promptitudine animi sustinens, et antequam rogaretur sponte aliis indigentibus suam operam offerens. His rationibus studiorum progressum foeliciter promovebat, et collegarum *ἐργοδιώκτης* erat, non acerba obiurgationis vehementia et ignaviae castigatione eos pudefaciens, sed suae adsiduitatis exemplo cessantes ad diligentiam traducens. Et quod summopere huic scholae profuit, ita erat natura, consilio, studio et artificio *συμβιβαστικὸς*, et communis concordiae conciliator, ut cum ipse saepe graviter offensus non modo vindictae cupiditate excitare certamina non vellet, sed etiam obtrectantium et malevolorum iniurias tolerando et insuper benefaciendo vincere, ut universam memoriam earum abolere studeret: etiam commonefactionibus suis, intercessionibus, lenitionibus ortas inter collegas suos offensiunculas, antequam vires acquirerent, supprimeret, et suo praecipue exemplo et autoritate ad commune concordiae studium et ad *ἐπιείκειαν* tolerantem imbecilliorum errata, permoveret.

1) *sed*] Scr. publ. *quam*.
2) *vestro*] Scr. publ. *alieno*.

Quid autem de donorum excellentia et varietate dicam? quibus divina bonitate instructus tot monumenta utilium scriptorum edidit, quibus omnes partes philosophiae insigniter illustravit, et in repurgatione doctrinae coelestis reverendo viro Doctori *Martino Luthero*, divinitus excitato, fidelem et carum et utilem παραστάτην καὶ σύνεργον se probavit, id quod publica scripta ipsius testabuntur, de quibus cum ipse voluerit iudicium esse penes universam Ecclesiam et posteritatem, non dicemus hic plura.

Talis igitur, tam instructi, seduli, fidelis, foelicis Doctoris et gubernatoris praesentia et opera quum Academia haec et Ecclesia nunc privata sit, et vulnus acceperit opinione et eloquentia omni maius, iustissimum est dolere omnes, qui studiorum recte ordinatorum et scholarum bene constitutarum necessitatem et utilitates intelligunt et magnifaciunt. Accedit huc, quod dolorem nobis auget metus impendentium malorum, quae variis de causis irritari nunc facilius et accersi possunt, postquam sublatus est is, qui plurima publica incommoda avertit et impedivit sua moderatione, tolerantia, lenitate, authoritate, addo etiam precibus ad Deum, quas scimus eum cum studio verae temperantiae, sobrietatis, vigilantiae et bonae conscientiae, constanti diligentia pro tota Ecclesia, Academia et familia sua ardentissimas fudisse. Et notum est piis dictum Prophetae, qui dicit, colligi bonos, ne videant mala secutura, sicut exempla omnium aetatum et gentium testantur praestantium virorum, per quos insigne aliquid in Ecclesia gestum aut effectum est, migrationem ex hac vita publicas calamitates brevi secutas esse, praesertim autem tum, cum ingratitudo populi accessit spernentis illa dona, et extenuantis beneficia, quae Deus per illos Ecclesiarum benefactores largitus est, sicut proh dolor vidimus hunc nostrum pium et optime meritum de universa posteritate Praeceptorem, ab aliquibus contemptum, ab aliquibus infestatum, ab aliquibus hostiliter petitum fuisse, quibus fortasse hic noster luctus et moeror gratissimum spectaculum praebebit, et sannas ac sarcasmos felle amariores dictabit, ut nostrum dolorem sua insultatione et triumpho, quem de nostra imo de publica miseria agent, accumulent. Hic metus mutationum et aerumnarum publicarum, quas mors huius nostri patris ac collegae, et aliorum piorum ac bene meritorum virorum, quos brevi temporis intervallo haec schola et regio amisit, portendere videtur, dolorem nostrum auget, quem inflixit amissio tanti et talis praesidii et ornamenti Scholae et Ecclesiae huius. Non igitur nobis est opus sapientissimi Siracidae pia commonefactione, ut defleamus mortem huius cari patris nostri, ne ἀστοργίας vel ἀναισθησίας stoicae ab aliis accusemur. Non est nobis opus praeficarum lugubribus concentibus et threnis: omni arte animos ad moesticiam commovere conantium: Ipsa nos animis et intimis sensibus infixa huius benefici, pii, salutaris Doctoris memoria concitat ad considerationem nostrae infoelicitatis, qui benignissimum patrem et dulcissimum collegam et amicum carissimum amisimus: Ipse conspectus iuventutis, Templorum, Collegiorum, Bibliothecarum nostrarum ipsius bonitatem ubique paratissimam nobis in memoriam revocantium, ex oculis nostris largissimas lacrymas exprimit, et vim doloris exasperat.

Audiamus igitur alteram partem praecepti Siracidae, quae iubet ita moderari dolorem, ne vel nostris corporibus et valetudini vim faciamus, vel Ethnicorum luctus imitari videamur, qui non considerata Dei in omnibus actionibus perpetua bonitate, amissis carissimis suis fremunt adversus Deum, et iniusticiae quasi eum et Tyrannidis accusant, a quibus blasphemis vocibus et cogitationibus animis et auribus abhorrere debemus nos, qui scimus Deum etiam iratum misericordiae suae recordari, et punientem benefacere, et quo durior est castigatio in filios petulantes et ingratos, eo ipsum ardentiore στοργῇ eosdem conversos ad bonam frugem complecti, et beneficiis ornare, moesticiam illam ex recordatione poenarum ortam, lenientibus et paulatim abolentibus, id quod singuli, qui Patresfamilias sumus, in castigatione liberorum nostrorum experimur, quibus, cum mores emendant et ad obedientiam debitam redeunt, post plagas et verbera blanditiis et munusculis nostram paternam propensionem et caritatem saepe manifestius declaramus quam antea. Quare et domestici ac propinqui, qui merito lugent, tali se patre, avo, cognato, affine orbatos esse, et nos reliqui, qui ipsi familiari consuetudine coniuncti fuimus, hac cogitatione dolorem moderemur, quod scimus eum mortalem genitum fuisse, et quod mirandum est, ei in tanta laborum, curarum, molestiarum, certaminum assiduitate et acerbitate tamen a Deo, haud dubie

Ecclesiae precibus et utilitate moto, vitam in tanta corporis gracilitate et calculi cruciatibus ad tantam senectam prorogatam fuisse, ut climactericum nonum superaret, et inchoaret aetatis quartum et sexagesimum annum, quod vitae spacium paucissimi etiam magno corporis robore praediti attingunt. Deinde vidimus omnes, quam aerumnosam vitam egerit in perpetuis laboribus, fatigationibus, adflictionibus, exagitationibus, criminationibus, insidiis et morsibus, quibus a summis, infimis, exteris, indigenis, hostibus et discipulis sine fine et modo impetitus et laceratus est, ut merito cum Iacobo Patriarcha dicere potuerit: dies peregrinationis vitae meae fuerunt parvi et mali; et mortuus sit, ut de Abrahamo, Isaac et aliis scribitur, aetate confectus et plenus dierum, seu saturatus annis, cum saepe audierimus ipsum cum ante hunc morbum tum tempore morbi conquerentem de virium defectione dicere: se velle Deo obedire et servire, ut ante, si is velit vitae annos plures adiicere, sin minus, se adeo non reformidare mortem, ut eam etiam expetendam sibi optandamque iuxta voluntatem Dei existimet. Et ita obiit, ut quisque sibi maiorem foelicitatem optare non possit, quam si post agnitionem Dei et filii eius domini nostri Iesu Christi, cum tranquilla conscientia migrare ex hac aerumnosa vita tanta placiditate queat. Nam et seipsum morbi tempore et nos visentes ipsum ac doloris nostri signa ostendentes, verbo Dei et ostensione voluntatis divinae et promissionum mirifice consolatus est, et palam aliquoties professus est, nullo se domestico aut privato dolore angi, sed tantum animo cruciari propter hanc insanabilem distractionem docentium in Ecclesiis ortam ex odiorum acerbitate et quorundam maliciosa Sophistica, ex qua dicebat impendere maxima pericula Ecclesiae et rebuspublicis, et Deum ardenter invocabat, multis audientibus, ut ipse sanaret vulnera Ecclesiae et servaret coetus pie docentium et audientium incorruptam Evangelii doctrinam, et suae constantis confessionis signa usque ad extremum vitae halitum manifesta edidit, cum septimo Paroxysmo febris tertianae vires corporis vitales adeo prostratae fuissent, ut destillantes in pectus ex catarrho humores eiicere amplius non valerent, unde paulatim impedita spiratione, ceu inchoaturus somnum profundiorem placide obdormivit, integris usque ad extremum sensibus, et mente rectissime sibi constante, id quod plurimi authoritate et virtute praestantes viri αὐτόπται testari poterunt. Tam pium et placidum exitum et liberationem ex tam laboriosa et aerumnosa vita omnes gratulari ipsi potius quam deplorare debemus, et rogare singuli Deum, ut nos quoque simili tranquillitate conscientiae, simili constantia, fidei et confessionis, et simili ardore invocationis ex hoc carcere traducat ad aeternam suam consuetudinem.

Attamen Academia et Ecclesia orbata est hoc fideli et salutari gubernatore? Est sane haec calamitas inaestimabilis, quam videntur multa incommoda secutura, quam aliquando tamen eventuram fortassis nostra ingratitudo et abusus horum donorum maturius attraxit. Sed agnoscamus hanc nostram sane deplorandam et castigatione dignissimam ingratitudinem, et fastidium et abusum multiplicem bonorum praesentium, et oremus Deum, ut veniam nostris delictis paterna sua clementia tribuat, et quod est reliquum lucis et doctrinae divinitus per haec salutaria organa nobis clementer donatae, reverenter et grati amplectamur, et usurpemus ad celebrationem gloriae divinae, et ad emendationem vitae ac morum nostrorum, et veneremur doctores superstites, et illorum fidelibus monitis reverenter pareamus, et adiungamus invocationem, ardenter petentes aversionem et mitigationem impendentium malorum, et conservationem Ecclesiarum et Scholarum, in quibus sonat vox Evangelii, et suo quisque loco partim fideliter et dextre docendo, partim strenue discendo, et utrobique recte et pie vivendo, suam obedientiam Deo praestet, et expectet auxilium, defensionem et veram consolationem a filio Dei domino nostro Iesu Christo, qui promisit suae Ecclesiae perpetuam suam praesentiam, sicut inquit: non relinquam vos orphanos. Item: ego ero vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Abducuntur pii et salutares Doctores perfuncti suo munere et confecto curriculo, quod ipsis Deus mandavit: sed non propterea deseritur prorsus Ecclesia a filio Dei, ideo sedente ad dextram aeterni patris, ut det dona hominibus, Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores et Doctores, quos non repente facit summos et excellentissimos donis, sed addit usu et pia exercitatione incrementa donorum, sicut experientia testatur. Etsi igitur talem excellentiam ingeniorum, qualis in Luthero et Melanthone et aliis quibusdam vita functis doctoribus huius aeta-

tis fuit, vix sperare amplius possumus: tamen dubitare non debemus, quin Deus etiam per imbecilles et minus ornatos tantis donis, efficax futurus sit, si nos nostri officii memores, ut supra dictum est, haec dona coelestia ardentibus votis petemus a filio Dei regnante, et ministerium Evangelii sua potentia conservante. Nec dubitare etiam de hoc debemus, sicut plurimos pietate, sapientia, virtute et doctrina praestantes viros agnoscentes Dei beneficia per hunc nostrum praeceptorem Ecclesiae collata, et aestimantes merita in se et alios multos privatim profecta, habemus participes huius nostri gravis luctus, qui serio dolent de necessaria quidem, ut hominis mortalis, sed nobis tamen et Ecclesiae immatura et praepropera emigratione huius salutaris Doctoris: quin eosdem etiam huius precationis nostrae simus habituri socios, nobiscum rogaturos Deum aeternum patrem domini nostri Iesu Christi, ut hanc Scholam et Ecclesiam, quae multos annos sedula fuit nutricula et doctrix plurimorum iam utiliter passim Rebuspublicis, Scholis et Ecclesiis servientium, diutius clementer custodiat, regat et conservet, ut sincera Evangelii doctrina et aliae artes necessariae societati generis humani et Ecclesiae, diu florere et late propagari inde possint, quam ad rem ut idonei gubernatores in loca[3]) defunctorum substituantur, haud dubie curae erit Illustrissimo Principi ac Domino, Domino *Augusto* Duci Saxoniae, S. Imperii Romani Archimarschalco et Electori, Principi ac Domino nostro clementissimo, cuius Celsitudo saepe iam evidentibus testimoniis nos confirmavit, quod velit summo studio hanc Academiam, in qua purior Evangelii lux in omnes partes christiani orbis effulsit, sua munificentia fovere et conservare.

Nos quoque, quos Deus voluit huic pio patri et praeceptori nostro superstites esse, etsi fatemur nos donorum excellentia ipsi et aliis nequaquam pares esse, tamen summo studio annitemur, ut iuventuti piam et salutarem et incorruptam doctrinam coelestem, sicut eam a reverendis patribus et praeceptoribus nostris, *Luthero*, *Iona*[4]), *Bugenhagio*, *Crucigero*, et *Philippo* accepimus, et scimus congruere cum perpetuo consensu Propheticorum et Apostolicorum scriptorum cum Symbolis et confessione harum Ecclesiarum Augustae exhibita anno 1530, et simul etiam aliarum omnium professionum artes fideliter et sincere quasi per manus tradamus, et disciplinam tueamur, quanta possumus diligentia, quae quidem facilius regi poterit, si, quod necessarium erit, iuventus se facilem et obsequentem paternis admonitionibus nostris praebebit, quod omnino faciet eo etiam studiosius, ut hac ipsa morum emendatione et modestia et in discendo assiduitate testetur, se obitu talium virorum immaturo tanquam signo irae divinae serio commoveri, et Deum ardenter invocare, ut imminentes calamitates publicas clementer mitiget, id quod audiunt suum praeceptorem Dominum Philippum in ipso agone magis de Ecclesia et Academia ac toto coetu discentium quam de sua morte aut suorum orbitate sollicitum, crebra ingeminatione ardentium votorum fecisse, cui pro infinitis bonitate, magnitudine et numero beneficiis hoc postremum et vile, sed pium tamen officium praestemus, ut funus eius ad locum sepulturae destinatum deducamus, hac obedientia testantes, nos et acceptorum beneficiorum memoriam tueri, et domesticorum defuncti praeceptoris orbitate serio affici.

Convenietis autem hodie paulo ante secundam horam prope[5]) aedes Domini Philippi, ubi audieritis signum campana dari, et sequamini funus usque in templum Parochiale. Unde post auditam commonefactionem de spe resurrectionis nostrae, porro deducetis illud in templum Arcis, et ibi modeste et reverenter non dignissima quaeque, sed suae quisque aetati et conditioni convenientia loca occupantes, audietis funebrem orationem recitari, et adiungetis vestras preces cum seniorum votis, simul nobiscum petentes protectionem et conservationem piorum studiorum in hac Schola et Ecclesia. Hortamur autem vos, Scholasticos, et per Deum rogamus, ut in tota hac funebri ceremonia sitis modesti et verecundi, nec tumultuemini et foeda confusione et discursatione turbetis ordinem maxime servandum in talibus congressibus, ubi potius quid amiserimus et expectare porro possimus, cogitare debemus, quam quid spectare queamus. Adsunt, ut videtis, aliquot Lipsenses Professores, aliquot vicini Nobiles, multi vicini Pastores et alii honesti hospites, quos communis dolor Lipsia usque et ex aliis longinquis locis huc attraxit, ut hac sua

3) *loca*] Scr. publ. *locum*.

4) *Iona*] non habent Scr. publ.

5) *prope*] Scr. publ. *ante*.

praesentia testarentur, se et magnifice de Praeceptore nostro sensisse, et nostra ac Ecclesiae et Academiae nostrae orbitate non leviter affici. Illorum inprimis decet rationem haberi, et illis honesta loca in processu funeris et in utroque templo concedi, ne ad suos reversi, iustas querelas secum hinc asportent de nostrae iuventutis impudentia, curiositate, Cyclopico contemptu omnis ordinis, modestiae et verecundiae. Vult Paulus in Ecclesia omnia εὐσχημόνως fieri, et meministis, quam sedulus et acris saepe hortator vobis ad ordinis, modestiae et verecundiae studium et amorem fuerit hic ipse Praeceptor noster, cuius exuvias hodie terrae commendabimus, quarum commonefactionum piarum recordati, nunc harum virtutum specimen edite in hoc ipsius funere, in quo quam maxime vestri amoris et observantiae erga tam pium Patrem evidentia signa et testimonia edere nos convenit.

Iterum igitur vos propter Deum oramus, ut locum convenientem in funeris deductione concedatis Dominis Baronibus, Hospitibus, Professoribus omnium facultatum, Consulibus et Senatoribus; Magistris, Nobilibus et aliis aetate, eruditione et merito venerandis viris, ut illos modeste et quiete sequamini quaterni vel quini, et in locis angustioribus non arctetis et affligatis imbecilliores. Haec vos officia ipsi sponte cogitare et praestare debebatis, etiam sine ullo monitore, et illud Pauli dictum meminisse: modestia vestra nota fiat omnibus hominibus. Datae 21. Aprilis, quo ante biennium etiam acerbissimo cum luctu sepelivimus Reverendum senem, pietate, eruditione ac meritis in Ecclesiam praestantem Dominum doctorem *Bugenhagium* Pomeranum, huius Ecclesiae pastorem. 1560. [6]).

---

No. 7136. 21. Apr.

## *Scriptum B.*

### Viti Oertelii, Winshemii, oratio.

Viti Winshemii oratio habita in funere Melanchthonis. Viteb. 1560. 4. 4 pl. (Vid. *Strobelii* bibl. Melanthon. No. 341.). — Recusa in Tom. V. Declamationum Melanth. edit. Witeb. p. 265. et in libro: Orationes, epitaphia et scripta, quae edita sunt de morte Phil. Mel. etc. — Utrumque librum contuli, sed differunt tantum quibusdam mendis typographicis, quae notatione non egent.

*Oratio habita in Funere Domini Philippi Melanthonis, a Vito Winshemio artis Medicae Doctore, die vicesima prima Aprilis.*

Reverendi et clarissimi viri, doctrina, virtute et fide praestantes, patroni et collegae colendi, vosque optimi auditores. Non est, ut iam a me expectetis orationem studio aut meditatione aliqua elaboratam, qualem hic locus et argumenti dignitas requirebat. Neque enim in tanto hoc publico luctu, et meo acerbissimo dolore, ad dicendum afferre possum eam animi praesentiam, et spiritus atque haec ipsa vox testis pietatis, observantiae, et gratitudinis nostrae erga pientissimum et optimum Praeceptorem, lacrimis et moerore impeditur atque intercluditur.

Res vero ipsa, hoc est, pietas, doctrina et virtus reverendi Praeceptoris de quibus hoc tempore dicendum erat, non mediocrem dicendi facultatem, sed vim et flumen orationis uberrimum postulant, a quo me quam longissime abesse sentio.

Audietis igitur in praesentia non orationem vel huic loco, vel auribus vestris, vel magnitudini huius argumenti convenientem, sed miseras tantum, concisas, et male cohaerentes querelas, quales animi luctu et dolore perturbati temere solent effundere, quibus ne nobis nimium molestus sim, moderabor ipse mihi, et breviter tantum summa quaedam capita rerum percurram, caetera, si vivam, fortasse alio tempore paulo uberius tractaturus.

Etsi ut dixi intelligo me et propter ingenii tenuitatem et orationis inopiam, huic argumento pro dignitate tractando longe imparem esse, tamen vel doctrina et virtus huius viri, vel ipsius non tantum erga Germaniam nostram, Sed totum Christianum orbem merita, et praecipue erga harum regionum Ecclesias et hanc scholam, et seorsum erga me beneficia, vocem mihi exprimunt, ut his saltem lugubribus querelis optimi praeceptoris manibus parentem, quibus et ingentia bona, quae interitu huius viri amittimus, et Ecclesiarum, scholae, ac nostram orbitatem deplorem.

Nam si et de poenis divinis, quae, cum tales viri ex hac vita evocantur, imminent, et impendentibus nobis miseris dicendum foret, magis

---

6) Verba: *quo ante biennium* etc., in Scriptis publ. non leguntur, sed finitur pagella verbis: „datae 21. Aprilis anno 1560."

etiam animo frangerer, et velut sub immodico onere victus succumberem.

De vita Reverendi et optimi Praeceptoris, pauca quaedam, quantum per lacrimas potero, dicam, ubi ut res ipsa postulabit, etiam de doctrina ipsius aliqua erunt inserenda, Deinde et de felici ipsius ex huius vitae miseriis transitu, in aeternam sanctorum sedem, aliqua adiiciam.

Natus est Philippus Melanthon anno 1497. die Februarii 16. hora septima vespertina, in oppido Breta *), quod pertinet ad ditionem Principum Palatinorum Rheni, in domo et familia honesta, Pater ipsius *Georgius Schwartzerdt* natus Heidelbergae, Fuit Magister armorum apud Principes Palatinos Philippum, et Rupertum, Et propter eximiam prudentiam, artem, fidem, ac virtutem carus Maximiliano Imperatori et multis Principibus atque comitibus, fuit vir pius, et pene usque ad superstitionem religiosus, singulis noctibus hora duodecima consuevit e lecto surgere ad usitatarum precum recitationem, Liberos et familiam magno studio et cura regebat, et hoc unice operam dabat, ut tota domus pie et honeste viveret. Denique civis erat Principibus, Reipub. ac Patriae utilis. Mater *Barbara* Matrona fuit honestissima, singulari sapientia et morum gravitate praedita.

Ex talibus Parentibus natus, et ab his tam sancte educatus fuit Philippus, ut non sit mirum in tantum eum virum postea evasisse, Vere enim dictum est a veteri Poëta,

*εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λώϊα, δυσσεβέων δ' οὔ.*

Res fuit illis non tenuis, sed quae prope mediocritatem superaret, eam sustentabat et augebat praecipue Benedictio divina, ipsorum sobria et honesta frugalitas, et in agricultura industria ac vigilantia.

Et vivit adhuc superstes Philippo *Georgius* frater in domo Paterna vir honestiss. ac praecipuae autoritatis in Palatinatu. Patrem Philippus amisit anno a nato Christo 1508. die 29. mensis Septemb. ipse natus iam annos 12. Avum maternum in quo fuit excellens et vere senilis prudentia, gravitas, et integritas coniuncta cum autoritate summa, amisit ante Patrem diebus undecim. Huic Patre occupato negociis Principum, praecipue educatio et institutio Philippi curae fuit. Quare cum in eo admodum puero evidentiora quam pro aetate, rarae atque excellentis indolis indicia inesse animadverteret, quam primum per aetatem literas discere potuit, eum in schola Patriae publica erudiri curat.

Inde postea abductum propter contagii cuiusdam metum, quo scholae gubernatorem infectum esse compererat, domestico Praeceptori formandum tradit, is erat *Iohannes Ungarus*, qui postea sub ingravescentem aetatem verbi divini concionator factus est in oppido Marchionatus Badensis, cui est nomen a porta Herciniae, Vixitque usque ad annum a nato Christo ex Maria virgine 1553. quo anno mortuus est. Conservavit huius viri memoriam Philippus donec vixit, singulari cum pietate et veneratione.

Fuit eo tempore celebris schola in oppido Portae Herciniae, quam gubernavit *Georgius Simlerus* Wimpinensis, cuius integritas, virtus, et in docenda iuventute assiduitas ac fides, tum prae caeteris per eam Germaniae oram praedicabatur. In eam scholam Philippus missus, apud sororem Doctoris *Iohannis Capnionis* cognatam suam collocatur. Collegam habuit Simlerus quendam *Iohannem Hillebrandum*, qui praeter publicorum in schola studiorum operas, privata quaedam cum quibusdam habuit exercitia, in lingua utraque Latina et Graeca. Hoc Magistro et Praeceptore primum Philippus elementa Graecae linguae degustavit. Utrunque ut alterum Patrem coluit, et Simlerum postea Tubingae publice docentem audivit.

Cum autem reversus ex Gallia *Capnio* crebro in Patriam expaciaretur, invisendae sororis causa, apud quam Philippus alebatur, considerare naturam pueri atque ingenium et profectus explorare incipit, quae omnia cum non probaret tantum, sed admiraretur, quem dilexerat antea propter cognationis vinculum, eum propter ingenii praestantiam etiam ut magnifaceret movetur, donatumque libello Graecae Grammatices, Lexico, ut vocant, Graeco, et Bibliorum codice, ad gnaviter, ac strenue pergendum incitat, additis exhortationibus et imposito in caput eius pileo purpureo, quo ipse cum Doctor fieret, ornatus fuerat, talem futurum praesagiens qualis evasit. Bibliorum codicem et circumtulit secum perpetuo, et legit diligentissime, et hanc legendi textus Biblici consuetudinem, quod sibi adolescenti profuisse

*) Orat. *Bretta.*

plurimum expertus esset, cum retinuit ipse ad extremum usque tum nobis universis discipulis suis saepe commendavit.

Biennium versatus in ea schola, mittitur in patriam Patris, nempe in publicam scholam Heidelbergensem, ubi adolescens propter rari et mirandi ingenii praestantiam, morumque suavitatem ac venustatem, omnibus bonis et honestis hominibus valde carus fuit, Et conservavit locus ille memoriam huius alumni sui Philippi cum perpetua benevolentia usque in hunc diem. *Ludovicus Comes a Leonstein* *) ibi liberos suos illi erudiendos commendavit, et vixit in domo Doctoris *Pallantis* Theologi, cuius integritatem, virtutem et sapientiam nobis saepe praedicavit.

Intercessit illi Heidelbergae singularis familiaritas cum *Petro Sturmio* Argentoratensi fratre *Iacobi*, cui tunc privatus Praeceptor erat *Vimphelingius*, vir ut optimus et integerrimus, ita eruditissimus. Triennium Heidelbergae vixit, partim ante, partim post mortem Patris, audivit ibi docentem *Guntherum* Rhetorem, et cum *Sorbillo* quodam poëta, cuius venam saepe laudabat, vixit familiariter, scripsit iam tunc adolescens Professoribus in ea schola orationes, quae publice recitatae sunt, Et linguarum studia ac praecipue scribendi exercitium soluta oratione et versu excitavit.

Agitabantur eo tempore in scholis quaestiones, quae habebantur vel Gordio nodo difficilius explicabiles, de propositionibus modalibus, item de universalibus realibus, multum hae rixarum inter disputantes pariebant, de his enim inter se iugiter digladiabantur, hos nodos ipse dissolvit, et certamina haec cum magna omnium admiratione sustulit, conscripsit tunc et rudimenta Graecae linguae, quae postea in publicum edita sunt. Primum scholasticum gradum, cui a Laurea nomen est, assumsit, cum natus iam esset annos quatuordecim, Nempe anno a nato ex virgine Christo 1511.

Inde cum propter coeli gravitatem quotannis sub autumnum cum febre conflictaretur, mater periculum metuens, Tubingam ipsum transfert, ibi rectius valuit, et totum sexennium vixit, Privatim ac publice cum magna laude et admiratione docuit, et scripta quaedam ceu primos foetus, ex quibus satis apparuit, qui proventus in posterum expectandi forent, in lucem edidit. Audivit ibi et Iureconsultos ex quibus illo tempore celebres fuerunt *Lamparterus*, *Ebingerus* et alii, Lamparterum praecipue laudabat. Audivit item Theologos, de quorum ineptis et inutilibus disputationibus in rebus gravissimis dicere, et multa ridicula ipsorum diliramenta commemorare solebat.

De Monacho quoddam concionatore eius loci narrare solebat, quod pro concione, omisso Evangeliorum doctrina, Ethica Aristotelis explicasset non parvo audientium studio, qui cupidius Aristotelica cognovissent, quam fabulas aniles, quibus implere templa illius barbaricae superstitionis temporibus usitatum fuit, Christi mentione prorsus neglecta, Et haec recitans saepe deplorabat coecitatem et infelicitatem illius seculi.

Praefuit et Typographicae officinae *Anshelmi* aliquandiu. Excudebatur tunc illud grande historicum volumen *Naucleri*, in quo multa quae corrupta erant, ipse emendavit, mutila multa complevit, confusanea in ordinem redegit, obscuris lucem reddidit, supervacanea praecidit, effecitque ut is liber, qui antea erat farrago verius, quam integrum historiae corpus, postea a multis et adpeteretur, et magna cum utilitate legeretur.

Hoc sexennio crebro et multum fuit cum *Capnione*. Fervebat tunc certamen, quod Capnioni erat, cum hominibus improbissimis et importunissimis, nempe cum Monachis et Monachorum propugnatoribus sophistis, cuius certaminis causae et varii eventus referuntur a Philippo in oratione quae extat, continens historiam vitae Capnionis. Cum his Catharinatis vir optimus conflictabatur, et quidem crudeliter ac duriter ab illis exercebatur, qui in ea conflictatione multa scripsit, quae partim Romam, partim ad Imperatorem missa sunt, ex his pleraque Philippus ipse sua manu descripsit. Cumque Capnio subinde ex Stukgardia Tubingam veniret, solebat apud Philippum divertere in illo scholastico diversoriolo, et una cum eo in collegio cibum capiebat. *Stofflerum* Mathematicum in Tubingensi schola sedulo audivit, quem et inprimis laudare solebat. Audivit tunc et Poëtam *Bebelium*, et iam tunc ea erat ipsius autoritas, ut omnium oculi in eum coniecti essent.

Princeps autem Saxoniae Elector *Fridericus*, cuius sapientia celebratur, cum ante annos non

*) Orat: Lofnstein.

multos magno studio hanc Academiam condidisset, et undecunque viros doctos, quibus eam instruere et exornare posset, conquireret, hac in re usus est consilio Capnionis in conventu imperii Augustano, Anno a nato Christo 1518. commendat Capnio Principi Friderico Philippum tunc iuvenem adhuc, qui ipsum statim assumtum huc misit, ut Graecam linguam hic doceret. Quae tenebrae tunc hic fuerint, non iam dicam, Sed intra paucos annos Philippus eam lucem non tantum linguarum, sed et caeterarum optimarum disciplinarum hic extulit, ut unius huius viri ingenio et opera haec schola facile caeteras in Germania Academias celebritate superaret.

Et quam id initio difficile fuerit, facile existimari potest, cum omnia foeda Barbarie ceu densa caligine obruta iacerent, multi autem in illo Barbarico coeno sepulti, ita ut fit, etsi propter Principis autoritatem palam adversari minus auderent: tamen clam vel contemnerent, vel obtrectarent. Deessent praeterea exempla Graeca, et officinarum Typographicarum ministerium, non leve ad excitanda studia adminiculum.

Memini ipse, cum fere biennium hic fuissem, et Philippicas Demosthenis optimus Praeceptor nobis publice enarraret, anno abhinc trigesimo sexto, auditores illi eramus numero tantum quatuor, propter exemplorum inopiam, describere enim cogebamur, et unicum tantum erat exemplum Praeceptoris, unde describeremus, tamen ex his difficultatibus omnibus eluctatus est incredibili patientia, cum etiam vigiliis eo tempore affligeretur, et valetudine minus commoda uteretur. Vidi Epistolam a Principe Electore *Friderico* tunc ad eum scriptam, qua ipsum hortatur, ut valetudini parcat, nec nimio se labore conficiat, et ex cella sua commodum potum illi offert, citabat in ea Epistola optimus Princeps dictum Pauli Apostoli: Honorem habendum esse corpori. Et, si caetera dicta Pauli vera esse credis, inquit, et hoc verum esse, atque illi obediendum crede.

Cum autem ante ipsum huc venisset, D. *Martinus Lutherus*, qui hic sacram Theologiam docebat, et crebro disputabat, facile contraxit eos, ita ut fit, mutua virtutis et ingeniorum admiratio. Philippus in Luthero animi magnitudinem pene plus quam humanam, ingenii acumen, in iudicando inimitabilem *στοχασμὸν*, in explicandis controversiis doctrinae dexteritatem summam, et alia dona divina, supra communem hominum captum (ut erat talium donorum Dei non segnis aestimator) considerans, coepit eum ut virum singularem et heroicum, per quem Deus res maximas efficere in animo haberet, admirari, colere, et magnifacere. Sicque ipsum non tantum coluit viventem, sed et post mortem, donec ipse vixit.

*Lutherus* vicissim eadem dona Dei in Philippo tanquam suam in speculo imaginem contemplans, et quantam lucem linguarum atque artium tum dicendi, tum caeterarum cognitio doctrinae sacrae afferret, expendens, praeterea et ingenii suavitatem, atque illas leniores et mansuetiores virtutes in Philippo considerans, ut et ipse non rudis talium donorum Dei aestimator, magno veroque amore ipsum amplecti coepit. Cum super haec omnia hoc etiam in eo inesse animadverteret, quod Philippus dissoluta in suum ordinem contrahere, confusa recte distribuere, incertis locum et quasi ius suum restituere, ambiguis proprietatem, obscuris definiendo et explicando lucem praebere posset, Et breviter quod ipse singulare et rarum quoddam organum esset, per quod Deus aliquid mirandum esset effecturus.

Coniunxit igitur Deus haec duo organa sua, atque hos duos viros tantos, mirabili quodam temperamento: ut cum Lutherus Erasmo Roterodamo et aliis quibusdam medicus morborum Ecclesiae immitior videretur, Philippus vero eundem cursum urgens, nec ab eo deflectens lenior ac mitior haberetur, tali *συγκρασίᾳ* medicationis Deo, sicut videtur, libuit uti, in hac extrema Ecclesiae senescentis aegritudine, quae iam, ut ille de senescente Rep. sua dixit, neque morbos suos facile, nec remedia ferre potest.

Cum igitur animis et sententiis iam essent coniunctissimi Lutherus et Philippus, evenit ut *Eccius* Theologus per praecipuas Academias Germaniae pene omnes circumvagaretur, et ubique themata sua, quibus sedem pontificiam, et eorum temporum horrendos errores tuebatur disputando spargeret ac defenderet, *ἐπινίκια* deinde sua et triumphos Thrasonico more decantaret. Is tandem et Lipsiam venit anno 1519. cum quo Lutherus ut congrederetur Lipsiam vocatus fuit, qui secum adduxit et Achaten suum Philippum, cum propter eam, quae inter ipsos erat, coniunctionem, tum et propter linguarum cognitionem, ex quibus tanquam ex ipsis fontibus de testimoniis

scripturae et antiquitatis, certa diiudicatio fieri posset, et navavit tunc Philippus in illa disputatione eam operam Luthero, atque ita interpellavit ac refutavit Eccium, ut ille, sicut erat impatiens, tandem in haec verba prorumperet: Tace tu Philippe ac tua studia cura, ne me perturba. Praesagiit tunc Eccio credo animus, qualem illum adversarium aliquando esset habiturus.

Rediere ab illo congressu nostri, ac inter eos amor et sancta concordia in dies singulos magis magisque coaluit. Fuit tunc id tempus, quo se furor adversariorum nostrorum usque adeo effundebat, ut ne quidem furtis suis, et imposturis placide contenti esse, aut quiescere possent, Sed ea insuper pro summa pietate, sanctimonia, et iusticia adorari postularent. Accidit ergo, ut Lutherus pene invitus ad contradicendum manifestis illorum blasphemiis compelleretur, adfuit illi fidus ubique et assiduus παραστάτης Philippus, Atque ita ambo, ut fit post consertum praelium in medium aestum certaminis pertrahuntur. Hoc tempore multa moliti sunt adversarii, nostros ut everterent, id quod scripta et acta eorum testantur. Adiungunt et nostris aliqui se, qui παράλογα quaedam movent, sicut fit rebus motis et perturbatis. Hoc loco in quas difficultates, et quae certamina Reverendus Dominus Praeceptor inciderit, commemorare possem, sed in aliud tempus ista reservo. Etsi hoc quidem scio, et vere affirmare possum, ipsum multas sane horridas sententias, ne quid tristius dicam, tunc aliquibus cum multa lenitate et mansuetudine e manibus extorsisse: Quale hoc est, homini Christiano non licere litigare in iudicio, aut Magistratus Politici cognitione vel subsidio uti: Ius Mosaicum in forum esse revocandum, neque ullis legibus utendum Christianis. Non ista Lutheri culpa movebantur, Sed fiebat id, quod in talibus mutationibus et medicationibus accidere solet: bona enim saepe cum malis eradicantur, et sana cum morbosis eiiciuntur. Nota adhuc mihi et quasi in conspectu sunt eius aetatis haec et alia certamina, quae sustinuit, et saepe de his querelas suas, Dominus Praeceptor apud me deposuit. Sed ut formicae certum et unum iter terunt, ita ille unum cursum urgebat semper, simplicem veritatem, eamque illibatam ut tueretur, illum cursum tenuit, eamque metam secutus est, donec vixit, nec ab ea ullis se contumeliis aut iniuriis dimoveri passus est, Et Deum immortalem, quae interea ignita tela Satanae, quas insidias falsorum fratrum, quam tetram et abominabilem huius seculi Sophisticam, quae mendacia, quas contumelias tanta cum patientia, ac pene sine sensu sustinuit, quasi ad omnia haec iam pridem occalluisset. Nos vero cum impatientia nostra moti, et illius vicem dolentes, interdum ei hortatores et instigatores essemus, ut respondendo et mendacia refellendo, Zoilis illis aliquando tandem ora obstrueret: Respondet ille doctrinam suam et scripta nota esse, nihil alia responsione aut refutatione opus esse. Interea suum iter, ut dixi, urgebat, cum Pontificiis doctrinae nostrae hostibus sua in statione acerrime depugnabat.

Edidit scripta plurima utilissima et valde necessaria, quae hic singula recensere longum foret, sed fiet et hoc, Deo auxiliante, alio tempore. Sunt autem ex his quaedam ἐξηγητικὰ, quibus praecipui libri sacri luculenta interpretatione explicantur, ut commentarii in Danielem, Iohannem Evangelistam, Epistolas Pauli, et alios libros sacros, quibus non scio quid exactius aut magis perspicuum esse possit. Conferant haec cum veteribus, qui volent, et me verum testem esse fatebuntur. Pugnat et cum hostibus veritatis ubique, ut dixi, acerrime, et illis quidem iugulum premit, etsi minus fortasse tumultuatur, quam aliqui vellent. Postremo ut alia omittam, summam doctrinae Ecclesiarum nostrarum commodissimo et eruditissimo compendio complexus est in duplici ἐξομολογήσει Augustana, et illa, quae superioris, repetitio est, edita anno 1551. His accedit plena et exactissima explicatio dogmatum singulorum comprehensa libro, cui titulus est, Loci communes, Quem librum cum vidisset Lutherus ausus fuit dicere, non dubitare se, quin vel unum hunc librum Philippi omnibus sententiariis, et scholasticis scriptis anteferret. Atque ut rumpant se invidi qui postea viro tanto obtrectare coeperunt, proferre neque ex veterum nec recentiorum scriptis, neque etiam suo ex Theatro quidquam possunt, cum hoc scripto, quod sit conferendum. Et si non nimis iniqui sunt aestimatores alieni laboris, dicant illi nobis, nisi utranque Confessionem Philippi et Locos communes haberent, quodnam corpus integrum, aut quam summam huius doctrinae essent habituri? Non iam dicam de illius utilissimis scriptis in aliis disciplinis. Quod compendium Dialectices, quod Rhetorices, quod

doctrinae moralis, quod denique Physices aut doctrinae de anima commodius, luculentius, aut exactius habemus, quam ea quae ipse nobis reliquit? Denique quantum in omnibus his disciplinis caliginis et tenebrarum fuit, antequam ipse his lucem praebuit? Consumebatur tota vita in sola Dialectica Aristotelis discenda, neque ad eam vita quantumvis longa sufficiebat, de caeteris ut brevitatis causa iam taceam. Haec autem laboriosissima et fidelissima apicula pervolavit per universos doctrinarum campos, atque inde ex variis scriptorum flosculis lectissimum et dulcissimum succum nobis in favos congessit, iuxta veteris Poëtae sententiam:

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea perpetua semper dignissima vita.

Nunc ea vicissim est nostra ingratitudo, libenter quidem his donis Dei fruimur, Sed postea his obsaturati, rabiosis dentibus in tantorum beneficiorum autorem ferimur, Et quod de ingratissimis hospitibus a Plauto dicitur, vituperamus et comedimus tamen. De scriptis huius viri, deque ingratitudine hominum pro his, alio tempore plenius Deo iuvante, nam haec temporis brevitas ad alia me vocat. Scripta tamen indicant ingenium quale fuerit, qui labores, quod studium bene merendi de toto genere humano, quem ipsius cursum utinam non saepe interrupissent certamina et miseriae nostrorum temporum. In quibus ad perferendos labores molestissimos, iniurias insuper et contumelias, animo semper invicto et patientissimo fuit. Nemo illum unquam, quantumvis importunus, de gradu suo deturbare valuit, quin veritatem et eam unam quaereret ac propugnaret. In iudicando rectus, in pronunciando cautus ac circumspectus, in communicando omnium facilimus et fidelissimus. Sed hoc ipsius summum et pientissimum studium saepe interpellarunt labores importuni et odiosi. Quoties ad conventus et Theologorum congressus avocatus fuit, quos ibi labores, quas miserias sustinuit? cum non tantum rabiosis adversariorum morsibus expositus esset, sed et domesticorum τὰς ἀμαθίας ferre cogeretur.

In conventu Augustano, anno millesimo quingentesimo trigesimo, cum nostra confessio ab illo scripta esset, quae ut tunc in Regum et Principum consessu invicta mansit, Ita Deo et Domino nostro Iesu Christo defensore manebit in aeternum, etiam contra portas inferorum, quemadmodum tunc magno animo D. *Pontanus* coram Imperatore et Principibus dixit. Haec inquam confessio cum a nostris exhibita esse Imperatori atque totius Imperii ordinibus, fremuerunt Pontificii, et in primis *Campegius*, atque in aula Imperatoris aliqui non infimi, qui Imperatorem vel tot regna in discrimen coniicere paratum esse dicerent, potius quam ista ferret. Postridie cum totum συνέδριον congregatum esset, accersitur Philippus, qui animo infracto ad eos ingreditur, vidit ibi se circumseptum illo gyro dentium Satanae, et ut Ionas Propheta solus intra costas beluae marinae quassatur. Instat *Campegius*, et horrenda fulmina iratissimi ac saevissimi Iovis sui vibrat, caeteri tot regnorum potentiam et vires contra istum, heu miserum et exiguum imbecillium Christi ovicularum gregem, minaciter intentant. Poterat ibi etiam vir fortis et constans commoveri. Interrogatus igitur Philippus, num cedere vellet, respondet, Cedere non possumus, nec veritatem deserere, Oramus autem propter Deum et Christum, ut adversarii nobis ignoscant, et si possunt, nobiscum dispensent, id est, concedant nobis ea quae bona conscientia relinquere non possumus. Contra quam vocem auditam reclamat *Campegius*, Non possum, non possum, clave non errante. Ad quod tonitruum Philippus, etsi stabat velut in medio Leonum, Luporum, atque Ursorum, qui ipsum impune vel in minutas particulas discerpere potuissent, tamen ingentem animum angusto in corpore versans, fortissime respondit, Deo, inquit, et causam et nos committimus, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Denique quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est. Addidit et hoc, habemus iam in nostris regionibus tot miserorum Parochorum et ministrorum Ecclesiarum coniuges et liberos, qui vel quadraginta millium numerum superant, tot animas deserere non possumus, faciemus igitur, quod poterimus, a Filio Dei, cuius haec causa est, auxilium petemus, nostro in loco et statione quoscunque labores et difficultates perferemus, etiam pugnabimus, si necesse erit, et moriemur, si Deus ita voluerit, potius quam ut tot animae a nobis prodantur. Hi sermones, et eo in loco dicti, num pusillum aut languentem animum indicare videntur, quem illi malevoli falso tribuunt? Sustinuit similia certamina aliquoties in talibus

congressibus, et nunquam tamen animo succubuit. Longum vero foret omnia haec in praesentia commemorare.

De uno adhuc congressu, qui inter nostros fuit, pauca quaedam dicam, et veniam mihi dari peto repetendi nunc de homine carissimo morte erepto, ea, quae ipse vivus nobis dulcissimo sermone referre solebat. Erat iussu Principum Torgae in domo Parochi, instituta inter Doctores nostrarum Ecclesiarum primarios deliberatio difficilima. Adversarii enim tunc pene iugulo nostro ferrum admovebant et superior potestas, pacem, quam toties nostri supplices petiverant in libra aurificis, ut quidam praestans et magnus vir dixit, nobis admetiebatur, nostrique Principes, et qui docebant non levi de causa commovebantur. Quapropter D. Martinus et alii quidam docentes, Torgam convocabantur, ubi tunc aula erat, ut in medium consulerent, quid fieri, vel non fieri posset. Existiment iam illi Heroës, qui nunc in tuto feroces sunt, qui tunc Agon constitutus fuerit. Nam ut de minis taceam, conatus certe et molitiones adversariorum eiusmodi erant, eaque pericula nobis impendebant, quae nemo sanus facile contemnere posset. Contra quae etsi Principes animo viderentur magno atque infracto esse, tamen quia ad multos periculum pertinebat, qui non pariter omnes animosi erant, et magna vastitas imminere videbatur, paucis docentibus, qui aderant, valde difficilis consultatio proposita erat. Sedet igitur pauper et paucorum Senatus, a solo Deo auxilium orans, sperans, et expectans. Tandem post preces et satis longum colloquium, Philippus defatigatus et moestus surgit, erat enim paulum evocatus nuncio quodam interpellante, quo dimisso, in reditu ingreditur conclave, in quo una erant miserae mulierculae, Parochi et duorum Diaconorum coniuges ac parvuli liberi, quorum alii iam mammam sugebant, alii a matribus preces recitantes audiebantur. Adstat et audit Philippus cum admiratione et magna delectatione, sicut solebat, puerorum balbutientes preces, memor dicti: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, Et quod praecipue ipsum movebat, videt ex Diaconorum uxoribus unam lactantem filiolum, et simul pastinacam in prandium marito incidentem, atque audientem alterum parvulum recitantem usitatas preces et invocantem Deum. Exclamat, o tres sanctos et Deo gratos labores. Ab hoc spectaculo confirmatus animo, ac iam laetus atque alacris in senatum redit hilari vultu. Excipit eum Lutherus, Quid tibi Philippe accidit, inquit, quod ita hilaris ad nos redis, qui paulo ante tristior hinc exibas, respondet ille, ne simus animo pusillo, Domini, iam enim vidi eos qui pro nobis pugnaturi sunt, qui nos defendent, quique contra vim omnem invicti erunt et manebunt. Quaerit Lutherus, quinam sunt hi tam fortes duces, ac milites: Parochorum nostrorum et Diaconorum uxores, inquit Philippus, et parvuli liberi, quorum preces iam audivi, quas Deus non est surdis auribus auditurus. Neque eas adhuc neglexit optimus Pater Domini nostri Iesu Christi, nec porro, ut speramus, negliget. Exceptus hic sermo est, ut felix et faustum omen, et iam animis magis confirmati, statuunt id quod pios et constantes verbi divini Doctoris decebat, et illud ipsorum consilium, beneficio Dei salutare fuit Ecclesiis, et afflictionem, quae imminebat, Deus clementer leniit. Possem alia multa commemorare, quae ostendunt etiam vivo Luthero, Philippum nostris neutiquam metuendi autorem, sed ad fiduciam in Christo et constantiam semper hortatorem fuisse.

Verum, cum idem loquuntur omnia ipsius scripta, fortasse supervacaneum videatur his immorari. Quod autem lenior natura et placidior fuit, nec quantum aliqui vellent tumultuatus est, cum tamen eundem cursum, constantissime urgeret, id laudi potius quam vitio tribuent homines modesti, et de illo quidem nostrorum congressu haec dixisse satis sit.

Porro in conventu Ratisbonensi qui habitus est anno a nato ex virgine Christo 1541. tantos labores pertulit Philippus, quantos vix decem alios robustissimo corpore perferre posse crederem, ut omnes mirarentur, quomodo hoc tam debile corpusculum tanto oneri sufficere posset, et quid in eo conventu effectum sit, norunt et agnoscunt boni ac pii.

Ex his congressibus, domum et ad scholasticos, eosque sibi, ut ferebat, dulcissimos labores reversus, in illis quoque multipliciter interturbabatur, tamen tantum erat in eo omnibus benefaciendi studium, ut nihil molestiae patientia non vinceret, huic versus vel Epistolam, alteri orationem, tertio praelectionem aut concionem scribebat vel emendabat. De aulicis enim occupationibus et Ecclesiarum gubernatione iam non dicam. His tantis, tamque multis rebus, cum distinere-

tur, non tamen ille doctrinae studium, non serias meditationes et scriptiones, non explicationem gravissimorum dogmatum omittebat. Luthero assiduus adiutor fuit, cum in aliis laboribus, tum et in sacrorum Bibliorum translatione, quae magno aliquot annorum labore instructa et perfecta est. Fuitque inter eos, dum vixit Lutherus, coniunctio plus quam fraterna, ipse enim Lutherum reverebatur, et ab ipso vicissim serio atque ardenter diligebatur, fuerunt quidem inter eos, ut fit inter homines doctos veritatem inquirentes aliquando inter disputandum disceptationes quaedam, seria dissensio, quod certo scio, nunquam fuit. Et quantum ipsum amarit Lutherus inde aestimari potest, Cum Philippus Wimariae in morbum periculosum incidisset, quo intra paucos dies ita consumebatur, ut iam omnes de vita ipsius desperarent, accersitur principis iussu Lutherus, qui quanta potuit celeritate dies et noctes iter faciens, ad eum venit: cumque ita ad extremum attenuatum videret, ut praeter vocem, eamque valde exilem, nullum vitae indicium amplius reliqui esset, cum gemitu et lacrimis exclamat, heu quam preciosum, et Ecclesiae utile organum divinum quam misere nobis est affectum, et pene interiit. Cumque ipsum tantum salutasset, statim in genua procumbens, orare coepit. Scimus autem quam seria et ardens fuerit Lutheri precatio, quae et tunc Philip. quasi e media morte revocatus credebatur.

Tandem cum Lutherus cursum suum iam confecisset: et Deus ipsum ex hac mortali vita in illam coelestem scholam evocasset, vidimus qua pietate interitum tulerit Philippus, quibus beneficiis viduam relictam et liberos Lutheri cumulaverit. Neque quidquam post Lutheri interitum, vel in doctrina vel ceremoniis mutatum est. Sed statim secutum est illud tristissimum bellum, Si id secum, sicut fit, aliquid attraxit, non id Philippo imputandum est, sed potius temporum asperitati, Etsi in schola et Ecclesiis, ut dixi, beneficio Dei, doctrinae vel ceremoniarum mutationem nullam vidimus. Excitata deinde sunt, instigante Diabolo, dissidia et certamina inter docentes, quae qui moverunt, quam graves et necessarias causas habuerint ipsi viderint, et nos nihil aliud illis precamur a Deo, quam ut serio sentiant, quid fecerint, quod ista horribili distractione Ecclesias lacerarunt, et in tam multis piorum ac bonorum hominum cordibus Spiritum sanctum perturbarunt. Cogitent aliquando hanc severam Christi redemtoris vocem, qui tolerabilius esse ait in imo mari submergi, quam saltem unum de parvulorum grege offendere.

Est autem in his certaminibus Philippus praeter meritum suum inclementer acceptus ab illis praecipue, quos ipse evexit. Summa peccati haec est, quod leniorem post bellum et non satis tumultuosum fuisse dicunt. Quodque consultationibus interfuit, in quibus utrum aliquid adversariis concedi posset quaesitum est.

In his quae fuerit eius constans et perpetua sententia satis exponitur in libro nostrorum de actis Synodicis, et testatur repetita post eas consultationes confessio nostra, aliique libri eandem doctrinam continentes, quibus facile placari possent, si sanabiles essent. Qua vero lenitate et animi tolerantia illorum importunos clamores, iniurias et contumelias tulerit, et qua interea fide atque assiduitate veritatis doctrinam propagare perrexerit, omnes novimus, Hoc autem consilio tacuit et ita se proscindi passus est, quia praecidere voluit occasiones maiorum certaminum non necessariorum. Vicit ergo illos, ut novo, ita pulcerrimo genere victoriae, nempe silentio et patientia, iuxta dictum: In silentio et spe fortitudo vestra. Sed de his controversiis cum scripta et apologiae nostrorum vulgo extent, quibus sibi satisfieri patientur, si qui sunt sanabiles, supervacaneum videtur in praesentia plura verba facere. Ad priora itaque redeo. Mutationem, ut dixi, in schola et Ecclesiis, nullam vidimus, neque aliter docuit Philippus post bellum quam ante bellum, sicut aliqui de eo falso vociferantur, quibus fortasse alio tempore plenius respondebitur: Haec enim temporis angustia nos ad alia avocat. De scriptis ipsius et doctrina, deque perpetuo instituto et cursu vitae, quantum in hac animi mei perturbatione, et temporis brevitate fieri potuit, dictum iam a me est. Nos enim, qui iam per annos multos cum hoc viro versati sumus, hoc certo scimus, eum omnes cogitationes, consilia, labores, et studia sua tantum direxisse ad verae, certae et perspicuae doctrinae propagationem, ad gloriam Christi filii Dei illustrandam, denique ad Ecclesiarum et quam plurimorum hominum salutem, haec illi constans et perpetua intentio, hic solus scopus fuit.

Ab ambitione quam longissime abfuit, honorem et opes non curavit, nec quaesivit, quod haec

misera rudera rei familiaris satis testantur. Delectabatur hoc dicto Achillis, quod est apud Philostratum, Ἐμὸν ἔστω τὸ πλεῖον τῶν ἔργων χρήμασι δὲ πλεονεκτείτω ὁ βουλόμενος, id est, mea sit laborum pars maior, pecunia autem abundet qui volet. Scimus quam amplae conditiones illi saepe oblatae fuerint, non ut a nobis deficeret (quod quidam propria malicia, sicut Iscariotes ille, et multo leviore compendio moti fecerunt) sed ut tantum in quibusdam doctrinae partibus mitius ageret. Sic enim dicebant, concederet quaedam, quae non magni momenti esse viderentur, nec sineret ob ista levia concordiam Ecclesiae dissolvi, Ad quae respondit ille, scire se etiam olim Arianos ab Homousianis eodem modo postulasse, ne propter duo verba Ecclesiam lacerari sinerent, illos tamen non concessisse, se quoque nihil illis largiri aut concedere posse, Haec dogmata oportere pura conservari, et refutari, et refutationem tam tetrorum errorum necessariam esse. Sicut illis tunc respondit, ita perpetuam eius et constantem sententiam fuisse, ipsius scripta testantur, et norunt omnes, quibus propius notus fuit.

Nunc venio ad mores et vitam interiorem, in quibus nihil asperum fuit, sed summa lenitas et mansuetudo. Nam bilem qua corpus in iuventute affici poterat, meditatione et patientia mansuefecerat. Saepe enim hoc Sophocleum in ore habebat, στέργειν γὰρ αἱ παθαὶ μεχ' ὠ χρόνος ξυνὼν μακρὸς διδάσκει, καὶ τὸ γενναῖον τρίτον. In familiari convictu et colloquio omnibus nobis suavitas illius, ut notissima, ita iucundissima fuit. De aliis non dicam, ego quidem lacrimo, quoties cogito, quae mea futura sit in hac misera senectute illo amisso solitudo: φιλοστοργίαν non scio, an in ullo homine maiorem viderim, tanto et tam vero amore coniugem, liberos, nepotes et neptes complectebatur, Haec me vera dicere omnes novistis. Beneficentia vero, atque etiam, ut in illa tenuitate rei familiaris erga omnes munificentia pene maior fuit, quam ipsius res ferre posset, nemo ab illo beneficium aut eleemosynam frustra petebat, neque ulli quantumvis importuno petitori praeclusa erat ipsius benignitas. Rem familiarem tenuem et attritam reliquit, sed locupletissimum Patrimonium liberis est bona fama parentum, et Deus haeredibus ipsius etiam benedicet.

Viribus corporis imbecillibus fuit et valetudine tenui inde usque a pueritia, sed temperantia, sobrietate ac optimo vivendi ordine, ita corpus alioqui debile roboravit, ut maximis etiam laboribus sufficeret. Animadvertimus tamen post coniugis interitum in dies singulos magis attenuatum ac debilitatum fuisse.

Animo ad mortem semper fuit aequissimo inde usque a iuventute, hoc autem proximo biennio etiam cupidus moriendi, quae causa fuerit facile existimari potest, taedebat eum iam petulantiae, Sycophantiarum, et maliciae hominum huius nostrae aetatis.

Ultimus autem actus testis est certissimus de tota eius superiore vita, animo, et consiliis omnibus, atque ostendit, quod nihil unquam spectaverit aut quaesiverit aliud, quam gloriam Christi et Ecclesiae salutem. Tempus enim et hora mortis non fert hypocrisin. Quoties his annis, et praecipue proximis mensibus ante mortem, cum gemitu et lacrymis deploravit Ecclesiarum nostrarum distractionem, quam ardentibus votis et precibus a Deo petivit, ut ipse inter docentes concordiam sanciret, et haec mala sanaret? Haec una cura illi semper in ore et corde erat.

Et de sermonibus ipsius ante mortem multa dicere possem, si haec temporis angustia pateretur. Praesagiit enim ipse sibi instare diem migrationis, mihique paulo ante mortem dixit, Nescio quid mihi feret coniunctio Martis et Saturni, quae erit decima quinta die huius mensis, Cumque febre correptus esset, et ego corpusculum iam ante pene ad extremum attenuatum considerarem, atque cum gemitu dicerem, Quomodo feret hoc corpus febrem paulo longiorem, subridens respondit mihi, cupio dissolvi et esse cum Christo.

Dixit et pridie quam morieretur ad generum, Non morbo moveor, neque ulla est solicitudo, quae animum meum angit aut perturbat, Una cura est, una solicitudo, ut Ecclesiae sint in Christo Iesu concordes, Hinc satis adparet, quae fuerint eius perpetuae cogitationes, et quid semper animo propositum habuerit. Dixit et eodem die: Si me Deus iam evocaverit ex hac vita, liberabor ab inimicis plenis odio, Sophistica, et mendaciis, hoc monstroso anno naturae. Saepe ante mortem iteravit hanc precationem Redemtoris, quae est in Iohanne, Sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus. Saepe et hoc dictum Pauli Apostoli, quod est in priore ad Corinth.: Christus factus est nobis sapientia a Deo, iusticia, sanctificatio, et

redemtio. Edidit alias multas ante mortem sanctissimas voces, quae fuerunt testimonia pietatis ipsius, neque hic referri omnes possunt, Paulo autem antequam exhalaret animam, cum a Domino Pastore recitarentur verba, quae sunt in Evangelio Iohannis: Dedit eis potestatem, ut Filii Dei fiant, qui credunt in nomine eius. Sublatis oculis et manibus dixit: Hoc dictum animo meo semper obversatur: O te felicem, Praeceptor, qui in hac hora hanc firmissimam salutis Anchoram prehendere potuisti. Denique assidue donec spirare potuit, iteravit hanc precationem: Deus miserere mei per Christum filium tuum, et sensibus integerrimis fuit, usque ad ultimum vitae articulum, Nam haec fuit eius postrema vox, qua testatus est se audire et intelligere ea, quae a nobis ex sacra scriptura recitabantur. Resolutus itaque paulatim pene sine sensu mortis tandem spirare desiit, et quasi obsopitus iacuit, neque ulla in facie apparuit deformatio, aut lineamentorum mutatio, sicut in morte fieri solet. Felix ipse, quem post talem confessionem et tam multiplicem invocationem Deus ita placido et tranquillo transitu ex hac misera et aerumnosa vita ad aeternam felicitatem transtulit. Nobis autem, suisque omnibus et harum regionum Ecclesiis, atque huic scholae tristissimum sui desiderium reliquit, qui cum velut in saevis tempestatibus maris iactemur, nauclerum nostrum amisimus, tunc cum eius praesentia nobis quam maxime opus esset, neque ullo tempore minus, quam nunc, eo carere poteramus. Et satis apparet, quid Deus in animo habeat, cum tales homines ex hoc mundo aufert, ne sint spectatores imminentium calamitatum. Nolo male ominari, ad poenitentiam tamen nos et ad patientiam praeparemus, ut vel iram Domini effugere, vel, si sit opus, paternam castigationem obedienter ferre possimus. Debet enim talium virorum interitus nos excitare ad timorem Dei, ad poenitentiam et ardentiorem precationem, et ut cauti, diligentes ac fideles simus in custodiendo deposito, quod hi duo viri Lutherus ac Philippus apud nos reliquerunt, nempe in puritate castae et incontaminatae doctrinae conservanda. Non igitur nunc hora est, ut simus securi, aut stertamus, sed simus vigilantes, Vidimus quid post Lutheri mortem secutum est, quid iam sit expectandum, pro se quisque reputet. Non possum plura addere ob temporis brevitatem, et animi mei perturbationem.

Tibi aeterne Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi gratias agimus, quod hunc virum, hunc inquam, Angelum tuum nobis tam diu concessisti, et lucem verbi tui per eum inter nos accendisti. Oramus te, ut alios huic similes Doctores, et ministros semper in hac Schola et Ecclesia excitare velis, iuxta dulcissimam promissionem Iesu Christi filii tui, Non relinquam vos Orphanos, Certe nunc Patre hoc amisso Orphani sumus, nisi tu Deus optime nos clementer respexeris. Tu igitur Lucem verbi tui in nobis non patiare extingui, tu semper tibi Ecclesiam inter nos congrega, quae te recte invocet et celebret in aeternum, Tu da fidos Doctores, qualem iam a nobis ad te revocasti. Et nos in fide Christi filii tui, in fide inquam vera et in verbo sincero conserva in omnem aeternitatem, per Christum Filium tuum, Amen.

---

No. 7137. 23. Apr.

## *Scriptum C.*

**(Quaedam ex oratione Vicerectoris d. 23. Apr. habita.)**

Scripta publ. Acad. Witeb. T. IV. lit. Q. 5. — Recusa etiam in libello: Orationes aliquot recitatae in Acad. Witeb. eo tempore, quo praelectiones publicas Rev. et Clariss. viri Philippi Mel., obitu huius interruptas, aliqui ex professoribus de consilio Academiae continuare coeperunt Witeb. ex offic. typographica Viti Creutzer, 1560 4. Item in libro: Orationes, epitaphia et scripta, quae edita sunt de morte Phil. Melanth. lit. J. 5. (Quaedam ex oratione d. die 23. Aprilis 1560. habita a Vicerectore Academiae Viteb. Georgio Maiore, de ordine lectionum publicarum constituto post obitum Melanthonis.)

*Vicerector et Professores Academiae Witebergensis.*

---

Deliberatione gravi et diligenti adhibita distribuimus operas lectionum, sicut paulo post exponemus, ita quidem, ut et plures addiderimus prioribus, et eas, quas Dominus *Philippus* hactenus consuevit usurpare, aliquandiu obeundas inter Collegas quosdam nostros partiti simus. Speramus enim illustrissimi Principis ac Domini, Dom. *Augusti*, Ducis Saxoniae Electoris, huius scholae clementissimi et munificentissimi nutritoris, cura et consilio, alium eruditione et caeteris donis excellentem virum quaesitum iri, cui substitute in locum defuncti D. Philippi eiusdem operae tuto et utiliter committi queant. Interea vero donec talis aliquis idoneus inveniatur, decrevimus ex re

scholasticorum fore, si illas ipsas lectiones, quas Dominus Philippus sustinuit, per nostros collegas iuventuti studiosae proponi utcunque curaremus. — — — —

Quod ad lectiones Domini Philippi attinet, exoravimus clarissimum virum, eruditione ac virtute praestantem, Dominum *Vitum Ortelium*, artis medicinae doctorem, qui ferme quadraginta annos in hac Academia privatim et publice artes dicendi et linguam graecam professus est, ut hora nona diebus Lunae et Martis *dialectica* praecepta iuventuti explicet. *Euripidis* interpretationem retinebit per alterum biduum hora octava consueta. Ad has lectiones superaddet horam nonam post concionem die Mercurii, qua proponet incipientibus discere *linguam graecam*, *grammaticam* domini Philippi, et paululum in ea progressus, ut habeant auditores exempla regularum, addet interpretationem graecae historiae Divi *Lucae* Evangelistae, quae inscribitur *Acta Apostolorum*. A Domino Pastore *Paulo Ebero* — impetravimus, ut promiserit nobis, se continuaturum enarrationem *Epistolae Pauli* scriptae *ad Romanos*, hora nona dierum Iovis et Veneris. Et quia scimus *lectionem matutinam diebus Dominicis* plurimum utilitatis auditoribus attulisse, et eam valde cuperemus etiam propter Scholasticos peregrinos retineri, qui conciones germanicas non intelligunt, etiam illam aliquandiu in se ut reciperet dominus Pastor, nostris precibus tribuit*). — — Praeterea cum *ethicam* lectionem in schola retineri maximopere sit necessarium, eam partem philosophiae explicandam demandabimus M. *Petro Vincentio* hora secunda diei Mercurii. *Chronicon*, quod a Domino Philippo a condito mundo usque ad Caroli magni tempora foeliciter deductum est, rogatus a nobis clarissimus et eruditissimus vir, *Caspar Peucerus*, artis medicae Doctor, Dom. *Philippi* gener, Deo adiuvante pertexet, eique dictando tribuet horam nonam diei Saturni.

Hoc ordine distributae sunt lectiones Domini Philippi. etc.

*) *Ratzeberger* l. l. p. 28.: „Philippus hatte außerhalb seinen „ordentlichen-Lectionibus in der Woche auch diesen Brauch, „daß er von wegen der fremden ausländischen Studenten, welches waren Polaken, Ungern, Siebenbürger, Böhmen, Dänemarker, Schweden und dergleichen, die der deutschen Sprache ungeübt waren, des Sonntags frühe, vor der Predigt, „privatim in seiner Stube im Collegio maiore eine praelectionem in sacris eine Stunde lang zu thun pflegte. Diese „Stunde theilet er gewöhnlich also aus, daß er die erste halbe „Stunde in explicatione Danielis, vel Geneseos, vel Evangeliorum Dominicalium, die übrige halbe Stunde aber in „catechesi zubrachte, darin pflegte er die articulos et locos „theologicos ganz ärtlich secundum methodum dialecticam „zu handeln."

---

No. 7188. (an. 1560.)

## *Scriptum D.*

Prodiit separatim: „Brevis enarratio exponens, quo fine „vitam in terris suam clauserit Reverendus vir D. Philippus Melanthon, una cum praecedentium proxime dierum et totius morbi, quo confectus est, brevi descriptione. Conscripta a Professoribus Academiae Witeb., „qui omnibus, quae exponuntur, interfuerunt." (Cum effigie Melanth.) Expressum Witebergae anno 1560. (In ultima pagella:) Witebergae excudebat Petrus Seitz. Anno LX. 9 pl. 4. — Recusum est hoc scriptum et passim mutatum iterum in libro: „Orationes, epitaphia et scripta, quae edita sunt de morte Phil. Mel." etc.

Hoc anno Christi vertente M. D. Sexagesimo XV. Calend. Martii, complevit Dominus *Philippus Melanthon*, Vir clarissimus, annum aetatis sexagesimum tertium, qui est χλιμακτήρ, Sic enim appellarunt Graeci annos eos, qui ex septenario et novenario consumantur, in quibus annis certis de causis, quasi per scalarum gradus, qui graeco vocabulo significantur, virtus in corporibus moveri putatur, Ut sint quasi articuli quidam, in quibus ad sequentis temporis consecutionem sese vertat et inflectat, Itaque quod singulares tum motus fiant virtutis corporum, ut diximus, periculosi illi vitae sunt, et ut apud medicos morborum, sic hi vitae κρισεῖς quaedam habentur.

Sexagesimus autem tertius ideo est periculosior, quod septenaria et novenaria mutatio tum concurrant, nam septies novem sunt LXIII, Ut commotionem in corporibus maiorem tum fieri necesse sit. Hic Climacter senum appellari solet, et permultos senes ex magnis viris et mediocribus hominibus, de veteribus historiis et nostra memoria commemorare possemus, qui illo aetatis tempore mortui fuerunt, si hoc ageretur, aut de climactericis annis disputatio institueretur, quorum neutrum agitur in praesentia, et de suis observationibus unusquisque sibi exempla in memoriam revocare facile poterit. Ad hunc igitur vitae annum, et quasi flexum aetatis metuimus Domino Philippo omnes, qui illas observationes eruditae antiquitatis non contemnimus, quas ipso

etiam autore et magistro non contemnere didicimus. Itaque ipsum quoque Melanthonem de climactere hoc suo pie et erudite disputantem saepe audivimus, cum recitaret nobis, quae a clarissimo medico et mathematico *Iohanne Virdungo* ei ex astris quondam praedicta essent et ἐναλλαγὰς astrorum et effectionis coeli ab hoc ei usque ad Sexagesimum tertium aetatis annum computatas fuisse, sed post hunc annum, dicebat nullam ille mihi addidit ἐναλλαγήν. Et meminimus multas voces ipsius, quibus significabat se non longe abesse a morte. Quotiescunque etiam de quorundam hostilibus conatibus et molitionibus adversus se narrari audiebat semper hoc ille subiicere solebat, ut diceret: Non diu hic obversando eos impediam.

Ad mortem autem se parabat tum etiam accuratius, deque hac cura sua quibusdam etiam versiculis suis testabatur, commemoravit enim nobis hoc distichon suum ante multos menses:

Sic ego quotidie de lecto surgo precando,
Ut mens ad mortem sit duce laeta Deo.

Hunc tamen tam periculosum climacterem, ille, Dei beneficio, ita superavit, ut pene nullo genere invaletudinis, aut novo saltem ipsique inusitato toto illo tentaretur. Observatum autem et hoc est, saepe climacterici illius difficultates in sequentem usque annum differri vel extendi potius, et possemus multa exempla commemorare eorum, qui mox post completum aetatis annum Sexagesimum tertium mortui sunt, in quibus et D. Lutherus est, qui post climacterem eundem mense tertio extinctus est, quemadmodum et Dominus Philippus ferme, ut de sequente narratione cognoscetur. Itaque hunc annum cum superasset[1]) iam vivendo Praeceptor et Pater noster, non tamen sollicitudinem de vita huius nostram deponere potuimus, quod sequentem metueremus, et ipse etiam ad aestatem huius anni de periculis vitae suae ominaretur.

Hoc autem animadvertimus universi, qui consuetudine eius usi sumus, ab eo tempore quo Sexagesimum quartum vitae annum ingressus fuit, manifeste in dies singulos corpus attenuari et debilitari, ut quanquam nihil quicquam omitteret, neque remitteret de laboribus illis universis, qui ei iam incubuere per annos quadraginta duos integros, scriptionum tamen operae, quae in hac aetate ipsius maturitatem habebant sapientiae consumatae et senilis, atque ut Cycneae quaedam cantiones ab ipso praestantissimae elaborantur, hae igitur in primis ei inter manus quasi ut adhaerescerent, minusque expedi te procederent, et longulo tempore ei opus esset, ad ea quae antea celeriter absolvere consueverat. Haec ita deprehendi potuere etiam a non magnopere attendentibus. Ad VI. autem Calendas Aprilis cum de mandato Illustrissimi Principis Electoris etc. ab Academia Lipsensi evocaretur ad examinationem, quae eo tempore singulis annis haberi solet, eorum, qui munificentia Illustrissima ibi aluntur datis stipendiis ut sacris literis studeant, ad horum igitur examinationem tum evocatus, cui ab aliquot iam annis praeesse ille de sententia et voluntate Principis solebat, hinc profectus est Lipsiam III. Calend. Aprilis, quae est XXX. Martii, atque confecto ibi negocio ad suos revertens, ex oppido Lipsensi egressus est pridie Nonarum Aprilis. Et postridie quae erat Nonarum dies et quinta mensis, hoc rediit. Etsi autem et antehac semper et tum etiam ad illas operas minime gravate, propter amicos autem et necessarios suos, quos Lipsiae habebat, etiam cupide eo excurrebat, et cum saepe alias tum in illo etiam itinere laudare solebat Principis Electoris consilium, qui stipendiariorum illorum examinationes cum solennitate quadam administrari vellet: Ventosa tamen et gelidior tempestas illud iter ei tum insuave reddidit, quae proficiscentem nonnihil afflixit, et Calendis Aprilis subito exorta tormina et διαῤῥοίας commotio a prandio eum exagitarunt, et pallorem attulerunt solito maiorem, quae tamen mox evanuerunt omnia neque posthac recurrerunt. In primis vero Nonarum Aprilium die tempestas ei molesta erat, cum venti boreales aëris frigiditatem augerent humidiusculam, Ideoque cum de vectationis insuavitate, tum etiam tempestate illa quaerebatur, quod tota[2]) hyeme non se graviorem ex frigore dolorem sensisse diceret, atque multa vel omnia potius in gestibus et vocibus ipsius sedentis in essedo arguebant non esse ei optime. Etiam calculi commotionem ex vectatione se sentire quaerebatur, cum Lithiasi,

1) Ed. 2. *sperasset*, mendose.

2) *quod tota*] Ed. 2. *totaque*. In prima enim editione est *qtiota*.

ut notum est, iam a multis annis laborarit. Ita igitur domum reversus, ut diximus, biduo etiam tenuiore esse valetudine visus est ex facie magis, voce et gestibus quam quaerelis aut indicatione aliqua sua. Sed nocte ea quae VIII. Aprilis praecedebat, quae est VI. Id. erumpere iam malum illud incipiebat, quod eum confecit. Illa enim ferme tota somnum capere non potuit, quo debilitatem augescere necesse fuit, cum in illa senecta corpus tenue et exhaustum nullà re magis quam somno ali atque sustentari animadverteretur, quo ab aliquot iam annis minime impedito visus fuit. Malum igitur tum ut diximus erumpere et debilitas magna existere caepit, et quanquam praecedentibus illis νοσιλεύειν visus fuerat, ita tamen haec eum valetudinis ipsius conversio celeriter accidebat, ut pene subita esse viderentur omnia, quod die praecedente nihil tale metui potuisset. Fiebant autem haec, Ut calor sentiretur in corpore alienior, et tussis existeret satis vehemens, respiratio etiam minus esset expedita, et pallor et macies in facie augescerent, et ut res postea docuit febris hac nocte eum primum invadere caepit illa, cuius paroxysmus septimus undecimo die post eum sustulit. In primis tamen virium imbecillitas magna existebat, quae tanta erat, ut cum remittere de laboribus suis nihil vellet, continuare tamen scriptiones suas non posset, sed interquiescere subinde necesse haberet, ut uno aut altero versu exarato postea in sedili longo decumberet substrata sub capite veste sua pellibus subducta. Haec cum ita fierent, accersit ad se gener Philippi Doctor *Peucerus* necessarium quendam suum hora matutina sexta, ut videret et consideraret imbecillitatem soceri, et simul de animi sui perturbatione et solicitudinis sensu significabat, quod cum in praesentia adhuc nihil appareret maioris periculi, nunquam tamen se in ullo morbo soceri maiorem consternationem sensisse diceret, et metueret omnia, ut statim ominosa illa viderentur, Itaque de accersendo tum *Ioachimo Camerario* cogitabatur, cui cum Philippo Melanthone per annos quadraginta et amplius amicitiae, et necessitudinis coniunctio intercessit tanta, quanta inter homines esse potest, de hoc igitur accersendo, ut cuius consuetudine et conspectu maxime delectaretur, et aliis quibusdam de causis sermones tum habebantur, et mittebantur eadem die ad Ioachimum literae, quibus de praesenti statu valetudinis docebatur.

Occupabatur tum D. Philippus scribendis literis, et habebat sub manibus epistolam quam mitteret ad amicum quendam in Littore Balthico, cui de imbecillitate sua significabat, scribebat autem se post iter Heidelbergense non sensisse maiorem, interque alia hoc etiam de morte sua praesagium addebat, Fortassis Deum se eripere velle ex synodo Lystrica quam Flaciani molirentur, sed virium imbecillitatem scriptio per se indicabat, cum exarata esset Epistola literis admodum vacillantibus. Ut autem antehac semper ita tum etiam medico utebatur genero suo, qui quod et de ipsius aegroti indicatione, et ex urina Calculi etiam commotionem simul fieri animadverteret, sacculos ei ad fomenta, unctiones et balneum parabat, quae antea ei saepe in Lithiasi profuerant, quae cum ita fieri videret ad quendam qui tum solus ante ipsum in sedili illo suo decumbentem astabat, ad hunc igitur tum ille, intus est, dicebat, non foris, quid igitur proficietur sacculis illis et unctionibus, cumque alter responderet ad calculum illa dirigi, cuius sentiret motus aliquos, tum ille rursus, verum est inquit sentio calculum, sed puto hoc malum magis esse a pituita (in quo fallebatur, ut infra agnoscetur), nam mihi etiam ἀνορεξία molesta est, quam etsi et ipsam solet calculus secum afferre, sentio tamen hanc esse aliam, quam qualis a calculo esse solet.

Cumque aliquantisper conticuisset postea addebat huius sententia verba: Si Deus ita voluerit, libenter moriar, quem oro ut largiatur mihi laetam decessionem, quibus ad Simeonis Canticum allusisse videtur, diserte tamen laeticiae verbo utebatur, et laetam migrationem optabat, sicut et supra expositum distichon ipsius laetum ad mortem animum orat. Cum post per scriptas Epistolas ita decubuisset ferme usque ad horam matutinam octavam, ad duos quosdam, qui ante ipsum tum forte astiterant, dicebat ab aliquot iam annis hoc tempore languere soleo, sed hoc anno accessit Eclipsis in aequinoctio, et imminet Saturni et Martis coniunctio, quae incidit mihi in octavam. Huius coniunctionis etiam sequentibus morbi diebus saepe mentionem faciebat, et qui hanc contemnerent stulte facere dicebat, Significant tamen tales coniunctiones non tam corporibus, quam communibus rebus. Itaque sterilitatem ipse etiam ex hac et aliis tam signis quam praesagiis suis metuebat, et autor erat Academiae,

ut frumentum coëmeret ad usus suorum, si annonae caritas incideret, quod et de consiliis ipsius factum est, et nunc quasi ex testamento D. Praeceptoris ab hac asservatur. Atque haec locutus quod circa nonam esse putaret, quae erat ordinaria hora operarum ipsius publicarum, surgebat de sedili, et parabat se, ut ad praelectionem Dialecticae descenderet, nam etsi nihil omittebatur et orando et hortando, obtineri tamen non poterat, ut sibi hac in parte parceret, et praelegendi operae supersederet, legam inquit dimidiam horulam, postea in Balneum descendam, Cumque manus lavare vellet quod certo consilio saepe facere consueverat, et ad malluvium per scabellum altius ascenderet, ita difficilis ei ascensio fiebat ut labente genu altero pene concidisset, qua re commotus nonnihil, *ego*, inquit, *extinguar sicut lucernula.* Nam statim inter initia morbi mortem ominari incipiebat, et sequentibus diebus omnibus in ore erat mentio huius, et sermones de hac multos et sapientes atque pios habebat, quorum deinceps suo loco referemus aliquos. Ita igitur antequam octava audiretur comitantibus eum et deducentibus duobus in scholam publicam doctrinae suae descendit, in quo consulto eum errare patiebamur, ut lectio interverteretur, etsi suspicabamur eum alienam horam professoris eius, cuius est hora octava, quem tum peregre abesse sciebat, obire velle. Ad auditorii fores cum pervenisset, ita cecidit, ut perpauci scholastici ibi adessent, cumque significaretur ei nondum esse auditam octavam, quid igitur hic agimus? inquit, atque domum revertens, ab iisdem qui eum deduxerunt reductus est. Inter eundem dicebat, si Kembergam usque procederem fortassis melius mecum fieret, quod oppidulum distat Witeberga aliquanto longiore spacio quam est parasangae unius, quae habet miliare germanicum brevius, Etsi autem tantum itineris illa valetudine sua nequaquam conficere potuisset, Post hanc tamen non longam itionem de qua diximus allevari nonnihil visus fuit, ut domum reversus meliuscule haberet, perseverabat autem in sententia se hora nona lecturum esse, quod etsi erant qui avertendum iudicarent significatione contraria publice proposita, ut revertens auditores nullos inveniret, contra tamen hoc metuebatur ne ea adversatione et frustratione tali ita offenderetur, ut iracundiae commotio ei plus noceret, quam ulla defatigatio, id quod factum fuisset. Itaque neque illa die neque sequentibus a praelectionum operis talibus consiliis quasi violentis quibusdam abductus fuit aut impeditus, cum semper quidem oraretur ut sibi parceret. Domum reductus rursus in sedili longo suo decubuit atque relicto apud eum altero ex iis, qui eum domum reduxerant, alter ab eo discessit, quod diceret se literas ad Camerarium obsignaturum, id cum audiret, scribe ei inquit me calculo impedire ab. itinere Misnensi, invitatus enim fuerat ad inspectionem solennem ludi illius, et caeterorum illustrium. Interea tum nona audiretur, de iis ferme tantum, quae publicae in lectione propositurus esset, sermones habuit. Hora nona ad lectionem descendit, in qua dissimulans imbecillitatem quantum poterat, etiam voce firmitatem prae se ferens, cum res dissimulari minime posset, duo tantum argumenta proposuit, quorum altera erat Georgii Nazianzeni: *εἰς τὸ ἅγίον πάσχα*, eiusmodi, *λύτρον* est *τοῦ κατέχοντος*, Diabolus *κατέχει* iuxta dictum Esaiae *κατεχόμεθα μὴν γὰρ ὑπὸ τοῦ πονηροῦ, πεπράμενοι ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν* etc. quod argumentum tum solvebat atque explicabat, quomodo diabolo non deberentur *λύτρα*, aliquanto quam fit a Gregorio disertius, et planius. Haec lectio non multum ultra quadrantem hora producta fuit, et haud scimus an breviorem lectionem ab ipso habitam antehac nemo meminerit. Sic igitur post finitam lectionem iterum domum reversus statim in Labrum aquae calidae descendit, et fomenta atque unctiones adhibitae fuere illae de quibus supra diximus, cumque per dimidiam horam in labro desedisset ad prandium inde egressus est omnibus rebus ita se dantibus ut minus ei metueretur et ut ante saepe ita tum etiam a calculo tantum omnis debilitas extitisse iudicaretur. In prandio perparum et comedebat, et bibebat, hilariusculum se tamen, et eum omnino praebebat, ut periculum in praesentia superatum esse plerique confiderent. Postea quieti se dedit, et dormivit per horas ferme tres, qui somnus eum ita confirmavit, ut spes simul omnium magis confirmaretur. Ante coenam scriptiones certas absolvebat, et cum in coena postea, tum post hanc nihil animadvertebatur, quod spem a plerisque conceptam debilitaret, vires tamen se non corroborabant, sed languor imbecillitas potius harum manebat non multo minor quam mane fuerat. Nox sequens gravior erat, qua primum deprehensum fuit, quid morbi esset, quo labora-

ret, nam post medium huius paroxysmus febrilis recurrit, et mane hora quinta qua surgebat declinatio huius manifeste deprehendebatur, itaque tum gener medicus eum docere febrem esse, non tantum calculi commotionem et ipse etiam aegrotus idem iudicare et sentire. Sic igitur tum agnitus morbus fuit, et finito paulo post paroxysmo hoc altero die illa quae erat Nona Apilis et V. Idus minus male habere visus, cum usitatarum operarum suarum nihil intermittebat, ut et[8]) sequentibus ferme quinque proximis diebus continuis, tum in Chronico dictando, cuius secundam partem absolverat perducta historia ab initiis mundi usque ad Carolum Magnum, hora ordinaria sua pergebat, et ex notationibus recentioribus Rolandi epitaphium inter caetera commemorabat, cuius versus ut captus fuit illorum temporum nequaquam contemnendi, πάθος habent elegans et pium, ut hac de causa admodum ei placere animadverterentur, qui sic referuntur:

Tu patriam repetens tristi nos orbe relinquis
Te tenet aula nitens, nos lacrymosa dies.

Quod nunc Philippo Melanthone amisso nimis vere respicientes ad luctuosissimum tempus hoc nostrum de nobis, Ecclesiis, et publicis et privatis rebus nostris dicere possumus, cum quid morte huius amiserimus, et quae pericula impendeant omnes sanos intelligere necesse sit, ipsius autem sanctissima anima in vera patria sua coelesti consuetudine fruitur. Sed quaerelis et dolori indulgere in praesentia non instituimus. Fuit in hoc genere Chronico lectio illius ultima, quae et inculcationem versuum Epitaphiorum illorum ominosam habuit, tam de morte ipsius quam de temporibus, quae hanc essent consecuturae, tum hanc etiam vocem ipsius in primis, quod de Rolando siti extincto ut a quibusdam perhibetur, verba faciens haec, inter alia diceret, praestantes viros subito abripi. Postea die quae erat IIII. Iduum, seu decima Aprilis prorsus iam a morbo liber videbatur, nam ille internus calor febris continentis et perpetuae, de quo postea dicetur, nondum ita se exeruerat, ut de eo certo pronunciari posset, quod tamen deprehensum iam esset, et febrem esse et tertianam febrem, medicus ei potionem parabat, quae bilem educeret, qua cum hac die mane usus esset, a se allevatum confitebatur. Nihil vero ille sibi minus parcere quam si rectissime valeret, cum nullo unquam tempore magis ei quiete opus fuerit, Itaque cum eadem die certis de causis Senatum Academiae sub horam XII. convocatum esse cognovisset, ne ulla in parte deesset rebus publicis, in consilium publicum venit et ipse, non tantum non vocatus, sed oratus etiam ut quieti suae consuleret, Praesertim cum negotia essent de quibus ageretur minime quidam illa contemnenda, non tamen eiusmodi propter quae ita defatigari tantum virum (abest enim consiliorum locus ab sedibus ipsius intervallo non parvo) et tali tempore suo, necesse esset, quod si gravissima etiam fuissent, consilio tamen eius aliis modis res scholastica frui potuisset. Sed ut antehac semper in tota vita, ita tum sibi etiam non pepercit, et in illa invalitudine, et vicina morti vel huic potius proxima imbecillitate sua, se tanquam recte valente usus est quam diu potuit, atque tum in Senatu cum commotione non parva contra violantes disciplinam publicam et tranquillitatem communem, multa dixit gravissime, et statuit severissime, lenitatem vel lentitudinem potius eorum qui molliores hac in parte essent increpavit, et de coniunctione animorum et pacis studio multa utiliter et pie monuit ad conciliandos animos, quorundam scholasticorum, inter quos periculosae rixae extiterant. Nos quidem meminimus quodam tempore eum cum ex Senatu post graviorem commotionem domum reverteretur de se dicere, animi commotiones tales suas inter ea esse, quae mortem ipsi accelerarent, et de iracundiae commotionibus, curis, et laboribus dicebat, his tribus rebus vitam suam conaci, quae tamen causa postremo loco hoc tempore in Senatu proponebatur eiusmodi erat, ut quasi amica quaedam καταστροφή videretur, et in hilaritatem quandam negotia desinerent, ipseque animo sedato vel hilariusculo etiam inde surgeret, atque ita domum reversus reliqua parte diei quietior fuit et scriptionibus quibusdam, et emendationibus typographicis concionis habitae in funere Illustrissimi principis Philippi ducis Stettini et Pomeraniae etc. quae hic typis exprimebatur, atque epicediorum quorundam, quae scripta fuere eidem Principi. Haec ominosa per se fuere universa, quod funebribus illis operis eo toto tempore occuparetur, et res de ipsius etiam vocibus magis ominosa fiebat, tum enim ridens ad astantes familiares suos dicebat, ego iam tantum tracto

8) Ed. 2. *et ut.*

funebria et hic optimus Princeps cui haec scribuntur, Philippus fuit, quid si ego Philippus unus ex vulgo eum sequar. Quae etsi iocos dicere videbatur, tamen ominosam hanc vocem fuisse secuta mors ipsius docuit. Undecima die, quae est tertia Iduum Aprilis, recursio febris metuebatur, quae et recurrit, etsi λῆψις tempus pristinum anticipabat, ut dicemus[4]), sed quia ipse sibi minime parcebat, ut saepe iam quaerimur frustra quidem, neque ab operis ullis abstinebat, neque domi se continebat, ideo vulgo minus periculi esse iudicabatur, cum tamen publice et privatim pro ipso preces ardentissime fierent. Et quanquam debilitas manifesta erat et ante oculos omnibus, neque dissimulari poterat, tamen ut alia mala antehac saepe, et gravissime etiam nonnulla, ita illud etiam praesens ut superaret a plerisque sperabatur, nihil autem occupationum illa tota die, quae a quibuscunque negotiis offerebantur declinare, aut refugere, et hora matutina sexta quam diebus festis sibi sumebat, praecationem Christi προαγώνιον de capite Iohannis decimo septimo publice in schola explicabat, quo tempore post hactenus commemorata mortis ipsius omina et praesagia, aliud novum et singulare atque multo quam caetera memorabilius animadversum fuit. Cum enim de morte sua antehac in publicis praelectionibus non soleret mentiones usurpare, tamen et paucis diebus ante commendabat puero memoriam sententiae certae, et hanc post mortem meam mementote dicebat, et in huius diei praelectione cum summam et capita precationis Christi auditoribus commemoraret, quae sunt tria, Primum, ut sit Ecclesia, Secundum, ut sit concors et consentiens, Tertium, ut sint salvi et haeredes vitae aeternae aliqui, quae est Ecclesia coelestis, Haec igitur capita cum ita commemorasset, memini inquit haec tria meum patrem triduo ante mortem precari et mox περιαυτολογῶν (quod erat ei in hoc genere et in publico insitatum) de se subiiciebat. Haec tria vota moriturus ego etiam meis liberis et filiolis (his enim verbis utebatur) relinquam, ut sint in Ecclesia, Deumque recte invocent, ut sint unum in ipso et concordes, ut sint haeredes vitae aeternae. Haec igitur ille ut Pater triduo, Sic ipse nona die ante mortem suis precabatur. In prandio postea fastidium cibi et potus, quod et in coena, ei molestum erat: Vires autem minime augescebant. Post coenam, cum perparum cibi leniter degustasset[5]), λῆψις febrilis recurrit sub noctem, quam secum in lectulum suum intulit cubitum abiens eodem tempore. Hic tertius morbi paroxysmus per noctem sequentem aliquanto eum gravius exercuit. Cumque non multum vel perparum potius dormiisset, et surgeret mane hora quarta eius diei, qua hoc anno memoria cruciatum et mortis Christi celebrabatur, quae erat duodecima mensis Aprilis et pridiana Iduum, sic igitur et vigiliis et febre exercitus per noctem et debilitatus, hora tamen sexta ad operas doctrinae publicae rediit, cum recte valentem antelucana aut matutina vocis contentio qua feriarum diebus utebatur, debilitare soleret, Et manifesto in hac senecta ipsius ab annis iam aliquot deprehendi potuit, paschatis tempore valetudinem eius ex continentibus lectionibus matutinis illis admodum affligi, cum per quinque dies eas continuaret, una tantum die in vigiliis Paschatos vacua interposita, quod non fiebat alias totius anni tempore. Hae de causa a sollicitis quibusdam de valetudine et salute ipsius paulo ante id agebatur, ut callide aliis negotiis obiectis ab illis matutinis operis abstraheretur, sed non successerat consilium. Invitabatur etiam literis Principis cum Lipsiae in examinatione stipendiariorum versaretur ad inspectionem scholarum illarum, quae beneficentia Illustrissima Misnae, Cremae et Portae aperiuntur, de quo supra etiam retulimus aliquid, quam si obiisset, abductus sic etiam ab illis periculosis valetudini ipsius operis fuisset, sed cum alia ei obstabant, tum praecipue, ne publica discendi occasio discipulis Academiae nostrae intervertetur eo tempore, quo tantarum rerum memoria in Ecclesia celebratur. DEUS tamen ut nunc intelligimus peculiari gubernatione sua eum huc reduxit, neque alio in loco quam eo quo iuventutem et Ecclesiam per annos quadraginta duos utilissime docuit, et inter oculos et manus eorum, quos maxime dilexit, mori voluit. Sed haec ab instituto alieniora sunt. Hora igitur diei illius matutina sexta Esaiae verba Cap. LIII. Quis credit sermoni nostro etc. explicabat publice, in cuius lectionis fine de novae obedientiae necessitate verba faciens, haec dicebat, necessaria est, et nostra Panoplia, quae fuit vox publice doctrinae

4) Ed. 1. *diximus.*

5) *leniter degustasset*] Ed. 2. *assumsisset.*

illius ultima, nam ea quam ad Paschatis diem meditabatur impedita fuit, ut postea referemus. Quae ideo etiam commemoravimus, ut constans[6]) studium huius navandi operam Ecclesiae, et rebus communibus, et diligentia in officio et assiduitas industriae incredibilis magis conspiciatur, cum haec usque ad extremum praestiterit, et stationem, atque locum suum pene moriens deserere noluerit. Die enim octava post mortuus est ut narrabitur, quae celebratio ad vitae ipsius non mortis historiam pertinet, et ab aliis alibi praestabitur. Post meridiem scribere incepit, quod die Paschatos more Academiae et Ecclesiae huius solenniter proponeretur. De caeteris nihil meminimus. Sub noctem huius diei inter nonam et decimam multi sunt fide digni homines, qui affirmant se in nubibus supra oppidum Witebergam manifestam speciem virgarum in scopas colligatarum vidisse, et primum quinque fasces, sed duobus celerius evanescentibus, postea tres distinctis spaciis apparuisse, ita ut rami virgarum seu scoparum parte anteriore septentrioni, Posteriore qua colligantur, austro obverterentur. De quo prodigio cum D. Philippus audivisset, ita hoc interpretatus fuit, ut diceret nobis paenas portendi paternas, quia virgae essent, quibus parentes ad liberos utuntur, non gladii, et se sterilitatem agrorum metuere significabat. Sed hostibus dicebat impendent atrociora. Saepissime vero ille ante etiam morbum de gravissimis paenis concionari, atque praedicere[7]) solebat publice et privatim, quae nostri seculi petulantiam, maliciam, profanitatem, idolatrias, et infinita scelera alia obruiturae essent, Neque dubitandum est, Deum puniturum hos mores, et haec tempora. Sed haec omnia non sunt huius loci. Noctem sequentem commodam habuit, et bene dormivit, qua ut ipsum referentem audivimus in somnis sibi accinere illa verba visus fuit: Desiderio desideravi manducare vobiscum hoc Pascha, iis modis quibus in templis puer olim accinuerat, et ea se contentione vocis usum, ut ipse se de somno excitaret, quod igitur bene dormivisset, surrexit e lecto decimi tertii Aprilis, id est, Iduum diei hora matutina tertia ad absolvendum scriptum illud, de quo diximus, quod die Paschatos proponeretur, Idque illis tum matutinis horis describendo absolvit, quod ultimum est ex iis quae ad publicam lectionem scripsit, et quale sit cum editum extet, legentes iudicabunt.

(Sequitur nunc pagella publice affixa, quam dedimus ad d. 15. Aprilis, quam igitur hic praetermisi.)

Hanc autem diem pridianam Paschatos a multis iam annis servare solebat, qua sacra communione uteretur, Itaque ad concionem in templum oppidi descendit et mysteriorum corporis et sanguinis Christi publice cum multis aliis particeps factus est.

---

Cum in templum descenderet illud scriptum quod proponendum diximus in officinam typographicam prius detulit quam ad templum veniret. Domum reversus, in prandio parum comedit, mox languor augescere et caetera omnia febris recursionem certam significare. Post meridiem horam circiter secundam iterum in officinam typographicam abiit, ut videret quid et quomodo elaboraretur, ne si cessantibus operis editio impediretur inusitata in Academia deformitas notaretur, et debitum eius diei et temporis officium non praestaretur, atque in publicis negotiis negligentia aliqua culpari posset, haec ultima illius fuit in publicum progressio, Nam domo ille sua postea non est egressus amplius. Sub hoc tempus, febrilis paroxysmi, quasi antecursores quidam ei molesti esse, languor, inquietudo, oscitationes, artuum contentio. Itaque ille aliquantisper in scamnum decumbere, mox inde surgere, in musaeo obversari, etiam in commune conclave descendere, atque omnibus gestibus male sibi esse ostendere. Sub horam vero quartam in inferioribus gradibus scalarum quibus in Musaeum ipsius ascenditur, desedit caput manu sustentans nixa cubito. Eo tempore *Ioachimus Camerarius* confectis domi publicis operis ad visendum Philippum Lipsia excurrens, huc venit, et domum Melanthonis ingrediens ita in gradibus sedentem invenit. Cumque consalutassent inter se, paulo post sub horam quintam febris quarto caepit παροξυνθῆναι invasione manifesta. Itaque quod hoc vellet, statim in lectulum est abductus. Ita autem invadere eum febris solebat ut horrorem quidem frigutiens, ut Plautino verbo utar, sentiret valde gravem et molestum, sed qui tamen non esset expers interni aestus cuiusdam et alieni, a quo et ipse simul affligeretur, quare ἠπιαλόν esse suspi-

---

6) *constans*] abest ab ed. 2.

7) *praedicere*] Ed. 1. *praedicare*.

cabatur *); quam febrem et ῥιγοπυρετὸν veteres appellarunt, quod simul aestuent et algeant, qui hac corripiuntur. Medicus vero nequaquam ita sentire, sed maius malum esse intelligere, et periculum metuere gravius, quod enim nunquam sine calore alieno corpus esse sentiret febrem continuam esse deprehendit, qua vires consumerentur, et intestino incendio colliquescerent quasique conflagrarent, ad quam cum periodos illas tertianas accedere videret, ἡμιτριταῖον esse iudicavit, qui ex tertiana et continua fit, et manifestis de causis ferme semper est incurabilis, Quod autem in urinis lentum et nigrum, et quasi piceum quiddam subsidere solebat, Id a plerisque pro calculi materia habebatur, cum et sine arenulis nunquam essent, et turbidae semper, quod febris calculum simul commoveret. Talem autem urinam in calculi commotionibus saepe excreverat antea, et si quid adversi senserat antea, si talem edidisset urinam, nihil aliud nisi calculum esse certo statuebat longae experientiae argumentis edoctus. Hoc igitur quod tum edebatur Medicus noster et ὤμον χυμὸν indicare et ne συντηκτικὸν aliquid esset metuere se significabat, interrogantibus, cuius coniecturas rectas et iudicium verum fuisse exitus comprobavit, et nimis quidem, nam haemitritaeam febrem fuisse, quae D. Philippum confecerit, et vires in corpore senili reliquas absumserit, dubitari non potest. Quae de morbo ipsius hoc modo breviter indicanda putavimus, Sed propter paroxysmum illa vesperi cibus aut potus ei dare neque potuit, neque ipse expetivit. Noctem autem sequentem totam, ut in paroxysmo, pergravem habuit, et inquietam, sub diluculum tamen acquiescens, dormire caepit, et somnus productus fuit usque ad horam matutinam ferme quintam, Quo tempore diei illius, quae fuit decima quarta Aprilis et Paschatos dies, de lecto surrexit, et quanquam vires ita erant imbecillae, ut vix ingredi posse videretur, tamen ad lectionem publicam descendere volebat, qua hora sexta historiam Evangelicam, quae eo die in concionibus sacris proponitur, scholasticis explicaret, sed impedita res fuit, et ad auditorii fores nunciatum D. Philippum non esse lecturum, ita auditores consurrexerunt, qui convenerant frequentissimi. Iam ille vestem sumserat, frustra et orante, et dissuadente, et hortante Camerario, ne in publicum prodiret, cui ille adversans, tantum aiebat, unicam sententiam pueris explicabo. Ita illis controversantibus intervenit Philippi filius, et nunciat Patri neminem esse in auditorio, quem Pater durius compellans, ergo tu inquit discedere iussisti? quod cum filius negaret, pater animo sedato, cui igitur legam, inquit, si nemo adest, et sine graviore commotione vestem rursus deposuit, atque hac minime culpanda⁹) fraude illa ei aversa defatigatio sic fuit, ut quam minime commoveretur, non tamen nihil, quam non potuisset sustinere. Expectabat tum ad fores musaei tabellarius missus ad eum ex Pomerania, et erant eodem tempore literae ei scribendae ad Ducem Borussiae etc. Impedita igitur praelectionis publicae opera ut diximus, haec agebat, et Borussiacas primum in manus sumebat, cumque in his scribendis aliquo usque progressus fuisset, sepositis iis, Pomeranica expediebat, ut minus operosa negocia. Literas igitur tum in Pomeraniam scribebat ternas ad minimum, et libellos pluscu-los concionis habitae ad funus Ducis Pomeraniae Philippi etc. de qua supra diximus, amicis inscribebat. Fortassis autem hoc etiam inter ominosa referendum sexta ante mortem die eum funebres conciones inscribere. Sub id tempus nunciabatur ei de conatibus malevolorum, quibus insidiarum certarum tendiculas illi struxerant cuidam, quem cum bonis facere graviter ferebant, quae tamen ita ab illis agebantur, ut risu potius quam dolore ii conatus digni viderentur, et incogitantia crudelitatis et malevolentiae illius manifesta fieret omnibus qui audirent. Itaque res tota ab ipso etiam ridebatur, sine ulla animi commotione. Sed et temporis ratione ita flagitante, et quod ad altare more solenni munus ea die offerendum esset in templum, abiicere caeteri, relicto apud praeceptorem Ioachimo Camerario. Interea illae Pomeranicae a Philippo scriptiones perfectae fuere, et tabellarius dimissus.

Postea prandii tempore, cum ad hoc descendisset, et vix iam mensae accubuisset, tormina ei molesta fuere, ut secedere necesse haberet, mox reversus, gustavit aliquid de gallo, quem nostri homines a betula cognominant, sunt qui attagena veterum esse putent, quem una cum gallina eius-

8) Ed. 2. *suspicabantur.*

9) *minime culpanda*] Ed. 1. *minima.*

dem generis et perdicibus aliquot Illustrissimus Princeps Anhaltinus Ioachimus etc. ex vicinia ad eum miserat, cum de morbo eius cognovisset, quem dolenter ferebat, ut mortem postea dolentissime, fuitque in hoc genere ut ante semper, sic tum maxime erga ipsum perbenigna et plane officiosa huius viciniae nobilitas. De illo igitur gallo gustabat tum aliquid, et de prunis coctis, sed neque multum neque cupide. Afferebatur etiam ei vinum rubrum Renanum, quod vulgo a similitudine coloris, quam habet pede anserino cognominatur, et Dominus Philippus duplicato verbo graeco per iocum χηνόποδα appellare solebat, hoc tum suavius utebatur, et sibi sapere dicebat, atque laudabat etiam admodum. Etsi autem hilarem se exhibebat, et cum amicis praesentibus colloquia habebat suavia, languor tamen magnus erat, vel imbecillitas potius non parva, quae pene in momenta augescebat. De mensa cum surrexisset in musaeum ascendit, ibique in sedili illo suo, cuius iam saepe mentionem fecimus, quievit aliquantisper. Postea surgens ad Borussiacas literas rediit, quas mane ut diximus luculente inchoarat, et quanquam tum addebat pluscula, tamen vix dimidiam partem harum conficiebat, neque illa die absolvere eas potuit. Cumque defatigatus scribendo et valde languens in cista ante fores musaei assedisset, de domino Doctore *Iohanne Bugenhagio* Theologo clarissimo et Pastore Ecclesiae quondam nostrae fidelissimo, qui biennio ante mortuus fuit, in mentem ei venit, de hoc igitur referebat, eum non morbo sed tantum virium defectu mortuum, eiusque recordatione motus minime optandum esse dicebat, eo usque produci vitam cuiquam, ut talis fieret senecta, qui opera sua inservire nemini amplius posset, atque ita non obscure significabat se ab hoc sibi metuere, quodam etiam ex sequentibus diebus, audientibus pluribus, Deum precatus est, ut si eum vivere in terris vellet diutius, eiusmodi vitam ei largiretur, quae aliis usui esse et in qua Ecclesiae Christi, et (studiis)[10]) iuventutis institutioni utiliter inservire posset. Atque has preces aliquoties etiam repetivit deinceps, metuebat enim ut diximus hecticam senectutis et tabem longam, ut iaceret telluris inutile pondus, qui usui esset nemini, quod propter corporis ipsius soliditatem alii etiam complures futurum suspicabantur. Haec ex iis quae illa die acciderint in memoriam nobis hoc tempore revocare potuimus. Postridiana quae fuit decima septima Calendis Maii, id est decima quinta Aprilis cum praecedentem noctem mediocriter commodam habuisset, et dormivisset satis, mane ad operas privatas scriptionum suarum reversus est, nam ad publicas ne descendere vellet, amicorum precibus tandem a se impetrari passus fuerat. Ad hanc diem eum periodus tertiana metueretur, prandium ei paratum est aliquanto maturius, sed serius tamen, nam inter prandendum eum invasit post horam antemeridianam nonam, itaque de mensa in lectulum est abductus. Antequam ad prandium descendit[11]), cum alia commemorabat, ut libenter se hinc migraturum esse, si ita Deo videretur, ostenderet, tum pronunciavit hoc: Cupio dissolvi et esse cum Christo. Interque haec de significatione verbi Paulini quaerere caepit, demonstratoque et recitato loco ex Epistola ad Philippenses: ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι, interrogabat Ioachimum Camerarium, qui tum aderat, numquid inter ea, quae de figuris orationis Paulinae edidisset, notata ista essent, sed is praeterita illa esse dicebat, et se quod non attendisset, aegre ferre, volebat tamen Philippus locum requiri, cumque verbi istius mentionem non esse factam cerneret, disputavit deinde cum Camerario de significatione huius, quae nequaquam esset ea, quam interpres verbo latino voluisset exprimere, repugnante etiam genere et diathesi, et discedere atque migrare vel parare abitum verbum graecum significare docuit, sicut καταλύειν diverti et commigrare et κατάλυσις diversorium atque hospitium, ut verti ista debuerint hoc modo, cupiditatem habens ad decedendum et migrandum seu apparandum iter, qui nimirum est ex hac misera et laboriosa vita ad beatam quietem abitus. Atque aiebat Clarissimum virum pietate et doctrinae eruditione praestantem D. *Iacobum Milichium* paulo ante morbum quo confectus fuit, cum mortis incidisset mentio, dixisse fieri posse, ut vitam hanc in terris relinquere aliquis non gravatim velit, sed omnino mortis cogitationem esse horribilem, quam sententiam valde laudabat D. Philippus, et monebat mortis formidinem commemoratione incommodorum vitae non depelli, et ad hanc praesente animo obeundam alia esse oratione et ratione

10) *studiis* uncis inclusi; abest ab edit. 2.

11) Ed. 2. *descenderet.*

opus. Atque recordari se multosque aiebat, qui suo tempore vita erepta eventus tristes declinassent, ad mortis tamen terrorem alia quasi arma requiri. Hi igitur tum sermones illius fuere antequam ad prandium descenderet, ex quo propter λῆψιν praesentem in lectulum ut diximus deductus fuit. Hoc tempore ita[12]) in lecto decumbere caepit, ut thoracis tantum vestibus servatis exteriores reliquas exueret, quod antehac interdiu praecedentibus his morbi diebus omnibus ut faceret, persuaderi non potuerat. Iacuit ita horas tres, in quibus surrexit aliquoties ad secessus necessarios, ita enim mundus senex, et pudens[13]) erat, ut ne tali quidem tempore suo porrectiones aut ministeria cuiusquam hac in parte ferre posset. Sed circiter secundam pomeridianam cum iterum surrexisset, et de lecto usque ad fenestram cubiculi, ubi matula ipso ita volente deponebatur, processisset revertens ad lectulum, cum in hunc ascendere vellet, deficere eum vires coepere[14]), ut in scabellum[15]) ante lectum inter manus Ioachimi Camerarii et generi Peuceri collaberetur, sed celeriter adhibita ea fuere quae solent et debent ut λειποψυχία averteretur, cumque paulisper ita iacens se recollegisset, in lectulum postea sublatus est. Ubi iacuit usque ad sequentis diei matutinam horam circiter quartam. Noctem autem illam prae caeteris gravem habuit, in qua et somni parum et tussis molesta, et quod ei post paroxysmum semper accidere solebat, urinae mittendae causae saepius surgendum fuit. Haec fuit quinta λῆψις qua affligebatur et gravius et diutius quam ulla ex praecedentibus, duravit enim morbi paroxysmus usque ad septimam ferme illius diei vespertinam, ut esset horarum ad minimum decem, qualem neque ante, neque post sensit ullum. Frigere ei in illo aestu febrili manus et pedes solebant, et tamen calorem internum tantum sentiebat, ut intra stragulam pedes ad dimidia femora usque non posset continere, aut contecta esse sinere. Itaque cum esset ut diximus pudentissimus, neque aspici nudationem talem suam, neque contrectationem ab explorantibus quomodo affectum corpus esset, aequo animo patiebatur, usque ad extremum et (quod animadverti poterat) hac una de causa, sequentibus diebus abire a se iubebat, qui officii causa ad eum visendum convenerant. Hac die Epithema ei parabatur, in quo genere valde laudare solebat coralliorum virtutem et efficaciam, quam ante annos viginti cum ex debilitate cordis gravissime laboraret Wimariae, expertum se esse praedicabat praesentissimam, applicante ei epithemata ex his Georgio Sturciade medico clarissimo, quibus cum usus fuisset, per quietem sibi oblatam fuisse dicebat sententiam Prophetae: Non moriar, sed vivam, et annunciabo opera domini, et paulo post se convaluisse. Haec igitur quod meminisset sibi in maxima debilitate profuisse atque ita quidem ut statim cum applicarentur corroborari se sentiret, et cum removerentur, debilitas recurreret, Ideo tum etiam ex coralliis et aliis, quorum non minor ad corroborandum virtus est et efficacia, epithemata ei parata fuere, ut diximus, quibus postea omnibus morbi diebus sequentibus usus est. Ad decimum sextum Calendas Maii, quae est Aprilis decima sexta dies, cum surrexisset de lecto ut diximus circiter horam matutinam quartam, precibus suis ad Deum peractis, quas faciebat ut antehac saepe[16]), ita his morbi diebus ardentissimas, et ante omnes diurnas operas suas, his, ut Christianum hominem facere par est, primum tempus dabat. His igitur dictis ad literas Borussiacas revertens, quae addere cogitaverat perscribebat. Hac die Camerarius hinc discedere cogitabat, ut constitutis domi rebus publicis et privatis suis, et confirmata familia huc quam primum redire posset, et manere cum necessario suo, dum quo res evasura esset, cognosci posset, et soliditas corporis, et praecipuorum membrorum firmitas, cerebri inprimis hanc spem afferebat, futurum ut cum septimo paroxysmo febris, ut ferme tertianae solent, desineret, et quamvis imbecillitas manifesta erat, tantum tamen virium adesse putabatur, quae morbum praesentem, si non superare, saltem sustinere diutius possent, nam sicut fieri solet, dum spiritus est[17]), spes non deponitur, et secundum Poëtae versiculum:

Prona venit cupidis in sua vota fides.

Quod in hoc casu magis fiebat, cum constaret ardentissimas pro aegroto nostro preces fieri

12) Ed. 2. *primum ita.*
13) Ed. 1. *prudens;* ex mendo.
14) *coepere*] abest ab ed. 1.
15) Ed. 2. *scabello.*

16) *saepe*] Ed. 2. *semper.*
17) *est*] Ed. 2. *inest.*

publice et privatim, quod precum studium in hominibus nostris augescebat hoc tempore, quo non amplius in publicum prodire D. Philippus conspiciebatur, et lectionum operas intermittebat. Hoc enim cum non nisi extrema necessitate coactum facere eum scirent, et illis etiam diebus experti essent, ex eo de periculo aestimabatur, atque ita precibus magis intendebatur. Quod igitur Ioachimus ea die a Philippo discedere cogitaret, et aegrotus noster pridiana die propter febrilem paroxysmum pene nihil cibi aut potus assumsisset, apparabatur ei aliquid ientaculi loco, quo Ioachimus discessurus, ut tum constituerat, cum ipso uteretur, quo cum pluribus cibum capiens suavius et plus assumeret. At illud igitur ientaculum antequam ex musaeo descenderet, cum forte assedissent ambo, Camerarius et Melanthon supra scamnum, quo plerunque solebat ad ianuam, reliquis qui officii causa semper ei aderant, plures quam opus erat et commodum circumstantibus, et verba fierent de valetudine et vita ipsius, tum igitur D. Philippus tanquam ultimam salutem Ioachimo dicturus: Mi Domine Ioachime, dicebat, sumus iam amici ab annis quadraginta, et vera fuit, atque mutua inter nos dilectio, ex qua neuter sibi quicquam quaesivit, fuimusque duo quidam ludimagistri, boni παραστάται suo quisque loco, et confido labores nostros multis profuisse, quod si Deus ita voluerit, ut moriar, amicitiam nostram in illa altera vita sanctissime colemus. Postea ad ientaculum simul descenderunt, cumque accubuisset Camerarii genero, qui coniugem amiserat [18]), et tum prope eum consederat, huic igitur dicebat, hac nocte habui somnium de uxore tua quam mihi videre videbar morientem, haec matrona anno et septem mensibus antea sanctissime mortua fuerat, quam quod esset praestans pietate, et omni laude matronali foemina, valde Philippus dilexerat, et morte huius gravissime afficiebatur, piosque sermones huius recordabatur et celebrabat, quos paulo ante mortem ex ea audiverat. Unam quidem vocem huis prae caeteris praedicabat, quod in extrema debilitate dixisse eam, meminisset, Scio Deum mihi affuturum esse, quam vocem tanti faciebat, ut saepe diceret se per omnem vitam huius non oblivisci posse, et quodam tempore ad mentiones domagtis de dubitatione an simus in gratia, ad hunc eundem qui maritus illius fuerat, et forte tum praesens aderat, ad hunc igitur tum ille, sic non loquebatur uxor tua moriens, et simul vocem illam huius commemorabat. Etiam alias saepe testabatur se matronae illius memoriam in tota vita non posse deponere. Propter talem igitur affectionem erga hanc suam fieri potuit, ut per quietem etiam memoria illius ei obversaretur, hoc praesertim tempore quo de morte plurimum cogitabat, cuius foeminae et sequentibus vitae diebus aliquoties mentionem faciebat, et fuit non parva exitus utriusque similitudo. Postea et de carmine referebat, quod tertia nocte ante accinere sibi in somnis visus fuerat: Desiderio desideravi etc. In illo igitur ientaculo cum de iusculo et aliis valde parum assumsisset (nam cibi ferme nihil assumebat illis omnibus morbi diebus, et de potu quidem modicum) tum igitur subito debilitas eum tanta occupabat, ut in musaeum suum redire vellet, et ibi in lectulo se ad quietem componeret, somnum expectans, quo illis diebus ferme solo alebatur et recreabatur. Haec res ita Ioachimum commovebat, ut consilium de discessu deponeret, et mutata sententia illo die se hinc nusquam commoveret. Sed quiescens in lectulo Dominus Philippus, ut diximus, paulo post obdormiscere coepit et dormiebat ille tum somnum, ut ipse postea narrabat suavem, sed primum supinus et palpebris male conniventibus et ferme semiapertis, eratque omnino species dormientis, sub initia somni illius tristissima ut plerisque illa lacrymas exprimeret, a domesticis autem tanquam mortuus tum deplorabatur, cum solicitudines quidem augerentur, universis, sed paulo post in latus se convertens sine ulla tristiore specie dormiebat, et ita ut animadverti posset, eum suaviter dormire. Interea Ioachimus etiam ad quietem secedere, quem minime bene affecto corpore et animo esse apparebat. Post horas ad minimum tres, quas continuas D. Philippus dormiverat, expergiscebatur, sibique suavissimum illum somnum fuisse ad omnes testabatur, et sane hoc ita receatum eum apparebat, ut rectius vel minus saltem male valere videretur, quam praecedentibus morbi diebus universis. Sub id tempus ex Academiae nostrae Theologis unus discessurus in patriam Chersonesi Cymbricae, D. Praeceptori salutem dixit ultimam, quem honorifice a se dimittens, libros ei dabat tum recens apud nos editos, ad Regem perferendos, et se, cum in

18) Ed. 1. *amisit.*

praesentia virium imbecillitate impediretur, literas ad Regem prima occasione missurum dicebat, quibus eius serenitati gratias esset acturus pro benignissima voluntate et munificentia erga ipsum sua, et pro salute regis, et regni illius vota tum et preces addebat, qualibus in hoc genere uti solebat. Allatae ea die huc sunt chartae aliquot scripti cuiusdam quod *Staphylus* contra Philippum sub prelo tum adhuc habebat, editae lingua germanica, Id quale sit lectores videbunt, et iudicabunt. Afferebatur et aliud eadem die, de consiliis quorundam quomodo in Synodo solenniter damnari possent ii, qui hactenus minus solenniter condemnati aliquibus viderentur, quod quale sit etiam ipsum in medio relinquimus iudicare volentibus: *οὐ γὰρ ἐροῦμεν κακῶς*. Quae scripta a bonis et amantibus Reipu. cum dolore *legebantur*, cum et quid ageretur non esset obscurum, et valde insuper miserabile, tali tempore Ecclesiae et Reip. talia scripta volitare et tam periculose aegrotante viro optimo, deque Ecclesia et rebus communibus ita merito, talia lamenta fieri, et funus iam pene huius a Christianum nomen profitentibus ita cohonestari. Haec igitur praesentem dolorem et solicitudinem bonorum iam non mediocriter augebant, et quid de mortuo esset futurum ex his coniicere licebat. Sed ut ad institutum redeamus, ita illo somno confirmatus fuit, ut ad operas scriptionum suarum rediret, et literas Borussiacas absolveret, et in musaeo et domo ita obversaretur, itaque faceret et diceret omnia, ut nunquam ante in illo morbo alacrior fuisse videretur. In coena autem, ad quam hora quinta descendebat hilariorem se praebebat quam illo omnino tempore ipsius expectari poterat, Omniaque in ipso eiusmodi videri, ut et spes bona confirmaretur, et Ioachimum Camerarium cuius praesentiae etiam nonnulla dari iudicabantur, commoratum esse nobiscum laetaremur. Incidebat in coena de quibusdam mentio, qui piae Ecclesiarum coniunctioni maxime obstarent, et distractiones atque dissidiorum causas in has attulissent atque inferrent hactenus, et his adhuc teteriora quotidie molirentur. Ad hanc mentionem D. Philippus animo commotiore, et voce etiam contentiore, sunt illi inquit nequam homines, et pergunt esse tales, et esse eos tales Deus ostendet atque declarabit, cum in tota coena illa nihil dixisset de publicis aut privatis rebus tristius. Atque ita tum hilarem se praebebat, itaque tenebatur sermonum vicissitudine et quasi post coenatione quadam colloquiorum suavium, (qualibus ab omnibus, qui tum aderant studebatur, ut exhilarationi ipsius hoc modo inserviretur) ut multo diutius post coenam assideret, quam facere soleret recte valens, et cubitum iret hora ferme octava, quod erat ei inusitatum facere. Haec est ultima coena ad quam in domo sua ex musaeo descendit, nam quid[19]) sequentibus diebus factum sit deinceps referetur, Nox autem sequens prosus quieta et somni satis neque somniorum expers fuit, Oblata enim ei, ut ipse postea referebat, in somnis haec Pauli sententia fuit: Si Deus pro nobis, quis contra nos.

Mane decima quinta Calendas Maii, quae est Aprilis dies decima septima, Ioachimus paratus ad iter usque ad horam ferme matutinam septimam cum eo collocutus est, quo tempore D. Philippus Borussiacas literas primum quarum iam saepe mentio facta est, cum attexuisset tum etiam aliquid, obsignabat, itemque ad amicos in illis locis quosdam addebat alias, quibus plures volebat addere, sed sibi parcere iubebatur. Inscribebat tamen libellos adhuc aliquot amicis, qui eodem perferrentur, et ad Ducem etiam Borussiae quosdam perferendos dabat. Itaque defatigatus, quod *λῆψις* febrilis non longe abesset, in lectulum decubuit, ibi tum Ioachimus discessurus supremum eum salutare et valere iubere, Deoque commendare etc. Cui Philippus voce pene febrili respondere his verbis: Iesus Christus filius Dei sedens ad dextram Patris et dans dona hominibus, conservet te et tuos; et nos universos, et simul coniugem huius suis verbis salutari mandabat. Haec fuit ultima consalutatio inter hos[20]), nostri temporis nobile par amicorum, neque enim posthac vidit unus alterum, atque ille quidem hunc ne mortuum quidem, ut videret sustinere potuit de quo infra cognoscetur. Tum igitur adductum ante aedes Melanthonis equum conscendit eaque die Lypsiam ad suos foeliciter reversus fuit. Ita autem discessit, ut expeditis rebus suis quam primum huc reverti cogitaret, et opperiri, quid de Philippi valetudine futurum esset. Coeperat[21]) pridiana die hoc agere, ut per literas ad suos missas, quas iam conscripserat et

---

19) Ed. 1. addit *ex*, quod delevi.
20) *hos*] Ed. 1. *haec*.
21) Videlicet Camerarius.

obsignaverat se expediret, sed comitis, quem secum adduxerat invaletudo obstitit, qui per hanc [22]) cum literis illis itineri se solus committere non potuit, cum huius opera ad eas perferendas uti vellet, Sed nos existimamus divino consilio rem gubernatam, ne mori videret eum, quem postea mortuum aspicere non potuit, ut referetur. Discessit igitur tum Ioachimus hoc animo, ut qui quam primum esset reversurus, et valde solicitus, quid de paroxysmo instante esset futurum, et quanquam metuebantur omnia, tamen ad minimum ante septimum paroxysmum nihili gravioris mutationis metuebatur. Praesertim cum pridiana die talem eum vidissemus, ut supra exposuimus. Miserat huc Illustrissimus Princeps Anhaltinus Ioachimus etc. pro affectione erga D. Philippum benignissima sua, qui eum viseret, Is etiam sub idem tempus hinc discedebat, ut de valetudine Philippi Principi suo referret, Hunc igitur legatum tum ita a se dimittebat ut Principi optime [23]) precaretur verbis testantibus summum erga illum Principem studium suum, et piam et submissam curam de rebus huius universis, quae sine lacrymis audire nemo poterat.

Paulo post afferebantur literae ex Helvetiis, quibus scribebatur Romanum pontificem Concilium moliri, ad quam significationem ille in hanc ferme sententiam respondebat, ut diceret, mori sibi melius esse, quam ad concilium venire, nam quae distractiones tum essent futurae, et in quot partes discessuri essent, qui puriorem doctrinam profiterentur, facile posse aestimari ex praesenti statu rerum, qui ante oculos esset omnibus. Mox sub horam octavam matutinam febris sexto coepit *παροξυνθῆναι*, atque tum astanti cuidam ad lectulum propius, hac nocte inquit cogitavi de stultis disputationibus eorum, qui negant quod Christus mortem extimuerit, imo et timuit ille mortem dicebat et tanto magis quanto melius intellexit quid sit mori, quam nos cogitare possumus, et solemus. Atque hoc loco obiter referendum, hanc quaestionem eum ultimam in ethicis disputationibus suis publice proposuisse, Quomodo voluntas in Christo formidante mortem congruat cum voluntate aeterni Patris, quam morte abreptus inexplicatam reliquit, cum aliis in scriptis ipsius ea satis explicetur? Quadam etiam ex superioribus diebus cum Ioachimus adhuc adesset, se in ea opinione fuisse dicebat, nervos tantum ex laceratione dolorem sentire, Sed rem aliter se habere, idque se ex iis, quae tum in se experiretur discere, et nervos etiam aliunde dolorem percipere, deque dissolutionis in natura sensu aliquid disserebat, ut intelligi possit his rebus [24]) non tum primum cogitationes illius occupari coepisse.

Postea rursus ei in mentem veniebat de Camerarii filia mortua, illa de qua supra diximus, fortassis aspectu etiam mariti huius de hac commonefactus, qui prope lectum astiterat, huic enim ille tum, Uxor tua qua aetate erat, et quali corpore, et tamen quam levi momento extinguebatur, fuit illius morbus dicebat non dissimilis meo, nam splenem similiter male affectum habuisse, mihi visa est, et ego inquit ibidem dolorem sentio, Tanta tamen debilitas mei corporis est ex obscura causa, sic enim iudicabat. Et paulo ante cum in lectulum decumberet, si mors non est dicebat, valde gravis est haec castigatio, morbum significans. Erat in pariete lectulo proximo tabula affixa continens picturam regionum Europae, quam cum aliquantisper intentis oculis aspexisset, Postea conversus ad astantes et suaviter ridens inquit, *Virdungus* quondam (cuius supra mentionem fecimus) praedixit mihi ex astris, me naufragium facturum in mari Balthico, Iam non longe absum a mari illo, erat enim pars tabulae ea, qua hoc depingitur, lectulo proxima.

Interea horrore febrili desinente cum aestuare inciperet, accidit ei quod supra scripsimus, ut intra stragulam crura continere non posset, quod autem nudationem talem suam conspici graviter ferret, et plures tum ad eum visendum convenissent, cum quadam commotione dicebat, quin a me receditis? quae vox in causa fuit, ut plerique postea timidiores essent in eo visendo, eaque die minor esset visentium frequentia. Desinebat hic paroxysmus ante pomeridianam secundam, ut esset longe quam praecedens proximus et brevior et lenior, in quo et deiecit aliquid adusti excrementi, nigrum prorsus et sub finem paroxysmi lenis sudor per totum corpus existebat, pulsus etiam, Urinae et caetera in summa universa eiusmodi erant qualia esse debent, quae in febri spem bo-

22) Ed. 1. *hunc.*
23) Ed. 2. *optimo bene.*
24) *rebus*] Ed. 1. *verbis.*

nam medico faciunt, sed eventus postea docuit esse illam *κρίσιν*, ut medici loquuntur *ἐλλειπῆ*.

Tristia tamen erant inprimis illud nigrum in excrementis, et quod post paroxysmum cum collocato in sellam ante lectulum cibus ei praeberetur, quicquid assumserat statim revomebat, hoc enim, quantopere ventriculi virtus afflicta esset, arguebat, praesertim cum eum cibum vomitu reiiceret, quo suavius quam ullo alio illis diebus vesci solebat, qui erat fructuum eorum qui limones vocantur cocti cum vino et croco asperso, haec fiebant post horam illius diei pomeridianam secundam. Postea in lectulum reversus dormivit usque ad quintam, et tum in cubiculum se deduci voluit, ubi iacuit usque ad diem sequentem, eaque nocte somnos capiebat non longos, aliquos tamen, Sed ei tota gravis fuit, qua omnia sic mutata fuere, ut metueretur ne septimus paroxysmus quicquid adhuc reliquum esset virium omne consumeret, id quod et accidit. Itaque metuebatur dies illius postridiana. Ipse etiam aegrotus finem prope esse dicere et inter preces suas exclamare: Domine fac finem, quam vocem *Erasmum* Roterodamum in supremo illo morbo suo usurpasse, nobis referebat, ad novilunium autem quod impendebat ad diem ab eo, cuius historia iam in manibus est, septimam de periculo suo ominabatur, sed nimis multae causae erant, quae ad illud usque tempus sustineri morbum posse non sinebant sperare. Itaque instantis paroxysmi postridiana metuebatur 25), ut diximus, quam tamen et ipsam mors ut audietur anticipavit. Mane igitur diei sequentis, quae fuit decima octava Aprilis et Calend. Maii decima quarta, surrexit hora quarta et ad lectulum in musaeo alterum decubitus diurni deductus est, ibi cum neque animo deiecto videretur et sensibus uteretur integerrimis, virium tamen imbecillitas admodum augescebat. Hac igitur de causa lectulus ille in musaeo a pariete removendus erat et ita collocandus, ut utrisque a partibus accessus ad eum pateret, quod tamen incommodior ille videretur, prorsus tum remotus fuit, et repositus alius de genere eorum, qui viatorii a nostris hominibus appellantur, quod in itineribus talium usus sit. In hunc cum esset collocatus, hic inquit viatorius lectulus appellatur, quid si in hoc migrem. Urinae ante fuerant turbidae, ut diximus, et tales ut nisi a calculo illae eiusmodi fierent, mortem significarent certissimam, calculus tamen hoc toto tempore ei simul molestus esse, et arenulae omnibus diebus copiose excerni, quadam etiam die ex praecedentibus ipse manu sua ereptum calculum dimidiae ferme lenticulae magnitudine afferebat et ostendebat amicis. Tales igitur urinae cum fuissent antea, hoc tempore hae quoque mutari, neque illud feculentum et piceum de quo supra diximus in his, neque arenulae magis apparere et turbidae esse desinere, sed limpidae atque bene coloratae conspici, cum in extrema debilitate natura in morbi materiam nihil suarum virium exerceret, haec igitur omnia qualia essent facile intelligebatur, ut de vita iam prorsus desperari inciperetur. Ipse etiam aegrotus, etsi et antea, sed tum magis ad mortem se paratum animo et voluntate profitebatur, cumque ante lectulum Pastor Ecclesiae nostrae una cum aliis sub horam illius diei octavam astaret, de hac eadem re, et quod ad mortem esset animo confirmato, verba faciebat, et mox inquit: Ego Dei beneficio nullum habeo dolorem domesticum, quo iam peculiariter angar. Etsi mihi neptes et nepotes hic ante oculos obversantur, quos ardenter diligo, tamen me hoc consolatur, quod pios parentes habent, quos et ipsos diligo, qui curae illos sibi esse patientur, sicut mihi hactenus fuerunt, dum valui: Sed publica me afficiunt, inprimis ea quae hoc malo et sophistico seculo in Ecclesia commoventur, Sed Dei beneficio doctrina nostra explicata est. Et paulo post conversus ad astantes quosdam alios, Deus inquit, vires largiatur vobis iuvenibus et videte ut recte his utamini. Eadem die et ex neptibus filiolam natu maximam generi Peuceri ante lectulum obversantem sic compellat, ut qui eam postremum salutaret: Ego dilexi te inquit, mea filia, vide ut colas parentes tuos et morigera eis vivas et timeas Deum, is te non deseret. Hunc oro ut te tueatur et benedicat tibi. Caeteras etiam natu minores familiarius complectebatur, filiae autem commendabat maritum, omniaque ita dicere et facere, ut qui ex hac vita migraturum se sentiret, Mittebantur eadem die literae ad Ioachimum Camerarium Lipsiam, quibus scribebatur ei, si Philippum Melanthonem vivum videre vellet, ut reversionem ad nos acceleraret, etsi tabellarius serius egressus quam promiserat literas illas tertia primum die post reddidit, qui tamen etiam si fidem praestitisset, vix potuisset Ioachimus ante

25) ed. 1.: ex metuebatur.

mortem huius huc redire. Sed ut ordine narremus, paulo post octava matutina gustavit aliquid de iusculo et bucellis Limonum, postea sub horam nonam generum medicum compellans, quid, tibi inquit, videtur de morbo meo, et quid spei habes? nihil dissimula. Cui medicus: Deus est vita tua et longitudo dierum tuorum, qui hanc commendamus, sed quia verum me vis dicere si Physicae causae considerentur, profecto res minime caret periculo, imbecillitas enim magna est et in momenta augescit. Tum ille rursus ego idem sentio, et meam imbecillitatem intelligo. Paulo post quaeri iubet in chartis suis pagellas quasdam, in quibus testamentum suum longo tempore ante describere ita coeperat, ut suam de singulis religionis Christianae capitibus sententiam explicaret atque testatam ad posteritatem faceret, quem et verum atque praecipuum testamentorum usum apud priscos illos, et sanctos patres fuisse consentaneum est. Hoc igitur ille luculente facere inceperat, eamque inchoationem multi viderunt, sed ut meminisse videmur non longe progressus describendo fuerat. Ille igitur pagellae cum iubente ipso, ut diximus, diligenter tum quaererentur, ubique in omnibus musaei scriniis, inveniri tamen non potuere, ut a curioso aliquo, quod genus secundum Plautum semper est malum, surreptas illas suspicio sit, quod factum est de chartis et scriptis aliis in Bibliotheca illius plurimis. Cum non inveniretur illa vetus inchoatio post multos tempores quibus genero de rebus privatis universis voluntatem suam et sententiam, prius exposuit quam scriberet, novam descriptionem suscipit sedens ad mensulam suam, quo solebat cum quid scriberet sub horam secundam, et quanquam valetudo et vires ita erant ut diximus, neque praeterquam de privatis rebus tali tempore suo perscribere posset, cum ne hoc quidem per debilitatem perficeret quod tamen semper de publicis rebus cura ei potior esset, non potuit facere, quin breviter tum etiam iis, quae de bonis suis constituebat, de confessione fidei suae quasi praefaretur, quod prooemiolum illius cum ad publicam voluntatis et sententiae ipsius contestationem pertineat, hac etiam de causa optima fide transscriptum hoc loco inserendum putavimus, praesertim cum iis etiam quae iam de testamento huius narravimus explicationem afferat. Verba igitur quibus testamentum suum D. Philippus horis ante mortem viginti novem describere coepit, haec sunt: Anno 1560. die Aprilis decimo octavo scripsi hoc testamentum in meo morbo breviter de iis reliquiis facultatum, quas mihi Deus dedit. Confessionem fidei et gratiarum actionem ad Deum et Dominum nostrum Iesum Christum, scripseram antea bis, sed chartae sunt interceptae. Volo tamen confessionem meam esse Responsiones de Bavaricis articulis contra Pontificios, Anabaptistas, Flacianos, et similes etc. Post haec sequuntur ea quae de rebus suis fieri voluit, et ad haeredes ipsius tantum pertinent, etsi eorum, ut diximus descriptionem non potuit, absolvere quod scribendo iam tres pagellas confecisset, atque ita se defatigasset, ut nihil posset addere tum amplius, sed in posterum diem differret reliqua deficientia, quo ipso tamen in extrema virium defectione scribere nihil potuit, ut infra cognoscetur. Literarum autem exaratio nequaquam est talis, de qua tam propinqua morti debilitas deprehendatur, et minime similis scripturae illius qua undecima die ante, quae morbi prima fuit, literas ad amicum in littore Balthico ab eo exaratas, supra scripsimus. Nam etsi praecedentibus diebus scripserat quaedam multo melius, et epistolam ad Ducem Borussiae omnino optime, tamen haec ultima de qua dicimus scriptura ipsius eiusmodi est, ut saepe rectissime valens non pinxerit literas meliores, quod inspectantes facile indicare possunt.

Mens autem constabat integerrima et sincerissima usque ad extremum vitae halitum, neque ut antea in tota vita, ita etiam illo morbi tempore haec ullo modo attentata fuit, cumque caetera in corpore ipsius membra solida essent, cerebrum tamen erat firmissimum, quod nisi tale fuisset, tantos ille et tantarum occupationum labores, per tam multos annos sustinere atque perferre minime potuisset, atque vel hac eadem die, vel sequente ad filiam testabatur se Dei beneficio capitis imbecillitatem nec sensisse nec sentire ullam. Non deerant qui ex hac soliditate corporis, et membrorum praecipuorum virtute, vitae extinctionem metuerent duriorem, et σβέσιν ut Aristoteles appellat, non senilem μάρανσιν. Conferebat autem cum genero tum etiam de communibus rebus Academiae nostrae, et constituit de doctrina publica post mortem suam, quemque sibi succedere maxime vellet, et de aliis quibusdam, de quibus hoc loco dici nihil attinet, sententiam suam explicabat. Hora tertia ex musaeo in cubiculum reduci volebat, nam ut hoc etiam obiter refera-

mus, nunquam ille toto hoc morbi tempore alibi quam in cubiculo suo, quo per scalarum gradus sedecim ascendendum ei erat, pernoctare voluit, atque ut in caeteris omnibus, ita etiam in hac re sibi non pepercit, neque defatigationem itionis et ascensionis talis refugit. Eo igitur tum deductus placide obdormiebat, durante somno illo ferme usque ad vespertinam sextam. Interea afferebantur literae ab amicis ex mercatu Francofortensi de suppliciis piorum hominum in Gallia, de quibus cum post somnum ad eum referretur, Nullos dolores corporis sui tantos esse dicebat, quanti essent animi propter Ecclesiae tales calamitates, quae augerentur distractionibus non necessariis, et malitia ac petulantia eorum, qui cum a nobis discessissent praeter causam immani [26]) odio nostri nihil non molirentur et parcerent nemini, deque hac re multa graviter quaestus est [27]), ut perturbationem magnam esse appareret. Itaque hoc tum agebatur, ut recitatione literarum minus tristium et sermonibus etiam astantium hilariusculis a dolore abduceretur, quo et profectum fuit nonnihil, Multa enim postea et suaviter omnia loquebatur, ad praesentium sermonum occasiones, ut iocos etiam et risus usurparet, eumque se praeberet, ut multi cum certissima spe convalescentiae [28]) illo vespere ab eo discederent. Producebantur illa colloquia, quod iis delectari animadverteretur ferme usque ad horam octavam. Quo tempore cum quieti se dare vellet, condita cerasa assumebat aliquot et vini haustulum unum, qui fuit haustus illius postremus, ut ad somnum aliquid quasi viatici suppeditaretur, quem tamen nocte sequente tenuem admodum coepit. Ita iam narrationem perduximus, usque ad XIII. Calendas Maii [29]), quae fuit decima nona Aprilis, et vitae Philippi in terris dies extrema. Etsi autem aegritudinis et tristiciae perturbatio, quam ea die qua morientem eum vidimus, tantum sensimus, qua non potuisset maiorem animus sustinere, Harum igitur perturbatio etsi memoriam ita impedire solet, ut nihil magis, tamen quae meminimus collatis notis nostris, et communi opera nunc deinceps optima fide, ut hactenus universa exponemus. Cum nocte illa perparum dormivisset, ut diximus, et mane hora secunda in lectulo se erigeret, medicus ad eum accessit, ibi de nocte praeterita, qualem habuisset significabat; et quod somnos habuisset, ut loquebatur tenues, aliquos tamen, sibique iterum per quietem oblatam paulinam sententiam: Si Deus pro nobis, quis contra nos. Post ea ad priores [30]) quaerelas, de Ecclesiae calamitatibus redibat, et contestationem doloris sui propter has, et significationem spei, quam haberet de posteritate optimam [31]) propter perspicue explicatam nostrarum Ecclesiarum doctrinam, et vota pro Ecclesia miscebat ardentia ad Deum et gemitus [32]), atque ita productis cum genero usque ad tertiam colloquiis, eo tempore deductus ex cubiculo fuit ad lectulum illum viatorium in musaeo collocatum. Ibi tum obversatus aliquantisper, postea decubuit, sermones habiti pro occasionibus varii, donec obdormisceret, et [33]) inter dormiendum leniter respiraret ac suaviter, ut videretur placide quiescere. Ex hoc expergefactus somno [34]) circa horam sextam matutinam, cum capillus ei videretur longior, petit a genero ut hunc sibi praecideret, cuius ministerio ad eam rem semper uti solebat, quo facto etiam vestes lineas internas mutare, qualibus ad fovendum calorem corporis senilis uti consueverat a multis annis triplicibus, una super alia inducta, Etiam redimiculum novum capiti sumebat de genere lineorum illorum qualium per noctes usus est, et ipse inter diu semper domi utebatur, eaque in re se propinquum suum *Ioannem Reuchlinum* virum clarissimum imitari dicebat. Hoc igitur modo ornari et comi volebat cum migrationem praesentiret. Paulo post ab amicis quibusdam hospitibus D. Pastore Torgensi, et quodam eius Diacono ac Doctore medico *Kentmanno*, qui ad eum visendum excurrerant, salutabatur. Repetebat ad hos inter alia, quae tum dicebat varia hilari et voce et mente, spacio pene dimidiae horae, sermones diei prioris, ut de affectione animi sui apud hos etiam testaretur. Se privatum dolorem Dei beneficio nullum habere. Sed conspectu publicorum malorum sese affici posteritatis causa, quae

26) *praeter causam immani*] ex ed. 2. exciderunt.

27) *quaestus est*] Ed. 2. *querebatur.*

28) In ed. 1. *convalescentiae* positum est ante *multi.*

29) *Maii*] Ed. 1. *Aprilis.*

30) *priores*] Ed. 2. non habet.

31) Haec in ed. 2. ita: *doloris sui propter has, qui per noctem graviter eum exercuisset, spem tamen se habere optimam.*

32) Ed. 2. *intimi cordis gemitus.*

33) Ed. 2. *et tum quidem.*

34) Ed. 2. *Ex hoc somno expergiscens.*

petulanter non necessariis contentionibus excitata Ecclesias nostras horribiliter dilacerare, et vim facere veritati videret. Sed hunc vicissim dolorem lenire sibi aiebat hanc consolationem, quod sciret doctrinam nostrarum Ecclesiarum veram et rectam esse, et dextre explicatam, addens et haec verba. Si morior nunc, singulari Dei beneficio praeripior impendentibus malis et quidem hoc monstroso anno naturae [35]). Cumque solicitis et flebili voce pronunciatis precibus Ecclesiam Christi fidelium filio Dei commendasset, hospites secedere volentes [36]), ut secum pranderent, rogabat futurum dicens, ut et conspectu ipsorum, et sermonibus [37]) invitaretur ad aliquid gustandum. Etsi itaque prandium hi condicebant: tamen cum alter eorum interea nuncium accepisset de morbo filiae, et Philippum post septimam horam iam corripuisset non πάθος febrile, sed ingens languor, non ita multo post a Philippo postremum salutato resalutati cum pia benedictione, discesserunt [38]). Convenerunt ad eum tum D. Pastor Ecclesiae nostrae cum aliquot Diaconis et Professores plerique una cum aliis quibusdam compluribus, quorum aliqui [39]) sub horam nonam avocabantur ad solvendum precium pro frumentis de sententia et quasi ex testamento ipsius publice coëmptis, quae tum advehebantur, de quibus supra retulimus, qui tamen paulo post ad lectulum praeceptoris sui confectis negotiis revertebantur. Sub horam igitur matutinam octavam, quo tempore λῆψις febrilis expectabatur, subito vires prorsus concidere, aegrotus etiam animo linqui coepit, et quod graeci dicunt λειποψυχεῖν. Recreatus tamen iis modis quibus oportet, iacuit ita aliquantisper quiescens. Aliquanto post ceu [40]) experrectus ex [41]) somno precum suarum formulam, qua quotidie utebatur, repetebat, et recitabat totam, voce quidem submissiore, sic tamen ut singula verba exaudirentur, atque ut cognescatur ab omnibus, qualis ea sit et quid paucis illis ante exitum ex hac vita suum horis oraverit vir optimus et sanctissimus, integram illam hoc loco descriptam subiecimus. Deum igitur invocans his precum verbis tum usus est.

(Preces, quae nunc sequuntur, ad verbum conveniunt cum verbis germanicis, quare eas hic praetermisi. Leguntur etiam in Mel. Consil. lat. P. II. p. 396.)

---

Haec cum ita perorasset, acquievit aliquantulum, postea sublatis oculis ad generum conversus, Ego, inquit, in morte fui, sed Dominus clementer retraxit me. Hoc etsi de praecedenti deliquio animi intelligebamus, tamen cum id secundo repeteret ad alios etiam, Suspicabamur eum tum luctae aliquid sustinuisse. Cum ergo ex astantibus unus diceret: Nulla nunc condemnatio his, qui in Christo Iesu ambulant. Ipse mox subdebat [42]): Christus factus est nobis a Deo sapientia, iusticia, sanctificatio, et redemptio. Ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur in Domino glorietur. Et saepe has voces repetebat: Domine miserere mei!

Pulsus autem evanescere et extrema membra frigescere, respiratio etiam fieri concitatior, oculi et iuguli subsidere, atque omnia in summa, mortem propinquam ostendere, neque paroxysmi febrilis recursio, sed debilitas vel collapsio potius virium extrema sentiri. Nihil tamen omittebatur, sicut par est, omnium quae fieri poterant et debebant. Itaque ut aliquid virium recolligeret, interrogabatur an cibi aliquid assumere vellet, quod cum interrogantibus permitteret, amplius quaerebatur an iusculum vellet, cumque annueret, statim apparatum fuit unum ex cerevisia Hamburgensi,

---

35) In ed. 2. ita haec leguntur: „Paulo post ab amicis quibusdam hospitibus, qui ad eum videndum Torgae excurrerant, salutabatur. Hi erant Pastor Ecclesiae eius oppidi cum collega quodam suo, et Doct. Kentmanno Medico. Cum his ille familiariter spacio ferme dimidiae horae de variis rebus et ita colloqui, ut praesentia horum delectari eum appareret, et hilariusculus videretur, Sed tandem de animi sui affectione ad hos etiam testatus, illos supra expositos sermones suos repetebat, se Dei beneficio privatam aegritudinem nullam habere, sed consideratione ac conspectu publicorum malorum propter posteros affici atque perturbari, quae minime necessariis certaminibus commoverentur a petulantibus quibusdam, et vim afferrent veritati, quae in contentionibus amitti solet, confirmari se tamen in hoc dolore suo, quod sciret, doctrinam nostrarum Ecclesiarum veram esse et dilucide explicatam. Postea addebat et haec verba: si jam morior, singulari Dei beneficio praeripior malis impendentibus, et annum illum monstrosum naturae annum appellabat."

36) *secedere volentes*] Ed. 2. *illos discessuros.*

37) *futurum dicens* etc.] Ed. 2. *quod diceret se sperare futurum ut praesentia et sermonibus ipsorum.*

38) *Etsi itaque prandium* etc.] Ed. 2. ita: „In quo cum obsecuturi illi essent, revocati paulo post fuere litteris suorum propter pericula, quae in familiis horum subito extitissent. Philippus autem sub idem tempus extreme debilitari incipere, itaque hoc postremum salutato, resalutati illi discesserunt, quos et piis votis suis proficiscentes est prosecutus."

39) *quorum aliqui*] Ed. 2. *ex Professoribus tamen aliquot.*

40) *ceu*] Ed. 2. *quasi.*

41) *ex*] Ed. 2. *de.*

42) *subdebat*] Ed. 2. *subiiciebat.*

qua ille in cibo ac potu suaviter uti solebat. Hoc igitur iusculo allato exhausit cochlearia tria, collaudans insuper quam bonum inquit hoc est iusculum. Hic cibus ei ultimus fuit, neque enim potus aut cibi quicquam gustavit posthac amplius. Refectus mediocriter erigi se iubet [43]), et postulat chartas in quibus testamenti descriptionem incoarat, ut quae cogitaverat, et de quibus pridiana die [44]) testatus fuerat, ea perscribendo testamentum absolveret, cum ad eam rem [45]) se componeret et cuperet quidem scribere, vires autem deficerent, ego, inquit, festinatione excludor, significabat autem letiferam debilitatem, qua mors eum anteverteret, ut cogitata perscribere non posset, quo animadverso nemo amplius quicquam scriptionis talis ab eo expectavit aut expetivit, praesertim cum pridiana die oratione diserta de sua *sententia* atque voluntate, et de omnibus quae scripturus erat [46]), testatus esset, et ex iis quae iam perscripta erant, explicare caetera non videretur difficile. Haec facta fuere circiter horam decimam matutinam. Rursus itaque decumbens, iacebat ita nudatis ut solebat cruribus quasi qui aestum sentiret, cum extrema ei iam pridem frigescere coepissent, ut diximus, neque, ad genua usque caloris aliquid a tangentibus deprehenderetur, etsi illas explorantium contrectationes pro pudore suo graviter ferre animadvertebatur ex eo, quod quotiescunque a solicitis tangeretur, semper se contrectationibus subduceret, rubor tamen sparsus quidam quasi macularum quarundam calorem adhuc superesse in tibiis et ulnis docebat, et virtutis aderat adhuc tantum, ut non solum manus et pedes expedite moveret, sed sine ullis adminiculis ab uno latere in alterum se iactare posset. Pulpa vero illa surae in corpore maxima, tum caeteri in tibiis et femoribus musculi illo biduo pene inter oculos aspicientium carne evanescente attenuabantur, spiratio autem paulatim magis magisque impediri et anhelatio crescere. Cum ergo ad hunc modum placide ceu quiesceret [47]), D. Pastor compellandum eum esse interdum censebat, accedens ergo ad lectulum iubet clara voce legi ex utroque testamento quaedam, quibus maxime delectarum esse norat.

Legebantur ergo tum et ab ipso D. Pastore et per vices a Diaconis Magistro Froschelio, et Magistro Sturione Psalmi aliquot ut **24. 25.** et **26.** Esaiae caput 53. et Iohannis caput 17, ad Romanos caput 5. et plura alia ex Esaia, Iohanne, Psalmis, et Epistolis Pauli. Quibus finitis cum consuluissemus omnes, Ipse semper est, inquit, mihi in animo et in conspectu dictum Iohannis de Filio Dei: Mundus eum non recepit, Qui autem receperunt eum, illis dedit potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine eius. Haec clara voce cum pronunciasset, postea labra rursus [48]) ita movebat quadrante horae, ut qui oraret tacite. Hora iam prima pomeridiana imminente, cum curarent ad lectulum praeceptoris sui ii professores universi quorum sunt pomeridianae operae publicae, neque tali tempore ab aegroto recedendum sibi putarent, et in perturbatione animorum maxima ad praelectionum operas obeundas nemo idoneus esse posset, subito conscribebatur aliquid, et ut necesse erat fieri, tumultuarie, nomine omnium, quo publice proposito neque se legere posse, expositis causis, et de periculo in quo vita praeceptoris versaretur significabant, eiusque salutem precibus communibus commendabant, quibus tali tempore discipulos potius quam ullis rebus aliis vacare oporteret. Forma scripti haec est [49]):

(Hanc pagellam dedimus ad d. 19. April., quare eam hic praetermisimus.)

---

Hoc scripto proposito animi prorsus consternari, et solicitudine atque tristicia compleri universorum, quod vultu, incessu et gestibus omnibus plerique significabant. Et quanquam diebus illis inprimis, quibus Dominus praeceptor non amplius in publicum prodire animadvertebatur, preces publice et privatim, ut diximus, intendebantur, et scholastici sic obversabantur, ut de animorum perculsione iudicari posset, Tamen post hanc significationem pristina augebantur omnia, et sicut ante fecerant, ut fores domus Philippi Melanthonis, et ingredientes atque egredientes in via publica observarent, et vultus, et voces ho-

43) *Refectus — iubet*] Ed. 2. „Cumque rursus decubuisset aliquantisper, postea erigi se in lectulo iubet."

44) Ed. 2. addit: *voce sua.*

45) Ed. 2. *ad quam rem eum.*

46) *scripturus erat*] Ed. 2. *scribenda fuissent.*

47) *placide ceu quiesceret*] Edit. 2. *iaceret, ita ut longuis spatiis nullam vocem emitteret.*

48) *rursus* abest hic ab ed. 2. et positum post seq. *ut qui.*

49) *Forma scripti h. est:*] Ed. 2. „Huius scripti exemplum subiecimus, quod fuit tale."

rum considerarent: Ita igitur haec tum magis ab his fiebant, ut et ante fores aedium, et in via publica illius viciniae frequentes convenirent, atque consisterent, et voces et vultus, omnesque significationes captarent, ex quibus de valetudine magistri sui doceri possent. Sed ad rem revertamur. Iacebat ita per horam unam aut alteram oculis conniventibus, pedes interdum contrahens, interdum extendens, vestem etiam stragulam nonnunquam sublevans, ut letifera anxietas facile animadverteretur, neque loquebatur ille ferme nisi interrogatus, in ore tamen evidentes [50]) motus apparebant tacite precantis et sensus erant et manebant integri usque ad extremum, vox etiam non impediebatur ut audiret et intelligeret, et ad interrogata responderet omnia, paulo etiam ante ultimum halitum se exaudire et intelligere quae acclamarentur voce sua testabatur, ut referemus.

Cumque ita iacens a genero interrogaretur an vellet aliquid? respondit aliud nihil nisi coelum. Ideo non [51]) sitis mihi molesti amplius interpellationibus talibus. Haec ita fiebant usque ad horam pomeridianam tertiam, ibi quod incommodius in lectulo iaceret, delapsus de cervicali, hoc agebatur ut componeretur melius et cervical subderetur, quod cum fieret ut [52]) aegrotus attolleretur ab astantibus, ex ea tractationis illius commotione animus eum linquere, et omnis virtus ita concidere coepit, ut statim putaretur expiraturus, revocatus tamen iis quae in animi deliquiis adhibentur, iterum se recollegit, et cum acquievisset, cur, inquit, turbatis meam mihi quietem tam suavem [53]). Sinite ut quiescam usque ad vitae finem, qui non procul abest. Hoc casu factum ut ab omni deinceps commotione ipsius prorsus abstineretur. Quod autem extrema iam essent omnia, plerique precibus suis hoc a Deo petebant, ut cum nulla spes vitae superesset, benigne ei mortiferos dolores, et angustias abbreviare vellet, et exitum foelicem accelerare. Neque omittenda iudicabantur ea quae ad morientes fieri solent. Itaque Dominus Pastor noster [54]) aliquoties pias preces recitare quibus aegrotus confirmaretur, easque universi, qui aderant, in genua procumbentes animis et votis suis, sequebantur. Recitabantur et ex sacris literis, ex Prophetis Esaia et Osea, et novo testamento loca multa ut antea fuerat factum, quae praesentibus rebus conveniebant quorumque meditatione antea in vita sese confirmare consueverat, quibusque eum maxime delectatum audiendo et legendo memineramus, qualis est locus in Iohanne cap. XIIII.: Ne turbetur cor vestrum, et XV.: Si quis diligit me, sermones meos servabit. Et XVII. caput eiusdem. Etiam ex decimo haec verba: Oves meae vocem meam audiunt etc. Ex Epistola ad Romanos V. caput magna ex parte, et ex VIII. illud triumphale: Si Deus pro nobis, quis contra nos, quo ille aliquando pro Symbolo usus fuit, et quae sequuntur. His peractis discedebant aliqui, coenaturi modicum, qui alioquin illo die nihil cibi gustarant. Sub horam vespertinam sextam cum convenissent rursus plerique omnes, et spiritum ille aegre duceret [55]), addebatur a Sacerdote M. Sebastiano Froschelio etiam εὐλογία ἀρχιερατικὴ, Numeri VI.: Benedicat tibi Dominus et custodiat te: ostendat Dominus faciem suam tibi et misereatur tui: convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem.

A Vito autem Winshemio medicinae Doctore, et graecarum literarum professore etc. acclamabantur ei ex Psalmo illa: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, redemisti me Deus fidelis et verax. Cumque eum interrogaret D. Vitus, an intelligeret, quae dicerentur? respondit, Ia, quae est affirmantis particula in lingua nostra, non ignota etiam externis gentibus. Ita autem hoc expresse et diserte enunciabat, ut exaudiretur a circumstantibus omnibus qui fuerunt numero ad minimum viginti. Itaque Vitus iterum et tertio illa ex Psalmo verba acclamabat. Mox M. Sebastiano Froschelio Symbolum et orationem dominicam pronunciante [56]), et tandem eorundem Psalmi verborum [57]) repetitionem inchoante, cum in faciem aegroti diligentius intueremur, expectantes extremum halitum, animadvertimus manifestissime os eum sic commovere, sicut orans eo die saepius solitus fuerat, et ante

---

50) *in ore tamen evidentes*] Ed. 2. *in labiis tamen.*

51) *non*] Ed. 2. *ne.*

52) *ut*] Ed. 2. *et.*

53) *meam mihi quietem tam suavem*] Ed. 2. *me quiescentem.*

54) *noster*] Ed. 2. *Ecclesiae nostrae.*

55) *His peractis — duceret*] Ed. 2. „Post lectiones tales ad preces rediebatur, atque haec vicissim ita fiebant. Sed sub horam vespertinam sextam, cum spiritum iam aegre duceret."

56) *pronunciante*] Ed. 2. *recitante.*

57) *verborum* addidi ex ed. 2.

toto vitae tempore, quod cum aliquantisper in eo gaudentes religiosum gaudium spectaremus, subito ille dodrante iam post horam sextam elapso sine ulla contorsione oris aut corporis commotione expiravit, atque ita placide et leniter ut non attentissimorum oculos et praesentiam, fugere res indeprehensa potuisset. Neque in toto agone ulla commotio aut perturbatio, ulla deformitas ulla in parte animadversa, nulla usquam immundicies neque καρφολογίαι, neque quicquam eorum quae morientibus ferme accidere consuevere. Ad caetera quod attinet, sicut vixit sancte, ita mortuus etiam sanctissime fuit, vita clausa [58]) piis et assiduis precibus et sermonibus, quos utinam universos recordaremur, et hoc loco perscribere possemus, nulla enim re magis haec expositio mortis illius nostra commendabilis bonis et piis omnibus redderetur, quos tamen meminisse in hoc ingente dolore, et perturbatione summa nostra potuimus, eos bona fide retulimus. Meminimus et sparsim quorundam qui quibus morbi diebus et occasionibus habiti sint, non possumus dicere, iis propterea hunc locum peculiariter reservavimus, ubi promiscue notarentur. Erat autem in primis his morbi extremis diebus familiarissima ei, et frequentissima vox, quam tum singulis pene momentis cum gemitu, et intimo cordis motu repetebat: Ah Deus miserere mei! et illa Psalmi: In te Domine speravi, non confundat in tota aeternitate, et rursus alia Psalmi: Unicam petii a Domino, hanc requiram ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae, et videam voluptatem Domini, et visitem templum eius. Cumque in tota vita quod omnes sciunt, qui eum noverunt, ardentissime orare solitus sit, hoc tamen morbi tempore prioris vitae hac in parte diligentiam et pietatem longe vincebat. Itaque pietatis sententiae et interdiu ei in ore esse et per quietem offerri dormienti. Quotiescunque autem noctu e somno expergiscebatur, et semper et nihil aliud ex eo quam gemitus ad Deum et precantis voces audiebantur. In primis tamen pro Ecclesia hoc extremo tempore suo orabat ardentius quam unquam antea, cuius calamitates in hoc statu ipsius misero et afflictissimo vehementer eum cruciabant, de quo et voces atque contestationes illius supra retulimus. Et plerunque in his ultimis pro Ecclesia precibus suis, hoc diserte a Deo petere solebat, ut coniunctionem piam conciliare vellet, Coniunge aliquos o Deus, dicebat, quam vocem saepissime ex eo multi audiverunt. Filium ad precum, et concordiae studium hortabatur, et tum dicebat: Deus tibi benedicet. Repetiit et mentionem, quam facere crebro solitus fuerat, sermonis habiti a clarissimi viri D. Iohannis Stramburgeri coniuge vidua. Eam cum aliquando laborantem tabifico morbi malo hortantibus amicis accessisset, postea dixit se illius oratione non parum fuisse confirmatum. Sed praecipue haec commemorare solebat, illam cum pronunciasset sententias aliquot, quibus fiducia meriti Iesu Christi sola esse hominibus salutaris demonstratur, qualis est haec: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum etc. Et qui videt filium, et credit in eum, habet vitam aeternam, Et, iustificati fide pacem habemus: His igitur pronunciatis illam dixisse, se nihil sentire tristiciae animo suo, neque aliud cupere et precari quam consolationem istam esse et permanere firmam, neque ulla alia cogitatione aut cura se affici. Atque haec recitans quorundam qui prae caeteris docti et religiosi videri vellent, futiles, et inanes, atque etiam turbulentas disputationes et contentiones reprehendebat et unius mulieris pietatem et veritatis studium illorum clamoribus et zelo opponebat. Si quando mentio fieret hostilium infectationum, quibus oppugnabatur, nihil respondebat aliud, quam illud Psalmi. Illi maledicebant, ego autem orabam. Et rursus haec Psalmi CXX.: Molesta est habitatio animae meae, cum his qui oderunt pacem. Ego pacificus, sed cum loquor, illi belligerantur.

Eo die quo publice postremum praelegit [59]), adolescentibus quibusdam petentibus testimonium initiationis suae, cepit scribere hos versiculos, quos tamen non absolvit:

Aeterno genitore nate Christe,  
Orator patris ex sinu verendi,  
Vocem Evangelii ferens suavem,  
Qua credentibus exhibes potenter  
Vitam iusticiamque sempiternam,  
Et qui sanguine nos tuo redemptos  
Exaudis, reputas facisque iustos,  
Ostendisque piis tuum parentem:  
Nostras Christe semper [60]) doceto mentes,

58) *vita clausa*] Ed. 2. *in*.

59) *praelegit*] Ed. 2. *docuit*.

60) *semper*] Ed. 2. *precor*.

Ac in pectora gratiae arrabonem
Nostra effundito Spiritum moventem,
Casta incendia et invocationem:
Fac pars agminis ut tui per omne
Aevum simus, alacriterque semper
Aeterni Patris et tuas sonemus
Laudes etc. Amen.

Tali igitur fine vitam in terris suam clausit D. Philippus Melanthon, quod unum nobis in praesentia exponendum sumpsimus, Nam vitae illius iam extat descriptio edita, et describetur haec ab aliis, ut confidimus copiosius. Vixit autem annos LXIII, et dies totidem, extinctus eo[61]) horae momento sub vesperam[62]), quo in lucem editum constat. De morte autem huius cum per oppidum increbuisset magnus scholasticorum numerus ad aedes confluxit, cum iam ante frequentes ibi constitissent, et ut antea sollicitudinem, sic illo tempore dolorem suum officio tali ostendebant. Morientem autem nemo qui aderat siccis oculis videre potuit, ne ii quidem, qui animis maxime virilibus mortis tempore consolari atque confirmare alios sciunt, quod omne robur animi amoris erga Carissimum praeceptorem affectio superaret. Sub vesperam statim ab Academia ad Principem Electorem missae sunt literae, quibus de hoc luctuosissimo casu mortis Philippi Melanthonis perscribebatur, quae ante meridiem diei ab hac[63]) tertiae Principi redditae fuere. Compositum autem corpus et depositum, illa nocte in musaeo asservatum fuit, mane diei XX. Aprilis. Mortui etiam facies, ut antea viventis, ab artifice depicta. Cumque in affectione erga magistrum et praeceptorem suum singulis pene momentis venirent, qui peterent sibi videndi illius mortui copiam fieri, quem vivum dilexerant, et admirati fuerant, neque negandum hoc multis de causis videretur, itaque tota illa die, et usque ad meridiem postridianae, quae fuit vigesima prima Aprilis, quasi funus more veteri publice propositum esset, Ita admissi fuere ad aspiciendum hoc omnes, qui expetebant. Neque esse putamus multos in oppido nostro Scholasticos aut cives, qui non illius diei et dimidii sequentis tempore, ut diximus ad eum videndum venerint, aut sine lacrymis eum aspexerint. Multi etiam hospites qui audiendi illius causa ad nos venerant, mortuum tum primum viderunt, quorum ut viventem viderent, non fuit ea foelicitas. Opinio autem de mortuo et affectio erga hunc in spectatoribus illis ex eo etiam tum apparuit, quod pennulae quibus in scribendo usus fuerat, et chartae in quibus aliquid sua manu descripserat, et quae in pavimento musaei abiectae iacebant, et quaecunque alia usus et praesentiae illius memoriam testari possent, a quibusdam studiosissime colligerentur universa. Ea die de funeris exequiis et sepultura decretum est, ut quam honorificentissime fierent omnia. Sandapila autem plumbea, quae[64]) ex plumbo albo confecta fuit, in qua exuviae eius viri, quo Deus ad maximas res usus est, componerentur. Haec in ligneam alteram fuit inclusa, atque postridie sub horam secundam, impositis etiam in sandapilam plumbeam illam aliis quibusdam, in templum, quod ad arcem Witebergensem est, delata[65]) fuit, et prope Lutheri corpus, cui in vita παραστάτης fuit unus omnium optimus, sepultum est.

*Scriptum[66]) autem in sandapilam cum aliis quibusdam tale impositum fuit.*

„In hac sandapila continentur exuviae Phi-„lippi Melanthonis, qui fuit professor sacrae „Theologiae, et Philosophiae in Academia Wi-„tebergensi Annos 42. Vir praestans doctrina, „humanitate, prudentia, vitae integritate, et „sanctimonia, Christiana pietate, ac tolerantia, „beneficentia erga pauperes. Reverendi viri Do-„ctoris Martini Lutheri purioris religionis instau-„ratoris, παραστάτης, et adiutor praecipuus et „fidelissimus in emendatione doctrinae sacrae „fraude Pontificum Romanorum et Monachorum „praestigiis corruptae, et in abrogatione abusuum, „invectorum ab iisdem: Autor confessionis Au-„gustanae, quae est post inchoatam Anno 1517. „emendationem Ecclesiarum, et mutationem, ex-„hibita Invictissimo Imperatori Carolo Quinto in „comitiis Augustanis, Anno a nato ex Maria vir-„gine Iesu Christo salvatore 1530. Propugnator „veritatis coelestis constantissimus totis annis tri-„ginta, cum in plurimis conventibus Imperii, tum „alias privatim et publice, sicut scripta, quae ex-

61) *eo*] Ed. 2. *eius.*
62) *sub vesperam* ed. 2. non habet.
63) *hac*] Ed. 2. *illa.*

64) *plumbea quae* in ed. 2. non leguntur.
65) Ed. 1. *delatum*, ex mendo.
66) Hoc scriptum Pezelius inseruit Melanth. Consil. lat. P. II p. 398 sq.

„tant, testantur. Natus est in oppido palatinatus „ad Rhenum Bretta, honestis parentibus, Patre „*Georgio Schwartzerd*, qui fuit Magister armo„rum apud Illustrissimos Principes, Philippum „et Rupertum, Palatinos ad Rhenum, Electores „Imperii etc. qui et Maximiliano Imperatori et „praecipuis Germaniae principibus propter virtu„tem, integritatem, prudentiam, et artem carus „fuit. Matre vero *Barbara Reuterin*, Anno 1497. „die mensis Februarii 16., hora 7. scrup. 6. post „solis occasum vesperi. Accersitus Vitebergam „ex Academia Tubingensi ad interpretationem „graecae linguae ab Illustrissimo Principe Fride„rico tertio Duce Saxoniae, et Imperii Electore „etc. conditore huius Academiae, de consilio Io„hannis Reuchlini cognati eius. Venit in hanc „urbem Anno 1518. die 25. Mensis Augusti, hora „*prima* pomeridiana. Ibi Lutherus motis iam „controversiis, cum probaret ingenium eius, co„piam ac varietatem doctrinae, et iudicii acumen, „ac rectitudinem, sibi eum adiunxit. Uxorem „duxit *Catharinam Crappin* natam ex honesta fa„milia in hac urbe, Anno 1520. die 25. mensis „Novembris. Ex hac suscepit filios duos et toti„dem filias. Filiorum Georgius altero anno mor„tuus est. Philippus Patri supervixit [67]). Filia„rum Anna nupta fuit Georgio Sabino Iuris „utriusque doctori. Magdalena Caspari Peucero „artis medicae Doctori.

„Coniunx Catharina decessit ex hac vita „Anno 1557. die 11. Mensis Octobris, cum ma„ritus abesset Wormatiae, missus eo ad disputa„tionem institutam decreto Senatus Imperii de „controversiis religionis. Ipse Philippus reversus „ad Academiam, vixit post coniugem in caelibatu „usque in annum tertium, quo sub noctem festi „die Palmarum, ut vocant febri correptus, quam „medici iudicarunt esse ἡμιτριταῖον, tandemque „superatus morbo propter imbecillitatem corporis „confecti aetate, curis, et laboribus assiduis ac „diuturnis, expiravit placidissime cum vera et „ardenti Dei Patris, Filii et Spiritus sancti invo„catione, Die mensis Aprilis 19., quadrante ho„rae ante septimam verspertinam, Anno a nato „Christo 1560., a condito mundo 5522: Has „terras clementer et foeliciter gubernante Illustris„simo Principe Augusto Duce Saxoniae, sacri „Romani Imperii Electore, et Archimarschallo, „Landgravio Thuringiae, Marchione Misniae, „et Burggravio Magdeburgensi, cum complevis„set annos 63, dies 63. Anima fruitur conspectu „et consuetudine filii Dei cum Ecclesia coelesti „iuxta dictum: Beati mortui, qui in Domino mo„riuntur.

„Exuvias certissima et firmissima spe futurae „resurrectionis condidit hoc sepulchro Academia „Witebergensis, solvens Patri, Patrono, et Prae„ceptori optimo fidelissimo et carissimo gratitudi„nis et pietatis officium postremum. Anno 1560. „die mensis Aprilis 21. Rectore Academiae Geor„gio Cracovio I. U. Doctore et professore. Pro„fessoribus Theologiae, Paulo Ebero Pastore. „Georgio Maiore. Paulo Crellio doctoribus. Pro„fessoribus doctrinae iuris. Laurentio Linde„manno ordinario. Ioachimo a Beust. Iohanne „Schneidewein doctoribus. Professoribus doctri„nae medicae Melchiore Fendio. Casparo Peu„cero. Iohanne Hermanno doctoribus. Profes„soribus Philosophiae et liberalium artium, Vito „Ortel Winshemio artis medicae Doctore. Se„bastiano Theodorico. Mathaeo Blochingero. „Petro Vincentio. Esromo Rudingero. Casparo „Crucigero. Iohanne Bugenhagen. Henrico Mol„lero. Eusebio Menio, liberalium artium, et Phi„losophiae Magistris. Et Academiae ministris „Nicolao Risenbergio, et Michaële Maio. Anno, „mense et die, quo supra."

Pompa funeris breviter haec fuit, nam res ab aliis describetur copiosius: Constituti fuerunt ex Professoribus collegii Philosophici qui efferrent, ab his igitur pullatis indutis vestibus talaribus, quales Sacerdotum sunt, et habitu reliquo honesto delatum primum in templum Parochiale oppidi Witebergensis fuit, et ante altare depositum, quo loco flexis genibus orare solitus erat, cum manuum impositione, et precatione commendaretur [68]) docendi munus in Ecclesia legitime vocatis, ibi post Psalmodias, et accentiones alias quales in vespertinis precibus nostrarum Ecclesiarum usurpari solent, Pastor Ecclesiae Witebergensis D. Paulus Eberus concionem habuit funebrem, explicans Apostoli verba in Epistola ad Thessalonicenses capite 4. quae concio editur,

67) *supervixit*] Ed. 2. *superstes*.

68) *quo loco — commendaretur*] Ed. 2. „eum in locum, quo procumbere in genua et orare ille solebat, quando manuum impositione et precatione solenni commendabatur."

ut sit in manibus omnium [69]). Hac, et vespertinis precibus finitis in templum arcis deductum fuit: Ubi ante sepulchrum deposito funere, ex pulpito in vicino loco extructo orationem habuit de mortuo Latinam Vitus Ortelius Winshemius, medicinae Doctor et Graecarum literarum Professor, quae et ipsa [70]) edita est, postquam sepultura peracta fuit, cum res producta esset usque ad horam quintam. Deducentium autem frequentia tam scholasticorum, quam civium, et honestorum hominum omnium ordinum, qui ex vicinis locis convenerant, tanta fuit, ut nemo meminerit in nostro oppido maiorem. Venerat [71]) eadem die sub horam antemeridianam Nonam, Ioachimus Camerarius, cum Clarissimo viro D. Doctore Morchio ad D. Philippum visendum [72]) revertens, cui tamen in itinere de morte huius nunciatum fuerat: Is cum ad Philippi aedes antequam funus efferretur vocatus esset, ut eo veniret, et invitantibus obsequeretur, facere non potuit, sed postea sandapilis omnibus clausis ad deductionem funeris primum eo accessit. Dolorem vero suum et vultu et lacrymis suis homines testabantur maximum, et [73]) quacunque funus procedens [74]) ferebatur omnibus a partibus et eiulatus muliebres audiri, et lacrymae tam huius sexus quam plurimorum, et virorum et iuvenum conspici. Elemosynae autem pro re et copia datae fuere, et pueris Scholasticis qui praecentiones funebres administrabant, et Pauperibus qui expetebant omnibus. Atque hae quidem ut et caetera ex publico Universitatis aerario. Quomodo igitur et mortuus D. Philippus Melanthon sit, et quae funeris exequiae fuerint, hactenus exposuimus, cuius viri memoriam quibus verbis celebremus nos, in praesentia non reperimus. Hoc quidem ante oculos est omnium, quantas res Deus in huius viri humeros imposuerit, de quibus rebus, quod periculum sit ne iam ipso sublato attententur et labefactentur a multis, qui vivum ut oderant, sic etiam metuebant, mortuum autem metuere iam fortassis [75]) desinunt, odisse pergunt, ab iis igitur quin teterrimae quaeque molitiones expectandae sint nimis multa docere possunt. Et meminimus ipsum Melanthonem cum alias saepe tum quodam tempore cum Lithiasi periculose laboraret, de se dicere, se mortuum laborem relicturum Poëtis, amicis autem ἀγῶνα ἐπιτάφιον. Videat igitur sibi unusquisque ut ad impendentia omnia, tum animo quam a [76]) caeteris quibus opus est universis, paratus sit, neque de [77]) hoc in praesentia plura dici attinet.

Celebrationem autem mortui, etsi ei aliena praedicatione minime opus est, et Poëtae, qui sunt, et alii boni quam plurimi suscipient, cuius rei iam quasi δείγματα in manibus sunt non pauca. Atque ut hoc etiam addamus, meminimus D. Philippum aliquot ante mortem annis, cum inter amicos et clariss. nostri temporis Poëtam Stigelium [78]) familiarius in mercatu Lipsensi versaretur, petiisse igitur tum Philippum a Poëta illo meminimus, ut sibi mortuo Epitaphium scriberet, breve quidem, et simplex, atque ut melius intelligas, dicebat, quale velim, ex tempore tum, argumenti loco, hoc distichon pronunciabat, quod subiecimus:

Hoc tumulo parvi requiescunt [79]) ossa Philippi,
Qui qualis fuerat [80]) nescio, talis erat.

Alter vero ille et Poëta et vir optimus, mihi vero inquit unum tantum verbum in tuis versibus mutare liceat, et habebo epitaphium sepulcro tuo non indignum, nimirum ut pro talis, magnus scribatur. Haec igitur tum ita fiebant et dicebantur a iocantibus. Nos autem qui vir D. Philippus Melanthon fuerit, et quid morte huius amissum sit, Poëtis atque bonis et doctis quam plurimis aliis describendum relinquimus in praesentia, qui hanc de morte ipsius narrationem festinata opera hoc tempore edere voluimus, ut extaret mortis eius ceu historiola ad posteros [81]) propter mendacia, et calumnias hostium. Quae vero hactenus de privatis rebus et sermonibus exposuimus, nam publica nota sunt pluribus, eorum testes in praesentia facimus Ecclesiae Witebergensis Pastorem, D. Pau-

69) *quae concio — omnium* in ed. 2. non leguntur.
70) *et ipsa* in ed. 2. praetermissa sunt.
71) Ed. 2. *Advenerat.*
72) Ed. 2. addit: *huc.*
73) *et* abest ab ed. 2.
74) Ed. 2. *procedendo.*
75) *iam fortassis* ed. 2. non habet.
76) *a* non est in ed. 2.
77) *de* desideratur in ed. 2.
78) *Stigelium* ed. 2. non habet.
79) *Hoc tumulo* etc.] Ed. 2.: „Iste brevis tumulus miseri tenet."
80) Ed. 2. *fuerit.*
81) *ut extaret — posteros* in ed. 2. non leguntur.

hum Eberum, et ministros Ecclesiae caeteros. Ex Professoribus autem publicis plerosque, e quorum sunt numero[82]) Georgius Maior, Paulus Crellius Theologiae Doctores. D. Ioachimus a Beust, D. Iohannes Schneidewein I. U. Doctores. D. Vitus Winshemius, D. Casparus Peucerus gener, D. Iohannes Hermannus medicinae Doctores, et Iohannes Maior Ioachimicus, Theologiae Doctor. Ex Philosophiae Professoribus, Magister Sebastianus Theodoricus, Caspar Cruciger, Esromus Rudingerus, Eusebius Menius, una cum multis aliis viris, et iuvenibus optimis, et fide dignissimis, quorum nomina nimis longum fieret, hoc loco perscribere, Et si necesse fuerit edi quocunque tempore poterunt.

---

**No. 7138.** **an. 1560.**

## *Scriptum E.*

(Eadem narratio, vernacula lingua.)

Scriptum vernaculo sermone editum de morbo et obitu Melanthonis non mera est translatio in linguam nostram, sed novum opus quod permultum recedit a latina narratione, alia praetermittit, alia addit, alia paulo aliter narrat. Qua de causa illud etiam inserendum hic putavi, praesertim quum narratio vernacula multum antecellat brevi expositioni latinae. Titulus scripti est: „Kurtzer Bericht, Wie der Ehrnwirdig vnser lieber Vater vnd Preceptor *Philippus Melanthon* sein Leben hie auff Erden geendet, vnd gantz Christlich beschlossen hat, Mit kurtzer erzelung, was sich etliche Tage zuvor mit Im in seiner Schwacheit zugetragen hat. Geschrieben von den Professoribus der Vniversitet Witteberg, die alles, was hie bericht wird, selbs gesehen vnd angehöret haben. (Cum effigie Melanth.) Witteberg, gedruckt durch Hans Kraft. 1560." 9 pl. 4. — Recusa altera vice eodem anno, Witebergae apud eundem Krafiium. — Secundum Strobelium in biblioth. Melanth. etiam recusum Norimbergae 1560. 4. Francof. ad Moenum 1560. 8. et ibid. 1561. 8. — Hic descriptum ex prima editione Witeb., collata editione secunda, quae ibidem prodiit.

### Kurzer Bericht, wie der Ehrnwirdig unser lieber Vater und Präceptor Philippus Melanthon sein Leben hie auf Erden geendet und ganz christlich beschlossen hat.

Nachdem der Allmächtige ewige gütige und barmherzige Gott den hohen theuern und frommen Mann Philippum Melanthonem, unsern lieben Vater und Praeceptorem, den 19. Tag Aprilis nach Mittage, kurz vor 7 Schlägen gnädiglich aus diesem Jammerthal zu seiner seligen Ruhe und ewigen Freude zu sich in sein Reich genommen und abgefordert hat, darinnen er ohne Zweifel mit allen auserwählten Vätern, Propheten, Aposteln, und dem Ehrwirdigen unserm auch lieben Vätern Doctore Martino Luthero, Doctore Crucigero, D. Forstero, Iona, Pomerano und andern bekannten treuen Dienern Christi, der Freude und Herrlichkeit, die uns in dem Evangelio unsers Herrn Jesu Christi, welches Er ja treulich gelehret und erkläret hat, zugesagt und verheißen worden ist, nun mehr geneußt. So sind aber etliche boshaftige, hässige und giftige Leute, die ihre neidische und hässige Natur dazu gewöhnet haben, daß sie leichtlich keinem ansehnlichen, redlichen und wohlverdienten Manne gutes nachsagen können, dieselbigen, sagen wir, reden bei ihrem Haufen von dem Abschied dieses theuern, frommen Mannes so hässige und unverschämte Wort, daß es frommen Leuten, die es bisweilen mit anhören müssen, im Herzen wehe thut, und haben ein herzlich Verlangen, unsern gründlichen und wahrhaftigen Bericht zu hören. So ist auch kein Zweifel, daß diesen theuern und werthen Mann sonsten auch alle verständige, aufrichtige und christliche Männer, hohes und niedriges Standes, bekannte und unbekannte, herzlich lieb gehabt haben von wegen seiner treuen Dienste und nützlichen Arbeit, so er der ganzen christlichen Kirchen fruchtbarlich mitgetheilt hat, und darnach auch von wegen vieler schöner trefflicher Tugend, die in ihm geleuchtet und geschienen haben. Diese alle wollten gern von allen Dingen Bericht wissen, wie es um seine Krankheit gelegen gewest, was er geredt, wie er sich getröstet, und wie er endlich aus diesem Jammerthal geschieden sey. Denn es ist natürlich, daß wir gern alles wissen wollten, wie es mit unsern guten Freunden, die uns im Leben lieb gewest, ihrer Schwachheit und Abschieds halben zugestanden wäre. Und wird ohne Zweifel auch vielen Leuten der Verzug wehe thun, daß man nicht allen Bericht davon in der Eil und alsbald gethan hat.

Es werden uns aber alle verständige herzlich gern entschuldigt nehmen. Denn wir haben damals in unser großen Betrübniß als gutherzige, getreue und redliche Leut erstlich darauf müssen bedacht seyn, wie man die Lectiones wiederum bestellen, austheilen und verwalten müßte, damit die Jugend nicht versäumet, und aus dieser väterlichen Fürsorg und Fleiß Hoffnung gewinnen könnte, weß sie sich zu denen, die Gott gnädiglichen nachgelassen, versehen und vertrösten, auch was für Frucht sie ihnen bei denselbigen zu schaffen getrauen möchten. Da hat erstlich einer dem andern die Hand

82) *e quorum sunt numero*] Ed. 2. *qui sunt.*

reichen und in andern Geschäften entsetzen müssen, damit alles ausgerichtet würde, und nirgend kein Versäumniß geschehe, bis es in Schwang kommen und alles so bestellt worden ist, daß kein Mangel, so viel müglich, gespüret würde.

Und wiewohl wir alle zumal mit Arbeit also beladen seyn, daß keiner zu feiern hat, haben wir doch diesen ganzen Bericht nach der Länge in lateinischer Sprache gethan, und wollen nu auch kurzen Bericht von seiner Schwachheit und Sterben in deutscher Sprache thun, und sagen, was wir gehört und gesehen haben.

Wollen aber zuvor etwas, doch kurz, von der Historia seiner Aeltern, und wie er erzogen und zu diesem Beruf kommen ist, anzeigen, damit der christliche Leser seiner Ankunft und ganzen Lebens kurzen, und als in einer Summa gefaßten Bericht habe.

Es hat zu Pfalzgraff Philipps Zeiten, Churfürsten am Rhein, ein guter frommer Mann, Claus Schwarzerden genannt, zu Heidelberg vor dem Berg gewohnt, der hat mit Elisabeth, seiner ehelichen Hausfrauen, zween Söhne, Hansen und Georgen gezeuget, und dieselbigen zu Gottesfurcht und aller Tugend von Jugend auf fleißig gehalten, und Hansen zu dem Schlösserhandwerk gethan, zu Georgen aber, nach dem er ein fast thätiger Knabe war, der sich tapfer zu allen Dingen stellet, und was ihm befohlen war zum allerfleißigsten ausrichtet, gewann der Pfalzgraf Philipp, Churfürst am Rhein, so einen geneigten Willen, daß ihn sein Churfürstlich G. zu sich an Hof nahme, ließ ihn allerlei Handwerk sehen, zu erkundigen, wozu er Lust hätte, und was aus ihm werden könnte. Als aber der Knabe zum Turnierzeug Lust gewann, hielt er sich am meisten zu denselbigen Meistern, da verdinget ihn der Churfürst zu derselbigen Meister einem, der ein Schlösser zu Amberg war, das Handwerk von ihm zu lernen, Welches er denn in solcher Eil gelernet, daß sich jederman verwundert, ihme auch darüber die Gesellen feind waren, daß ihn einer auf eine Zeit mit heißem Blei so gefährlich verbrannt hat, daß man an seinem Leben gezweifelt, wo er nicht durch göttliche Gnade und sondere fleißige Wartung erhalten worden wäre.

Da nu solches Pfalzgraf Philipp vernahm, wollt er ihn da nicht länger lassen, sondern verschickte ihn an seinen Rüstmeister gegen Nurenberg, der ein erfahrner Mann war auf allerlei Rüstung, zu ritterlicher Uebung gehörig, als mit Schrauben, Straleisen und andern verborgenen Stücken. Als aber derselbige Meister ihn die Kunst öffentlich zu lehren eine Scheu trug von wegen der andern Meistern, gab der Knabe so viel desto mehr Achtung auf sein Ding, und begriff es bald, was man ihm weiset. Denn es war in dem Knaben solche Geschicklichkeit, was die Augen sahen, das konnten die Fäuste, (wie man pflegt zu sagen), nachmachen, ging ihm derhalben, da ers begunnte anzugreifen, richtig von der Faust, schmiedet seine Arbeit so sauber als ob es gefeilet wäre. Das triebe er etliche Jahr, bis er alles, was zum Ritterspiel dienstlich, aufs beste zurichten konnte.

Alda nahm hochgemeldter Churfürst ihn wiederum gen Hof, und machte einen Rüstmeister oder Waffenträger (wie mans nennet) aus ihm. Da behielt er abermals den Preis, denn welche er ausrüstet, die lagen gemeiniglich ob. Deß ward er von männiglich gerühmet, daß endlich viel fremde Potentaten um ihn wurben, als nämlich der König von Polen, dem er etliche Zeit zu solchem Ritterspiel gedienet, Herzog Ulrich von Wirtemberg, Herzog Hans Friedrich Churfürst in Sachsen, Marggraf Christoph von Baden und andere umgesessene Fürsten und Herren. Und erlangten von hochgedachtem Herzog Philippo Churfürsten, daß er ihnen zu solchem Ritterspiel gedienet, die es ihm auch reichlich belohnet haben.

Als er aber nu dreißig Jahr alt war, gedachte ihn der Churfürst mit einer ehrlichen Heirath zu versehen, damit er ihn desto ehe im Lande behalten möchte, und handelte um eines nahmhaftigen Bürgers, Hansen Reuters Tochter zu Bretta, Barbara genannt, die ein tugendsam und wohlgezogen Kind war. Dieselbige ward ihm aus Schickung des allmächtigen Gottes und des Churfürsten Unterhandlung ehelich zugesagt, und hielten ihren Kirchgang zu Speier im Beiseyn vieler rittermäßiger Männer, die ihm zu seinen hochzeitlichen Ehren erschienen waren.

Und hielten sich die beiden Eheleut einander lieb und werth, denn es war auch gedachter Georg Schwarzerd sonsten ein rechter, frommer, gottfürchtiger Mann, und dienete Gott mit Ernst, betet fleißig, hielt seine Betstunden wohl so straks als irgend ein Geistlicher, und ließ sich daran nichts hindern, Stund auch des Nachts auf, fiel auf seine Knie, und thät sein Gebet mit Ernst. Es ist kein Fluch von ihm nicht erhöret, auch keine Trunkenheit nie gesehen oder erfahren worden bis an sein Ende. Er hat im Ehestande gelebt 4 Jahr ohne Kinder, und nach Ausgang des vierten Jahrs, welches war das 1497., Donnerstag nach Invocavit, wird ihm sein erster Sohn *Philippus*, unser lieber Herr und Praeceptor geboren,

in seines Schwähers Hans Reuters, seines Großvaters Hause zu Bretta. Also segnet Gott diesen frommen und gottfürchtigen Mann mit der Gabe eines solchen Kindes, dessen hernach nicht ein Land sondern viel Länder, ja die ganze Christenheit groß genossen hat, und ohne Zweifel bis ans Ende der Welt genießen wird.

Volgendes gab er ihm eine Tochter, Anna genannt, die zu Halbrun verstorben. Und darnach Georgen, der viel Jahr das Gerichte und Schultheißen-Amt zu Bretta verrichtet, und noch in Hans Reuters seines Großvatern Behausung wohnet. Und hernach noch zwo Töchter, Margaretha und Barbara, die beide ehrlichen Leuten verheirathet worden seyn, und viel Kinder und Kindeskinder haben, die sich mit Gottes Gnaden alle redlich nähren, daß Gottes gnädiger Segen hie wohl zu spüren ist, der wolle mit Gnaden ferner bei ihnen seyn, und sie alle mit einander gnädiglich regieren und erhalten.

Unterdessen aber wird George Schwarzerd stets hin und wieder von Fürsten und Herren gebraucht. Als aber Maximilianus der römische König einen Reichstag zu Wormbs hielt, kam ein Welscher, *Fandius Mandari*, dahin, der ließ ausschreiben, daß er mit dem kühnesten deutschen Mann kämpfen wollt. Dazu erboth sich der römische König Maximilianus, nach dem er ein junger freudiger und kühner Held war. Allda berief er auch diesen Georgen Schwarzerd neben andern vielen Rüstmeistern, der verdiente sich damals um den König mit schöner und beständiger Rüstung sehr wohl, denn er lag ob, und erhielt den Kampf; darum ihn auch der König bei sich behielt, und brauchet ihn neben Graf Ludwig vom Liebenstein in Kriegszeiten, so lang, bis sich zwischen der Königlichen Majestät und Pfalzgraf Philippen dem Churfürsten etwas Unwillens zutrug, daraus hernach der Baiersche Krieg erfolget. Da wollte Georg Schwarzerd wider seinen Landesfürsten nicht dienen, nahm seinen Urlaub, und zog wiederum zu seinem Herrn. Da schicket ihn Pfalzgraf Philipp samt noch andern 14 Büchsenmeistern heimlich gegen München, daß er sie als einen Schatz zum Kriege, wenn es die Noth erforderte, brauchen könnte. Durch was Mittel aber solches den Feinden ist verkundschaft worden, weiß man nicht; denn es ward ihnen der Brunn, den sie brauchten, vergiftet, daß etliche in zweien, etliche in vier Tagen storben, daß sie also in kurzer Zeit alle nach einander dahin gingen. Aber diesen Georg Schwarzerd ließ der Churfürst durch seinen eigenen Arzt mit so emsiger Pflege und guter Wartung verwahren, daß er bis ins vierte Jahr hernach lebte, aber doch schwächlich, und ist zu Bretta den 29. Tag Septembris Anno 1508. christlich und seliglich verstorben, den 11ten Tag nach Abgang Hans Reuters seines Schwähers seligen, denn sie sind beide in einem Jahr und Monat gestorben.

Nach dem aber des Herrn Philippi Vater, wie gehöret, oft ausreisen mußte, und nicht stets daheim konnte seyn, befahl er seinem Schwäher, Hans Reutern, Achtung auf die Kinder zu geben, daß sie fleißig zur Schule gehalten würden, und etwas fruchtbarlichs lernen möchten. Nun war oftgedachter Hans Reuter gar ein feiner verständiger Mann, der selbst gestudiret, und die Kinder sehr lieb hatte, der auch in großem Ansehen, und bei jederman wohl gehöret war, nach dem er das Schultheißenamt etliche Jahr verrichtet, und darnach im Rath gemeiner Stadt viel dienete, der schickte seiner Tochter Kinder, Philippum und Georgium, auch seines verstorbenen Sohnes Kinder, Johannem und Schwickerten, mit einander in die Schule, ließ besondern Fleiß mit ihnen haben, daß sie in ihrem Studiren fort kommen sollten. Indessen fiel die abscheuliche Krankheit der Franzosen ins Land, und ward der Schulmeister zu Bretta auch krank daran. Sobald nun Hans Reuter das erfuhr, wollt er die Knaben nicht mehr zu gemeiner Schul gehen lassen, sondern hielt ihnen einen besondern Paedagogum, Johannem Hungerer, von Pfalheim genannt, der lehret die Knaben in des Großvaters Hause mit allem Fleiß, und lernete Philippus für andern seine Grammaticam wohl, daß er fein fertig drinnen war. Da nun der Großvater den Fleiß spüret, kauft er ihnen ein Missal, damit den Knaben neben anderer Lehre die Kirchengesäng auch eingebildet würden, denn sie mußten ihm alle Feiertage mit zu Chor treten.

Zu der Zeit zogen die großen Bachanten im Lande hin und wieder. So denn einer gen Bretta kam, so hetzte der Großvater Philippum mit Disputation an ihn. Es war aber selten einer, der ihn bestehen mochte. Das gefiel dem alten Mann sehr wohl, und hatte seine sonderliche Freude daran. Auch ward der Knabe dadurch kecker, und gewann große Lust zum Studiren. So ließ es auch der Großvater an Büchern und andern Dingen nicht fehlen, damit der Knabe ja nicht gehindert würde.

Als er aber im 1508. Jahr den 18. Septembris in Gott seliglichen verschied, hatte Georgius Simler Wimpmensis zu Pforzheim eine gute Schule angerichtet, die war in großem Beruf, denn er lehrete trefflich wohl. Dahin ward Philippus zu Doctor Johann Reuchlins Schwester geschickt, die ihm mit Freundschaft verwandt war, daß er allda in die Schul

gehen sollte, so pflegte gemeldter Doctor Johann Reuchlin, der damals für einen übertrefflichen gelehrten Mann gehalten ward, oftmals gen Pfortzheim zu kommen, daß er seine Schwester besuchte. Als er aber des Knaben Fleiß sahe, und des schönen und richtigen Ingenii innen ward, nach dem er ihm auch ohne das mit Freundschaft zugethan war, gewann er große Lust zu ihm, und reizte ihn mit vielem Lob, guter Kunst und andern Verheißungen, davon der Knabe viel fleißiger und lustiger zum studiren ward, sagte ihm auch zu, wenn er so fortführe, so wollt er ihm zu seiner ersten Wiederkunft sein Doctor Paretlin, das er in Welschland empfangen hätte, schenken, wie er denn auch thät, und kam in kurzer Zeit von Studtgarden, da er seine Wohnung hatte, wieder gen Pfortzheim, brachte ihm das Paretlin; daran hatte Philippus ein groß Wohlgefallen, nahm auch in seinem Studiren so zu, daß er bald hinauf unter die großen und ältesten Gesellen gesetzt ward.

Zu derselbigen Zeit begunnte auch die griechische Sprache herfürzubrechen, und war neben gemeldtem Schulmeister ein Collaborator, Johannes Hildenbrand, ein gelehrter ehrlicher Mann, der las besonders an den Feiertagen privat lectiones in griechischer Sprache, den hörete Philippus ganz fleißig, also, daß er in kurzer Zeit die Sprache ziemlich verstehen lernet, allein war der Mangel, daß man dieselbige Zeit nicht griechische Bücher haben konnte. Indessen kam abermal D. Johann Reuchlin gen Pfortzheim, als er nun vernahm, daß Philippus die Sprache auch angefangen zu studiren, schenkte er ihm eine griechische Grammaticam, mit Verheißung, daß er ihm auch ein griechisch Vocabularium schenken wollt; doch mit dem Beding, so er ihm bis auf seine Wiederkunft etliche lateinische Verse machen würde. Als aber Doctor Reuchlin in kurzen Tagen wieder gen Pfortzheim kam, war Philippus mit seinen Carminibus bereit fertig, und überantwortete die dem Doctor, da schenket er ihm das versprochene Vocabularium, dessen Philippus so erfreuet ward, als hätte er einen sehr großen Schatz empfangen, danket ihm ganz fleißig, und richtet die Comoedia, die er Doctor Reuchlin gemacht hatte, ihme zu Ehren an, distribuiret die Personen unter den gelehrtesten Gesellen aus, unter welchen denn Franciscus Ireneus auch einer war. Als nun eben damals das Capitel ein Convivium hielt, und Doctor Reuchlin auch dazu geladen hatte, kam Philippus mit seinen Gesellen, und recitirt die Comoediam so lieblich und zierlich, daß jederman ein Gefallen daran hatte.

Und als er nicht gar zwei Jahr da gewest war, og er gen Heidelberg und ward Baccalaureus. Nach dem aber Graf Ludwig vom Liebenstein, von dem oben ist geredt worden, zween Söhne hatte, die er studiren ließ, gab er dieselbigen Philippo unter seine Disciplin. Nichts destoweniger complirt Philippus ad Magisterium. Da nun die Zeit nahet, daß er promoviren sollte, disputirten die Professores, ob er auch zuzulassen seyn möchte, dieweil er noch so jung und kindisches Ansehens war. Als Philippus das vernahm, wollt er da nicht promoviren, sondern zog gen Tübingen, und ward da Magister, und deliberiret lange, zu was Facultät er sich begeben wollte.

Also kam er in Thomas Anßhelms Druckerei, und war bei zweien Jahren sein Corrector, eben auf die Zeit, da er das Chronicon *Iohannis Naucleri* drucket. Als aber das erste Theil sehr verwirret war, mußte er dasselbige in eine Ordnung bringen und richtig machen, welches er ohne die Bibel nicht zuwege bringen konnte. Es war aber zu derselbigen Zeit die Bibel schwerlich zu bekommen. Jedoch bekam er endlich eine in kleiner Form, die las er emsig Tag und Nacht, und gewann also großen Lust zu der Theologia, höret auch lectiones theologicas, und studirte die griechische und hebräische Sprache daneben. Dazu gab ihm Doctor Reuchlin Bücher, und ließ bei demselbigen Anßhelm auch sein Buch de verbo mirifico drucken.

Zu dieser Zeit hat D. Martinus Lutherus angefangen zu schreiben, und wuchs die Schule zu Wittemberg mit Gewalt. Und als diesmals Herzog Friedrich der 3., Churfürst, regieret, hatte er ein groß Gefallen an der Universität, fördert und bessert die mit aller Nothdurft, bewurb sich um gute Leute, und hätte sonderlich gern einen Professorem graecae linguae gehabt. Sandte derhalben eine Legation zu Doctor Reuchlin, ließ ihn bitten, daß er ihm eine tüchtige Person zu solcher Lectur anzeigen wollte. Der Doctor zeigt solches seinem Vettern Philippo an, Philippus erboth sich, seinem Rath zu folgen, das thät der Doctor dem Churfürsten wiederum zu wissen. Also schicket der Churfürst Herren Philippo bald die Vocation zu, die er mit eigner Hand unterschrieben hatte, vermahnet ihn seines Vaters seligen getreuer Dienste, die er seinem Herrn Vater seligen gethan hatte. Erboth sich auch, ihme für seine Dienste guten Willen zu machen. Indessen schicket Herzog Ulrich von Wirtenberg (der Philippum gerne im Lande behalten hätte) Cunrad von Sickingen, damals seinen Diener, zu des Herrn Philippi Mutter, ließ ihr anzeigen, wenn ihr Sohn Philippus geistlich zu werden gesinnet wäre, so sollt er sich bei ihr Fürstlich Gnaden angeben, dann wollt er ihn um seines Vatern seligen getreuen Dienste willen

mit einer stattlichen Pfründe versehen. Aber Philippus war nicht gesinnet Priester zu werden, sondern gedacht auf des Churfürsten von Sachsen Schreiben ihren Churfürstlichen Gnaden und der Universität zu dienen, wie denn geschahe.

Damals hielt Kaiser Maximilianus Anno 1518. seinen letzten Reichstag zu Augsburg, dahin Herzog Friedrich der Churfürste auch kam. Und als Doctor Martinus Luther etliche Schriften hatte lassen ausgehen, und sich damals in Glaubenssachen der Zank anhub, nahm der Churfürst den Herrn Spalatinum mit sich auf den Reichstag, dahin auch Philippus kam. Also ward er gleich durch den Churfürsten dem Spalatino zugethan, die blieben bei einander bis zum Ende des Reichstages, und von dannen fuhren sie gen Wittemberg, und haben hernach mit einander in *Liebe*, Friede und Einigkeit viel nothwendiger nützer *Arbeit* gethan, welches alles hie zu erzählen viel zu lange werden wollt, und wird davon, und anderm, was Philippus erstanden, gethan und ausgerichtet hat, ein sonderlicher Bericht gethan werden, mit weiterer Erklärung jetzt gemeldter Historien. Wollen derhalben dieses hiebei bleiben lassen, und allein Bericht thun von seiner Schwachheit und christlichen Abschied aus dieser Welt, sagen wie wirs gehört und gesehen haben.

In diesem 1560. Jahr, den 19. Aprilis[1]) ist unser lieber Vater und Praeceptor seliger Philippus Melanthon drei und sechzig Jahr, und drei und sechzig Tage alt geworden, und hat gar nahend das Alter des Ehrwirdigen unsers auch lieben Vaters Doctoris Martini Lutheri seliger erreicht. Als er aber nu ein abgearbeiteter Mann und dieses Lebens satt war, hat er sich etliche Jahr zum Sterben gerüstet, wie er denn auch von sich geschrieben, daß er dieses Wesens müde wäre, und derhalben nunmehr seine Gedanken auf ein ander Leben, zu seinem lieben Herrn Jesu Christo richtet. Er hätte in diesem Leben gethan, so viel er gekunnt hätte, und das ander Gott befohlen, Und tröstet sich dessen, daß ers getreulich und gut gemeinet, hätte auch dessen halben ein frölich und gut Gewissen, das gedachte er, mit Gottes Hülfe, unverletzt zu seinem lieben Heiland, Jesu Christo, zu bringen, unangesehen was die undankbare Welt darzu saget.

In diesem sechszigsten Jahre aber hat er sich sonderlich oft hören lassen, daß er nicht lange mehr leben würde. Denn so ofte er höret oder erfuhr, daß seine Widersacher etwas wider ihn schrieben, oder geschrieben hätten, oder sonsten unter einander practicirten, so sagt er: lasset sie immer schreiben bis sie es genug haben, und machen, wie sie nur wollen, ich werde sie nicht lange mehr irren, Ich will aber fleißig lehren, und der Jugend einfältige Erklärung der Wahrheit mit Gottes Gnaden fürtragen so lange ich lebe, und darneben Gott bitten, daß er mir einen frölichen Abschied verleihen wöll; wie er denn zwene Vers des Inhalts gemacht hat, daß er kein mal sich niederleget oder aufstünde, er bitte Gott, daß er ihm einen frölichen Muth zu sterben verleihen wollte.

Wir haben auch vernommen, daß ihm in diesem Jahr[2]) sehr abgangen. Denn ob er wohl alle seine Lectiones aufs fleißigste gelesen, daß darinnen kein Schwachheit zu spüren gewest, so ist ihm doch das Briefschreiben daheime im Hause langsamer von statten gangen, darinnen er doch so geübt, als etwan ein Mensch auf Erden seyn mag, wie männiglich bewußt. Auch haben wir vermerkt, daß er dies Jahr nicht mehr so scharf und sonderlich in die Ferne hat sehen können, wie zuvor, wiewohl er sonsten in der Nahe sich aller Dinge noch wohl besehen kunnte.

Nach dem er aber jährlichen aus Befehl unsers gnädigsten Herrn, des Churfürsten von Sachsen etc. von der Vniversitet Leipzig seiner Churfürstlich Gnaden Stipendiaten, wie gebräuchlich, zu examiniren erfordert wurde, und die Schrift den 27. Martii empfinge, zog er den 30. Martii[3]) zu Wittenberg aus, und kam des andern Tages gen Leipzig, und als er seine Sache ausgerichtet, fuhr er den vierten Aprilis wiederum aus Leipzig, daß er also den nähesten Tag hernach wiederum heimkommen ist. Und wiewohl er ihm sonsten das Werk gefallen ließ, auch den Churfürsten darum lobet, daß seine Churfürstliche Gnade so viel auf die Stipendiaten wendet, und fleißige Examina halten ließ, Wiewohl er auch sonst gerne um seiner guten und bekannten Freunde willen gen Leipzig reisete: so thät ihm doch auf dies mal die rauhe und sauerschlächtige Luft[4]) wehe, und krieget ein Reißen im Leibe mit einer Durchfälligkeit, davon er etwas bleicher ward denn er sonsten pflegte zu seyn; es verginge ihm aber bald. Er klaget auch im Wagen, daß ihm der Frost den ganzen Winter über nicht so wehe gethan hätte als jetzund, krümmet sich derhalben zusammen, stellet sich also, daß mans sehen kunnte, daß ihm nicht allzuwohl seyn mußte. So klaget er auch, daß er mit dem

1) Hic incipit narratio latina.

2) Desideratur: die Kräfte.
3) Edit. I. habet *Aprilis*, quod mendum est.
4) Lat. *ventosa et gelidior tempestas*.

Jahren den Stein erregt hätte, wie ihn denn der viel Jahr geplagt hat.

Aber am siebenden Tage *Aprilis* in der Nacht kriegte er eine Hitze, mit einem ziemlich starken Husten, daß er die ganze Nacht durchaus nicht schlief, davon er sehr matt war; denn der Schlaf enthält sonst alte Leute; und er hatte ohne das die Gnade, daß er bei gesundem Leibe wohl schlafen mochte. Wo auch das nicht geschehen, wär zu besorgen gewesen, daß er es so lange nicht würde getrieben haben. Auch ward ihm der Athem kurz, und verfiel unter den Augen, daß wir darüber erschracken. Und hat ihn ohne Zweifel die Nacht das dreitägige Fieber angestoßen, wie es sich denn hernachmals ausgewiesen hat. Und wiewohl er so schwach ward, daß er kaum zwei oder drei Zeilen schreiben kunnt, da er sich nicht ein Mal auf die Sidel hätte niederlegen und ruhen müssen; so wollt er gleichwohl seine Arbeit und Lectiones nicht unterlassen, sondern schriebe, wie gesagt, und las, und kunnt ihn davon niemand abhalten. Da nun das also geschahe, fordert Doctor Caspar Peucer einen seiner guten Freunde zu sich des Morgens frühe um sechs Schläge, zeiget dem an, wie er seines Schwähers halben hoch bekümmert wäre, denn ob wohl so gar große Gefahr nicht zu kennen wäre, so hätte er sich doch über keiner seines Schwähers Schwachheit so hart bekümmert gefühlt als eben über dieser, und müßte sich demnach allerlei befürchten. Also ward für gut angesehen, daß man Johannem Camerarium fodern sollt, als der nun länger denn vierzig Jahr mit Philippo gute Kundschaft gehabt, und in solcher Freundschaft mit ihm gelebt hatte, als etwan Leute leben möchten, welchen auch der Herr Philippus wohl leiden kunnte, und ward also denselbigen Tag Camerario geschrieben, und angezeigt, wie es mit dem Herrn Philippo eine Gelegenheit hätte.

Das Mal schrieb Philippus zu einem guten Freund in Sachsen[5]), und klagte ihm, wie er so schwach wäre, und zeiget an, daß er nach der Reise von Heidelberg so schwach sich noch nie gefühlt hätte; er hielt es aber dafür, daß ihn Gott vielleicht ex Lystrica Synodo, damit die Flacianer umgingen, erretten wollte, welches eine Weissagung gewesen ist von seinem Tode. Auf dem andern Synodo zu Epheso schlugen die unsinnigen und wüthenden Pfaffen, *Dioscurus* mit seiner Rotte, einen heiligen, gottfürchtigen und gelehrten Mann *Flavianum*, der ein Bischof von Constantinopel war, und recht lehrete, und traten ihn mit Füßen, daß er in wenig Tagen hernach starb, daher derselbige Synodus noch auf den heutigen Tag der Mörder Synodus genennet wird.

Er brauchte aber das Mal seinen Eidam zu einem Medico, wie er ihn denn zuvor auch gebraucht hatte, der schmieret ihn und legte ihm Säcklein auf, und machte ihm ein Bad, daß der Stein desto sänfter abgehen sollte, wie ihm denn zuvor das alles wohl bekommen war. Aber Philippus sagte bald, es wäre der Stein nicht seine fürnehmste Krankheit, er meinet aber, es wäre ein zäher Schleim, der ihn so plagte, das doch auch nicht war, wie sichs hernach ausweisete. Als er nun eine gute Weile stille geschwiegen hatte, hebt er an und spricht: ist es Gottes Wille, daß ich sterben soll, so will ich herzlich gerne sterben, und bitte Gott nur allein um einen frölichen Abschied; und scheinet, als habe er auf den Lobgesang des guten alten Simonis gesehen, daß er eben des Wörtleins frölich gebraucht hat.

Da er nun die Briefe verfertigt, legte er sich wieder nieder auf seinen Rock, und ruhet bei einer Stunde. Kurz vor achten stehet er wiederum auf, und spricht zu M. *Esromo* und M. *Sturione*, die damals bei ihm waren: ich bin nu etliche Jahr her gewöhnlich um diese Zeit schwach gewesen, aber dies Jahr ist mir um vieler Ursachen willen, welche er eines Theils erzählet, sonderlich gefährlich, und ist sich zu befürchten, daß eine Theurung folgen möchte. Rieth derhalben der Universität, daß sie Korn in Vorrath kaufen sollt, welches auch geschehen, und als zum Zeugniß seiner väterlichen Vorsorg behalten wird. Nach dem er aber meinet, es wäre um neune, da er sonst Dialecticam zu lesen pflegte, rüstet er sich, nach dem Collegio zu gehen, und obwohl darfür gebethen ward mit fleißiger Vermahnung, daß er seiner schonen sollt, sagte er doch, er wollte nur ein halbes Stündlein lesen, und darnach baden. Gehet also herfür nach dem Ofen, da er sein Handbecken hatte, und will aufs Bänklein, das für dem Ofen stund, steigen, und die Hände waschen, aber er war so matt, daß er den letzten Fuß nicht hinnach heben kunnt, und wäre bald wieder rücklings herab gefallen. Da saget er: ich werde euch auslöschen wie ein Licht; denn er ließ sichs bald im Anfang seiner Krankheit merken, daß er es nicht lange mehr treiben würde. Redet ofte und viel vom Tod sehr weislich und tröstlich, wie wir denn etlicher derselben Reden hernachmals gedenken wollen. Also gehen jetzt gedachte beide Magistri mit ihm hinab ins Collegium, und ließen ihn also gehen, der Hoffnung, es sollte damit die Lection verhindert werden, wiewohl wir befurchten, daß er wohl die Stunde lesen möchte, dieweil er wußte, daß der Lector nicht anheim war, der dieselbige Stunde zu lesen

5) Epist. ad Ioach. Mollerum, d. d. 8. Apr.

pflegte. Als wir aber in das Auditorium kamen, waren sehr wenig Studiosi drinnen, die zeigten an, daß es noch nicht achte geschlagen hätt. Da spricht er: was machen wir denn hie? Kehret also mit den zweien um, und unterwegen sagt er, wenn ich bis gen Kemberg ginge, so möchte es besser mit mir werden, wiewohl es ihm seiner Schwachheit nach unmöglich wäre gewesen. Jedoch fühlet er sich, da er wiederum heim kam, etwas geschickter, und blieb gleichwohl auf seiner Meinung, daß er noch, wenns neune schlüge, lesen wollt. Und wiewohl etliche meineten, man sollte anschlagen, daß er nicht lesen würde, daß er nicht etwa nach dem Reden zu schwach werden möchte; so mußte man sich gleichwohl besorgen, wenn er wieder käm, und fände niemand, daß er möchte zornig werden, und von derselbigen Bewegung mehr Schadens nehmen denn vom Lesen. Darum hat man ihn auch die folgende Tage auf solche Wege nicht mit Gewalt hindern wollen, hat ihn aber sonst allemal fleißig gebethen, daß er seiner schonen wollte. Da er wieder heim kam, leget er sich abermal auf die Sidel nieder. So gehet M. *Esrom* weg, und saget, er wollte seine Brief zusiegeln, die er an Camerarium geschrieben hätte. Spricht Philippus zu ihm, er sollte Camerario schreiben, daß er seines Steins halben nicht gen Meißen kommen könne; denn da sollte er auch die Knaben examiniren. Also blieb *Sturio* da, mit dem redet er von der materia, die er hernach in der Lection gehandelt hat, und weisete ihm den locum aus Nazianzeno.

Da es nun neune schlug, ging er wiederum mit den vorigen beiden nach dem Collegio, las und explicirte das Argument im Nazianzeno fein richtig, und war das: wenn einer einen gefangen nimmt, so ist man ihm die Ranzaun oder Bezahlung zu geben schuldig. Nun saget der heilige Apostel 2. ad Timoth. am andern Kapitel, daß wir unter des Teufels Strick gefangen liegen zu seinem Willen, so will folgen, daß ihm die Ranzaun oder Bezahlung gebühre. Darauf, sagte er, müßte man also antworten: es wäre wahr, daß die Ranzaun oder Bezahlung dem von rechtswegen gebühret, der einen andern gefangen hätte, so anders der Gefangene wollt los seyn, Ja so er anders in einem rechtmäßigen und aufrichtigen billigen Kriege gefangen wäre worden, alsdann wäre der Gefangene ohne Zweifel die Bezahlung zu thun schuldig. So er aber von einem Mörder oder Straßenräuber gefangen ist, so wäre er ihm mit recht eben nichts schuldig zu geben; denn einem Mörder und Straßenräuber gehört von rechtswegen das Schwert oder Rad für solch sein Gefangennehmen, und spricht das Recht den Gefangenen ohne Entgeld los. Nu stehet vom Teufel auch geschrieben, daß er ein Dieb und Mörder sey von Anfang, darum gehört dem Teufel keine andre Bezahlung denn Gottes Gericht und ewige Verdammniß, denn er hat uns nicht in einem redlichen und rechtmäßigen Kriege, sondern wie ein Dieb und Mörder gefangen. Darum ist ihm auch unser lieber Herr Christus in der Bezahlung für uns nichts schuldig denn höllisch Feuer und ewige Pein, das soll sein Trankgeld für dies Fangen seyn. Die Bezahlung aber gehöret Gott und seinem Rechte, wie das in seinem Gesetz geoffenbaret ist, und die ist Christus als ein Mittler zu thun schuldig, und hat sie auch reichlich genug gethan, nicht mit Silber und Gold, sondern mit seinem theuern Blut, damit er das Gesetz erfüllet und der Gerechtigkeit Gottes genug gethan hat etc. Und währete die Lection nicht über eine Viertelstunde. Es gedenkt auch niemand, daß er jemals so bald hätte aufgehöret, und redet gleichwohl noch so frisch, als ob er gar gesund wäre. Da er aber heim kam, setzt er sich bald ins Wannenbad, blieb etwa ein halbe Stunde drinnen, darnach ging er zu Tische, und war etwas geschickter denn zuvor, aß aber wenig, macht sich doch frölich, daß ihrer viel hofften, es sollt nun hinüber seyn und hinfort keine Noth mehr haben. Darnach legte er sich zur Ruhe, und schlief fast bei dreien Stunden, davon er wiederum so fein erquickt ward, daß wir alle mit einander mehr Hoffnung zur Besserung gewonnen. Vor dem Abendmahl verfertigte er noch etliche Schriften, kam darnach zu Tische, und war sehr fein, allein daß er matt und lösig[6]) war. Die folgende Nacht aber ward ihm etwas beschwerlicher, denn bald nach Mitternacht kam ihn das Fieber wiederum an, und da ward man erst[7]) gewahr, was seine Krankheit wäre, und saget ihm sein Eidam Doctor Caspar, als ein Medicus, seine Krankheit wäre nicht der Stein allein, sondern es wäre ein febris tertiana mit. So sagte es auch der Herr selbs, daß er ein Feber fühlet, und da er auch des Morgens um fünfe aufstund, merkt man eigentlich, daß es im Abnehmen war.

Also ward ihm denselbigen Tag nach dem Feber, welcher war der 9. *Aprilis*, ein wenig besser, und thät die fünf Tage nach einander seine gewöhnliche Arbeit, und versäumte nichts, fuhr auch fort in seinem Chronicon. Und nachdem er die historiam Caroli Magni für sich hatte, und eben davon sagen mußte, wie ihm der Roland, seiner Schwester Sohn, umkommen

6) lösig] i. e. lässig, schlaff.
7) erst] ed. 2. allererst.

wäre, recitirt er auch das Epitaphium, welches Carolus Magnus dem Roland selbst gemacht haben sollt, und hielt in sich diesen Sentenz:

> Du zeuchst hin ins recht Vaterland,
> Und läst uns in betrübtem Stand;
> Dein Reich hat nu ein schönen Saal,
> Wir aber sind in Angst und Qual.

Dieses redet er mit solchem Lust, daß man merken kunnt, daß er eine sonderliche Freude daran haben mußte. Also könnten wir jetzund auch billig von unserm lieben Vater und Praeceptore Philippo sagen, und wir zwar nicht allein, sondern mit uns die ganze christliche Kirche, denn er ist ohne Zweifel in seinem rechten Vaterland bei unserm lieben Herrn Jesu Christo in ewiger Freude in dem himmlischen Saal, wir aber in elender betrübter und fährlicher Zeit in diesem Jammerthal, wie alle Vernünftige sehen und verstehen können. (Wir haben aber jetzund zu klagen nicht vorgenommen.) Dies ist die letzte Lectio, die er im Chronico gethan hat, da er von der Grabschrift des Rolands und seinem Tod saget, daß er, wie etliche schreiben, Dursts gestorben wäre, und sagt darzu, daß gemeiniglich treffliche Männer unversehens weggenommen würden.

Des andern Tags, welcher war der zehende *Aprilis*, war er, unsers Bedünkens nach, des Febers ganz frei, und machte ihm der Medicus einen Trank, der ihm, wie er selbs saget, wohl bekommen wäre, und wir hätten alle gern gesehen, daß er geruhet und seiner geschonet hätte. Aber er wollt nichts versäumen. Und da er vernahm, daß die Herren der Universität zu handeln hätten, daran gelegen war, ging er zu Mittage um zwölfe zu ihnen auch unerfordert, damit ja, so viel an ihm wäre, gemeiner Nutz gefördert würde. Und wie er in summa vor je und allewege gemeinen Nutz seiner Wohlfart vorgesetzt hat, also thät er diesmal auch, unangesehen daß dafür gebethen ward; denn uns dazumal kein Handel so groß hätt mügen fürfallen, daß wir deßhalben bei solcher seiner Gelegenheit ihn hätten bemühen sollen oder wollen. Und redet das Mal sehr ernstlich und heftig wider etliche, so sich unruhig und muthwillig gehalten. Fället auch einen sehr ernsten Sentenz, und vermahnet diejenigen ganz christlich und väterlich zur Versühnung und Einigkeit, unter welchen gleichwohl ein fährlicher Zank entstanden war. Wir wissen uns zu erinnern, daß er einsmals auf eine Zeit, da er über solchen Händeln heftig bewegt war, saget, der Zorn, die Sorge und die große Arbeit fressen mir mein Leben hinweg. Aber der Handel, davon wir jetzt geredt, gewann noch einen guten richtigen Ausgang, daß er noch gutes Muths und ohne Zorn wieder heim ging, schrieb und corrigirt noch denselbigen Abend einen Druck an der Leichpredigt Herzog Philips in Pommern, die damals hie gedruckt ward, auch etliche Epicedia. Und dies machte uns Gedanken, daß er eben in seiner Krankheit am meisten mit den Leichpredigten und Grabschriften zu thun hatte, dieweil er selber saget: ich gehe jetzund nur mit Sterbens Sachen um; dieser löbliche Fürst aus Pommern, der jetzt gestorben ist, hat Philippus geheißen, vielleicht werde ich der näheste Philippus seyn aus dem gemeinen Haufen, der dem frommen Herrn folgen wird. Und wiewohl er das in einem Scherz redet, so hat es sich doch ausgewiesen, was solche Reden bedeutet haben.

Den eilften Tag *Aprilis* krieget er das Feber auf den Abend wieder, aber den Tag über schrieb er wieder fortan, las und thät alle Arbeit, wie er sonst pfleget, daher auch der meiste Hauf Hofnung gewann, es sollte nicht Noth mit ihm haben, er hätte wohl ehr ein größeres überwunden, und sahen doch seine große Mattigkeit und Schwachheit alle, die mit ihm umgingen. Ward derhalben von ernster und steter Vorbitt nichts unterlassen. Ungeacht aber derselbigen großen Mattigkeit und Schwachheit las er noch des Morgens im Collegio um sechse das 17. Capitel Johannis von dem Gebeth Christi, wie er sonst die Feiertage pflegte zu lesen. In dieser Lection gedacht er abermal seines Sterbens, wie er denn auch vor wenig Tagen thät, da er einem Knaben einen schönen Sentenz saget und spricht zu ihm: den Sentenz behalt fleißig, und gedenk daran, wenn ich einmal tod bin. Er fasset aber dasmal das Gebeth Christi seinen Zuhörern in die drei Hauptstück, daß Christus gebethen hätte, erstlich, daß ja der himmlische Vater eine christliche Kirche im menschlichen Geschlecht sammlen und erhalten wollt. Zum andern, daß sie friedlich und einträchtig seyn sollt. Zum dritten, daß sie auch selig und Erben des ewigen Lebens werden sollten. Da er nun die drei Hauptstücke also erzählet hatte, sprach er: Ich gedenk, daß mein lieber Vater seliger drei Tage vor seinem Tod diese drei Stück auch gebethen hat. Und sagte alsbald darauf: diese drei Stück will ich auch meinen Kindrichen lassen, wenn ich sterbe, daß sie in rechter christlicher Kirchen seyn, daß sie eins sind in ihm, und einträchtig unter einander, und daß sie Erben des ewigen Lebens seyn. Wie nun sein Vater solches drei Tage vor seinem Ende gebethet hat, also bethete es Philippus neun Tage vor seinem Ende.

Man konnte aber da nicht merken, daß sich etwan die Kräfte wieder gefunden hätten. Es war auch weder zu Mittage noch auf den Abend keine Lust zu essen

in ihm, krieget auch bald nach dem Abendessen das Feber wieder, welches ihm da zum dritten Mal ankam, und schlief die Nacht über sehr wenig, und wiewohl ihn das Feber und das Wachen die Nacht über nicht wenig gemattigt hatte, stund er doch des Morgens um viere auf am Charfreitage, welcher war der zwölfte *Aprilis*, und ging darnach, wie es um sechse war, ins Collegium und las, da er doch sonsten, wenn ihm wohl war, von den frühen Lectionibus um des laut Redens willen pflegte matt zu werden. So hat mans auch etliche Jahr her merken können, daß ihn das viel Reden an den Festtagen in seinem Alter geschwächt hat, sonderlich um Ostern, da er allemal fünf Tage nach einander in der Frühstunde vom Fest unter einer großen Anzahl Volks geredt hat. Es versuchten wohl etliche, die seiner Schwachheit Sorge trugen, da er noch zu Leipzig war [8]), ob sie ihn durch andre Mittel von solchem Frühelesen zu der Zeit könnten abhalten, es gerieth ihnen aber nicht. Es waren auch Fürstliche Briefe da, daß er sollte gen Meißen ziehen, die Schule zu visitiren, er wollte aber auch nicht, damit auf das schöne Fest, darauf viel großer nützer Lehr gefallen, die Studiosi allhie derselbigen nicht beraubt würden. Aber Gott hat das alles gnädiglich regirt, daß er wieder herkommen, und an dem Ort, vor den Augen und unter den Händen derer, die er lieb hatte, hat sterben sollen, da er nun 42 Jahr nützlich gelehrt hat. Er las aber damals das 53. Capitel Esaiae, und da er kam auf den locum vom neuen Gehorsam, bald am Ende der Lection, saget er: es ist auch unser Fleiß und Ritterschaft vonnöthen; damit er zu erkennen geben hat, auch in seinen letzten Tagen, daß er ihm seinen Beruf und Amt hat lassen einen Ernst seyn. Und dies ist seine letzte Lectio gewesen, denn die am Ostertage ward verhindert, wie wir bald berichten werden.

Nach Mittage hat er angefangen, die Vermahnung zu schreiben, die man nach Gewohnheit dieser Schul und Kirchen jährlich auf den Ostertag pflegt anzuschlahen. Diesen Abend haben viel glaubwürdiger Leut zwischen neunen und zehen am Himmel Gewulken gesehen, welche wie gebundene Ruthen gestalt gewest, und sind derselbigen erstlich fünf gesehen worden, davon die zwei bald verschwunden, drey aber sind eine ebene Weile stehen blieben, haben die Stiele gegen der Stadt gekehret nach Mittag, und das Fordertheil nach Mitternacht. Da nun solches dem Herrn Philippo angezeiget ward, sprach er: das bedeutet Gottlob eine väterliche Strafe, denn die Väter brauchen Ruthen und keine Schwerter. Ich halt aber, es werde uns Gott mit Theurung strafen, aber unsre Widersacher werden eine härtere Strafe leiden müssen. Er hat aber sonst auch oft vor seiner Krankheit gesaget, daß der große Muthwillen und die Undankbarkeit des Volks sampt der mannigfältigen Abgötterei nicht könne ungestraft bleiben, es werde Gott einmal aufwachen, und drein sehen müssen, daß wirs fühlen, und daran ist kein Zweifel, denn das Volk wird sicher und kehret sich an keine Vermahnung, und wenn das geschicht, so ist die Strafe nicht weit. Der allmächtige Gott sey uns gnädig, den wir von Herzen bitten, daß er in seinem Zorn auch an seine Barmherzigkeit gedenken wolle.

Die folgende Nacht hat er wohl geruhet und sanfte geschlafen, und er saget, es hätte ihm geträumet, wie er gesungen hätte: mich verlanget herzlich das Osterlamm mit euch zu essen, auf die Melodey, wie mans vor Zeiten lateinisch in der Kirchen gesungen hat, und hätte so laut geschrieen, daß er darüber erwacht wäre. Und dieweil er so wohl geschlafen hätte, stund er den 13. *Aprilis* des Morgens um drei auf, die Schrift volgends zu verfertigen, die man den Ostertag anschlahen sollte, welches auch seine letzte Schrift gewesen ist, die man angeschlahen hat. Da er nu in die Kirche ging, nahm er die Schrift mit sich, und trug sie zum Drucker, daß sie denselbigen Tag noch gedrucket würde. Darnach ging er in die Kirche, beichtet, ließ sich absolviren und empfing mit andern frommen Christen in rechtschaffenem Glauben den Leib und Blut unsers Herrn Jesu Christi, mit Danksagung und fleißigem Gebeth. Nach Mittag um zwei ging er wieder in die Druckerei, daß die Schrift, die er zu Morgens hineingetragen hätte, gedruckt würde, und nicht etwan Säumniß geschehe. Und dieses ist das letzte Mal gewest, daß er aus dem Haus gegangen, denn er hat sich hernach stets inne gehalten.

Um diese Zeit fand sich das Feber wieder, und machte ihn sehr verdrossen, ward matt, unruhig und zitterten ihm die Glieder, leget sich eine Weile auf die Bank nieder und stund wieder auf, ging in seiner Stuben umher, blieb nicht lange, ging hinab in die unterste Stube, und stellte sich so, daß mans sehen kunnte, daß ihm nicht wohl was. Als er wieder hinaufgehen wollt, setzte er sich auf der Treppen nieder und legte den Kopf in die Hände. Unterdessen kömmt eben Joachimus Camerarius, gehet ins Haus hinein, und findet Philippum so sitzen. Da stehet Philippus auf und empfähet ihn, und reden eine Weile mit einander. Bald schlägts fünfe, da begehret er zu Bette, denn es kam ihn eben hart an mit einem starken Frost,

8) Videl. in ultimo itinere.

und that ihm sehr wehe. Also ward er zu Bette gebracht, und aß denselbigen Abend nichts, und hatte eine sehr böse Nacht, schlief nichts bis gegen dem Tage, da begunnte er ein wenig zu ruhen. Das währet dennoch fast bis um fünfe. Da stund er auf, und dieweil es der Ostertag war, zog er sich an, nahm seinen Rock um, und wollte schlechts ins Collegium gehen, und seiner Gewohnheit nach das Evangelium auslegen und lesen, und war doch der gute fromme Mann so matt und schwach, daß er kaum auf den Beinen stehen kunnt. Da bath ihn Camerarius sehr fleißig, daß er sich sollte inne halten, aber er wollt sich nicht halten lassen, sondern saget, er wollte der Jugend nur einen Sentenz erklären. Es hatte aber einer den Studenten angezeiget, der Herr würde nicht lesen; da waren sie alle wieder weggegangen. Indeß kömmt der junge Philippus, sein Sohn, und spricht: Vater, es ist niemand im Collegio. Da fähret ihn der Vater ernstlich an und spricht: so hast du sie heißen weggehen. Als sich aber der Sohn entschuldigte, gab er sich zufrieden, und saget: wem soll ich denn lesen, wenn niemand da ist, und leget also den Rock wiederum ab, und war gut, daß die Lectio also verhindert ward, denn er wäre uns allzuschwach worden. Es wartet aber ein Bothe aus Pommern vor der Thür. So hatte er auch sonst Briefe zu schreiben in Preußen. Da fing er an, in Preußen zu schreiben, und als er eine Weile geschrieben hatte, schrieb er dem Pommerschen Bothen aufs wenigste ein Brief[9]) oder drei, und schicket vielen guten Freunden Herzogs Philippi, deß wir oben gedacht haben, Leichpredigt. Unterdeß ward es Zeit, daß man in die Predigt gehen mußte, da blieb Camerarius bei ihm, die andern gingen zur Kirchen, so machte Philippus die Briefe zu, und fertigt den Bothen ab.

Da er nun nach der Predigt zu Tische ging, kam ihn ein Reißen im Leibe an, daß er wieder mußte aufstehen, kam aber bald wieder, setzt sich, und aß ein wenig von einem Birkhahn, welchen ihm neben einer Birkhennen und etlichen Rephünern der löbliche und fromme Fürst Joachim von Anhalt gesandt hatte, nach dem er erfahren, daß er krank wäre. Und es erzeigten sich auch die Benachbarten vom Adel sehr freundlich, wiewohl sie es auch sonsten stets gethan haben. Darnach aß er auch ein wenig gekochte ungarische Pflaumen und trank einen Rheinischen Gänsfüßer, den lobet er, und saget, er schmeckte ihm wohl. Und wiewohl er sich frölich stellet und holdselig mit guten Freunden redet, so ward er doch sehr matt und schwach, und ward immer je länger je schwächer. Da er nun von Tische aufstund, ging er hinauf in seine Stuben, leget sich hin auf seine Bank, und ruhet eine Weile, stund darnach auf, und schrieb wieder fort an den Brief, den er in Preußen senden wollte, verfertigt ihn aber denselbigen Tag nicht die Hälfte. Als er aber des Schreibens müde ward, setzte er sich forne auf seinen Kasten, der bei der Thür stund, gedachte des Ehrwirdigen Herrn Doctor Pommers unsers Pfarrherrns seligen, und sprach: Doctor Pommer der gute fromme Mann seliger, ist von keiner andern Krankheit denn vom Alter gestorben. Und sagte weiter, es sollts ihm keiner wünschen, daß er so lange leben sollte, daß er für Alter und Schwachheit den Leuten nichts mehr dienen könnte. So bath er auch der folgenden Tage einen Gott von Herzen fleißig, (daß es ihrer viel höreten), wenn er seiner Kirchen und christlichen Jugend nicht mehr dienen sollt, daß er ihn gnädiglich aus diesem elenden Leben wegnehmen wollte. Und wiederholet dies Gebeth hernachmals ofte, denn er befurchte, er möchte durch ein lange währendes Feber verzehret und lange aufgehalten werden, daß er den Leuten nichts nütze seyn könnte, wie denn auch andre viel meineten. Gott aber hat sein Gebeth gnädiglich erhöret.

Den andern Tag aber, welcher war der 15. *Aprilis*, setzte er sich des Morgens wieder über und schrieb, denn er hatte die Nacht ziemlich wohl geschlafen, und ließ sich gute Freunde überreden, daß er innen blieb und nicht las. Und dieweil den Tag das Feber wieder kommen sollte, ward die Mittagsmahlzeit desto ehe zubereitet. Noch kam es ihn gleichwohl über dem Tische an, daß er also vom Tische ins Bette geführet ward. Ehe er aber herab zu Tische ging, sagt er unter andern: wenn es Gottes Wille wäre, so wollt ich gerne sterben, ich begehre zu wandern und bei meinem lieben Herrn Christo zu seyn. Und fragte den Herrn Camerarium, ob er auch des Spruchs in seinem Büchlein über des heiligen Apostels Pauli Episteln gedacht hätte, denn es stünde im griechischen Text ein Wörtlein, das wäre in lateinischer Sprache nicht recht gegeben, denn es sollte wandern heißen, oder sich auf den Weg rüsten. Der Herr Camerarius aber saget, er hätte es versehen, und gereuet ihn, daß er nichts davon gesagt hätte. Er gedachte auch an den wohlgelehrten gottfürchtigen fürtrefflichen Mann, den Doctorem Jacobum Milichium, daß der zu ihm gesagt hätte, es könnte kommen, daß einer dies zeitliche Leben gerne verlassen möchte, aber es könnt nimmermehr fehlen, wenn einer dem Tode fleißig nachdächte, so müßte er sich etwas dafür

9) Epist. ad Rungium d. 14. Apr.

entsetzen. Das ließ ihm Philippus sehr wohl gefallen, und sagte, es wäre viel zu wenig, daß man einen in Todesnöthen damit freudig zum Sterben machen wollte, daß viel Elends und Jammers auf dieser Erden wäre etc., es müßte was anders seyn, das den Menschen zum Sterben muthig machte.

Da er nun wie obgemeldt ins Bette bracht ward, lag er bei dreien Stunden, ohne daß er unterdeß etlich Mal seiner Weg aufstund; denn so reinlich war er, daß er ihm kein Gefäß reichen ließ. Und als er dermal eins wieder zum Bette zugehet, und sich wiederum hinein legen will, da wird er so schwach, daß er dem Herrn Camerario und seinem Eidam Doctor Caspar Peucern unter den Händen darnieder sinkt. Da bestrichen und rieben sie ihn, bis er sich wieder erquicket, und legten ihn wiederum ins Bette. Da blieb er liegen bis auf den andern Tag, und ist ihm die Nacht sonderlich schwer gewesen, denn er hustet viel und schlief wenig. Und dies ist das fünfte Mal gewesen, daß ihn das Feber wieder ankommen ist, und währet länger und war ihm beschwerlicher denn zuvor, denn es währet fast bis auf den Abend um siebene, das ist in die zehende Stund. In der großen Hitze waren ihm die Schenkel gar kalt, und konnt sie doch nicht unter dem Bette behalten, darum, daß er inwendig im Leibe große Hitze fühlet. Wenn man ihm denn die Schenkel begreifen wollt, wie gute Freunde pflegen zu thun, daß sie fühlen wollen, ob sie heiß oder kalt seien, das mocht er nicht leiden. Und wir achten, daß dies die Ursach gewest sey, daß er hernach die andern Tage die, so ihn besuchten, heim gehen hieß.

Den Tag wird ihm eine Herzstärkung auf die Brust gemacht. Da zeiget er an, wie in solchen Herzstärkungen die Coreln [10]) ein so köstlich Ding wären, denn er hätte es selbs erfahren zu Weimar, da er an Schwachheit des Herzens heftig krank gelegen wäre; denn es hätt ihm dasmal Doctor Georg Sturtz, ein berufener Arzt, eine solche Herzstärkung von Corallen aufgelegt, da wäre ihm bald besser worden, daß er geruhet hätt, und im Schlaf wäre ihm vorkommen der Spruch des Propheten: non moriar, sed vivam etc. ich werde nicht sterben sondern leben, und des Herrn Lob verkündigen; darnach wäre er auch wiederum bald gesund worden. Dieweil sie ihm aber dasmal wohl bekommen wären, wollt er, daß man diesmal auch Coraln drein brauchen sollt, welches denn also geschah, und er behielt es auch die ganze Zeit volgends über.

Den sechszehenden Tag *Aprilis* des Morgens frühe um viere bethete er ernstlich und heftig, wie es denn sonst seine Gewohnheit was, daß er alle Morgen zuvor sein Gebeth that, ehe er etwas anfing. Nach dem er aber sein Gebeth gesprochen hatte, setzte er sich über und machte die Schrift in Preußen volgends fertig. Diesen Tag wollte der Herr Camerarius wiederum heimziehen, daß er seine Sachen verrichten und zu gelegener Zeit wieder kommen möchte, abzuwarten, was es mit dem Herrn Philippo für einen Ausgang gewinnen wollt, und hoffte jederman, es würde sich das Feber, wenn es zum siebenden Mal wieder kommen würde, ändern, und versahe sich doch niemand, daß es so bald ein solch Ende gewinnen sollt, dieweil alle Sinne in ihm noch unverruckt, und er am Leibe gleichwohl noch so stark war, daß er umgehen konnte und nicht allerdinge lagerhaftig war, wiewohl man die große Mattigkeit für Augen sahe. So gehet es auch sonst gewöhnlich also, was man nicht gerne hat, das gläubet man desto weniger. Und dieweil der Herr Camerarius, wie gemeldt, auf seyn wollt, und der Herr Philippus auch des vorigen Tages seines Febers halben nichts gegessen hatte, richtet man die Mahlzeit desto früher an, daß sie mit einander essen sollten. Wir waren auch der Hofnung, daß der Herr Philippus bei der Gesellschaft etwas mehr zu sich nehmen würde. Ehe sie aber hinunter gingen, setzten sie sich beide auf die vordere Bank, und redeten mit einander, und stunden andere viel, die ihn zu besuchen pflegten, umher, und fielen auch unter andern Reden mit ein von seiner Schwachheit. Da spricht Philippus zum Camerario, als ob er ihn gesegnen wollt: mi Domine Ioachime, wir sind nu bei vierzig Jahren gute Freunde mit einander gewesen, und hat einer den andern lieb gehabt, nicht um Genieß willen, sondern aus freiem Herzen, und sind beide Schulmeister und treue Gesellen gewesen, ein jeder an seinem Ort, und hoffe zu Gott, unsre Arbeit soll nicht vergeblich gewest seyn, sondern viel Nutz geschafft haben; ist es Gottes Wille, daß ich sterbe, so wollen wir unsre Freundschaft im zukünftigen Leben weiter mit einander unverruckt halten. Darnach sind sie beide mit einander zu Tische gegangen, und als sie sich gesetzt hatten, spricht er zu M. *Esromo*, des Herrn Camerarii Eidam, dem sein Weib etwa vor anderthalb Jahren gestorben war: heute hat mir von eurem Weibe geträumet, wie ich sie hätte sterben sehen, und lobte sie, wie er auch sonst pflegte zu thun, denn es war eine tugendsame und gottfürchtige Matrona. Sonderlich aber rühmet er sehr, wie er von ihr gehöret, daß sie gesagt hätte: ich weiß, Gott wird mich nicht verlassen

10) Coralia.

Und der Rede, sprach er, kann ich nicht vergessen. Und da auch sonst einsmals der schädlichen Lehre vom Zweifel gedacht ward, sagt er zu M. Esromo: also redet eure liebe Hausfrau selige nicht, da sie sterben wollte; und wiederholet obgemeldte Rede. Darnach redet er vom Gesang, wie er vor dreien Tagen im Schlaf gesungen hatte: Desiderio desideravi etc., und machte sich fröhlich drüber, sagt, wie es so schön geklungen hätte. Er aß aber und trank wenig, und ward sehr matt, daß er auch wieder in seine Stuben begehret. Da leget er sich zu Ruhe, und versuchte, ob er schlafen könnte, denn der Schlaf war diese Zeit seine Aufenthaltung.

Darüber ward der Herr Camerarius also bewogen, daß er den Tag nicht reisen wollte, blieb da und wartet, wo es hinaus wollte. Also ward der Herr Philippus entschlafen, dessen wir wenig erfreuet waren, denn er lag rücklings, und hatte die Augen halb offen, und ob er wohl sanfte geschlafen, wie er hernach selbs sagte, so schien es doch, als ob er halb tod wäre, daß uns auch die Augen darob übergingen, und heftig bekümmert waren. So heulet und weinet das Gesind im Hause als ob er schon tod wäre. Da er sich aber eine Weile auf die Seite wandte, da sahe er fein, und schlief gar sanfte, wie man merken konnte. Unterdeß gehet der Herr Camerarius, dem nicht wohl zu Muth war, auch zur Ruhe. Nach dreien Stunden erwachte Philippus wieder, und sagte, wie er sehr sanft und wohl geschlafen hätte, sahe auch munterer und frischer denn er die andern Tage gesehen hatte, so wohl war ihm der Schlaf bekommen.

Zu der Zeit kömmt ein Theologus, der wieder heim in Dennemark ziehen wollt, und gesegnet den Herrn. Den hielt er gar ehrlich, gab ihm etliche Büchlein, die hie ausgangen waren, die sollt er der Königlichen Maiestet bringen, und ihn entschuldigen, daß er seiner Königlichen Maiestet nicht geschrieben hätte, denn er wäre zu schwach, wollt aber in kurz, so Gott Gnade verleihen würde, seiner Maiestet schreiben, der fleißig und unterthänig danken für ihren gnädigsten Willen und Mildigkeit, wünschte aber seiner Königlichen Maiestet und dem ganzen Königreich Glück und Heil und alle Wohlfart. Den Tag kamen auch etliche Bogen her von einer deutschen Schrift, die *Staphylus* wider Philippum im Druck ausgehen ließ. Es kam auch denselbigen Tag ein anders von etlicher Theologen Rathschläge, wie man in einem Synodo diejenigen, so bisher nicht scheinbarlich genug verdammt wären, verdammen könnte. Was es aber für Schriften und Händel seyn, mag ein jeder selbs lesen und richten, wer Lust darzu hat. Es haben aber diese Schriften diejenigen, so gemeinen Nutz mehr denn solche Scribenten bedenken, mit Schmerzen gelesen, dieweil wohl zu sehen war, womit man umging. Und ist zu bejammern, daß es so wüste und wilde zu unsern Zeiten zugehen soll. Denn es bedachten auch gutherzige Leute nicht mit geringen Schmerzen, was doch endlich daraus werden wollt, und ging ihnen nunmehr sehrer zu Herzen, dieweil sie des theuern Mannes Schwachheit für Augen sahen, wie es denn nicht fehlet, es muß einem verständigen Mann über solchen Sachen allerlei einfallen. Aber davon auf dies Mal genug.

Daß wir aber wieder des Herrn gedenken, bekam ihm der Schlaf so wohl, daß er die Briefe volgends verfertiget, und im Hause und seiner Stuben hin und wieder ging, lustiger und frischer war denn er die ganze Zeit über in seiner Krankheit gewesen war. Auch erzeiget er sich im Abendmahl frölicher denn jemand gemeint hätte, und ließ sich also ansehen, daß wir alle wiederum gute Hofnung gewonnen, es sollte besser werden. Und waren froh, daß der Herr Camerarius bei ihm blieben war, hielten auch dafür, daß Philippus auch seinethalben etwas frölicher war. Und ward am Tische unter andern der Leute gedacht, die bisher nichts denn Zwiespalt in der Kirchen angerichtet hätten, und noch auf diese Stunde damit umgingen, daß sich wohl etwas ärgeres zu vermuthen. Darüber ward er etwas bewegt, und sagt: es seyn Schelmen und bleiben Schelmen, und Gott wirds offenbar machen, daß sie Schelmen seyn. Da er doch sonst die ganze Mahlzeit über nichts heftiges oder trauriges geredt hat, sondern war so von schönen lieblichen Reden, daß er länger nach Tische saß denn er zu thun pflegte, wenn er gesund war, und leget sich denselbigen Abend erst um achte. Und dies ist auch die letzte Mahlzeit gewesen, die er in der untern Stuben gessen hat; denn hernach ist er stets in seiner Studirstuben geblieben, wie wir hernach sagen werden, hat aber dieselbige Nacht wohl geschlafen, und ist ihm im Schlaf dieser Spruch Pauli vorkommen: so Gott mit uns ist, wer will wider uns seyn.

Den andern Tag zu Frühe, welcher war der siebenzehende *Aprilis*, machte er die Briefe in Preußen zu, schrieb auf etliche Büchlin und schickt sie guten Freunden, schickte auch etliche dem Herzogen. Als er aber nun etwas müde ward, denn es sollt um die Zeit das Feber wieder kommen, legt er sich wieder ins Bette. Da kam der Herr Camerarius und gesegnete ihn. Da antwortet Philippus und sagt: der Sohn Gottes, der da sitzt zur rechten seines himmlischen Vaters, und den Menschen Gaben gibt, der erhalt euch

und die euren und uns alle mit einander, und wollt mir auch euer liebe Hausfrauen fleißig grüßen. Also gesegneten sich auf dies Mal diese beiden auserwählten Freunde an einander zum letzten Mal, und hat hinfort einer den andern nicht mehr gesehen, und durft sich der gute fromme Mann Camerarius nicht erwägen, daß er ihn hernach tod gesehen hätte, so gar sehr ging ihm des Freundes Abgang zu Herzen. Darnach ließ ihm Camerarius sein Pferd bringen, setzt sich für des Herrn Philippi Thür auf, und reit denselben Tag noch gen Leipzig, der Meinung, daß er seine Sachen daheim beschicken und wieder kommen wollt, abzuwarten, was es für ein Ende mit dem Herrn Philippo gewinnen wollte. Es hat auch Fürst Joachim von Anhalt seinem gnädigen Willen nach, den sein Fürstliche Gnaden gegen dem Herrn Philippo trug, seiner vertraueten Diener einen hergeschickt, ihn in seiner Krankheit zu besuchen, daß er seiner Gnaden wiederum könnt anzeigen, wie es um ihn stund. Der wollt auch auf seyn. Da redet Philippus sehr freundlich mit ihm, und zeigt ihm an seinen unterthänigen Willen gegen seinem gnädigen Herrn, segnet ihn und wünschet ihm alles Guts; dazu er denn so sehnliche Wort brauchte, daß sich niemand des Weinens enthalten konnte.

Bald darnach bekam er Briefe aus Schweitz, wie der Bapst zu Rom ein Concilium haben wollt. Da sagt er: es ist mir viel besser ich sterbe, denn daß ich aufs Concilium ziehen sollt; denn was da für ein schändlich Gebeiß seyn würde, auch auf unserm Theil, das hätte ein jeder zu erachten. Nicht lange hernach, da es um achte war, kam das Feber, und dies war das sechste Mal. Da stund einer nahe bei ihm für dem Bette, zu dem sprach er: ich habe heint die Nacht von der närrischen Disputation gedacht, daß etliche fürgeben wollen, Christus habe sich für dem Tode nicht gefürcht; aber er hat besser verstanden was sterben sey denn unser keiner thut oder thun kann. Darum hat er sich ohne Zweifel mehr dafür gefürchtet denn wir uns fürchten. Es ist auch dies seine letzte Frage gewest in Ethicis, die er fürbracht hat: wie des Herrn Christi Wille stimme mit dem Willen seines himmlischen Vaters in dem, da er sich für dem Tode fürchtet? Hats aber auf das Mal nicht erkläret, ist aber sonsten in den andern seinen Schriften genugsam erkläret. Er sagt auch einmal, da Joachimus Camerarius noch hie war, daß er eine Weil der Meinung gewesen wäre, daß die Adern alleine Wehe fühleten, wenn sie von einer Gewalt verletzt oder zerrissen würden; aber er fand es bei sich selbs, daß sie auch anders woher Schmerzen litten und sagte um etwas davon, wie die Natur nicht zubreche ohne Schmerzen, daß man merket, wie er denen Dingen lange müßte nachgedacht haben. Darnach gedacht er wieder an die verstorbene des Herren Camerarii Tochter, und sagte zu M. Esromo ihrem Manne: wie war eure liebe Hausfrau selige so ein fein jung Weib, und hatte einen ziemlich starken Leib, noch ging sie leichtlich dahin. Sie hatte fast eine Krankheit wie ich, denn sie hatte Wehe in der linken Seiten; das hab ich auch. Aber die große Schwachheit meines Leibes hat andere Ursach, die ich nicht weiß. Und kurz zuvor, da er sich ins Bette legte, sprach er: wenn das nicht der Tod ist, so ists ja eine harte Staupen. Nicht weit von seinem Bette hing eine große Landtafel an der Wand, die sahe er fleißig an, darnach wandte er sich herum, lächelte und sprach: *Virdungus* hat mir einsmals prophezeiet aus der Sternguckerkunst, ich werde Schiffbruch leiden auf der See; jetzt bin ich nicht weit davon; meinet aber die gemalte See an der Landtafel.

Da nun die Hitz im Feber kam, konnte er die Schenkel abermal nicht unter der Decken leiden. Dieweil ihr aber viel um ihn stunden, und er übel zufrieden war, daß man ihm die Schenkel bloß sehen sollt, sagt er mit Bewegung: was stehet ihr hie, könnt ihr nicht heimgehen? Und das schrecket ihrer viel ab, daß denselbigen Tag ihr desto weniger bei ihm waren. Um zwei hörte das Feber auf, daß es also diesmal kürzer und linder war denn andere Mal. Da stund er auf und aß, konnt aber nichts bei sich behalten. Darnach legte er sich wieder nieder, und schlief bis um fünfe, ließ sich darnach in seine Kammer führen, da lag er die Nacht über, schlief aber nicht viel, und hatte eine schwere Nacht, daß man sich also für dem siebenden paroxismo sehr besorget, er würde die übrigen Kräfte volgends wegnehmen, wie denn geschehen ist. Es sagt auch Er Philippus selbs, das End wär nicht weit, bethet und sprach: Herr machs zum End. Und sagte, *Erasmus* hätte in seiner großen Krankheit diese Wort auch gebraucht. Er meinet aber, er würde mit dem neuen Mond dahin ziehen, aber er konnt es um vieler Ursach willen so lang nicht treiben.

Den 18. Tag *Aprilis* stund er des Morgens frühe um viere auf, ließ sich hinunter in seine Studirstuben führen, und, nachdem er sonst noch stets bei guter Vernunft war, allein daß des Leibes Schwachheit für und für zunahm, hieß er das Faulbettlin, welches ihm ungätlich war, hinaus thun, und das Reisebettlin aufschlahen. Da man ihn nun hinein brachte, sagte er, das heißt ein Reisebettlin, wie wenn ich drinnen reisen müßte. Als aber die Medici aus vielen Anzeigungen sahen, daß er nicht würde wieder aufkommen, so füh-

lete er sich auch, und sagte, er wäre wohl zufrieden wenn Gott wollt. Und da unser Pfarrherr ungefährlich um acht Schläg mit etlichen andern also vor ihm stehet, sagte er viel davon, wie er seinen Willen in Gottes Willen ergeben hätte, dem er auch Leben und Sterben anheim gestellt; wie er es nun machen würde, so wäre er herzlich wohl zufrieden, und saget: ich fühle durch Gottes Gnade gar keine Anfechtung. So bekümmerte er sich auch um die Seinen nichts sonderlichs; und wiewohl mir meiner Töchter Kinder, die mir doch herzlich lieb sind, vor den Augen umgehen, so tröste ich mich doch dessen, daß sie gottfürchtige und fromme Aeltern haben, die mir auch lieb seyn, die werden sie ihnen wohl[11]) lassen befohlen seyn und fleißig aufziehen, wie ich bisher gethan habe, und Gott wird auch Gnade darzu verleihen. Aber der gemeine Schaden gehet mir zu Herzen, und bekümmert mich sehr, daß die verkehrte und sophistische Welt solchen Muthwillen treibet, und die heiligen christlichen Kirchen so schändlich verunruhigt. Nun, sie machens gleich wie sie wollen, so ist dennoch durch Gottes Gnade unsre Lehre richtig und klar. Darnach sprach er zu etlichen, die für ihm stunden: ihr seyd junge Leut, und habt durch Gottes Gnade Geschicklichkeit genug; allein sehet zu, daß ihrs recht brauchet. Der allmächtige Gott erhalt euch, und gebe euch Stärke und Weisheit, daß ihr ihm und seiner Kirchen nützlich dienen möget.

Denselbigen Tag siehet er Doctor Caspar Peucers ältestes Tochterlein vor dem Bett vorübergehen, das ruft er zu sich und sagt: liebe Tochter, ich habe dich herzlich lieb gehabt, siehe und halt deine Aeltern vor Augen, und sey ihnen gehorsam, und fürchte Gott, der wird dich nicht verlassen; der allmächtige Gott behüte dich und gebe dir seinen Segen, Amen. Auch redet er mit den andern Kindern, die kleiner waren, sehr freundlich, hieß sie fromm seyn, fleißig bethen und dergleichen. Und zu seiner Tochter sagte er: liebe Tochter, Gott hat dir einen frommen Mann bescheret, den halt lieb und werth, und sey ihm gehorsam, und ziehet eure Kindlein auf in der Furcht Gottes, so wird Gott bei euch seyn, und wird euch nicht verlassen. Und waren in Summa eitel solche sehnliche Reden, als eines, der sich fühlet und die Seinen gesegnet. Da ward den Tag noch an den Herrn Camerarium geschrieben, daß er wieder zu uns eilen sollt, so er anders den Herrn Philippum lebendig sehen wollt. Aber der Bothe hat die Briefe erst den dritten Tag hernach überantwortet, und seiner Zusag vergessen, und ob er sie gleich zu rechter Zeit überantwortet hätte, so hätte er doch schwerlich vor seinem End wiederum hieher kommen können.

11) wohl in ed. 2. praetermissum est.

Daß wir aber alles ordentlich nach einander erzählen, so ließ er ihm kurz hernach, das war bald um achte, Essen zurichten. Da aß er von der Brühe, und etlichen Schnittlin von den Limonien. Darnach um neune fragte er seinen Eidam Doctor Casper, als einen Medicum, was er für Hofnung hätte, und bath ihn, er wollt ihm nichts verhalten. Da saget Doctor Casper: Gott ist euer Leben und die Länge der Tage eures Lebens; dieweil ich aber je die Wahrheit sagen soll, so viel ich aus natürlichen Ursachen sehen kann, so ist fürwahr wenig Hofnung, denn ihr seyd sehr schwach, und nimmt die Schwachheit alle Augenblick mehr und mehr zu. Darauf sagt er: ja es ist wahr, ich fühle meine Schwachheit, und verstehe es auch selbs wohl. Ich habs meinem lieben Gott befohlen, den bitt ich, daß ers gnädig mit mir machen wolle. Nicht lange nachher befahl er, man sollte umsuchen nach dem Testament, das er angefangen hatte zu machen, und hat es also gestellt, daß er vorne her eine kurze Erklärung aller Artikel seiner Lehr und Glaubens gethan, dieselbigen seinen Nachkommen zu bezeugen, wie denn ohne Zweifel die alten und heiligen Väter ihre Testament fürnehmlich darzu werden gebraucht haben, daß sie dadurch erstlich die geistlichen Güter, darnach auch die weltlichen Güter ihren Kindern mitgetheilt haben. Und er hatte es herrlich und schön angefangen, wie es denn ihrer viel gesehen haben, war aber noch nicht weit kommen, und man sucht an allen Orten mit allem Fleiß darnach, es ward aber nicht gefunden, daß man dafür hält, es habs ihm etwan ein fürwitziger loser Tropf ausgeführet, wie ihm denn solches mit andern Schriften viel mehr mitgespielt worden ist von vielen. Da mans nun nicht finden konnt, erzählt er Doctor Casparn seinen Eidam vor alles, wie ers machen wollte; redet auch viel mit ihme von gemeines Nutzes Sachen, setzt sich darnach um zwei zu seinem Schreibtischlin, und fing an, ein neues zu schreiben. Nachdem er es aber Schwachheit halben nicht so herrlich machen konnt, wie er es wohl in dem vorigen angefangen hatte, so hat er doch fornen her zum Eingang sein kurz Bekenntniß gesetzt, und darnach erst unter seine Kinder das Geringe, das er gehabt, zu theilen angefangen, aber nicht vollbracht. Dieweil denn seiner Lehr und Glaubens kurz Bekenntniß in dem Eingang dieses Testaments verfasset, ist für gut angesehen worden, daß man es von Wort zu Wort hierein setzen sollt, und lautet von Wort zu Wort also:

„Anno 1560. den 18. Tag Aprilis hab ich dies „Testament geschrieben in meiner Krankheit, kürzlich

„von denen geringen Gütern, die mir Gott bescheret „hat. Das Bekenntniß meines Glaubens und der „Danksagung zu Gott und unserm Herrn Jhesu Christo „hab ich zuvor zwei Mal geschrieben gehabt, aber es „ist mir verruckt worden. So soll aber gleichwohl die „Antwort auf die Baierschen Artikel mein Bekenntniß „seyn wider die Papisten, Wiedertäufer, Flacianer „und ihres Gleichens". Darnach folget, wie er seine Güter unter die Erben theilet, das gehöret hieher nicht, wiewohl er auch dasselbige nicht gar vollbracht hat. Denn er ward zu matt darüber, und ließ es also den Abend bleiben, der Meinung, daß ers den andern Tag volgends ausmachen wollte. Aber es konnte auch nicht geschehen, wie wir hernach hören werden. Es ist aber die Schrift also geschrieben, daß ganz und gar keine Schwachheit daran zu spüren ist; denn er auch bei rechter Gesundheit selten so eine gute Schrift gemacht hat, wie diese ist. Auch blieb Sinn und Vernunft in ihm ganz und unverrückt bis auf den letzten Athem, und wie er sein ganzes Leben über keine Hinderung oder Beschwerung daran gehabt, also behielt er auch seine Vernunft ganz bis an sein Ende. Und ob er wohl sonst auch einen ziemlichen gesunden Leib gehabt hat, so war doch das Haupt vor allen andern Gliedern sonderlich gesund und stark, daher er auch solche große Arbeit so viel Jahr her gethan, die ihm sonst zu ertragen unmöglich gewesen wären. Er saget auch zu seiner Tochter, daß er noch ganz keine Beschwerung im Haupt fühlet. Darum meineten etliche, es würde ihm das Sterben schwer ankommen. Auch redet er damals mit seinem Eidam von der Universität Sachen, was man lesen und lehren müßte nach seinem Tode, und wen man an seine Statt nehmen sollt, den er am liebsten wissen wollte, und von andern Dingen mehr, davon uns hie zu sagen nicht gebühret.

Da es hinkam um drei begehret er wieder in seine Kammern; denn er wollte die ganze Krankheit über des Nachts aus seiner Kammern nicht bleiben, da er doch über 16 Stufen hinauf zu steigen hatte, daß er also seiner auch hierin nicht schonet, und ließ sich das Steigen nicht verdrießen. Als er nun dahin gebracht ward, schlief er fein sanft ein, und währte der Schlaf bis fast hinan um sechse. Unterdessen kamen ihm Briefe vom Markt in Frankfurt, darinnen wurde ihm von guten Freunden geschrieben, wie man mit den frommen und gottfürchtigen Leuten in Frankreich so grausam umging. Da sagt er: nu bin ich schwach und mir ist nicht wohl; doch thut mir all mein Krankheit nicht so wehe als der groß Jammer und das Elend der heiligen christlichen Kirchen, welches aus unnöthiger Trennung, Bosheit und Muthwillen deren, die sich aus unmenschlichem Neid und Haß wider uns ohne billige Ursach abgesondert haben, entstehet, und können die unsinnigen Leute nicht ruhen, müssen noch practiciren und Ursach geben, daß des Elends und Jammers nur mehr wird; denn sie schonen niemands. Aber Gott wird den großen Muthwillen strafen, das werdet ihr erfahren, und wir werden mit gestraft werden; doch wird unsre Strafe eine väterliche Strafe seyn. Aber jene werden etwas härteres leiden müssen. Mich jammert und erbarmet nur des armen Volks, daß es so jämmerlich soll verführet werden. Klagte also lang über diesen Unrath, daß er ganz betrübt darüber ward. Man las ihm aber darnach auch andre Briefe, die nicht so traurig waren, und befissen sich die vor ihm stunden, daß sie ihn mit anderm Gespräch von den traurigen Gedanken abführeten; welches denn etwas bei ihm geschafft hat. Denn er redte hernach viel lieblicher Reden von etlichen guten Freunden und Bekannten, und mengte auch bisweilen Scherzrede mit ein, und stellet sich so frölich, daß wir wieder Hofnung gewonnen, es sollte besser mit ihm werden. Und dieweil wir sahen, daß er über den Reden sich frölich machte, blieben wir desto länger bei ihm, daß es sich verzog bis fast hinan um achte. Da er sich nun zur Ruhe geben wollt, nahm er vor etliche eingemachte Kirschen zu sich, und thät ein Tränklein Weins darauf, auf daß er ein wenig besser schlafen möchte. Und dies ist sein letzter Trunk gewesen, hat aber die Nacht über wenig geschlafen.

Also sind wir nun kommen bis auf den neunzehenden Tag *Aprilis*, welches sein letzter Tag in diesem Leben gewesen ist. Und wiewohl wir diesen Tag so voller Betrübniß und Leids gewesen seyn, daß wir alles so ordentlich nicht wissen, so haben wir uns doch unter einander unterredet, und hat einer den andern erinnert, davon wir wahrhaftigen Bericht thun wollen, wie denn bisher auch geschehen. Und nachdem er die Nacht über (wie gehöret) wenig geschlafen hatte, richtet er sich des Morgens um zwei im Bette auf. Da ging der Medicus zu ihm, dem sagt er, wie es ihm die Nacht gangen wäre, und wie er wenig geschlafen hätte und oft erwacht wäre, und wäre ihm abermal der Spruch Pauli im Schlaf vorkommen: so Gott mit uns ist, wer will wider uns seyn. Hub darnach an und klaget wiederum über der Kirchen Elend und Jammer, und zeiget an, daß es ihm sehr zu Herzen ging, tröstet sich aber deß, daß mit Gottes Gnaden unsre Lehre fein deutlich gefasset wäre, daraus die Nachkommen rechten Verstand von allen Artikeln nehmen könnten, bethet und seufzet ernstlich für die ganzen christ-

lichen Kirchen, und redet mit seinem Eidam bis um drei. Darnach ließ er sich hinunter in sein Studirstuben führen, da das Reisebettlin stund. Da ging er ein Weil hin und wieder, und legte sich darnach ins Bettlin, und redte von mancherlei Dingen, wie es die Gelegenheit gab, bis er entschlief, schnaubete sanft und ruhet bis hin um sechse. Und da er erwachet, bitt er Doctor Casparn, seinen Eidam, daß er ihm die Haar verschneiden sollt. Das geschahe; denn er pfleget ihm sie auch sonst zu verschneiden. Als nun das geschehen war, fordert er auch weiße Hembde, und zog ihrer drei über einander an; denn das hatte er viel Jahr in Brauch gehabt, und sagt, es thät ihm wohl, sonderlich im Alter; denn es hielt ihm den Leib warm. Hieß ihm auch andere kleine Schlafhauben langen, wie er sie auch des Tags zu tragen pflegte, wenn er daheimen war, und sagt, er hätte es von dem berühmten Mann Doctor Johann Renchlin gelernet. Also ließ er sich zuvor schmücken, nachdem er vermerkt, daß er wandern würde. Nicht lang hernach kommt der Pfarrherr zu Torgau und sein Caplan Magister Fischer samt dem Herrn Doctor Kentmann Medico zu Torgau, die hieher kommen waren, den Herrn Philippum zu besuchen. Mit denen redt er mancherlei fast bei einer halben Stunde, und sagt unter andern, daß er seiner Person halben durch Gottes Gnade ganz und gar keine Beschwerung oder Bekümmerniß fühlete, es bekümmere ihn aber die gemeine Noth der Kirchen von wegen der Nachkommen, dieweil er sahe, daß man so muthwillig unnütz Gezänk anrichtet, die Kirchen zurisse, und die Wahrheit rechter reiner Lehre so mit Gewalt verdunkelt. Aber er hätte wiederum den Trost, daß er wüßte, daß wahre und rechtschaffene Lehre in unsern Kirchen durch Gottes Gnade richtig und wohl erkläret wäre. Und sagt weiter, so ich sterbe, so entgehe ich dem künftigen Unglück und werde aus dem unglückseligen sophistischen und wunderbarlichen Jahr der Natur weggerissen. Hub an und bethet mit weinender Stimme, und befahl in seinem Gebethe die heiligen christlichen Kirchen dem Sohne Gottes, unserm Herrn und Heiland Jesu Christo. Darnach da sie weggehen wollten, bath er sie, daß sie auf den Mittag zur Mahlzeit kommen sollten, ob er vielleicht neben ihnen Lust gewinnen möchte, einen Bissen zu essen. Also sagten sie ihm zu, sie wollten sich einstellen. Aber es kriegt einer unter ihnen [ein] Schreiben, daß ihm eine Tochter krank worden wäre; da kamen sie bald wieder und nahmen ihren Abschied von Philippo, und gesegneten ihn, und er sie wieder, und befahl dem Pfarrherr, daß er fleißig für die Kirch und Schul bitten wollt, und sagt weiter: wiewohl ich weiß, daß ihrs thut, der allmächtige Gott sey mit euch. Und dies geschah nach sieben Schlägen, da er bereits wiederum in großer Mattigkeit lag. Es waren aber dazumal zu ihm kommen der Pfarrherr und etliche Diaconi und Professores samt vielen andern.

Da es hin um acht kame, und das Feber wieder kommen sollt, da fielen plötzlich alle Kräften dahin, und fiel uns auch in eine Ohnmacht, daß wir mit ihme zu schaffen hatten bis wir ihn wieder erquickten. Da lag er ein Weil und ruhet. Nicht lang hernach, da er wieder aufwachet, hub er an und bethet sein gewöhnlich Gebeth, wiewohl mit schwacher Stimm, doch also, daß jedermann alle Wort wohl hören und vernehmen konnte. Damit aber männiglich kund werde, was des frommen und heiligen Manns stets Gebeth gewesen sey, das er auch kurz vor seinem Ende mit ausdrücklichen und vernehmlichen Worten wiederholet und gebethet hat, wollen wir es von Wort zu Wort hieher setzen. Und lautet also [12]):

„Allmächtiger ewiger lebendiger und wahrhaftiger Gott, Schöpfer Himmels und Erden, und der Menschen, samt deinem gleich ewigen lieben Sohn unsern Herrn Jhesu Christo, der für uns gekreuziget und vom Tod wiederum auferwecket ist, und deinem lebendigen keuschen und wahrhaftigen heiligen Geist, du weiser, gütiger, wahrhaftiger, gnädiger und gerechter Gott, du freiwilliger, keuscher und getreuer Heiland, von dem Leben und Gesetz gegeben wird, du hast gesagt: ich will nicht des Sünders Tod, sondern daß er sich bekehre und lebe. Item, Ruf mich an in der Zeit der Noth, so will ich dich erretten! Dir bekenne ich mich für einen armen Sünder, der mit vielen Sünden beladen ist; denn ich hab mannigfältig wider deine heilige Geboth gethan, und ist mir von Herzen leid, daß ich dich erzürnet habe, und bitte dich, daß du dich um deines lieben Sohns, unsers lieben Herrn und Heilands, Jhesu Christi, willen, der für uns ans Kreuz gehängt, und von den Todten wieder auferwecket worden ist, über mich erbarmen wöllest, und wöllst mir meine Sünde vergeben und mich gerecht machen durch und um des Herrn Jhesu Christi willen, deines Sohns, der dein ewig Wort und Ebenbild ist, den du hast für uns zum Opfer, Mittler, Erlöser, Heiland und Seligmacher geben wöllen, aus wunderlichem und unaussprechlichem Rath und unerforschlicher Weisheit und Gütikeit,

---

12) Intelligitur, auctores huius scripti preces, quae sequuntur ex scripto Melanthonis hausisse, quod fueritne vernaculo an latino sermone compositum, definire nolo.

„Und wöllest mich auch mit deinem heiligen lebendigen, „keuschen und wahrhaftigen Geist heiligen, daß ich dich „allmächtigen, wahren Gott, Schöpfer Himmels und „Erden, und der Menschen, ewigen Vater unsers „Herrn Jhesu Christi, und Jhesum Christum deinen „lieben Sohn, dein ewiges Wort und Ebenbild, und „deinen heiligen Geist, den wahrhaftigen, keuschen und „lebendigen Tröster, wahrhaftiglich erkennen, und fest „an dich glauben, dir gehorchen, dir danken, dich recht „fürchten und recht anrufen, und dein gnädig Angesicht „mit Freuden in Ewigkeit anschauen, und dir ewiglich „dienen möge. Auf dich Herr hoffe ich, du wirst mich „in Ewigkeit nimmermehr zu schanden werden lassen. „Erlöse mich durch deine Gerechtigkeit. Bekehr mich „Herr zur Gerechtigkeit und ewigen Leben; du hast mich „erlöst, du wahrhaftiger und getreuer Gott. Behüte „und regiere auch gnädiglich unsere Kirchen und Regi„ment, und auch diese Schul. Gib ihnen seligen Fried „und selige Regierung. Regier und schütz unsre Für„sten und Obrikeit; sammle und erhalt dir eine ewige „christliche Kirchen in diesen Landen. Heilige und ver„einige sie mit deinem heiligen Geist, daß sie eines in „dir seyen mit wahrhaftiger Erkenntniß und Anruffung „deines lieben Sohns unsers Herrn Jhesu Christi, „durch und um deines ewigen Sohns unsers Herrn „Jhesu Christi willen, der für uns ans Kreuz gehefft, „und von den Todten wiederum auferwecket worden ist.

„Allmächtiger ewiger Sohn Gottes, du getreuer „Herr und Heiland Jhesu Christe, der du bist das ewi„ge Wort und Ebenbild des ewigen Vaters, unser „Mittler und Heiland, der du für uns gestorben und „wieder auferstanden bist, ich danke dir von ganzem „Herzen, daß du menschliche Natur an dich genommen „hast, und mir zu einem Erlöser verordnet bist, daß „du im Fleisch gelitten und vom Tod wieder auferstan„den bist, und mich vertrittest. Ich bitte dich, nimm „dich meiner an und erbarme dich über mich, denn ich „bin einsam und arm, mehre in mir durch deinen hei„ligen Geist das Licht des Glaubens, und trag mich in „meiner Schwachheit, regier, behüt und heilige mich, „auf dich traue ich, Herr, laß mich nimmermehr zu „schanden werden.

„Allmächtiger heiliger Geist, wahrhaftiger, keu„scher und lebendiger Tröster, erleuchte mich, regier „mich, heilige mich, stärk den Glauben in meiner Seel „und in meinem Herzen, und gib mir wahrhaftigen „Trost. Erhalt und regier mich, daß ich in dem Haus „des Herrn wohnen möge die Tage meines Lebens, auf „daß ich des Herrn Lust sehe, und in Ewigkeit ein hei„liger Tempel Gottes sey und bleib, und Gott für und „für mit frölichem Herzen danke, und in der ewigen „Kirchen und Versammlung lobe und preise."

Da er nun also sein Gebeth gethan hatte, ward er ein Weil still, als schlummert oder ruhet er. Darnach wurf er die Augen auf, sahe seinen Eidam an und sprach: ich bin im Tode gewesen, aber Gott hat mich gnädiglich heraus gerissen. Und ob wir wohl meineten, er redte solches von seiner Ohnmacht, davon wir neulich gesagt, jedoch weil ers zum andern und dritten Mal wiederholet, konnten wir nicht anders denken, denn daß er etwan mußte einen Kampf erstanden haben. Da er es aber so oft wiederholet, spricht Magister Johannes *Sturio* zu ihme: es ist nichts verdammliches an denen, die in Christo Jesu sind. Darauf sagt Philippus bald: Christus ist uns gemacht von Gott zur Weisheit und zur Gerechtigkeit, und zur Heiligung und zur Erlösung, auf daß (wie geschrieben stehet) wer sich rühmet, der rühme sich des Herrn. Und wiederholet diese Wort: „ach Herr erbarm dich mein!" sehr oft. Es blieb ihm aber der Puls außen, und wurden ihm Hände und Füße kalt, der Athem kurz, und die Augen, der Schlaf und die Gruben am Hals fielen ihm ein, und fielen die Kräften mit Gewalt hinweg, daß man wohl sehen konnte, daß ers nicht lang mehr treiben würde. Jedoch damit nichts unterlassen würde, was Menschen thun können, wurde er gefragt, ob er ein Süpplin essen wollt. Und als er darein willigt, wurde ihm ein Biersüpplin von Hamburger[13]) Bier gereicht; davon nahm er etwan drei Löffel voll zu sich, und sagt: ey wie ist das so ein gute Suppen. Das ist auch sein letztes Essen gewesen. So wollt er auch nichts mehr trinken. Als er sich nun ein wenig erquickt hatte, bath er, daß man ihm aufhelfen sollt, forderte Pappier, und wollt sein Testament volgends ausmachen. Da er aber selbs fühlet, daß er zu schwach und zu matt zum Schreiben war, sprach er: ach Gott, daß ich so übereilet werde, legte die Hände für sich nieder und saß eine kleine Weil. Darnach legte er sich wieder nieder. So wurde auch des Schreibens sonst von niemands mehr gedacht; denn er hatte sich den Tag zuvor genugsam mündlich erkläret was sein letzter Wille wäre. So konnt man auch aus dem, das allbereit geschrieben war, gnugsam verstehen, was sein Meinung noch von dem hinterstelligen seyn müßte. Dies geschahe bald nach zehen Schlägen, und lag also da, und hatte die Schenkel unten bis fast ans Knie bloß, und waren ihm sehr kalt; noch konnte er sie nicht unter der Deck leiden, daran man spüren konnte, daß er noch große Hitz inwendig fühlen müßte.

13) Ed. I. Hamberger.

So konnte er sich auch noch ohne Hülff im Bett hin und nieder werfen, und von einer Seiten zu der andern kehren. Da es nun hin um eins kam, ging ihm wieder eine Ohnmacht zu; als man ihn aber rieb und bestrich, da kam er wieder [zu sich], und sagt: ach was macht ihr! und lag also für sich weg als ruhete er. Da sah es der Pfarrherr für gut an, daß man ihm aus dem alten und neuen Testament bisweilen etwas für dem Bette lesen sollte, was er meinet, das er am liebsten hören möchte. Lasen derhalben einer um den andern, der Herr Pfarrherr und die Diaconi Magister Fröschel und Magister Sturio etliche Psalmen, als den 24., 25. und 26. Item das 53. Capitel Esaiä, das 14., 15., 16. und 17. Capitel Johannis, das 5. Capitel zun Römern und etliche andere Capitel und Sprüch mehr, aus dem heiligen Apostel Paulo und den Propheten. Da wir nun die gelesen hatten und alle still waren, spricht er: ich hab stets vor mir den Spruch Johannis von dem Sohn Gottes meinem Herrn Jhesu Christo: die Welt nahm ihn nicht auf, wie viel ihr ihn aber aufnahmen, denen hat er Macht geben Gottes Kinder zu werden, allen die an seinen Namen glauben. Und dieses redet er laut und vernehmlich. Darnach redt und bethet er bei sich selbs bei einer Viertelstunde, konntens aber nicht vernehmen, allein daß wir ihn sahen die Lippen regen. Und dieweil es denn diese Gelegenheit um ihn hatte, wollten die Professores, so nach Mittag zu lesen hatten, nicht von ihm gehen, getraueten ihnen auch für Traurigkeit und Kümmerniß ihre Lectiones auf dies Mal nicht zu halten, sondern schrieben in Eil einen Zettel, darin sie Ursach ihres Außenbleibens anzeigten, und die Studiosos zum Gebeth vermahneten, ungefährlich des Inhalts:

(Sequitur nunc versio pagellae latinae publice affixae d. 19. Apr.)

Nach diesem Anschlahen wurden die Studiosi hoch bekümmert. Und wiewohl man zuvor in gemeinen Gebethen und sonst großen Fleiß spüret, so sahe man doch auf dies Mal größern Ernst. Da gingen die Studenten, da die Bürger, seufzten, hingen die Köpf, und war solche Traurigkeit, daß mans in allen Gassen, in Häusern, und wo nur Leute waren, sehen konnte, daß groß Betrübniß und Leid vorhanden war, und wartet jederman was es für ein Ende gewinnen wollt.

Der Herr aber lag eine Stunde oder zwo, hatte die Augen halb offen, zog die Schenkel bisweilen zu sich, streckt sie wieder von sich, hub die Decke auf, ließ sie wieder fallen, daß man tödtliche Angst vermerken konnte, redet aber nichts, man fragt ihn denn; bethet aber bei sich selbs, wie man fein sehen konnte. Er vernahm und verstand alles bis an sein End, antwortet auch allemal wenn er gefragt ward. Da er nun also lag, und von seinem Eidam gefragt ward, ob er auch etwas begehrte, sprach er: nichts denn den Himmel, darum laßt mich hinfurt mit solchen Fragen zufrieden. Ungefährlich um drei nach Mittag, da er vom Hauptkissen abgesunken war, und unsanft lag, wollten wir ihn und wieder zu recht legen, da fällt er wiederum in ein Ohnmacht. Als wir ihn aber wiederum (wie man in solchen Fällen zu thun pfleget) erquickten, spricht er: ah, was macht ihr, warum hindert ihr mich in meiner sanften Ruhe, laßt mir doch meine Ruhe bis an mein Ende, es wird nicht lange mehr währen. Da wollten wir ihn hernachmals auch nie mehr regen, und nachdem wir sahen, daß es mit ihm aus war, bathen etliche nur Gott, daß ers kurz mit ihm machen, und ein seligen Abschied bald verleihen wollt. Da fing nun auch unser Pfarrherr an zu bethen dem Kranken zu Trost, und sprach viel schöner Gebeth, und fielen alle, die in der Stuben waren, mit ihm auf ihre Knie, und bethen ihm nach. Auch wurden viel Sprüch hin und wieder aus dem alten und neuen Testament, wie zuvor auch geschehen war, wiederholet, die er bei seinem Leben gern gebraucht, und sich und andre oft darmit getröstet hatte. Als den Spruch Joh. 14.: euer Herz erschrecke nicht etc. und fürder aus dem 15. 16., 17. und auch 10.: wer mich liebet, der wird meine Gebothe halten etc. Item: Meine Schaafe hören meine Stimme etc. und so fortan. Item zun Römern das fünfte Capitel, und aus dem achten: so Gott mit uns ist, wer will wider uns seyn.

Da dies geschehen war, gingen etliche zu Tisch, dieweil sie den ganzen Tag nicht gessen hatten. Da sie nach der Mahlzeit fast alle wieder da waren, hatte es bereit sechse geschlagen. Er lag aber ganz still. Da spricht Magister Fröschel den Segen über ihn: der Herr segne und behüte dich, der Herr erleucht sein Angesicht über dir und sey dir gnädig, der Herr erhebe sein Angesicht auf dich, und gebe dir Frieden. Veit Winsheim aber, der Arzeney Doctor und Professor der griechischen Sprachen zu Wittemberg, schrie ihm zu aus dem Psalm: in deine Hände befehl ich Herr meinen Geist, du hast mich erlöst du getreuer und wahrhaftiger Gott. Und als er ihn fraget, ob ers auch höret, sagt er: ja, daß es jederman wohl hören konnte, da doch unser über zwanzig umher stunden. Bald bethet Magister Fröschel[14]) den Glauben und das Vaterunser, darnach wiederholet er die Wort aus dem Psalm:

---

14) Ed. 2. *Sebastianus Froeschelius.*

Herr Jesu Christe, in deine Hände befehl ich meinen Geist etc. Zum dritten Mal, da wir unterdessen fleißig auf ihn sehen, regte er die Lippen als bethet er, wie er den Tag über oft gethan hatte, und geht also über dem Gebeth dahin, gleich da Magister Fröschel die Wort des Psalms, wie gemeldt, zum dritten Mal sprach. Da konnten wir nicht merken, daß es ihm einen Stoß gethan hätte, oder daß es ihm etwa den Mund gekrümmt hätte, oder dergleichen etwas, sondern fuhr also fein still und gelind über seinem Gebeth dahin zu seinem lieben Herrn Jesu Christo, den er stets mit Herzen und Mund gelobt und gepreiset hat. Bei dem hat er nun auch ohne Zweifel ewige Freude und Herrlichkeit samt allen Auserwählten. Zu der helff uns Jesus Christus der Sohn Gottes allen mit einander auch gnädiglich, und verleihe uns ein seliges Stündlein und einen frölichen Abschied zu seiner Zeit, wenn es ihm gefällig ist, Amen.

Nu haben wir angezeigt, wie Philippus Melanthon, unser lieber Vater und Präceptor, sein Leben hie auf Erden beschlossen hat, das allein unser Fürnehmen auf diesmal gewesen. So ist der Bericht von seinem Leben, was er darin gethan und ausgerichtet hat, auch ausgangen, und werden andere, wie wir hoffen, weitläuftiger und mehr davon schreiben. Hat gelebt 63 Jahr und 63 Tag, ist gestorben auf den Abend vor sieben Schlägen, in der Stunde, darinnen er auch geboren ist. Da man in der Stadt erfahren, daß er tod wäre, kamen die Studenten in großer Anzahl fürs Haus, und waren sehr betrübt, und gaben also ihr geneigt Gemüth, das sie zu ihrem lieben Praeceptore gehabt hatten, zu erkennen. Sterben aber hat ihn keiner ohne Zähren sehen können, auch die nicht, die doch sonst bei Sterbenden muthig und beherzt seyn, und andere trösten können, so gar nahm ihnen die Liebe gegen ihrem Präceptore den Muth. Denselben Abend schrieb die Universität alsbald an unsern gnädigsten Herrn, den Churfürsten, und berichten seine Churfürstliche Gnade von dem traurigen Fall, daß uns unser lieber Vater und Präceptor mit Tod abgangen wäre, und sind seiner C. G. die Brieff überantwortet worden am dritten Tage hernach vor Mittag. Sein Leichnam aber ist denselben Abend angezogen und in seiner Studirstuben verwacht worden.

Auf den Morgen, welcher war der 20. Tag *Aprilis*, hat ihn Herr Lucas abgerissen. Da aber alle Augenblick die Studenten zuliefen und bathen, daß man sie ihn wollt sehen lassen, als den sie bei Leben hoch, lieb und werth gehalten hatten, dieweil man denn das vieler Ursach halben nicht wohl abschlagen konnte, also wurd männiglich erlaubt, denselbigen ganzen Tag und den volgenden Tag darzu bis auf Mittag ihn zu sehen wer da wollt, und wir halten nicht, daß viel Studenten oder Bürger in Wittenberg seyn werden, die ihn in den anderthalben Tagen nicht gesehen haben. So werden auch der nicht viel seyn, die ihn ohne Zähren haben sehen können. Es sind auch viel fremder Leut da gewest, die ihn zuvor bei Leben nie gesehen hatten, die sahen ihn todt, und damit man ja sehen mag, wie die Leute gegen ihn gesinnt gewesen, so war selten einer, der ihn nicht angegriffen hätte; darnach es eines jeden Bewegung gab. Mancher griff ihn ans Kinn, mancher aufs Haupt, auf die Brust; Viel nahmen ihn bei der Hand und druckten ihm die Hand, etliche aber küßten ihn und weineten, daß sie ihn mit Thränen netzten, und ist in Summa nicht alles zu sagen, wie sich die guten Leut gegen dem todten Leichnahm gebäreten. Die Bürger trugen ihre Kinder an den Armen über ihn, und sagten, sie sollten ihn fleißig ansehen, daß sie einsmals sagen könnten, was es für ein Mann gewesen wäre. Und ob sich gleich mancher sonst des Weinens hätte enthalten können, so war es ihm doch nicht möglich, daß ihm nicht die Augen übergangen wären, wenn er nur sahe, was für Geberd jung und alt gegen ihn trieb.

Den Tag ist auch beschlossen worden, daß man den Mann, welchen Gott zu den höhesten Sachen in diesem Leben fruchtbarlich gebraucht hatte, aufs aller ehrlichste zur Erden bestatten, und seinen Leib in einen zinnern Sarg legen sollt, welchs also geschehen, und ist dieser zinnern Sarg in einen hölzern Sarg eingesetzt und verspündet, darnach in die Schloßkirchen zu Wittemberg gegen dem Begräbniß des Ehrwirdigen Herrn, Doctoris Martini Lutheri seligen, über begraben worden, sammt einer Schrift, die mit etlichen andern mit in Sarg geschlossen worden ist, deren Inhalt wir jetzt erzählen wollen, und lautet also:

(Germanicam versionem huius scripti latini hic praetermisimus.)

Mit dem Begräbniß ist es kürzlich also zugangen. Es sind von den Professoribus Collegii philosophici bestellt worden, die ihn tragen sollten, die haben alle lange schwarze Priesterkleider angehabt. Die Schüler sind vor hergegangen, darnach die Leich, nach der Leich die Freundschaft, dann die Professores, ein Erbar Rath, die fremden Leute, vom Adel und andere, dar-

nach die Studenten und Bürger. Und ist also erstlich in die Pfarrkirchen bracht und vor dem Altar niedergesetzt worden an den Ort, da er gewöhnlich, wenn man Priester ordiniret, pflegte nieder zu knien. Da hat man einen Psalm und ander Gesang, wie in unser Kirchen zur Vesper bräuchlich, gesungen. Darnach ist Doctor Paulus Eberus unser Pfarrherr auf die Kanzel gestiegen, und hat die Leichpredigt gethan aus dem vierten Capitel an die Thessalonicher, welche auch im Druck ausgehen wird. Da nun die Predig und Vesper ausgewesen, ist man mit der Leich und Proceß fürder in die Schloßkirchen gangen, und als man die Leich neben dem Grabe niedergesetzt, ist in der Nähe ein Pult aufgericht gewesen, da hat Vitus Ortel von Winsheim, Doctor der Aerzney und Professor der griechischen Sprach ein Oration gethan, die auch im Druck ausgangen ist, und hat sich das Begräbniß verzogen bis um fünfe. Es war aber eine solche Menge Volks von Studenten, Bürgern und fremden Leuten, Edlen und Unedlen bei dem Begräbniß, daß mans in Wittenberg größer nicht gedenkt. Es war auch denselben Tag um 9 Uhr vor Mittag Joachimus Camerarius mit dem achtbaren und wohlgelehrten Herrn, Doctor Morchen kommen. Als er aber in des Herrn Philippi seligen Haus gefordert ward, wollt er nicht hingehen bis der Sarg zugeschlossen wäre; da kam er erst und war sehr betrübt, wie man sehen konnte. Es war auch auf der Gassen, da man die Leich herabtrug, ein großes Weinen von Weibern und Männern, alten und jungen. Als er nun zur Erden, wie gesagt, bestattet gewesen, hat man Almosen ausgetheilet von der Universität Kosten jederman, der darauf gewartet hat.

Also haben wir nun angezeigt, wie unser lieber Herr und Vater, Philippus Melanthon, gestorben und begraben ist. Was er aber für ein Mann gewesen sey, können wir auf dies Mal nicht anzeigen. Das ist aber männiglich bewußt, was Gott auf diesen Mann gelegt hat, und was für Fahr der heiligen christlichen Kirchen und ganz Deutschland aus dieses Mannes Abgang entstehen möge, verstehen alle vernünftige Männer, und was sein Widerpart fürhat, siehet man auch. Denn ob sie ihm wohl bei Leben feind waren, so mußten sie ihn doch fürchten. Jetzund aber mag die Furcht aufhören, der Neid und Haß aber wird wohl bleiben. Daß uns aber von ihnen nichts Guts zu gewarten sey, sind leider allzuviel nun nicht mehr heimliche sondern öffentliche Kundschaften am Tag. So sehe nun ein jeder zu, daß er auf die künftigen Uebel gefasset sey, daß er wisse, was er thüe und was ihm zu thun seyn will, damit er in seinem Gewissen ruhig und zufrieden seyn könne, und erklärte Lehr unter uns nicht verruckt werde. Von seinem Lob aber, (wiewohl er keines Andern Lob bedarf, denn das Werk wird ihn selbs loben) werden die Poeten und andere ehrliche Leut sagen, wie es denn bei vielen allbereit im Werk ist.

Diesen kurzen und wahrhaftigen Bericht aber haben wir wollen thun wider die Lügen und Verläumbung seiner und unsrer Feinde. Und setzen auf diesmal zu Zeugen dieser Historien den Ehrwirdigen Herrn D. Paulum Eberum, unsern Pfarherrn, samt den andern Kirchendienern, M. Fröschel *), M. Johannem Sturionem, den Herrn Petrum Ecelium. Aus den Professoribus, D. Georgium Maiorem, D. Paulum Crellium, D. Joachimum von Beust, D. Johannem Schneidewein, D. Vitum Winshemium, D. Casparum Peucerum seinen Eidam, D. Johannem Hermannum, D. Johannem Maiorem vom Jochimsthal, M. Sebastianum Theodoricum, M. Casparum Crucigerum, M. Esromum Rüdingerum, M. Eusebium Menium, und viel andere ehrliche und glaubwürdige Männer und junge Gesellen, die es zum guten Theil mit gehört und gesehen haben, und ein jeder selbs an seinem Ort der Wahrheit Zeugniß geben wird. Und bitten hiemit Gott von Herzen, daß er ihm eine ewige christliche Kirchen unter uns und in diesen Landen und ganzen menschlichen Geschlecht durch seinen lieben Sohn, unsern Herrn und Heiland Jesum Christum, sammlen und erhalten wolle, und wollt uns gnädiglich behüten für Rotten und Secten, Muth und Stärk geben, denen getrost und auch fruchtbarlich Widerstand zu thun. Und dieweil menschliche Kräften und Weisheit in dem zu schwach ist, so bitten wir den ewigen Sohn Gottes, daß er durch sein Wort reichlich in unsre und aller Gläubigen Herzen seinen heiligen Geist ausgießen wolle, der uns Verstand und Weisheit gebe und in allen Dingen regiere und führe; damit sein heiliger, göttlicher Name unter uns und in der ganzen christlichen Kirchen gelobt und gepreiset werde, hie zeitlich, und dort immer und ewiglich, Amen.

---

*) Ed. 2. Sebastianum Fröschelium.

**No. 7140.** a. 1560. 15. Maii.

## *Scriptum F.*

### Iac. Heerbrandi oratio in obitum Mel.

Oratio funebris in obitum incomparabilis viri P. Melanthonis in Academia Tubingensi, die decima quinta Maii a *Iacobo Heerbrando*, Theologiae Doctore et Professore in eadem. Tubing. 1560. 4½ pl. 4. — Iterum Witeb. 1560. 4 pl. 4. — Recusa ex editione aut Tubingensi aut Witebergensi in *G. T. Strobelii* Miscellaneen literarischen Inhalts, Vol. VI. p. 223 sqq., unde eam hic hausimus. Eadem oratio etiam recusa est in libro: Orationes, Epitaphia et Scripta, quae edita sunt de morte Phil. Mel. etc. quem librum contuli, et qui, excepta orthographia, cum Strobelii textu accurate convenit. — Alium libellum non vidi, sic inscriptum: Iac. Heerbrandi pro Ph. Melanthone oratio opposita Witeb. quorundam Philippomastigum falsissimis criminationibus in praefatione, tum editionis causa exponitur, tum calumniae aliquot Witebergensium deteguntur et diluuntur. Neap. Nemet. 1598. 8. 7 pl.

(*Iac. Heerbrandi oratio funebris in obitum Ph. Mel. habita d.* 15. *Maii in Academia Tubingensi.*)

Convenimus Magnifice Rector, Generosi Comites et Barones, Senatus amplissime, Ornatissimaque Concio, ad Tumulum honorarium Domini *Philippi Melanthonis*, qui Mense praeterito ex hac misera et aerumnosa vita decessit, eamque foeliciter cum illa beata, et perpetua commutavit (sicut ad nos nona huius Mensis perscriptum est,) iusta ei facturi, et exequias, postremumque hoc pietatis officium praestituri. Ex cuius obitu omnes pii et boni ingens accepere vulnus, ac publicus et communis totius Ecclesiae et Scholarum luctus est, quae optimo et fidelissimo Doctore ac Praeceptore sunt orbatae. Quod si unquam casus aliquis non modo Scholis, sed etiam Ecclesiis omnibus tristis, et acerbus accidisse videri potuit, hic certe multo maxime omnium Lachrymis deplorandus erit. Neque parvam iacturam fecit Respub. Christiana, tanto viro privata. Ereptus est enim terris Vir praestantissimus et summus, optime de tota Ecclesia suis laboribus meritus, pietate, virtute sapientia, et eloquentia excellentissimus, cuius ingenium plane fuit divinum, et domicilium spiritus sancti, eruditio multiplex, et pene incredibilis. Cui neque terra tulit, neque Sol hic aspexit similem, cuius vel in rempublicam literariam, vel in Ecclesiam, quibus fidelissime et utiliter longissimo tempore, nullis laboribus parcens servivit, merita extent plura, aut maiora. Quare quod *Helisaeus* propheta, curru igneo in coelum praeceptore suo Helia sublato, tristi, et lugubri voce ingeminando, abitum sui Praeceptoris deplorat, clamans: Pater mi, pater mi! Currus Israel, et auriga eius: Id nos quoque facere multo aequius est. Occidit enim, heu occidit Rector, et gubernator summus scholarum, et Ecclesiarum. Quae igitur ingratitudo, quae impietas maior dici aut excogitari possit, quam talis viri obitu non affici?

Cum igitur de summo, et eloquentissimo viro, cui etiam Erasmus, in suo Ciceroniano, primas inter eloquentes suo tempore tribuit, verba sint facienda, Oratio requirebatur eloquentissimi, arte, elaborata, exquisita, et absoluta, quae laudibus ipsius amplissimis, splendore suo par esse posset. Nam si Alexandrum Magnum nephas erat nisi a Lysippo, et Apelle, praestantissimis artificibus fingi: Cur Philippum ter maximum, nisi a summis ingeniis, et artibus dicendi instructissimis, laudandum existimabimus?

Ego vero, cum ab ista dicendi facultate longissime absim, et meae mihi conscius sim infantiae, plurimos quoque in hoc coetu clarissimorum virorum, Oratoria instructos, mihique hac in re parum exercitato longe praecellere coram videam: merito omnium incurrerem in reprehensionem, si mea sponte has dicendi partes suscepissem. Verum cum et Illustrissimus noster Princeps pro singulari sua et principali erga studia, et Scholas Clementia, id a nobis postularet, Et Senatus scholae amplissimus hoc ipsum ad officium suum pertinere iudicaret, statim nunciata morte viri incomparabilis, debitis eum laudibus ornare, mihique tanquam discipulo ipsius, qui eum pluribus annis docentem audierim, cuique historia notior sit, quam forte aliis, iniunxerit, et ego precibus frustra reluctando nihil proficerem, nolui odiose repugnare, ne vel ingratus erga praeceptorem praeclare de me meritum, cui omnia mea, ut debeo, accepta refero, vel laborem subterfugere, aut Senatus autoritatem parvifacere (quae omnia a me alienissima esse volo) iudicarer: sed hoc qualecunque pietatis, et gratitudinis officium postremum praestare, et quocumque eventu in hac materia occupari, pium esse existimavi. Idque eo facilius mihi persuaderi passus sum, quod per se suis scriptis, rebus praeclarissime gestis, virtutibus, vita denique integerrime acta, clarus sit,

et illustris, ut opus non sit splendorem Orationis adhibere, (Hoc enim aliud non esset, quam Soli lumen addere), sed tantum veritas, et bona fides a me requirantur.

Optarim autem, si ita Deo Opt. Max. visum fuisset, ut vivo potius D. Philippo, eam, quam ipsius erga Ecclesiam, Rempub. literariam, et me privatim beneficia postulant, gratitudinem praestare potuissem, quam erga vita hac functum hoc qualicunque officio animum nostrum declarare. Vere enim affirmare possum, nihil mihi in hac vita tristius accidere potuisse hoc nuncio de obitu tanti viri, quo ita consternatus sum, ut neque me ipsum colligere, neque animum ad cogitandum instituere potuerim. Ideo veniam mihi dari peto, si expectationi vestrae non responderit Oratio, neque elegantiam et splendorem, quem et persona, de qua dicitur, et argumenti gravitas ac varietas requirit, adhibeam.

Non instituam autem Graecorum more panegyricam laudationem, sed propter Iuniores historiam vitae breviter recitabo et de studiis, eruditione, et scriptis dicam, pauca quaedam de multis attingens, et quasi procul ostendens: Quibus deinde nonnulla de doctrinae genere, quod professus est, subiiciam, ut memoriam ipsius honorifice conservemus, et omnes intelligant grata, et iucunda nobis ipsius fuisse officia. Ac spero haec auditoribus fore utilia: Nam et de doctrina multa monent, et exempla vitae illustria omnibus, inprimis vero studiosis, utilia continent.

Et ut initio, more solito quaedam de patria dicam. Natus est D. *Philippus* in Palatinatu ad Rhenum, Oppido Bretta, Anno Domini M.CCCC.XCVII. minutis sex post horam septimam pomeridianam, die decimasexta Februarii. Locus nativitatis non procul hinc distat, quod scitis, ut nobis etiam eum vendicare posse videamur, praesertim cum postea hic vixerit, didicerit et docuerit, de quo paulo post. Scimus olim multas Graeciae civitates de Homero mortuo certasse, singulis civem suum, et apud se natum magnis contentionibus asserentibus: quod plurimum laudis hinc Patriae suae accedere iudicarent, talem, et tantum virum in sua civitate in hanc lucem aeditum esse. Nec nos igitur in postrema foelicitatis, et laudis parte ponemus lumen hoc Germaniae, Imo mundi potius, in hac vicinia ortum esse: Sed gratulemur nobis, et Patriae, quod talem civem, non nobis modo, verumetiam toti orbi Christiano, cuius memoria, et monumenta, vivent, vigebunt, et florebunt apud omnem posteritatem, produxerit.

Ortus est autem parentibus, qui honesto apud suos loco fuere: sicut etiamnum hodie frater ipsius *Georgius* Schwartzerd illic Magistratum gerit. Mater sapientia admiranda in tota illa vicinia excelluit, clara et celebris fuit. Sed de his non opus est plura addere. Nam si maxime obscuris natus esset Maioribus, tamen virtute sua ita illis praeluxit, ut si prius noti non fuissent, a se initium memoriae suae accepissent (libet enim verbis Ciceronis uti) ac multo satius est, propriis virtutibus florere, quam maiorum opinione, et imaginibus tantum niti, et posteris initium nobilitatis praebere, quam aliunde acceptum, vita turpiter acta, tenebras offundere. Cum igitur facultates illis mediocres essent, honeste etiam, et liberaliter filium educari curaverunt, et ad studia literarum adhibuerunt, quarum rudimenta prima in patria sine negocio didicit, ut omnes spem maximam de ipso conciperent. Nihil enim mediocre ingenium pueri pollicebatur.

Deinde vero ad portam Herciniae, cui nomen est Pfortzheim, a parentibus est missus, ubi apud sororem *Capnionis* cognatam vixit, et illic apud Georgium *Simlerum*, qui postea hic primum bonas artes, deinde et Iura professus est, ac Ioannem *Hildeprandum*, viros eruditissimos, Latinae et Graecae linguae exercitia habuit, quod ad nos ipse anno superiori Calend. Maii scripsit.

Inde Heidelbergam ad vicinam Academiam a suis est ablegatus. Florebant enim illic studia literarum, ut illa ferebant tempora mediocriter. Ubi et primam lauream est consecutus.

Postea consilio Reuchlini cognati, qui eum non nisi filii nomine appellavit, et Simleri praeceptoris Tubingam venit. Fuit autem *Reuchlinus*, ut hoc quoque obiter addam, cum in hac Schola Hebraeam linguam sit professus, et in hoc ducatu mortuus, primus qui studium Graecae et Hebraeae linguae in Germania excitavit. Et cum Romam a Philippo Palatino in negocio de coniu-

gio Ruperti filii et filiae Ducis Bavariae Georgii missus esset, ibique diutius anno commoraretur, et Abdiam illum Iudaeum docentem Hebraica et Argyropilum, natione Graecum, publice Thucydiden profitentem; studiose audivit. Cumque Argyropilus Germanum esse intelligeret, quaesivit, num Graeca legere nosset? Ille vero cum non modo eleganter legeret, verum etiam interpretaretur difficillimum autorem, exclamavit in publico, Ecce Graecia nostro exilio transvolavit Alpes.

Habuit Tubinga eo tempore viros praestantissimos in literis, et linguis, et praeter Reuchlinum, Georgium Simlerum, quo ante praeceptore usus fuerat, *Brassicanum* et *Bebelium* poëtas Laureatos, Ioannem *Stoefflerum* Mathematicum insignem, M. Franciscum *Stadianum* Professorem Aristotelis celeberrimum, et alios eruditione praestantes viros, cum quibus D. Philippus familiariter est conversatus, et in discendo aliquorum opera usus, praesertim *Simleri*, qui dicere solebat, discipulum praeceptore doctiorem esse, et *Stoeffleri*, quem triennio diligenter audivit.

Perceptis artibus, linguis, et Philosophia, partim a Praeceptoribus, partim vero privato studio, honores et gradum Magisterii philosophici in hac schola petit, et consequitur anno a nativitate Christi M.D.XIIII. in die conversionis Pauli, Decano Magistro Ioanne *Kress*, et inter undecim Candidatos primum locum obtinuit.

Postea et docere simul coepit in hac schola bonos autores Virgilium, et Terentium, quem, quia prosa oratione scriptus videbatur (sicut prima exemplaria vetusta eodem modo excusa, quae nos quoque in nostra pueritia vidimus, testantur) monstrato carminis genere, restituit: et in hac schola quinque eius Comoedias enarravit.

Deinde Oratoria lectione sibi demandata, Ciceronis quaedam opera Iuventuti proposuit, postea etiam Livii libros sex absolvit. Et simul tum inter docendum ad sublimiora animum applicavit. Cumque valeret ingenio, quod ad studia natum erat, et omnium capax, non uni studiorum generi se dabat, sed omnibus. Idque adeo foeliciter ut, quod auditu mirum est, cum alias singuli, vix singulas artes recte discant, hic omnes et singulas ita didicit, ut uni soli operam dedisse videri potuerit. Nec artes modo dicendi, et linguas, sed totam Philosophiam, et quid dico philosophiam? parva enim haec, licet magna sint, videbantur, Ideoque non contentus iis, ad sublimiora studia, facultates vocant superiores, se contulit, easque omnes didicit. Nec obiter gustavit, sed tantum in iis profecit, ut etiam cum summis artificibus et Professoribus certarit. Audivit hic in Theologia scholastica Doctorem *Lempum*, qui tum praecipuus habebatur, et alios Professores. *Simlerum*, quo antea usus fuerat praeceptore in discendis linguis, Iura hic profitentem diligenter audivit. Et facile cum artes dicendi, et Ethicen recte didicisset, ingenioque excelleret, in illis studiis cum fructu versari potuit, quantumque profecerit, libri de his scripti testantur, et hic leges privatim docuit. Medicam vero artem non neglexit, sed et hic Professores eius docentes audivit studiose, et Galeni libros cum propter linguam et methodum, tum propter rerum cognitionem ita legit, ut sententiam autoris sit consequutus, et pleraque memoriter recitare potuerit, eiusque rei specimen dedit in libello de Anima.

Haec omnia celeriter didicit, ut omnium oculos in se converteret, cum discipulus ne, an Doctor ac Professor prius esset, merito quis dubitaverit. Fuit enim in eo divina vis ingenii, acies mentis, iudicii dexteritas, memoria admiranda, ut meminerit omnium, quae vel legisset, vel audivisset unquam, ut circumstantias temporum, locorum, personarum, et nomina quoque, versus, sententias, et periodos memoriter recitare possit, quae omnia docent, memoriam eius fuisse admirabilem.

Atque hoc modo, adepto gradu Magisterii, quadriennio hic vixit Doctor simul bonarum literarum, et discipulus graviorum studiorum.

Iam tum certamina de Religione Witebergae, per Reverendum virum Dominum Doctorem Martinum Lutherum in causa indulgentiarum erant mota, Et optimus, ac prudentissimus Princeps *Fridericus* Dux Saxoniae Elector, Scholam a se institutam fovebat, et exornabat, undique accersitis viris doctissimis. Inter reliquos vero etiam Reuchlinum, cuius tum in tota Germania celebre erat nomen, Witebergam vocatum esse

audivi: Verum patriam, cui ipse tum Triumvir Sueviae praeerat, deserere noluit: adesse autem se longe maiorem, Philippum Melanthonem iuvenem, respondit.

Vocatur itaque Deo sic volente, Witebergam ab Electore, Anno Domini M.D.XVIII. natus ipse annos viginti unum, ut graecas literas doceret, unde vulgo illic initio graecus est dictus.

Discedente D. Philippo Tubinga, *Simlerus* praeceptor, vir eruditione praestans, deplorandum esse toti civitati eius abitum dixit, et subiecit, Quotquot ibi essent docti homines, non esse tam doctos, ut intelligerent, quanta esset doctrina eius, qui inde evocatus discederet. Nec falsus est suo iudicio. Statim enim ubi Witebergam pervenit, utramque linguam, Graecam et Latinam docuit: et, ut id cum fructu praestaret, ne auditores multitudine, et prolixitate praeceptorum, quae alias molesta sunt, deterrerentur eaque facilius addiscerent, praecepta utriusque Grammaticae in Compendium redegit, et aedidit, ut non solum suis auditoribus, sed toti Germaniae consuleret, studiaque linguarum accenderet. Et pulchre respondit eventus. Nam ab illo tempore in omnibus scholis, et omnium puerorum manibus libelli versantur.

Haec fundamenta ubi iecisset, cum videret obscure, et intricate praecepta Rhetorices, et Dialectices vulgo tradi in scholis, nullumque usum artium monstrari, et exempla, quibus praecepta illustranda erant, partim esse ridicula, partim vero aeque obscura, ac ipsa praecepta, in quibus etiam multa inutilia habebantur, hunc in se recepit laborem, ut ex Aristotele ipso, Cicerone, et Quinctiliano optima, et praecipua, pauca tamen, si ad ingentem istum acervum conferantur, seligeret praecepta, quae subinde quibusdam additis, auxit, ut postrema artem totam complectantur. Et quia praecepta nuda amara sunt, et obscura, illustria addidit, et utilia exempla, quibus usus artium, et praeceptorum, et quomodo ad omnia negocia, in tota vita, ad artes et disciplinas omnes accommodanda essent, demonstravit. Eaque omnia tanta perspicuitate, et dexteritate proposuit, tali Methodo, et ordine, exemplisque additis ita illustravit, ut obscurissima alias difficillima, et abstrusissima, ab omnibus facile, et nullo negocio intelligantur.

Praeterea ut adolescentes ad veram Philosophiam manu quasi deduceret, Physices, et Ethices Epitomas conscripsit, in quibus, ut aliis omnibus, usum disputationum philosophicarum monstravit, atque ad vitam communem transtulit. Quam venuste enim Iusticiam commutativam et distributivam, quarum utramque Aristoteles aequalia aequalibus reddere ait, illam quidem proportione arithmetica, hanc vero Geometrica, ad communem vitam applicavit, quae in contractibus, et personarum ordinatione consistit? Ut in contractibus simpliciter precium mercibus respondeat: ad Reipub. vero, et aliorum officiorum in omni vita constitutionem, non quosvis sine discrimine ex favore, propter imagines, et generis praerogativam, aut inanes titulos, adhibendos, sed optimos quoque, et maxime idoneos. Haec si non observentur, civilem hanc communis vitae societatem consistere non posse, sed collabi Respub. et omnia perire necesse esse. Talia multa occurrunt in scriptis D. Philippi, quibus certe Aristotelis sententiam illustravit, et usum docuit, ut artes finem suum consequerentur, qui est utilitas aliqua in communi vita.

Quid de Physicis disputationibus, et libellis dicam? quid de Astrologicis de libello item, in quo non tantum de anima disserit, sed totius humani corporis formatione, partibus omnibus, affectibus, humoribus, Anatome, et similibus? Quid de Orationibus elegantissime de variis rebus scriptis? Dies me citius deficiat, quam res et verba. Nam in argumento tam copioso nemo adeo ieiunus est, ut verba ei deesse possint.

Cum autem eo tempore praeceptorum Aristotelicorum usus non traderetur, sed etiam philosophia ipsius a male feriatis hominibus cum Theologia confunderetur, verum praeceptorum et philosophiae usum monstravit. Methodicam tractationem ad materias Theologicas accommodavit, ac utriusque doctrinae Theologicae et philosophicae discrimen recte docuit. Hoc ergo proprium habet, et peculiare D. Philippus, sibique iure vendicat, quod et pauciora, et breviora quam priores tradiderit praecepta, atque exemplis utilissimis illustrarit, et usum eorum monstrarit, studia artium, linguarum, ac verae philosophiae, Mathematum quoque sua industria, et autoritate accenderit, et quasi postliminio revocarit, adque communem vitam transtulerit.

Docuit autem in schola Vitebergensi annis XLII non unam aliquam solum artem, sed omnino omnes, sicut omnium peritus erat, singulis diebus binas horas, ordine per totam septimanam lectionibus distributis, utilia proponens auditoribus: Verum communi Ecclesiae, et Reipub. utilitati inserviens, tantumque docendo profecit in omnibus, quantum vix alias singuli Professores in singulis artibus, Unde divinitus excitatum, facile est videre. Discipulos habuit, et auditores singulis temporibus plerumque bis mille, et inter hos Principes, Comites, Barones ac generis nobilitate praestantes plurimos.

Ad Titum Livium de ultimis Hispaniae, Galliarumque finibus, quosdam venisse Romam legimus. Pythagoras Memphiticos vates, Plato Aegyptum, et Architam Tarentinum adiisse scribitur: Ad hunc vero nostrum audiendum, non pauci quidam, nec ex una, aut altera regione, sed ex omnibus Germaniae oris: Et quid dico Germaniae, Imo ex omnibus propemodum totius Europae provinciis et regnis, ex Gallia, Anglia, Hungaria, Transsylvania, Polonia, Dania, Bohemia, et ex Italia quoque ipsa, Imo ex Graecia, fama nominis ipsius excitati, plurimi omnibus temporibus Witenbergam confluxerunt.

Quot igitur millia discipulorum totius vitae curriculo habuisse existimabimus, qui cum profitentem audivere, et grati praeceptorem suum agnoscunt, indeque in varias regiones dispersi, merces quas illic comparaverunt, exponunt, et distrahunt?

Quid, quod etiam adversarii, qui diversam ab ipso Religionem colunt, tamen lectione librorum ipsius delectantur? magni eruditionem viri faciunt, industriam, et dexteritatem in docendo admirantur?

Et in tota Germania omnes cathedrae, scholae, et pulpita, scripta ipsius sonant, haec omnium manibus, tam puerorum, quam adultorum teruntur, quod testimonium est evidentissimum, et minime fallax, scripta haec immortalitatem habitura.

Quibus rebus motus, vir ille Dei Martinus *Lutherus* non absurde dixisse mihi videtur: Eum, qui Philippum praeceptorem suum non agnoscat, stupidum et stolidum esse asinum, et beanum, qui opinione, et fiducia ingenii sui feratur, et regatur. Nam quicquid usquam in artibus et vera philosophia sciamus, hoc Philippum praestare. Titulo quidem humili, Magistri esse insignitum, sed longe excellere omnibus Doctoribus. Nec quenquam esse in terris suis temporibus in suo genere sub sole, talibus donis ornatum. Ideo magnifaciendum. Qui vero hunc virum contemnat, eum etiam coram Deo fore ignobilem. Hactenus Lutherus.

Magna sunt haec fateor, ornatissimi Auditores, quae hactenus de huius viri studiis, laboribus, scriptis, et meritis in Rempub. literariam a nobis sunt commemorata, et sufficiebant.

Sed restant alia maiora. Non enim in his studiis substitit, cum alio quoque consilio divinitus esset excitatus, et Witenbergam evocatus. Quod Reverendus vir D. Doctor Martinus *Lutherus* intellexit, nec dissimulavit, nempe ut ipse instaurator sincerioris, et verae religionis socium laboris, et Thesea in illustranda, et promovenda Theologia haberet.

Nam D. Philippus Methodum, qua initia, progressus, et fines rerum indagantur, et genus dicendi elegantius, tersum, facile, proprium, et nervosum adhibuit. Hinc factum est, ut cum magno omnium applausu scripta ipsius sint excepta, et religio vera, etiam ad exteros per scripta et per discipulos sit propagata.

Quare non modo de mortui laudibus in hac historiae recitatione cogitemus: sed multo magis doctrinae genus, quod professus est, consideremus, quae est altera pars nostrae Orationis. Et de admiranda Ecclesiae gubernatione commonefiamus: Quod filius Dei, sedens ad dexteram aeterni patris, dona dat hominibus, Prophetas, et Doctores idoneos subinde excitans, qui doctrinam coelestem, figmentis hominum obscuratam, in lucem proferant, statum Ecclesiae collapsum instaurent, et religionem depravatam pristino nitori restituant, quo Deo colligatur voce, et ministerio docentium, coetus aliquis, qui in hac vita eum ex praescripto verbi sui recte agnoscat, invocet, et in hac praesenti, et in futura illa beata vita, cum sanctis, et castis Angelis perpetuo cele-

bret. Hos Doctores Deus ex scholis docentium, et discentium scripta Prophetica et Apostolica sumit.

Tale organum electum etiam hic noster fuit, qui dispositionem et ordinem disputationum paulinarum in Epistolis de Iustificatione gratuita solius fidei ex misericordia Dei, propter merita in Christum, Spiritu sancto Doctore primus animadvertit, et Ecclesiae monstravit. Quod igitur usitata scholasticorum, et Monachorum deliria potius, atque commenta, quam fidei dogmata repudiavit, non puerili levitate, incogitantia et temeritate factum est. Nec Lutheri societate, vel autoritate motus id fecit. Dum enim hic etiamnum viveret, inutiles, spinosas, intricatas, et frivolas scholasticorum opiniones, et disputationes, adeoque totum illud doctrinae genus, quod neglecta sacrosanctae scripturae autoritate, Aristotelem cum Theologia confundit, et ex duobus integris unum corruptum facit, traditiones hominum non scriptas, decreta pontificum, et conciliorum, sine ullo discrimine recipit, hominibus praetoriam interpretandi scripturam autoritatem tribuit, ut id sonare cogatur, quod ipsi volunt, quasi propter locum, et gradum errare non possint. Hoc inquam doctrinae genus tum abiecit.

Sed diligenter scriptis propheticis, et Apostolicis evolutis, adhibita etiam patrum lectione, totam antiquitatem consuluit, et contulit, atque ex hac sententiarum collatione, Corpus integrum doctrinae conscripsit, in quo omnes propemodum, certe praecipuas Theologicas materias, cum alii alias tantum tractarint, monstratis veris fontibus ex sacra scriptura est complexus, idque solita sua dexteritate, unde facile legentibus apparet, quid de singulis doctrinae Christianae partibus senserit, nec opus est arbitror, ut ordine recenseam, cum extet liber, et in omnium manibus versetur.

Id scriptum, quod initio hypotheses Theologicas, postea locos theologicos appellavit, aliquoties, longo rerum usu, disputationibus, lectione, et exercitiis pietatis magis instructus recognovit, et locupletavit. Nec enim ut privatae consuleret tranquillitati, medius aut esse, aut haberi voluit. Hoc ne Solon quidem in Repub. sua ferebat, ut mota seditione, neutram quis factionem sequeretur, sed honoribus tales, quos Neutrales vocant, abdicabat, cuius legis rationem Plutarchus hanc affert, Ne quis neglecta Reipublicae cura et salute, privatis tantum commodis studeret, et suae tranquillitati consuleret.

Fuit autem D. Philippus natura miti ingenio, studiosus pacis, et concordiae, amans tranquillitatis, abhorruit ab omnibus seditiosis et tribunitiis consiliis, moderatus, et vere ἠθικος, gratus omnibus, ut scimus, et in summa autoritate. Ideoque facile si voluisset, in tuto esse poterat, et ocio studere. Nec deerat acumen ingenii, non eruditio, ut facile potuerit conciliationes dogmatum fucatas instituere, flexiloqua, ambigua, et quae in utramque partem detorqueri possent, vocabula excogitare. Sed fuit constans, nec suis commodis attemperare religionem, nec doctrinae genus, quod noverat cum sacra scriptura consentire, mutare, aut colludendo cum Adversariis, prodere voluit.

Hoc unum in *Erasmo*, quem optime de literis meritum, magnifaciebat, desiderare eum memini, quod non aperte suam sententiam in causa et controversiis religionis diceret, nollet periclitari de suis fortunis, et existimatione nominis sui, neque autoritatem suam, qua apud Reges, Principes, Cardinales, Episcopos, et omnino omnes polleret plurimum, interponeret, quo Religionis et Ecclesiae status emendaretur. Audivi enim dicentem, quod cum ea de re, scripto virum admonuisset, non aliud tulerit responsum, quam

ἔργα νεῶν, βουλαὶ δὲ μεσῶν, εὐχαὶ δὲ γερόντων.

Significans se iam senio confectum, precibus occupari: Itaque hoc negocium aliis committendum, quibus adhuc maiores essent vires, qui labores, et onera gubernationis possint ferre, et consilio valerent.

Non talis noster fuit, ut callide suam dissimularet sententiam, ne propter confessionem in discrimen vitam et fortunas adduceret. Neque ambiguo, aut improprio sermone offundere caliginem auditoribus, et lectoribus voluit. Nec enim in dogmatibus lusit fingendis novis opinionibus, aut interpretationibus, nec nova commentus est dogmata antiquitati ignota, tametsi valeret ingenio, erudítione, et multis aliis rebus esset instructus, non tamen tantum sibi permisit, nec

ingenio indulsit. Sed quemadmodum ipse in tota vita, et omnibus actionibus apertus fuit, sincerus, et candidus, ita in professione doctrinae, proprietate sermonis, et orationis semper est delectatus, et genuinam, ac nativam sententiam, quam sermonis proprietas, et fidei Analogia afferunt, facta collatione, eruebat, et id quod sentiebat, voce, et scriptis, cum aliis plurimis, tum inprimis in locis est professus.

Cumque in hoc nostra versetur oratio, et magnus sit horum locorum usus, atque in omnium fere manibus versentur, non possum praeterire, quin iudicium Domini Doctoris Martini *Lutheri* de illis recitem. Spero enim non fore Auditoribus ingratum. Adeo autem honorifice de illis sensit, ut dixerit, Non extare ullum aliud praestantius post Apostolica scripta *Locis* D. Philippi, Ideoque in Ecclesia et Scholis retinendum: Quia in eo doceat, pugnet, et triumphet, ac totum corpus coelestis doctrinae complectatur. Nec in omnibus omnium patrum scriptis tantum reperiri eruditionis Theologicae, quantum in locis hisce contineatur. Et si omnia illorum scripta conflarentur, non tamen inde locos Philippi proditoros.

Adhibitus est postea diiudicationibus dogmatum, et controversiarum, ac gravissimis deliberationibus, ubi de tota religione est disputatum. Interfuit plerisque Comiciis imperialibus, Conventibus principum, et Theologorum, ac colloquiis omnibus publicis, quae toto tempore hoc sunt instituta. Nec fuit illic ociosus spectator, aut *κώφον πρώςωπον*, sed praecipuas semper egit partes, omnia scripta composuit, cum adversariis est congressus, et in acie stetit, ac constantiam praestitit viro bono dignam. Nec unquam victus discessit, sed maxima ingenii celeritate, et acumine, Sophisticen intellexit, et deprehendit, atque intricatas, et involutas quaestiones, ac nodos gordios, gladio verbi Dei dissecuit, et dissolvit. Scripsit et tempore periculosissimo, cum omnia interitura videbantur, in Comitiis Augustanis, Fidei confessionem, communicato tum cum aliis consilio, quae ibidem exhibita est Imperatori Carolo quinto. In qua etiam praecipuos fidei articulos est complexus, sed breviter, ut in Confessione fieri solet. Haec Confessio late sparsa est, et habet sectatores non paucos, nec ignobiles, ac permansuram etiam ad finem Mundi contra Inferorum portas speramus. Cuius etsi adversarii refutationem tum instituerant, eam tamen, neque publice in lucem edere unquam ausi sunt, neque statibus Imperii, qui Confessionem exhibuerant, ab ipso imperatore petentibus copiam eius sibi fieri, inspiciendam dare voluerunt. Videbant enim sua frigida esse, et frivola, nec posse clarissimae luci, quae in Confessione splendebat, tenebras offundi aut aliquid certi et firmi opponi.

Scripsit postea in iisdem Comiciis Apologiam, in qua et Confessionem defendit pluribus argumentis, et Adversariorum Confutationem publice obiter lectam refutat.

Ad D. Philippum tanquam Delphicum Apollinis oraculum in causis difficillimis omnes propemodum Ecclesiae, Imo et Principes plurimi confugerunt, sententiam ipsius, et iudicium audire cupientes, quibus laboribus haec res ei constiterit facile quivis intelligit. In hunc modum, his laboribus, et studiis perpetuo occupatus, ubi Tubinga discessit. Reipublicae literariae, et Ecclesiae cum docendo, tum scribendo, XLII annos servivit.

Deum immortalem, quanta foelicitas, frui tanto tempore tam salutari Doctore! Ego certe, etsi probe mihi meae tenuitatis sim conscius, nec tantum profecerim hoc praeceptore, quantum debueram: Tamen hanc summam foelicitatem, quae mihi in terris contingere potuit, iudico, quod mihi toto quinquennio, duos istos heroes, Martinum Lutherum dico, et Philippum Melanthonem praeceptores meos perpetua observantia colendos, audiendi copia sit facta.

Et quod Irenaeus de Polycarpo Smyrneorum Episcopo, qui fuerat auditor Ioannis Apostoli, et Evangelistae scribit; Multa saepe Doctoris sui dicta narrare solitum, quibus addiderit, Se adhuc voces ipsius, quasi in auribus suis sonantes audire. Id de me verissime possum affirmare, Me adhuc non modo voces horum virorum in auribus tinnientes audire, sed adeo tenaciter menti meae insculptas, et impressas esse, quasi ipsorum effigies, ac oculis hisce praesentes coram assistentes

cernerem, iisque me saepe oblecto; ac spero me suo tempore, illos in beata illa vita denuo visurum, colloquuturum ac conversaturum.

Sed quo me abripit affectus? Redeamus ergo ad institutum. Dixi de studiis, et laboribus D. Philippi, quos continuos in tenui corpusculo, sine ulla intermissione sustinuit, vix ut respirare licuerit. Similiter et de doctrinae genere, quod professus est. Verum antequam ad alia pergam, Studiosos admonendos esse duxi, ut exemplo tanti viri, se ad diligentiam in dicendo exsuscitent, et ad labores perferendos adsuefaciant.

Themistoclem dixisse scribitur, Miltiadis Trophaeum non patitur me dormire neque cessare. Nec nos ergo tanti viri laudes, eruditio insignis, et res praeclare gestae ociosos esse sinant, sed ignaviam, oscitantiam, et veternum excutiant. Neque enim ad ocium vocamur, cum vel ad studia, vel ad Ecclesiae administrationem, vel docendi munus in scholis adhibemur. Nam ocium literarium, quod sic dicitur, non est ignavum ocium, ut Centauri nonnulli iudicant, qui suos tantum labores magnifaciunt, aliorum vero, quos nec intelligunt, nec praestare possunt, extenuant, et contemnunt. Sed maximum est, et laboriosissimum negocium. Intentio enim animi, studium, assiduitas in lectione, et meditatione, et ut uno verbo dicam, Maximi labores requiruntur ab his, qui in scholis versantur, et vel discendi, vel docendi munere funguntur. Omnes Scholae ingentia onera, non in docendo tantum, et discendo, sed etiam in iudiciis de dogmatibus et diiudicationibus controversiarum, quae inde petuntur, et aliis innumeris difficultatibus, quas non nisi experti intelligunt, sustinent. Quare studio, et diligentia in scholis opus est in docendo, et discendo, ut doctrinam solidam comparemus, et ad labores ferendos nos praeparemus.

Nec inanes aut irriti fuere huius viri praeclari conatus, et labores, sed gubernatio Scholae, quae semper in maximo erat flore, foelix fuit. Autoritate summa pollebat, ut omnes tam summi, quam infimi libenter praeceptorem communem et vocarent et agnoscerent, summa observantia, et reverentia non secus ac parentem colerent, monitis ipsius libenter obtemperarent. Nec ullus unquam adeo fuit ferox, adeo barbarus, nullus ita commotus, qui non viso vel etiam audito Philippo, statim se reprimeret. Quin etiam interdum tumultus maximi, interventu praeceptoris inermis dissipati sunt, nusquam autoribus comparentibus.

Scripta eius quam avide ab omnibus sint expetita, et lecta, quantam habeant apud omnes gratiam, et bono studio in alias atque alias formas certatim mutata, in alias linguas translata, quis adeo coecus est, ut non videat? Quum vel nomen Melanthonis non solum apud suos sacrum, sed etiam hostibus venerabile sit. Rex Galliae Franciscus audire eum, et conferre desideravit cum ipso. Haec vere heroica sunt, nec ulli triumphi plus habeat verae laudis.

Non autem humana industria, nec solis humanis viribus, et consiliis foeliciter regitur vocatio, aut salutaria fiunt. Sed peculiare Dei donum est, in gubernatione autoritas, et eventus foelices. Paratur quidem autoritas eximia pietate, virtute, prudentia, et eruditione: Verum necesse est, divinitus in hominum animis fieri inclinationem, ut recte monentes diligant, magnifaciant, et optemperent. Opus est divino auxilio in dando consilio, et successibus salutaribus. Haec saepissime ex ore ipsius, hac Salomonis sententia confirmari, audire me memini, ut oculus videat, et auris audiat, Deus facit utrumque, hoc est, ut gubernatores prudentia excellant, futuros casus et mala provideant, et qua ratione illis occurrendum sit, intelligant, Et ut populus audiat, atque obtemperet, utrumque solius Dei beneficium esse.

Iam etiam quaedam de privata vita, et moribus D. Philippi subiicienda esse video, quod faciam breviter, non quod pauca sint, quae de his honorifice dici possint, sed ne prolixitate Orationis molestus sim: Tametsi confido, nulla quantumvis longa Oratione de tanto viro animos auditorum exsatiari posse. Hic vero latissimus divendi campus se mihi aperit. Quod si pro dignitate virtutes viri tractandae, et meritis laudibus ornandae essent, nimis foret prolixum. Ideo in pauca contraham.

Fuit in hoc viro excellens pietas, qua Deum ex verbo suo vere agnovit, et amplexus est totam

doctrinam ab ipso traditam, in eaque acquievit, reverenter se ei subiiciens, voluntate, et verbo eius omnia sua consilia, et actiones omnes in vita spirituali, et civili gubernavit, et obedientiam debitam praestitit. Subinde illud Psalmi repetens: Lucerna pedibus meis Verbum tuum. Honorificentissime de ministerio Verbi sensit, Id etiam quibuscunque potuit, officiis ornavit. Verbis quoque et factis publice declaravit, quem coetum pro vera Ecclesia agnosceret, cuius civis esse vellet: Et frequenter in publicis conventibus Ecclesiae conspici voluit, non solum, ut aliis exemplo esset: sed quia Spiritum sanctum per vocale ministerium verbi efficacem esse norat, Et filium Dei in medio esse. Idque a nobis omnibus Deum severissime suo mandato requirere. Et ut in coetu piorum fides sua confirmaretur, et invocatio Dei in se accenderetur, Sicut assidue gemitibus inenarrabilibus vota faciebat, et preces ardentissimas pro se, et Ecclesia fundebat. Cuius rei testes mihi sunt omnes, qui cum ipso fuere, quorum nonnullos hic assidentes video.

Etsi autem nemo in hac naturae infirmitate sine labe aliqua est, qua vita ipsius adspergatur: Tamen minime obscurum est, hunc virum multis magnis et heroicis virtutibus fuisse ornatum. Multis enim magnis, et vere heroicis virtutibus fuit ornatus, candidus fuit, sincerus, apertus, minime suspicax, sed ex se de aliis iudicium faciebat, amans veritatis, Non lusit praestigiis, aut sophismatibus, sed ex animo Sophisticen est detestatus. Nequaquam φίλαυτος sed φιλαληθής. Alios se longe infirmiores magnifaciens. Suo labore et sudore libros scriptos, et alia, interdum sub amicorum nomine, ut ipsos quoque celebres redderet, aedidit. Summa erga omnes, infimos etiam, humanitate usus est, maxime erga exteros. Morum suavitas mirabilis. Castitas magna et nequaquam vulgaris. In amicos benevolus, et constans in amicitia. Erga pauperes misericors, ut fere omnia sua in illos distribuerit, ac vere in ipso viscera misericordiae fuerunt, Ut non magnas eum facultates, et divitias haeredibus suis reliquisse constet, tametsi non defuissent occasiones augendi rem familiarem, idque honeste, modo voluisset, facere poterat. Omnibus servivit. Pauperes studiosos, et quoscunque potuit, suis commendationibus, et intercessionibus ad Magistratus scriptis, iuvit. Studia illorum promovit, Nec ulli unquam bono, imo nec interdum indignis officia eius defuere. In vocatione sua fidelissimus fuit, plus praestans, quam requireretur. Sed quid facio, virtutes ipsius non dicam exornando sed tantum ordine commemorando? Non mihi si linguae centum, oraque centum essent, omnes possem virtutes eius, et meritas dicere laudes. Verum ut paucis, et uno verbo omnia dicam, Tota vita exemplar fuit multarum pulcherrimarum virtutum, ad quas non formatus, sed natus, imo divinitus excitatus, et praeparatus videtur.

Tantus vir cum fuerit, talibusque virtutibus ornatus, tamen adversum morsus quorundam Sycophantarum tutus esse non potuit. Quod mirum adeo non est, cum semper virtutis comes sit invidia. Noverant isti, argumenta haec esse plausibilia, cum ignobile vulgus plerumque Superiores oderit, et eorum diffamatione delectetur. Aeditis itaque nonnullis libellis, sparserunt quaedam de fucatis conciliationibus dogmatum, pactis, collusione, et conspiratione cum Adversariis factis, de mutatione doctrinae, et rituum Ecclesiasticorum: Coniecturis et rumusculis quibusdam hinc inde vagantibus collectis, quibus optimum virum, coram tota Ecclesia miserrime traduxerunt, deformarunt, et animum senis piissimi, qui amans erat pacis, concordiae, et tranquillitatis, excruciarunt. Hoc illi nihil in vita acerbius accidere potuit. Multo enim amicorum, et discipulorum probra, ac ingratitudo, graviora sunt, quam inimicorum, longeque has magnitudine doloris exsuperant.

De istis autem negociis atque rebus me disputare neque decet neque par est. Non enim tractationibus ullis ego interfui, et historica earum commemoratio publice extat, ad quae scripta remitto cupidos cognoscendi res istas, quae neque copiose in praesentia disserendae, neque, ut ego existimo, penitus silentio praetereundae erant. Quae fuerit sententia eius de Coena Domini, de libero arbitrio et aliis id genus articulis, quos nonnulli solent exagitare, malo pii omnes de scriptis potius ipsius quam ex aliorum clamoribus cognoscant.

Quanti quidem faceret Coenam Domini, ut omnes intelligerent, paulo ante obitum suum, diebus scilicet septem, cum iam febri laboraret, qua et extinctus est, publice in templo, cum aliis

eam percepit, ut Viaticum haberet animae in patriam coelestem, et hoc modo publice contestaretur, cum qua Ecclesia, fide, animo, sententia, voluntate, confessione, et consensu coniunctus esset.

Iam igitur ordo rei postulat, ut cum oratio nostra eo deducta sit et tempus admoneat, de postremo hoc actu, qui valde placidus fuit, breviter nonnihil addamus, quo tandem finem faciamus. Ipsa die palmarum febri correptus est, quae tamen initio vires, quantumvis alias exhaustas, non usque adeo debilitavit. Sequentibus enim diebus Martis, Iovis, et Veneris, quibus a lectionibus alii vacabant, suo more in publico auditorio docuit, ut amici in bonam spem venirent, eum convaliturum. Nam et sequenti die Sabbati sacris interfuit, ut dictum est. Verum morbus postea invaluit, in quo et obedientiam Deo, et patientiam miram praestitit. Et ut in tota vita ardentissimis precibus se, suamque salutem, Ecclesiam, et totam posteritatem, veris gemitibus Filio Dei commendavit, ita hoc ipsum praecipue toto tempore, quo decumbebat, praestitit. Ac tandem vi morbi naturam superante, decima nova die Aprilis, paulo ante horam septimam pomeridianam, inter gemitus, vota, suspiria, et invocationem Filii Dei, cui se toto pectore commendavit, ex hac aerumnosa vita, et schola, cui longissimo tempore utilissime servivit, evocatus est, cum vixisset annos sexaginta tres, Menses duos, et tres dies, et fere eodem momento temporis, quo natus est, expiravit. Vivit autem iam, vita meliore, non amplius in scholae laboribus, quibus ita assuetus erat, ut ne postremo quidem vitae tempore, atque articulo propemodum mortis deserere illos voluerit: Sed in coelesti schola, ad quam dudum se evocari ardentissime petiit. In qua fruitur conspectu Filii Dei, et consuetudine, atque colloquiis dulcissimis summorum Ecclesiae Doctorum Adae, Noah, Abrahae, Prophetarum, Apostolorum, quorum scripta amplexus est, et doctissimis enarrationibus illustravit, Patrum, et Reverendi viri D. D. Martini Lutheri, cum quo annos viginti octo coniunctissime in terris vixit, et de multis magnis rebus quotidie contulit.

Dixit Plato, Philosophiam meditationem esse mortis, iudicans in eo summam sapientiam consistere, si ad mortem obeundam recte quis se praepararet, et in tota vita assuefaciat. Hoc si quisquam alius, recte hic noster fecit. Haec enim ipsius fuere colloquia, hi sermones, hae cogitationes, hoc ipsum scripta sonabant, de praesentis vitae miseria, et fugacitate, de immortalitate animae, de resurrectione mortuorum, de vita aeterna, de conversatione piorum cum Deo, et omnibus electis, de schola coelesti etc. Collegit de his omnibus, et singulis argumenta plurima, testimonia insignia, et illustres promissiones divinitus traditas, quibus etiam in extremo agone se erexit, et confirmavit, ut magno animo mortem fortiter adierit, et placide in Christo obdormierit. Dubium igitur non est, quin Doctor in hisce nostris scholis insignis, in illam coelestem scholam ab Angelis castis, castus ipse sit deductus, et a filio Dei, cui se commendaverat, in aeterna tabernacula receptus, Ubi fulgebit sicut splendor firmamenti et quasi stellae in perpetuas aeternitates.

Hanc ei foelicitatem non invideamus, sed orbitatem nostram deploremus, ac de imminentibus malis cogitemus. Plerumque enim tantorum virorum obitus ominosi sunt, et praenuncii sunt futurarum calamitatum, Esaia teste, qui inquit: Viri misericordiae colliguntur, et non est qui intelligat, a facie mali colligitur iustus. Deus enim motus precibus horum virorum, qui instar muri sunt, et propugnaculorum, reprimit conatus et impetus Tyrannorum, ac hostium Ecclesiae, poenasque differt, donec collectis granis, paleas comburat. His enim sublatis, qui sua autoritate multitudinem in officio retinebant, disciplina corrumpitur, et frena laxantur cupiditatibus. Inde fatales imminere calamitates, quivis facile potest iudicare.

Stillico Dux, Ambrosio defuncto, vere vaticinatus est, hoc viro extincto, Italiam fore miserrimam. Nec vanus fuit vates. Irruptione enim Gothorum Roma, postquam biennio obsessa esset, capta est, Italia misere dilacerata, et vastata.

Obitu Lutheri bellum germanicum statim est subsecutum, et quae mutationes, cum in Repub. tum in Religione, quae item mala sint sequuta, nemo ignorat.

Etsi autem merito dolendum est, talem virum, hoc praesertim tempore, quo maxime eius

opera nobis opus erat in certaminibus adversus hostes, quae nobiscum ipsis sunt ἄσπονδα, sublatum esse: tamen gratias Deo agamus, quod tale organon Ecclesiae suae donarit, et tamdiu superstitem esse voluerit. Quodque et in discipulis suis, quos plurimos reliquit, ac doctissimos, et scriptis multiplici eruditione refertis, etiamnum hodie vivat nobiscum, et victurus sit perpetuo: quibus gratis animis fruamur, memoriam virtutum, et beneficiorum, quae in universam Ecclesiam contulit, honorifice conservemus, et pietatem, ac gratitudinem, quam Deus praeceptoribus reddere iubet, praestemus. Hoc certe ipsi pro laboribus, quibus omnium studia, posteritatis etiam, iuvit, et promovit debemus.

Nos vero hac spe sustentemus, quod filius Dei Mediator sedens ad dexteram aeterni patris, ut det dona hominibus: subinde excitet Doctores, quorum opera salutaris est Ecclesiae. Quam ut perpetuo clementer protegat, et puritatem doctrinae religionis a D. Philippo, et Reverendo Domino D. Martino Luthero nobis restitutam, ad omnem posteritatem in his et aliis regionibus propaget, veris gemitibus, et ardentissimis precibus ab ipso petamus.

---

**No. 7141.**

## *Scripta G.*

### Carmina Io. Matthesii et Georgii Fabricii.

In libro: Orationes, Epithaphia et Scripta, quae edita sunt de morte Phil. Mel. etc, leguntur LVI carmina in obitum Melanthonis scripta latino et graeco sermone, quorum plurima etiam excusa sunt in Tomo IV. Scriptorum publicorum. Ex iis unum tantum est scriptum vernaculo sermone, *Io. Matthesii*, quod in libro: Orationes, Epitaphia etc. est carmen tertium, et quod habes in Scriptis publicis Acad. Witeb. T. IV. lit. Q. Hoc propter dulcedinem hic adiunxi, simulque aliud *Georgii Fabricii*, quod inveni in cod. Goth. 212. p. 149. quodque, quod scio, lucem hactenus non vidit.

### I.

**Grabschrift des Gottseligen und Hochgelahrten Herrn Philippi Melanthonis, meines lieben Präceptoris und Freunde.**

Ein Honigblum aus schwarzer Erd,
Der Ehrenkron und Lobes werth
Liegt hier verwelkt in ihrer Ruh,
Da ihr die Hitz satzt heftig zu.
Aus ihr viel dankbar Bienelein
Sogen und machten Honigseim,
Zu Trost und Lahr der Christenheit,
Deß trägt manch Kirch und Schule Leid.

Viel Unziefers und Vogel wild
Dies kleine Blümlein hat gestillt.
Mit seinem Ruch und theurem Saft,
Viel Guts hat Gott durch es geschafft
In Kirch, Schul, Haus und Regiment,
Nu hat sein Müh und Gfahr ein End.
Raup, Hummel, Metel, Brems und Wesp,
Kein Nessel, Klett, Distel noch Tresp
Dies liebe Röslein dämpfen kunnt,
Gott preists, Leut lehrts zu aller Stund.
Manch Spinn ist drüber hin gekrochen,
Viel giftig Würm hat drein gestochen.
Noch lebts und schläft in diesem Schrein,
Seins Werks wird unvergessen seyn.
Gott ihm sein Thränen fein abwischt,
Mit Himmels Thau ers jetzt erfrischt.
Lieblichen Ruch sein Blättlein geben,
Es wird in kurz auch wieder leben,
Wenn treuer Lehrer Bein und Haut
Wird blühen wie das grüne Kraut,
Da wird sein Glaub, Geduld und Fleiß
Bekommen Dank, Lob, Ehr und Preis.

Wer nu zu diesem Sarg thät wallen,
Der laß ein sehnlichs Thränlein fallen.
Und seufz mit mir aus Hertzengrund,
Gott gfällt ein dankbar Sinn und Mund.
Herr Christ komm zeig dein Herrlichkeit,
Die solchem Blümlein sind bereit.
Durch dein Vorbitt und Wunden roth
Hilf deiner Kirch aus aller Noth.
Erhalt auch alle Bienelein,
Und dieses Rösleins Blättlein rein,

In dein Cypressen Schreinelein,
Denn sie deins Namens Zeugen seyn.
Dein Wort und guter Leute Schrift
Dient wider Mord und Teufels Gift,
Lehrt, tröst, erquickt, warnt jederman,
Ein bös Buch geh alls Unglück an.

Johan. Mathesius.

II.

† *Epitaphium D. Philippi Mel.*

Inclyta quidquid habet studiis Germania laudis
Ingenio peperit, clare Philippe, tuo.
Viteberga tuum corpus tegit, orbe sepulchrum
In toto est, clarus nomen Olympus habet.

*Georgius Fabricius.*

# CLAVIS ALLEGORICORUM NOMINUM,

## QUAE IN EPISTOLIS MELANTHONIS PASSIM LEGUNTUR.

---

[Melanthonem in epistolis ad sibi familiarissimos (Ioach. Camerarium, Vit. Theodorum, Casp. Crucigerum, Paulum Eberum) homines auctoritate graves vel loco insignes non veris et propriis sed allegoricis et obscuris nominibus insignivisse, iam in Prolegomenis §. 11. (Vol. I. p. CXXXVII.) expositum ibique dictum est de periculis quae Thomasiis aliique fecerunt in enarrandis eiusmodi nominibus, quorum multa iam suis locis satis exposita sunt. Etiam urbium et gentium nomina Melanthon libenter ita mutabat, ut cum nominibus urbium et gentium Veterum, inprimis graecorum, convenirent, ut Düben solebat appellare Thebas, Dresdam Troetzutam, Misnenses Mysios etc. — Subiunximus hic brevem horum nominum catalogum.]

*α, β,*<br>*α, β, γ,*<br>*Alphabetum* } = Carolstadius, nimirum: *A*ndreas, *B*odenstein, *C*arlstadiensis. Vid. etiam Buchholzeri Chronol. ad an. 1522. p. 490. et Melch. Adami vitae theol. german. p. 80. — Vid. Vol. I. p. 599. 722. 727. 735.

*Achates*, fidus comes Aeneae. In epistolis ita appellatur Georgius *Cummerstädt*; non princeps aliquis, ut Thomasio visum est, neque Ulricus Mordeisen. Vid. Vol. VII. p. 224. p. 527. VIII. p. 432.

*Ἀχιλλέως γερμανικοῦ ἀπέγονος*, „Albertus Marchio Brandenburgensis, inter cuius maiores videlicet fuit Albertus alius Brandenburgensis Marchio Elector, Friederici I. filius, quem a Pio II. Pontifice Achillem germanicum cognominatum fuisse, memorat Dresserus Part. IV. isagog. hist. p. 489." — Haec Thomasius. Vid. Vol. VIII. p. 508.

*Aeacides*, *Αἰακίδης*, i. e. Achilles. Est Albertus Marchio Brandenburg. „quem nominat Aeacidem h. e. Achillem, quia Germanico Achilli h. e. Alberto (vid. Car. Steph. dict. hist. p. 72.) cognominis fuit." Haec Thomasius. Vid. *Ἀχιλλέως*. Vol. VII. p. 1044. p. 1153. VIII. 12. 14. coll. 15.

*Aenides*, Vol. IV. p. 186. videtur esse Dux Saxoniae Elector.

*Ἀγκῶνος, ὁ, ἐπώνυμος*, Vol. VII. p. 1044.: „vix dubium, quin Medicus quidam designetur, cui vel Latinum nomen *Cubitus* aut *Cubito*, vel germanicum *Elnbogen*. Doctor *Cubito* quidam memoratur in scriptis Io. Mensingii, sed eum fuisse inter concionatores cathedralis templi Magdeb." — Haec Thomasius in clavi. — C. W. interpretatur: *Ellenberger*.

*Agricola*, = Georgius, vid. Dux Saxoniae. Vid. Sculteti annal. Decad. II. p. 178. Vol. I. p. 1004.

*Alaricus*, = Ulricus. — De Ulrico, duce Wurtemberg. Vol. II. p. 700. — de Ulrico Sicingero Vol. VII. p. 817.

*Alcibiades.* Sic appellatur Vol. IV. p. 186. Philippus Landgrav. Hassiae. — Alcibiades Francicus = Albertus Marchio Brand. Vid. *Aeacides*.

*Ἀλεκτρύων, ὁ*, = Nicolaus Gallus. Vid. Vol. VIII. p. 482.

*Alphabetum*, vid. *α, β*.

*Ἁλῶν, τῶν, δεσπότης*, Episcopus Moguntinus, ad cuius dioecesin pertinebat oppidum Halle.

*Ἀλωπεκῆθεν*, Ambrosius Schurerus. Vol. I. p. 1008.

*Antiochus*, = Ferdinandus rex Bohem. et Hungar. Vol. II. p. 441.

*Ἀνθηρόλογος*, = Erasmus Roterod. Vid. Vol. II. p. 571.

*Ἄρκας*, Arcas, = Henricus, Dux Brunsvic. Vol. VII. p. 528.

*Arcesilas*, = Lutherus, Vol. I. pag. 1004. 1008. Vol. II. p. 709. — Vol. VIII. p. 183. videtur esse Amsdorfius.

*Ἀρχών, ὁ*, Princeps Elector. Vol. I. p. 726. II. p. 686.

*Arctoa*, = Berolinum. Vol. VI. p. 328.

*Ἀρκτόχειρ*, vid. Vol. VIII. p. 135.

*Argelia*, = Torgavia. *Argelianus*, Torgaviensis. Vol. VI. p. 716. VII. p. 959. 1127. et passim.

*Argivus*, Vol. I. p. 977. Est Philippus Landgrav. Hassiae.

*Argo* nostra, = Academia Viteberg. Vol. VII. p. 937.

*Aristarchus*, i. e. criticus. Vol. V. p. 656. est Amsdorfius.

*Arminius*, dux Cattorum, = Philippus Landgrav. Hass. Vol. II. p. 687.

*Ascanius*, Georgius Princeps Anhaltinus. Vol. VIII. p. 223. 508.

*Ate illyricà*, = Flacius Illyricus. Vol. VII. p. 643.

*Αὐτοκράτωρ, ὁ*, Caesar, s. Imperator Romanus.

*Βελγικὸς* contator, Vol. III. p. 1248. i. e. Carolus quintus, Imperator.

*Βλάκιος, ὁ*, = Flacius Illyr. Vol. VII. p. 490.

*Βλακικοί*, Flaciani, Vol. VII. p. 962.

*Boii*, i. e. Bavari, Vol. IV. p. 849.

*Brenni* urbs, Brandenburgum, Vol. VI. p. 323.

*Βρεννώνιος, ὁ*, Marchio Brandenb. Vol. II. p. 709.

*Centauri*, = Nobiles, Equites, die Ritterschaft. Vol. II. p. 786. V. p. 25.

*Chalcis*, = Schmalcaldia. Vid. Dresser. de urbib. p. 542. — Vol. VII. p. 608.

*Charitinus*, dux *Charitinorum*, = Dux Wurtembergensis. Vol. VII. p. 861.

*Ciconia*, = Nicolaus Storch, fanaticus. Vol. I. p. 739. II. p. 17.

*Cleon*, i. e. orator, = Andr. Osiander. Vol. VIII. p. 12.

*Corona*, i. e. Lubeca, vid. Vol. II. p. 794. 811.

*Crema*, = Grimma, oppidum.

*Cricius*, Vol. I. p. 1002. non est episcop. Cracoviensis, ut C. W. interpretatur, sed *Kritz*, nomen Medici.

*Cuculus*, i. e. Iacob. Schenck, concionator Freiberg. Vid. Vol. III. p. 427.

*Cyclops*, Vol. I. p. 1062. vel Eckius, vel Faber.

*Cyclopis filii*, i. e. Flacius et Nic. Gallus. Vid. Vol. VII. p. 660.

*Cynicus Pragensis*, = Canisius. Vol. VIII. p. 846.

*Damascus*, appellat Dommitzsch, oppidulum prope Viteb.

*Δάσκιος*, ὁ, = Dasch, de quo vid. Vol. VI. p. 917.

*Δημάρχος*, ὁ, Vol. VI. p. 589., fortasse intelligendus est Mauritius dux Saxon.

*Δημήγορος*, ὁ, rhetor; sic appellat Andr. Osiandrum.

*Διδάσκαλος*, ὁ, Doctor; sic saepissime Lutherus, ut Vol. I. p. 736. II. p. 18.

*Doctor*, = Lutherus, Vol. II. p. 141. et saepissime.

*Δρυοπολίτης* Antistes = Episcopus Eichstadiensis. Vol. V. p. 363.

*Δύςοδμος*, ὁ, = *der Stänker*, i. e. Franc. Stancarus. Vol. VIII. p. 12.

*Ecebolus*, graecum ἑκηβόλος, der weithin treffende; cognomen Apollinis, = Io. Agricola Vol. VII. p. 133., cuius Interim comparat cum telis pestiferis Apollinis.

*Echidna illyrica*, = Flacius. Vol. VII. p. 582.

*Edelberga*, = Heidelberg. Vol. III. p. 1007. VIII. p. 922.

*Elluones*, = Livonienses.

*Empusa*, spectrum ab Hecate missum. Sic appellat Vol. VI. p. 466. Carolum Imperatorem, qui illo tempore mortuus esse dicebatur. Etiam p. 471. est Carolus, illo tempore aegrotans. Vid. p. 476 sq. Idem videtur significari Vol. VIII. p. 420. coll. p. 444.

*Ephrata*, ita adpellat *Pratam*, pagum e regione Witebergae ad Albim situm. Vol. VIII. p. 451.

*Ἐρικοχώνιον*, Vol. VIII. p. 948. quis sit, nemo dicet. At, nisi prorsus fallor scribendum est *Ἐρικογόνον*, i. e. prolem Erici (Erichs), et indicatur Henricus dux Brunsvicensis.

*Esilaus*, = Alesius, Vol. VII. p. 329.

*Exuviae* Lycaonis s. Lycaonicae, i. e. Ducatus Brunsvicensis, quem foederati occupaverant. Vol. V. p. 312. et saepe.

*Felinus*, Vol. II. p. 57. et p. 119., non est Bucerus, ut Thomasio visum est, qui habet: „Martinus Bucerus, qui sub nomine Aretii Felini edidit annotationes in Psalmos (vid. Panzer. Vol. VI. p. 116. no. 197.), teste Melch. Adamo in vit. theolog. exter. p. 31. et Reines. I. Var. 18. p. 77. ex allusione, ut opinor, ad utrumque nomen suum etc." — Imo est Philippus Landgravius Hassiae, quem Felinum appellat propter dubiam eius et illo tempore vacillantem fidem. Bucerus enim illo tempore nondum aderat Augustae, neque a Melanthone appellari poterat Felinus *noster*.

*Gellius*, L. — „Non dubium est, quin designetur ille, qui in Colloquio Wormatiensi vel Ratisbonensi praesedit conciliatoribus diversarum religionum, similis L. Gellio, qui Athenis olim philosophos inter se omnes conciliare voluit, de quo est apud Ciceron. lib. de lege p. 166. Glandorp. Onomast. f. 381." — Haec Thomasius, qui vero in eo errat, quod putat insigniri vel Campegium, vel Vergerium; nam potius est Granvella. Vid. Vol. III. p. 1247. IV. p. 19. coll. p. 24. p. 565.

*Γεφυραῖος*, ὁ, Vol. V. p. 332. et p. 718. non est, ut Thomasio visum, Lutherus vel Pomeranus, sed est *Pontanus*, Cancellarius, ita appellatus a *γέφυρα*, pons.

*Gorgias*, rhetor Siculus. Andr. Osiander appellatur Gorgias Balticus s. Prutenicus. Vol. VII. p. 914. et p. 1009.

*Guelphus*, = Henricus dux Brunsvic. Vol. VII. p. 1101.

*Gypaetus*, der Geieradler, ita appellatur Ferdinandus rex, frater Caroli V. et eius locum in Germania tenens. Vid. Vol. III. p. 955. 1075. IV. p. 758. V. p. 889. VI. p. 145. et p. 148. (ubi non est Casp. Aquila, sed idem Ferdin. VII. p. 249.)

*Hechingense* Latinum, i. e. barbarum. Vid. Morhof. polyhist. I. p. 842. Rem narravit Melanthon in ep. ad Iacob. Rungium, d. d. 1. Febr. 1560., quam vide.

*Helias*, — ita appellatur a Melanthone Lutherus latens in arce Wartburg. Vol. I. p. 448. 151.

*Heneti*, = Veneti. Vol. V. p. 394.

*Heraclides*, = Philippus Landgr. Hass. Vol. II. p. 405.

*Hippodamus*, = Philippus Landgr. Hass. Vol. II. p. 700.

*Hyena*, = liber Ratisbonensis. Vol. IV. p. 409. 410. 437.

*Hyperboreus*, = Borussus. Vol. VII. p. 406. hyperboreae gentis hospes. Vol. VII. p. 415. est Andr. Osiander. Idem dicitur hyberboreus orator, Vol. VII. p. 750.

*Iason*, = Philippus, Landgr. Hass. Vol. III. p. 1079.

*Ibericus*, Vol. I. p. 953. et 998. Ibericus = Hispanus. Sic appellari principem aliquem, intelligitur quidem, non autem clarum est, quem indicaverit. Thomasius in clavi putat *Ferdinandum* regem, quem vero Mel. potius Germanicum quam Ibericum vocaverit. Io. Guil. von der Lith in libello: „Erläuterung der Reformationshistorie von 1524. bis zum 28. Jahre Christi (Schwabach 1733. 8.) p. 219. dicit Ibericum dici Georgium Ducem Saxoniae, quia Georgia appelletur etiam Iberia." Nec hoc placet; etenim hunc Melanthon non appellasset „Ibericum *nostrum*." Puto, esse Ioannem Fridericum, filium Electoris Ioannis, ob gravitatem morum Ibericum i. e. Hispanum dictum.

*Isiacus*, der Verschleierte. — Isiacus *noster*. Vol. IV. p. 435. Sine dubio est Lutherus, qui absens a conventu, consiliis suis regebat Ducem Saxon. Elect.

*Ἰξίων*, ὁ, Vol. V. p. 398. est Georgius Sabinus, gener Melanthonis.

*Κακόλυκοι*, pro Catholici, Vol. II. p. 694. et passim.

*Καρανίδης*, Vol. VI. p. 236. est sine dubio Philippus Landgr. Hassiae.

*Καρόλου μῆτις*, i. e. Carlovitz, Vol. II. p. 484.

*Κέλτικοι*, = Galli, s. Francogalli. Vol. VII. p. 985. 1024. et saepe.

*Κενταύροι*, i. e. Nobiles, Equites, Principes. Saepissime.

*Κερασφόρος*, ὁ, Vol. II. p. 785. p. 822. „Dux Wirtembergensis, qui cornua fert in insignibus." (Thomasius.)

*Κόλαξ*, ὁ, *Μαργίτων*, i. e. Io. Agricola, concionator Berolinensis. Vol. VI. p. 138.

*Lamyrum*, *λαμυρόν*, i. e. Monstrosum, Vol. VIII. p. 289. videtur appellare Albertum Marchionem, qui semper monstri aliquid alere videbatur.

*Laterensis*, qui saepe in epp. ad Camerar. commemoratur, est Bernh. Ziegler, theologus Lipsiensis. Vol. IV. p. 862. V. p. 361.

*Λειμών*, pratum, = Dessavia. Vol. VIII. p. 555.

***Λεωκράτης***, = „Nicolaus Amsdorfius. Vid. Peuceri narrat. histor. de coena domini p. 96. et Witebergenses in refutat. hist. Peuceri p. 140. Nimirum Leocrates idem fere quod Nicolaus." Haec Thomasius. — Verum est Leocratem, sive potius Laocratem Vol. V. p. 462. coll. 461. et p. 473. esse Amsdorfium.

***Linea vestis***, = superindumentum album, quod induebant pastores in administranda coena sacra. Vol. VII. p. 635. et saepe.

***Lituanus hospes***, qui in ep. ad Camerar. d. d. 20. Febr. 1556. commemoratur, est Petrus Conyza. Vid. Vol. VIII. p. 677. 736. 845. 847.

***Livius***, = Iulius Pflugk, Vol. II. p. 538., ex transpositione literarum.

***Lupisacculus***, der Wolfenbüttler, Henricus Dux Brunsvicensis. Vol. IV. p. 258. Vid. etiam Lycaon et Mezentius.

***Lycaon***, Vol. V. p. 254. et saepissime, est Henricus dux Brunsvicensis, ita dictus ab arce Wolfenbüttel.

***Lycaonius***, = Brunsvicensis. Vol. V. p. 252. et saepiss.

***Macedo***, = Philippus Landgr. Hassiae, ob commune cum Philippo, rege Macedoniae nomen. — Saepissime.

***Μάνδρα***, ἡ, Vol. VI. p. 864. est monasterium *Cella* in Misnia.

***Μαργίτης***, ὁ, i. e. Marchicus, = Princeps Elector Brandenburgensis. Vol. VI. p. 471. et saepius. — *οἱ μαργῖται*, nostrum: *die Märker*, Brandenburgenses. Vol. V. p. 441. 443. 467. VIII. p. 224.

***Μεθώνη***, = Vinaria, i. e. Wimaria. Vol. VIII. p. 639.

***Methonii*** = Wimarienses. Vol. VIII. p. 278. et saepius.

***Μεθωνιαῖος***, ὁ, Vinariensis, Ioannes Fridericus filius Electoris eiusdem nominis, Dux Saxon. Wimariensis.

***Μεταξύ***, τό, = Interim Augustanum. Vol. VI. p. 823.

***Mezentius***, princeps crudelis in Etruria, subditis suis invisus, qui eum expulerunt. Vid. Liv. 1. 2. Virg. Aen. VIII. 48 sq. X. 689 sq. — Ita appellat Melanthon Henricum, Ducem Brunsvicensem, ob crudelitatem et quia suis aeque invisus erat. Vol. IV. p. 840. 864. — *Mezentius Brunsvicensis*, Vol. III. p. 824. 838. — Spalatinus in epistola (nondum edita) eundem nominat: Lupisacculum vere *Mezentium*. Quae Thomasius in clavi de causa huius appellationis protulit, inepta sunt.

***Mica*** — / ***Micaius*** } Michael Bottingius, doctor in Gymnasio Norimberg. Vol. I. p. 802. VII. p. 940. etiam Mycaius, Vol. III. p. 294. coll. Vol. IV. p. 696.

***Molossus***, Vol. VIII. p. 352. est Albertus Marchio Brandeburg.

***Monetarius***, = Müntzer. Vol. II. p. 18.

***Mustela***, Wiesel, = Wicelius. Vol. II. p. 709. III. p. 803.

***Mysia***, ***Mysii***, = Misnia, Misnenses. Saepissime. Putabat enim Melanthon, Mysiorum coloniam venisse in Misniam et regioni nomen dedisse. Vol. VIII. p. 14. — *ὁ μυσίας κοίρανος*, Vol. VI. p. 207., est Dux Mauritius.

***Naogeorgus***, = Kirchmaier. Vid. Vol. V. p. 290.

***Naopyrgum***, = Naumburgum. Vol. VIII. p. 268.

***Neoptolemus***, = Albertus, Marchio Brandenb. in ep. d. d. 28. Ian. 1557.

***Νικόλεων***, Vol. II. p. 1004., = Wenceslaum, quasi Vincislaum, appellat Wenceslaum Lincum.

***Noster***, etiam ὁ ἡμέτερος, = Lutherus. Saepissime.

***Ὀλυλός***, ὁ, = Matth. Lauterwaldt. Vol. VIII. p. 508.

***Ὁμώνυμος ἐμοί***, ὁ, Philippus Landgr. Hass. Vol. I. p. 986.

***Padornus***, = Badehorn. Vol. IX. p. 146.

***Paionia***, = Pannonia, Hungaria. Vol. IV. p. 896. V. p. 497.

***Παιωνικὸς στρατηγός***, ὁ, Vol. IV. p. 908., est Ioachimus Brandenburgensis, dux exercitus Germanorum adversus Turcas in Hungariam missi.

***Παραστάτης***, Vol. V. p. 708. = Bucerus.

***Paris***, Vol. IV. p. 127. = Philippus Landgr. Hass. ita appellatus propter rixas quas moverat eius amor erga puellam nobilem, cum qua matrimonium clandestinum inierat.

***Parthenope***, = Magdeburgum. Vol. VI. p. 264.

***Pastor***, = Io. Bugenhagen, Pomeranus.

***Pericles*** noster, = Lutherus. Vol. V. p. 292. 293. 304. VII. p. 1043. — *Pericles vicinus*, Vol. II. p. 589., non est dux Bavariae sed Elector Brandenburgensis. — *Periclei* in ep. ad Camer. d. 7. Iul. 1558. Thomasius interpretatur: suos adversarios non curantes; nescio an recte.

***Philo***, = Pfeil, doctor medic. Lips. — Saepe in epp. ad Camerar.

***Philyra***, = Lipsia. Vol. V. p. 522.

***Φοῖνιξ***, Phoenix, = Sidonius, quod vid. Vol. VII. p. 1065.

***Φρεάτιος***, = Caspar Bornerus.

***Plinius***, = Plenninger. Vid. Vol. II. p. 721.

***Ποιμήν***, = Dux Saxoniae Elector.

***Polyphemi filii*** *Κελτὸν* et *Ἴλλυρον* fuisse traditur, quae nomina Melanthon transtulit ad Nic. Gallum (*Κελτόν*) et Flacium Illyricum. Vid. Vol. VIII. p. 282. 398. et epist. d. d. 23. Nov. 1559.

***Portunus***, = Io. Francus. Vid. Camerarii narratio de Eobano Hesso p. 17.

***Prutenus***, = Borussus. Vol. V. p. 236. et saepe.

***Πύλαι***, Thuringia, portae Thuringiae. Vol. VIII. p. 105. coll. p. 109. et 118.

***Pyrrho***, = Io. Agricola. Vol. I. p. 811. 814. VIII. p. 183.

***Quadratus***, = Conr. Cordatus. Vol. III. p. 402. et p. 405.

***Ῥαπτής***, ὁ, *sartor*, non est, ut Thomasio visum est, Erasmus Sarcerius, neque Amsdorfius, sed Io. Agricola, cuius cognomen proprie erat *Schneider*. Vol. II. p. 250. VIII. p. 364. 389. et ep. ad Hardenb. d. 6. Febr. 1559.

***Regius Selinus***, = Basil. Monner. Vol. IX. p. 162. 249.

***Sacranus***, Vol. II. p. 329. videtur esse Philippus, princeps Cattorum, coll. p. 334.

***Saraboth***, Vol. VI. p. 820., = Witeberga.

***Sarepta***, = Witeberga. Vol. VI. p. 539. et saepe.

***Scaevola***, = Hier. Schurf; in epp. ad Camerar.

***Σεβαστός***, ὁ, Augustus, Dux Sax. Vol. VIII. p. 135 sq. VII. p. 960. — Carolus Imperator Vol. VIII. p. 949.

***Sidonius***, = Mich. Helding, suffraganeus Archiepiscopi Moguntini, qui habebat titulum Episcopi urbis Sidon. Vol. VII. p. 452. VIII. p. 139. Fuerat inter Theologos, qui Interim Augustanum cuderant.

***Sinoniae artes***, *fraudes*, i. e. fraudes vere exitiosae, qualibus olim Sinon Troianis persuasit, ut equum ligneum in urbem ducerent.

***Σκιπίων***, — ὁ, ἔχων ὄνομα υἱοῦ θετοῦ τοῦ Σκιπιώνος, = „Maximilianus, tum temporis adhuc Rex Bohemiae. Vid. Mylii Chronologia scriptorum Melanth. sub anno 1556. Fuit enim Aemilianus (ad quem nomen Maximiliani, quemquidem Maximum Aemilianum vocant, alludit) insertus in Scipionum familiam. Car. Steph. Dictionar. p. 91." — Haec Thomasius. — Vid. Vol. VIII. p. 693.

***Slavus*** s. *σκλάβος*, *δραπέτης*, = Flacius Illyricus. Vol. VII. p. 415. 449. 534.

***Sphinx*** Augustana, = liber Interim. Vol. VII. p. 12.

***Σπινθήρ***, Io. Funckius, Regiomonti. Vol. VIII. p. 613.

***Sponda***, = Spandau. Vol. VI. p. 468.

*Σταυροφόρος*, = Casp. Cruciger. Vol. IV. p. 712.

*Stenckfeld*, pro Schwenckfeld. Vol. VIII. p. 222. IX. p. 170.

*Sunipes*, = Schnepf. Vol. VII. p. 329.

*Ταυροκέρως*, = Mart. Bucerus, proprie: Ochsenhorn. Vol. II. p. 42.

*Θαυμᾶς*, ὁ, Vol. II. p. 86., = Carlstadius.

*Θεόλογος*, ὁ, = Lutherus. Vol. I. p. 734.

*Τετραγωνιστής*, ὁ, Vol. IV. p. 20., = Io. Eckius.

*Tetragonus* doctor, i. e. quatuor doctores. auctores libri Wimariensis. Vol. IX. p. 310. *ὁ νέος τετράγωνος*, = Iohannes Fridericus iunior, Dux Saxon.

*Textorius*, = Weber. Vol. V. p. 488.

*Thebae*, = Düben, oppidum inter Witebergam et Lipsiam. Vol. III. p. 35.

*Theodosii urbs*, = Nordhausen, quia hoc oppidum putabatur tempore Theodosii iunioris conditum esse. Vid. Scripta publ. P. III. p. 218.

*Thersites*, = Nic. Gallus. Vol. VIII. p. 529. coll. Peuceri narrat. hist. p. 92. 96.

*Timarchus*, = Io. Agricola. Vol. VII. p. 224.

*Timon*, Vol. II. p. 518. 624. = Hier. Schurf.

*Θρασύβουλος*, = „Basilius Monnerus. Vide Limnaeum lib. I. de iure publico p. 172." (Thomas) Vid. Vol. IX. p. 247.

*Τρίαινος*, Tridentinus. Vol. VI. p. 748.

*Troizene* } = Dresda. Vol. VII. p. 505. Vol. I. p. 868. Vol. V.
*Troezuta* } p. 855.

*Troia*, = Schweinfurt. Vol. V. p. 82.

*Troianus*, = Schweinfortensis. Vol. VIII. p. 315.

*Tyrigetae*, *Tyrigeti*, = Thuringia, Thuringi. Vol. VII. p. 406. VIII. p. 893.

*Ubii*, = Colonienses, Vol. V. p. 47. — Spirenses, Vol. V. p. 406.

*Ulysses* nostrae aetatis. Vol. VII. p. 70. = Carolus V. Imperator.

*Vulcania*, = Schmalcaldia.

*Ὑπερήφανος*, ὁ, Stolzius, Concionator. Vol. VIII. p. 482.

*Ξανθιππίδης λόγος*, ὁ, Zankschrift, = Lutheri libellus de coena s. atrocissimus. Vol. V. p. 495. coll. p. 497.

*Zeno*, = Calvinus. Vol. VII. p. 930.

# INDICES.

# I) INDEX ALPHABETICUS

## EORUM HOMINUM, QUIBUS MELANTHON EPISTOLAS, PRAEFATIONES ET IUDICIA INSCRIPSIT.

**Ioanni Friderico**, Duci Saxon. Electori.
Vol. I. an. 1529. p. 1064. 1065.
Vol. II. an. 1534. p. 722. 807. — An. 1535. p. 904. 943.
Vol. III. an. 1536. p. 14. 98. — An. 1538. p. 551. — An. 1539. p. 715. 728. 796. 820. — An. 1540. p. 920.
Vol. IV. an. 1541. p. 577.
Vol. V. an. 1543. p. 87. — An. 1544. p. 540. — An. 1545. p. 577. 671. 879.
Vol. VI. an. 1546. p. 72. — An. 1547. p. 429.
Vol. VII. an. 1552. p. 1073. 1078.
Vol. X. in Suppl. p. 169.

**Ioanni Friderico II.**, Duci Saxon. filio Electoris huius nominis, vulgo *der Mittlere* cognominato.
Vol. VI. an. 1547. p. 564. 584.
Vol. IX. an. 1557. p. 310.

**Ioanni Friderico**, Duci Pomeraniae.
Vol. VIII. an. 1554. p. 244. 381. 382. — An. 1555. p. 405. — An. 1556. p. 835.

**Ioanni Georgio**, Comiti Mansfeld.
Vol. VII. an. 1550. p. 661.

**Ioanni** ministro (Melanthonis). Ioannes *Koch* natus Isfeldi prope Heilbronn. ad Necharum, unde etiam *Nicri* nomen accepit, per multos annos Melanthonis minister s. famulus fuit, mortuo an. 1553. Vid. eius Elogium Vol. VIII. p. 65.
Vol. I. an. 1528. p. 1007.
Vol. III. an. 1536. p. 67.
Vol. V. an. 1544. p. 377. — An. 1545. p. 912.
Vol. VI. an. 1546. p. 268. 296. 300. — An. 1547. p. 433. 509. 540. 628. 651. 676. 681. 705. 759. — An. 1548. p. 861.
Vol. VII. an. 1552. p. 1048. 1051. 1052. 1056.

**Ionae**, Iusto, (proprie *Iodoco*), nato d. 5. Iun. 1493. Nordhusae in Thuringia. Primum se dedit studio Iuris civilis, postea Theologiae in Academia Erfordiam. An. 1521. vocatus est Praepositus collegii omnium Sanctorum Witebergam, ibi Doctor Theologiae creatus, sacrasque literas docuit in Academia. An. 1541. vocatus est Halam Saxon. Pastor Ecclesiae et Superintendens. Expulsus in bello Schmalcaldico variis in locis oberravit, rediit 1548. Halam, sed quum ibi non admitteretur Ienam se contulit, et aliquamdiu ibi docuit in Academia. Denique an. 1551. vocatus est Concionator in aulam Coburgensem Ernesti Ducis, mox an. 1553. Pastor in oppidum Eisfeld et Ecclesiis in Ducatu Coburgensi praepositus. Mortuus Eisfeldiae d. 9. Oct. 1555.
Vol. I. an. 1527. p. 886. 912. 914. — An. 1529. p. 1038. 1041. 1042. 1045. 1074. 1076.
Vol. II. an. 1530. p. 28. — An. 1531. p. 498. — An. 1532. p. 569. 574. 590. — An. 1533. p. 661. 676. 677. 691. — An. 1534. p. 738. 777. — An. 1535. p. 893. 894. 895. 903. 936. 945. 950. 953. 958.
Vol. III. an. 1536. p. 5. 11. 67. 73. 82. 85. 90. 94. 106. 125. 179. — An. 1537. p. 265. 266. 270. 296. 297. 308. — An. 1538. p. 521. — An. 1539. p. 637. 638. 644. 647. 688. 698. — An. 1540. p. 1129. 1139. 1242.
Vol. IV. an. 1541. p. 104. 133. 144. 569. 638. — An. 1542. p. 793. 832. 855. 916. 920. 921. — In Suppl. ad an. 1536. p. 1073.
Vol. V. an. 1543. p. 81. 229. 254. — An. 1544. p. 327. 354. 410. 418. 475. 484. 559. — An. 1545. p. 719. 726. 785. 788.
Vol. VI. an. 1546. p. 19. 34. 56. 67. 81. 100. 110. 146. 171. 186. 208. 239. 241. 249. 256. 325. — An. 1547. p. 351. 378. 413. 432. 447. 459. 542. 580. 597. 737. — An. 1548. p. 773. 850.
Vol. VII. an. 1548. p. 137. 170. — An. 1549. p. 316. — An. 1552. p. 927.

**Ionae**, Christophoro, Doctori Iuris et Consiliario Ducis Borussiae.
Vol. VIII. an. 1555. p. 667.

**Iosepho**, Patriarchae Constantinopolitano.
Vol. IX. an. 1559. p. 921.

**Irenaeo** (germ. *Friederich*), Matthaeo, gente *Franco*, patria Würzburgensi, discipulo Melanthonis, Iuris civilis studioso, qui an. 1538. iter fecit in Italiam, sed an. 1551. mortem obiit Spirae, e fenestra casu prolapsus afflicto capite lethali modo.
Vol. III. an. 1540. p. 1092.
Vol. VI. an. 1547. p. 594.

**Isemanno** (*Eisenmann*), Ioanni, nato an. 1494. Halae in Suevia. An. 1523. Concionator Halensis, 1548. Pastor in oppido Aurach, 1552. Pastor Tubingensis, an. 1558. Abbas Anhausensis.
Vol. II. an. 1530. p. 384.

**Isenberg**, vid. *Eisenberg*.

**Isenburg**, Comiti, vid. *Antonius* et *Reinhardus*.

**Isindero**, Melchiori. Natus Schweidnitzii in Silesia, an. 1548. Witebergae ordinatus ad ministerium verbi divini (Scripta publ. T. I. p. 227.) et d. 8. Nov. ei anni Doctor Theologiae renunciatus, Professor Theologiae Regiomonti. Vol. VII. a. 1549. p. 411.

unde anno 1540. iterum rediit Witebergam. Anno seq. Diaconus in oppido Ioachimsthal, et an. 1545. Pastor eiusdem oppidi electus, ibi d. 5. Oct. 1565. mortuus est. (Plures eius epistolae sunt in cod. Goth. no. 123. Cf. Joh. Matthesii Pfarrers in Joachimsthal Lebensbeschreibung von Joh. Balth. Matthesius. Dresd. 1705. 8.) Eius testimon. vid. Vol. IV. p. 803.

Vol. IV. an. 1542. p. 927.
Vol. V. an. 1543. p. 31. 92. 160. 180. 188. — An. 1544. p. 335. 551.
Vol. VI. an. 1546. p. 47. 189. 209. 219. 264. 294. 304. — An. 1547. p. 346. 461. 643. 713. 723. 724. 745. — An. 1548. p. 813. 845. 902. 948. 956.
Vol. VII. an. 1548. p. 83. 226. — An. 1549. p. 299. 312. 343. 449. 482. [illegible]. — An. 1550. p. 531. 575. 598. 603. 633. 658. — An. 1551. p. 754. 790. 794. 805. 807. 824. 835. 855. 866. — An. 1552. p. 907. 944. 962. 970. 1000. 1006. 1020. 1046. 1103. 1161.
Vol. VIII. an. 1553. p. 24. 90. 100. 179. — An. 1554. p. 219. 223. 241. — An. 1555. p. 419. 435. 599. — An. 1556. p. 671. 731. 779. 787. 789. 818. 828. 895.
Vol. IX. an. 1557. p. 110. 158. 162. 177. 188. 301. 322. — An. 1558. p. 488. 510. 517. 649. — An. 1559. p. 724. 750. 786. 788. 804. 823. 832. 841. 902. 903. 925. 972. — An. 1560. p. 1067.

**Matthiae**, docenti Evangelium Halis Saxon.
Vol. VI. an. 1547. p. 547.

**Matthiae**, Thomae, Consiliario Electoris Brandenburg.
Vol. VI. an. 1547. p. 808.
Vol. VII. an. 1552. p. 1089.
Vol. IX. an. 1559. p. 825.

**Mauritio**, Duci Sax. Electori.
Vol. V. an. 1543. p. 8.
Vol. VI. an. 1547. p. 606. — An. 1548. p. 795. 874. 954.
Vol. VII. an. 1549. p. 352. — An. 1552. p. 902.

**Mauro**, Bernhardo, Tubingae.
Vol. I. an. 1517. p. 18. — An. 1518. p. 24. — An. 1519. p. 62.

**Maximiliano II.**, Regi.
Vol. IX. an. 1557. p. 381.

**Mecum**, vid. *Myconius.*

**Medlero**, Nicolao. Natus an. 1502. in oppido Hof, literis operam dedit Erfordiae et Witebergae, an. 1527. Rector Scholae in patria urbe, 1530. Pastor ibidem. Inde expulsus Witebergam se contulit, ibidem 1535. Doctor Theol. creatus; an. 1536. parochus Naumburgensis et Superintendens, an. 1545. Concionator in aula Elisabethae March. Stendaliae, eodem vero anno Superintendens Brunsvigae, denique Concionator in aula Principis Anhaltini Bernburgensis. Mortuus d. 23. Aug. 1551.

Vol. III. an. 1537. p. 408. — An. 1538. p. 618. — An. 1539. p. 707.
Vol. IV. an. 1541. p. 154. 167. 411. 677. 694. 705. — An. 1542. p. 758. 802. 880. 897.
Vol. V. an. 1543. p. 73. 83. 86. 163. 196. 197. 207. 222. 237. 251. 269. — An. 1544. p. 281. 304. 305. 314. 333. 370. 374. 378. 380. 421. 441. 458. 462. 472. — An. 1547. p. 785. 795. 800. 801. 842. 857. 865. 877. 878.
Vol. VI. an. 1546. p. 24. 215. 285. 286. 303. — An. 1547. p. 440. 500. 551. 612. 668. 714. 754. — An. 1548. p. 812. 824. 852. 952.
Vol. VII. an. 1548. p. 82. 102. 231. — An. 1549. p. 357.

**Medmanno**, Petro. Natus Coloniae, primum praeceptor filii Antoni comitis Isenburgensis, postea in aula Hermanni, Archiepiscopi Coloniensis, tum apud comitem Oldenburgensem et denique Consul in oppido Embden.
Vol. V. an. 1543 p. 66. 102. — An. 1544. p. 373. 477. — An. 1545. p. 883.
Vol. VI. an. 1546. p. 233.
Vol. VII. an. 1550. p. 594. — An. 1551. p. 769. 787. 804. 819.
Vol. VIII. an. 1554. p. 233. — An. 1556. p. 695.
Vol. IX. an. 1558. p. 607.

**Meienburg**, Michaeli, primum Syndico, postea Consuli urbis Mühlhausen. Mortuus an. 1555.
Vol. II. an. 1530. p. 10. 19.
Vol. III. an. 1538. p. 497. 516. 585. — An. 1539. p. 762. 774. — An. 1540. p. 947.
Vol. IV. an. 1541. p. 117. 707. — An. 1542. p. 790. 832. 844. 883. 900.
Vol. V. an. 1543. p. 15. 270. — An. 1544. p. 352. 396. 503. — An. 1545. p. 682. 787. 860. 868. 892.
Vol. VI. an. 1546. p. 157. 204. 224. 231. 242. 248. 251. 291. 292. 297. 300. — An. 1547. p. 364. 378. 429. 444. 535. 541. 604. 617. 629. 638. 698. 705. — An. 1548. p. 789. 820. 831. 834. 865. 885. 904. 908. 918. 943. 948.
Vol. VII. an. 1548. p. 8. 81. 129. 191. 232. 274. — An. 1549. p. 293. 334. 361. 401. 407. 413.

**Wilkin**, Hermanno, docenti studia literarum in urbe Riga.
Vol. IX. an. 1557. p. 217.

**Willicho**, Iodoco. Natus in Suecia an. 1501., studia prosequutus est in Acad. Francof., ibidem factus Professor graecae linguae, et an. 1540. Professor Medicinae, mortuus d. 12. Nov. 1552.
Vol. V. an. 1547. p. 702.

**Winshemio**, vid. *Oertel*.

**Winsro**, s. **Winsio**, Melchiori, Consiliario Principis Electoris Marchionis.
Vol. IX. an. 1558. p. 613.

**Witebergensi** Academiae.
Vol. IX. an. 1557. p. 357.

**Witebergensibus** Iurisconsultis.
Vol. I. an. 1521. p. 421.

**Wittig**, Hieronymo, Pastori Ecclesiae in oppido Bregenz.
Vol. IV. in Suppl. ad an. 1533. p. 1020.

a **Witzleben**, Henrico, Nobili Misnico.
Vol. VIII. an. 1555. p. 514.

**Wolfgango**, Principi Anhaltino.
Vol. VIII. an. 1554. p. 246.

**Wolfgango**, Principi Palatino.
Vol. VII. an. 1552. p. 981.
Vol. VIII. an. 1556. p. 805.
Vol. IX. an. 1557. p. 73. — An. 1559. p. 904.

**Zeitz**, Senatui huius oppidi.
Vol. II. an. 1532. p. 538.

**Zerbeck**, Senatui huius oppiduli.
Vol. X. p. 50.

**Zieglero**, Bernhardo, (a Melanthone *Laterensis* appellatus.) Natus est an. 1496. e nobili familia Misniae, frequentavit Acad. Lips. ibidemque postea Professor, sacras literas et inprimis linguam hebraeam docens. Mortuus est d. 1. Ian. 1552.
Vol. V. an. 1543. p. 176. — An. 1544. p. 541.
Vol. VII. an. 1548. p. 288. — An. 1549. p. 447. 468. — An. 1550. p. 563.

**Zieglero**, Christophoro, filio Bernhardi.
Vol. VII. an. 1550. p. 561.

**Zittau**, Senatui oppidi.
Vol. IX. an. 1558. p. 428.

a **Zizewitz**, Iacobo, Cancellario Ducis Pomeraniae.
Vol. IX. an. 1557. p. 119.

**Zochio**, Andreae, Iurisconsulto, nato 1519., Doctori et Professori in Academia Francoford., et Electori a Consiliis, mortuo an. 1581.
Vol. III. an. 1539. p. 701.

**Zwilling**, vid. *Didymo*.

**Zwickau** (*Cygnea*), a) Senatui oppidi.
Vol. VI. an. 1547. p. 729. — An. 1548. p. 794.
Vol. VII. an. 1549. p. 332.
b) Pastoribus huius oppidi. Vol. VI. an. 1548. p. 792.

---

# II) INDEX TESTIMONIORUM

## A MELANTHONE DATORUM.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Vol. II. an. 1532. | p. 606. | **Megalo**, Herbipolensi. | |
| 1533. | 737. | **Michaeli**, Aethiopi. | |
| 1535. | 892. | **Masconi**, Sprottaviensi. | |
| — | 901. | **Hirscheydero**, Werdensi. | |
| Vol. III. an. 1537. | p. 358. | **Lembche**, Wenceslao. | |
| 1539. | 708. | **Ratomicio**, Wenceslao. | |
| — | 876. | **Stephano**, Balthasaro. | |
| 1540. | 1031. | **Bock**, Henrico. | |
| Vol. IV. an. 1541. | p. 269. | **Magerae**, Francisco. | |
| 1542. | 805. | **Matthesio**, Ioanni. | |
| — | 887. | **Fabro**, Philippo. | |

| | | |
|---|---|---|
| Vol. V. an. 1543. | p. 96. | **Gallo**, Nicolao. |
| — | 180. | **Henrico**, Martino. |
| — | 199. | **Nopo**, Hieronymo. |
| — | 203. | **Bachofer**, Friderico. |
| 1544. | 436. | **Gothmanno**, Friderico. |
| — | 463. | **Georgiewitz**, Barthol. |
| 1545. | 711. | **Hunnico**, Laurentio. |
| — | 750. | **Rubigallo**, Paulo. |
| — | 825. | **Georgio**, Principi Anhaltino. |
| — | 844. | **Fischero**, Ioanni. |

---

# III) DICTA IN LIBROS AMICORUM

## SCRIPTA A MELANTHONE.



---

# IV) INDEX PRAEFATIONUM MELANTHONIS.

# V) INDEX IUDICIORUM, CONSILIORUM, NARRATIONUM etc. MELANTHONIS.

# VI) INDEX ALIORUM HOMINUM SEC. 16.

## QUORUM EPISTOLAE VEL SCRIPTA IN HIS VOLUMINIBUS PASSIM LEGUNTUR.

PHILIPPI MELANTHONIS

# C A R M I N A

QUAE SUPERSUNT OMNIA.

# PRAEMONENDA.

Philippus Melanthon quanti fecerit artem poëticam, ipse saepius professus est in epistolis ad amicos. Non enim solum valde delectabatur carminibus, sed etiam libenter agnoscebat, „venam fundendi carminis copiosam ac dulcem omnino Dei opus esse", ut ipse scripsit ad Huddeum, Epp. Vol. X. p. 939. De dignitate poëseos uberius suam sententiam perscripsit in epistolis Vol. I. p. 573. et Vol. III. p. 393. et in carmine an. 1539., quod incipit: „Si decus Ausoniae" etc.

Secundum rationem illius vero seculi, ut viri docti in familiari literarum commercio non nisi latina lingua utebantur, sic etiam ii, qui venam poëticam a Deo acceperunt, carmina sua non vernacula sed latina, vel etiam graeca lingua canebant, ut Eobanus Hessus, Buschius, Iac. Micyllus, Georg. Sabinus, Ioach. Camerarius, Io. Stigelius, Georgius Fabricius aliique. Putabant Scholarum praefecti, et non inepte, omnes omnino scholasticos exercitandos esse in componendis carminibus latinis, partim ut veterum carmina melius intelligerent, eorumque praestantiam animo sentirent, partim ut recte pronuntiare discerent et regulas grammaticas melius perspicerent. (Cf. Melanthonis praefatio ad Micylli libros de re metallica, Epp. Vol. III. p. 756 sqq.). Qua de causa Melanthon quoque iuvenes suae disciplinae traditos in carminibus scribendis exercebat. Cf. Epp. Vol. X. p. 957.

De suis autem carminibus Noster modestissime semper iudicabat, iisque pretium fere nullum statuebat; cuius modestiae epistolae eius continent multa testimonia. Sic ad Camerarium T. I. p. 809.: „O me ineptum, qui vobis audeo meos versus mittere, elegantissimis hominibus insulsa poëmata." Item ad Huddeum, Vol. X. p. 939.: „Versiculos meos scio ieiunos et ineptos esse, et malim eos non edi. Ego videor Marsia aut corvus inter cygnos crocitare." Cf. etiam Epp. Vol. VII. p. 962. Neque negari potest, in Melanthone facultatem iudicii maiorem fuisse quam φαντασίας fervorem, quo poëtae in altum feruntur, et carmina eius potius ex rationis cogitatione nata esse, quam ex sensus fervore. Omnino enim magis ad doctrinam quam ad poësin erat formatus a natura, quod etiam ipse agnoscebat, ideoque de se versus usurpabat:

Invida me spaciis natura coërcuit arctis,
Ingenii vires exiguasque dedit.

Vid. Epp. Vol. VIII. p. 240. et p. 241.

Neque Deus Melanthoni concesserat dulce illud otium, quod poëtis ad gignenda carmina omnino necessarium est; imo vena Melanthoni concessa innumeris laboribus, quos in se suscipere debebat, exhauriebatur, et fervor eius poëticus curis, aerumnis et cavillationibus inimicorum hominum suffocabatur. „Mihi — (scribit Epp. Vol. III. p. 756.), si quid fuit ingenii, consumptum est in rixis disputationum et in magna varietate negotiorum, in quibus versamur." — „Nosti (scribit Stigelio Vol. VI. p. 817.) maciem nostrae orationis; et in hac moesticia, etiamsi quid fuisset ingenii, extinctum esset."

Quanquam igitur Noster carmina fecit quum admodum iuvenis esset, tamen nunquam carmen prolixum composuit, sed breviora tantum, ut epigrammata, epitaphia, preces, disticha, breves ad amicos epistolas poëticas et similia. Longissimum carmen est illud quod inscribitur: *Collatio de impositione manuum*, an. 1541. factum. Magna carminum pars Witebergae inde ab an. 1518. usque ad an. 1529. scripta est. Postquam enim uxorem duxerat multos adolescentes adeoque pueros in domum suam receptos, vel ad mensam suam admissos, instituit, eosque etiam in faciendis carminibus exercitavit. In illa schola privata Melanthonis

erant illo tempore Franciscus Burchhard Vinariensis, Erasmus Ebnerus, Eberhardus Rochius, Ioannes Silberborner, Ursinus Velius, Theodoricus Reiffenstein et multi alii, qui etiam exercitationis causa fabulas veterum, ut Plauti, Terentii, agebant, in quorum usum Melanthon multos scripsit versus. Sed inde ab anno seculi illius tricesimo ita implicatus est publicis negotiis et tot tantisque laboribus in emendandis sacris obrutus, ut ab illo tempore ocium ad carmina facienda ei raro concederetur. Attamen non prorsus a pristina consuetudine deflexit, sed Musis, ut antea, vacavit ubicunque inter labores publicos vel privatos aliquid otii ei dabatur. Testes sunt carmina in colloquio Wormatiensi an. 1540. et Ratisbonensi an. 1541., et in itinere an. 1552. Norimbergae scripta *).

Quanquam vero Melanthon suos versiculos „ieiunos et ineptos esse" putabat, et nunquam moveri potuit, ut carmina sua colligeret et ederet, imo, ut docet epistola Vol. X. p. 939., noluit eos ab aliis colligi et edi, tamen homines docti illius temporis aliter iudicarunt, et, ut omnia quae Melanthon, quem „Praeceptorem Germaniae" salutabant, scripserat, magnifecerunt, sic etiam carmina eius studiose collegerunt. Quod primus, quantum scimus, fecit *Ioannes Reiffenstein*, homo doctus et literarum elegantiorum amicus, qui in Academia Leovaniensi studia fecerat, ibique in familiaritatem Erasmi Roterodami et Coclenii venerat. Cf. Epp. T. I. p. 947 sq. et Vol. II. p. 617. Is etiam versatio est Witebergae, ubi filii fratris Guilielmi Reiffensteinii Stolbergensis, disciplinae Melanthonis traditi erant, et, ut aliorum, ita etiam Melanthonis carmina sibi studiose descripsit et collegit, et hanc ita collectam farraginem carminum versus autumnum anni 1527. ad *Ioannem Secerium*, typographum Hagenoaensem, misit, ut typis exscriberetur; simul his literis additis:

„*Ioannes Reiffenstein Ioanni Secerio S.* Diu apud me retinui quaedam epigrammata a Philippo „Melanchthone studiosis quibusdam adolescentibus, eius contubernalibus, composita, quae quidem alioqui „peritura erant, nisi mea cura asservata essent. Scis enim, me hoc genus delitiis magis quam aut gemmis „aut ullis Corinthiis vasis capi. Quanquam autem non in hoc scripta sunt, ut edantur, pleraque etiam „effusa verius per iocum quam accurate aut ad famam ingenii condita sunt, tamen ego putavi, ad exem„plum pertinere, si eiusmodi lusus extarent, qui adolescentium studia alicubi excitare queunt. Video enim „hoc usu venire, ut haec aetas facile aequalium exemplis invitetur ad similia studia colenda, et quemad„modum inquit Horatius, paribus colludere gestiat. Sunt autem in his etiam quaedam epigrammata, quae „cum voluptate homo eruditus legere possit. Laudantur in hoc poëmatum genere salsa dicta, etiam acer„biora. Nam dementiam esse, Martialis inquit, sperare futurum, ut quisquam legat epigramma parum „salsum, cum ait:

Nullaque mica salis, nec amari fellis in illis
Gutta sit, o demens vis tamen illa legi.

„Sunt igitur ioci quidam in his, sed innoxii planeque liberales, neque quidquam usquam nigri salis ad„spersum est. Scribunt hoc tempore quidam, si Diis placet, graves viri tantum non ἁμάξας βλασφημιῶν. „Ego puto, utilius esse edi atque legi huiusmodi eruditos et incruentos iocos, praesertim si quae continent „utilia vitae et moribus praecepta, quales in his aliquot reperias. Mitto igitur tibi libellum publicandum, „cupioque meum in edendo consilium tibi et aliis bonis viris probari. Vale."

*Secerius* hanc sibi missam farraginem carminum Melanthonis et eius discipulorum, praemissa epistola Reiffensteinii, statim typis exscripsit. Prodiit igitur mense Ianuario an. 1528.:

„Farrago aliquot Epigrammatum Philippi Melanchthonis, et aliorum quorundam eruditorum Opusculum sane elegans et novum. Haganoae per *Iohannem Secerium*. An. M. D. XXVIII., Mense Ianuario." 11 pl. 8.

Continentur in hoc libello non solum Melanthonis, sed etiam aliorum carmina, ita, ut Melanthonis ne quidem dimidiam partem libelli impleant. Videtur igitur *Secerius*, ut opusculum cresceret, aliorum etiam carmina, a Reiffensteinio non missa, suo arbitrio addidisse, praecipue Iacobi Micylli, cuius hodoeporicon in fine additum est integrum. Quum Reiffensteinius ad Secerium scripserit, se *diu* retinuisse apud se epigrammata Melanthonis, liber Secerii autem mense Ianuario 1528. prodierit, manifestum est, omnia in Secerii farragine complexa carmina Mel. ante annum 1526. scripta esse.

---

*) Adferre huc licet verba Iul. Caes. Scaligeri lib. 6 poëtices, qui Hypercriticus inscribitur: „Ne Melanthon quidem abhorruit „ab ea laude, quae ex poëticis artibus comparatur, tametsi nonnulli eius populares, insanis quibusdam praeceptionibus, „e Christiana republ. poëtas exigendos exclamaverunt, quorum barbarissimam amentiam non verbis (neque enim verbis „aut nugis vinci queunt, sed contrariis effectionibus doctissimus quisque damnavit. Illius igitur ingenium magnum atque „ad omnia comparatum intelligemus ex iis poëmatiis, quibus solis lunaeque defectiones cecinit. Nam et tempora varie „describit eadem versibus luculentis, et eodem nitore praesagia statuit, cuius vestigia secuti sunt non ignobili ingenio „Germani aliquot, Stigelius, Aemilius, Acontius, Voisius, Camerarius. Idem Philippus in epigrammate iucundus atque „festivus" etc.

Postea anno 1541. prodiit libellus:

„Epigrammata Wormatiensia, s. Epigrammata quaedam ad viros, qui Wormatiensi colloquio interfuerunt, Witebergae 1541. 8."

quem librum non vidimus. Recusus autem est in Roederi libro de colloquio Wormationsi ex manuscripto Erasmi Ebneri. (Norimb. 1744. 4.) p. 162 sqq.

Postea Melanthonis carmina collegit *Hervagius*, eaque inseruit Tomo V. operum Phil. Mel., quae *Basileae* prodierunt, ubi leguntur T. V. p. 162 sqq. Quum in fine Tomi V. additum legamus: „Basileae, anno M.D.XLI., *mense Augusto*, sequitur, omnia Melanthonis carmina, quae in opp. Basil. leguntur ante mensem Aug. 1541. scripta esse."

Singula quaedam Melanthonis carmina inserta etiam leguntur *Scriptis publicis Academiae Witebergensis*, ut suis locis notavimus.

Postea, Melanthone adhuc vivente, colligendis eius carminibus operam navavit *Grathusius*, cuius liber ita inscriptus est:

„Philippi Melanthonis epigrammatum *libri tres*, collecti ab *Hildebrando Grathusio* Uffliensi. Viteb. excud. Io. Crato. 1556. 8. 12½ pl."

Melanthon, quanquam consilium colligendorum et edendorum suorum carminum non probaverat, tamen hunc librum, quae erat eius humanitas, praefatione ad Comites Lippienses ornavit, in qua de suis versibus inter alia haec:

„Optarim, meas ineptias non esse editas, quia scio excellens Dei donum et opus esse Poëticam, nec „tam stolidus sum, ut me annumerarim iis, quos Deus hoc tanto dono ornavit. Sed cum adolescentes de „studiis multa monere cogar, iubeo omnes discere carminum leges, et conari, ut qualescunque versus con-„nectant, ut Grammaticen melius discant, et ut procedant in eo studio, si qui a natura adiuvantur, liben-„tius etiam legant poëmata, qui non prorsus rudes sunt huius exercitii. Ideo interdum vel in doloribus „vel in itineribus aliquid scripsi ad iuniores invitandos."

Quum autem Grathusii liber sine subtili iudicio factus, multa Melanthonis non contineret, alia Melanthoni tribueret, quae eum non habuerant auctorem, novam post mortem Melanthonis collectionem carminum instituit *Petrus Vincentius*, discipulus et amicus Melanthonis, illo tempore Professor in Academia Witebergensi. Cuius liber sic est inscriptus:

„Epigrammatum Reverendi Viri Phil. Melanthonis libri sex. Witebergae. Haeredes Io. Cratonis excudebant. Anno M.D.LXIII. 8. 18 pl." Recusa ib. an. 1579. 8. 259 pagg. Item Witebergae M.D.XCII. typis M. Georgii Mülleri. 8.

In epistola dedicatoria ad Albertum Fridericum Marchionem Brandenburg. data d. VIII. Cal. Apr. an. 1563. Vincentius haec tradidit:

„Philippus scribebat ipse non longa Poëmata, (qui enim poterat alioqui vir occupatissimus Ecclesiae, Rei-„que publicae negotiis infinitis, cum, ut verissime Ovidius cecinit, carmina secessum scribentis et otia poscant?), „sed scribebat tamen saepe, quasi aliud agens, non prolixi argumenti ποιήματα, epistolas, precationes, alle-„goriarum sacrarum interpretationes, eclipsium descriptiones, Psalmos, Epitaphia, Hymnos, et id genus alia „multa, vel ut aliis argumentum praeformaret, vel etiam exemplo suo poëticae usum et oblectationem cum „dignitate coniunctam ostenderet, in materiis gravibus, eruditis, piis, utilibus et sine levitate iucundis, nec „modo ab anilium fabellarum futilitate alienis, sed et ingeniosis, et, ut verbo dicam, cum pietate tum humani-„tate plenis, denique eiusmodi, ut his vere tribui posset Platonicum illud Elogion, quod est in tertio de legibus: „θεῖον τὸ ποιητικὸν καὶ ἐνθεάστικον, ὂν γένος ὑμνῳδοῦν πολλιῶν τοῦ καθ' ἀλήθειαν γιγνομένων ξὺν τισι „χάρισι καὶ μούσαις ἐφάπτεται ἑκάστοτε. — — Quod autem ad epigrammata (sic enim sane nominemus poë-„mata hoc a nobis volumine collecta et edita) attinet, ea vero magna ex parte etsi ingenium, eruditionem, quo-„tidianarum cogitationum pietatem et humanitatem autoris perspicue ostendant, ab ipso tamen, ut qui nihil „unquam aut scriberet aut faceret ad ostentationem, *neque collecta neque asservata sunt*, sed a scholasticis „sparsim pleraque descripta, nonnulla etiam cartis incompositis excusa circumferebantur, donec ante quin-„quennium tres eorum libelli simul prodirent, non solum mendosissime editi, sed etiam foetibus supposititiis „pleni. Qui tamen et propter autoris, tanquam poëtarum parentis, celebre nomen et materiarum praestantiam „ita avide empti sunt a studiosis lectoribus, ut brevi temporis spatio exempla haberi desierint, quae cum requiri „crebro multumque bibliopolae nostrates animadvertissent, denuo subiicere praelo tres illos Epigrammatum „libellos statuerunt, meque rogarunt, ut quantum possem, quae in editione priori viciosa aut non genuina fuis-„sent, emendarem ac removerem, et si qua ipse reposita haberem, editioni novae adderem, qua in re non „tam ipsis, quam Reipublicae scholasticae cum summa voluntate gratificari conatus sum. Vicia igitur graphica „prioris editionis, quae et multa et foeda erant, et saepenumero sententiarum quasi sepeliebant intellectum, cor-„reximus, et versus quos vel ab ipso autore emendatos memineramus, aut alioqui perperam descriptos, resti-„tuimus, epigrammata suppositia removimus, alicubi genuina etiam sed bis posita, et temere ac loco non suo

„iterata resecuimus, et de quibus scire potuimus, numerum anni, quo scripta sunt, notavimus. Addidimus „autem prioribus [tribus Grathusii] libris *tres alios novos* libellos, singulari studio ex mea et amicorum „bibliothecis collectos, ut nunc sex libri conficiant iustum epigrammatum opus. Nec me eius, quantulacunque „est, opera poenitet. Nam quod ad me privatim attinet, ostendam alibi, quibus rebus huic sancto viro sum „obstrictus ad aeternam gratitudinem. Nunc autem de omnibus, quos reliquit ille post se non adulterinae „naturae discipulos, affirmo deberi hoc officium praestantissimo, optimaque de re literaria merito Praeceptori, „ut omnia ab eo profecta ingenii et doctrinae monumenta tanquam sacras reliquias non solum colligamus, „sed etiam a mendis negligentiae librariorum seculi huius (quantum per horum turpem in hoc vicio per„tinaciam licet) vindicemus: carminum autem Philippi illa ingeniosa atque erudita facilitas, et his com„prehensa rerum bonitas tanta est, ut non solum posteritatis facile sustinere possit aequissimam censuram, „sed etiam praesentis seculi iam pridem apud exteras gentes honorifica iudicia experta sit."

Haec Vincentius. — Ex quibus intelligitur, editionem epigrammatum a Vincentio factam principem et fide dignissimam esse, quare eam etiam hic sequuti sumus. In magna enim familiaritate, quae *Vincentio* cum Melanthone sene erat, dubio caret, illum cum hoc de libellis Secerii et Grathusii loquutum esse, et hoc modo audivisse, quae a Melanthone, ut non a se scripta, reprobata fuerint.

Neque post Vincentium alius extitit homo doctus, qui Melanthonis carmina denuo collegisset. Nam liber:

„Philippi Melanthonis epigrammatum libri VI, recogniti et aucti a D. *Ioanne Maiore*, Ioachimo" [i. e. in oppidulo Ioachimsthal nato]. Witeb. 1575. 8.

non plura habet quam Vincentius dedit, et nil est nisi Vincentii liber ad verbum recusum. Neque Maior verbulum praefatus est, sed recudi curavit simpliciter Vincentii epistolam dedicatoriam ad Albertum Fridericum Marchionem. Non necessarium igitur mihi visum est, praeter Vincentium etiam Maioris librum laudare.

Prorsus autem nullius pretii sunt libri *Cogleri* et *Hegelundi*. Illius liber habet inscriptionem:

„Epigrammata Rev. et Clariss. viri D. Phil. Melanthonis *iuxta partes Catechismi* [Lutheri, satis inepte] collecta et distributa, opera et studio *Ioannis Cogleri*, verbum Dei docentis Stetini. Stetini an. 1572. 8. min."

Huius liber habet titulum:

„Epigrammata Phil. Melanthonis *selectiora*, formulis precum, historiis, paraphrasi dictorum divinorum et sententiis gravissimis maxime insignia, ex edito Epigrammatum libello [Vincentii], et aliunde excerpta, *ut pueris in pia institutione proponi et inculcari possint*, — collecta a M. *Petro Hegelundo*, Lectore Theol. Ripiensi. Francof. ad M. 1583. 8."

Quae dixit „*aliunde excerpta*", ea sunt vel carmina aliorum, vel precationes Melanthonis oratione prosa scriptae.

Libros igitur Grathusii, Maioris, Cogleri et Hegelundi missos feci, et tantum citavi farraginem Secerii, opera Mel. Basileensia et librum Vincentii. Neque apud Secerium neque apud Vincentium paginae vel carmina habent numeros, ideoque paginas Secerii notare non potui, Vincentii autem libro, quippe fonti primario, paginas adscripsi, ut accurate dici posset, quo loco epigramma quodque legatur.

De ordine vel serie carminum primum haesitabam. Aeque enim difficile videbatur ea disponere secundum argumentum, ac secundum seriem annorum. Quibusdam quidem carminibus Vincentius in margine adposuit annum eorum nativum, sed paucis. Grathusius disposuit quidem carmina in tres libros, quibus Vincentius tres praeterea addidit, sed neque argumentorum neque annorum discriminis iusta habita est ratio. Denique mihi tamen videbatur optimum esse, Carmina, aeque ac epistolas, secundum seriem annorum ponere. Quanquam enim magna pars carminum ita comparata est, ut eorum annus nativus definiri nequeat, tamen, ut antea diximus, necesse est, omnia quae Secerius dedit, ante annum 1527., et omnia quae in Melanthonis operibus Basileensibus leguntur ante mensem Augustum anni 1541. scripta esse. Optimum igitur visum est carmina in quatuor libros disponere, quorum primus complectitur carmina ante annum 1527., secundus carmina inde ab anno 1527. usque ad annum 1540. scripta, tertius epigrammata ab an. 1541—1560. facta, et quartus ea, de quibus definiri non poterit, quo tempore scripta sint.

Carmina nondum edita, et a nobis ex libris manuscriptis hausta, signo † notavimus.

Gothae, d. 29. Mart. 1842.

**Bretschneider.**

# CARMINUM PHIL. MEL. LIBER I.

## CONTINENS EA, QUAE SCRIPSIT USQUE AD AN. 1527.

**No. 1.** —

Apud Vincent. p. 95.

***Germanici rythmi matris Philippi.***

Wer mehr will verzehren
Denn sein Pflug kann ereren,
Der wird zuletzt verderben,
Und vielleicht am Galgen sterben.

Horum haec est sententia:

Si quis de parvis vult plura absumere rebus,
Quaerere quam vigili sedulitate potest,
Is mendicando victum petat ostia pulsans,
Aut feret huic tristem crux laqueusque necem.

---

**No. 2.** **an. 1510.**

Ex libello: „In Iohannis Keiserspergii Theologi etc. mortem planctus et lamentatio cum aliquali vite sue descriptione et quorundam epitaphiis." — Fol. XV. leguntur: „*Τέλος* lamentationis in Io. Keyserspergii mortem etc. Impressum Oppenheym Anno MDX." — Geiler a Keisersberg mortuus est d. 10. Mart. 1510. — In carminibus in honorem defuncti fol. XV. est etiam hoc Melanthonis epicedium, qui tum annum aetatis suae 14. modo ingressus erat. — Debeo hoc carmen Clar. *Vierordtio*, Professori Lycei urbis Carlsruhe.

***Epicedion Philippi Melanchtonis, vernaculo Schwartzerd Bretthamen *).***

Quod quondam vasta clamarant voce beati
Christi quod vatum turba sacrata dedit
Et quibus illustrat Christi lex optima cunctos
Mortales fidei relligione sacra
Germanum specimen En Keyserspergius unus
Haec declamavit perbene Christicolis
Illius heu parce crudelia numina fila
Solverunt patrie lausque decusque vale
Argentina tuum patremque ducemque Tribotum *)
Lugeto et precibus semper adesto piis.

*) i. e. Brethamensis.

*) Triboccum in Alsatia.

---

**No. 3.** —

Apud Vincent. p. 183.

***De Erasmo Roterodamo.***

*Πολλὰς δὴ ῥάβδον χρυσίην δῶκεν Ἐράσμῳ*
*Τῆς ἱερῆς πειθοῦς ἄφθετον ἀντικλέος.*

---

**No. 4.** **an. 1515.**

Prodiit anno 1515. ex officina Anshelmiana liber notissimus „*Epistolae virorum obscurorum*", scriptae ad deridendos monachos Colonienses, qui Ioannem Reuchlinum, tanquam haereticum perdere studebant. Earum epistolarum auctorem Ulricum Huttenum fuisse, vulgaris est opinio. In illo libro legitur etiam carmen latinum *Philippi Schauraff*, quod nuper *Eichstadius* in programmatibus doctissimis „*de poësi culinaria*" P. I — VI. Ien. 1831 sq. 4. recudi curavit et pro sua eximia doctrina illustravit. Sed in programmate IV. mutavit opinionem de auctore huius carminis permotus iudicio Clar. *Foerstemanni*, Doctoris Halensis et rei literariae peritissimi, qui potius putat, Melanthonem hoc carmen epistolis

obscurorum virorum inseruisse. Liceat hic verba Eichstadii transscribere.

„Quum (inquit Progr. IV. p. 4.) inter Reuchlini et „Hutteni aequales vix quisquam paullo eruditior reperia„tur, quem viri docti non aut scriptorem Epistolarum, „aut scribentium certe socium consortemque existima„rint: per se mirum est, de Philippo Melanchthone nemi„nem unum cogitasse. Erat ille quidem tum temporis „(an. 1514.) vix septendecim annorum adolescentulus, sed „Reuchlini patrocinio nobilitatus, doctrinaque ipse sua „et studio iam satis spectatus. — Neque Magisterii or„namenta deerant, quippe quae die 25. Ianuarii, a con„versione Pauli dicto, anno 1514., quum adhuc Tubin„gae versaretur, in eum essent collata. Et quis putet, „desidem Melanchthonem inertemque oscitasse, quum ab „adversariis certatim peteretur Reuchlinus, quem cogna„tionis necessitudine sibi iunctum, et studiorum gravis„simum moderatorem, et nascentis laudis unicum fauto„rem veneraretur? Quis Melanthonem credat otiose spe„ctasse quae pro Reuchlino suo agerentur apud Thomam „Anshelmum, Badensem, in cuius officinis ipse, ut aliis „gratificaretur tam multa tamque laudabilia agebat? Nam „quo tempore Epistolae obscurorum virorum ex Anshel„mi typographeio primum emittebantur, Philippus cor„rigendis speciminibus typographicis librorum, quos „Nauclerus aliique docti homines scripsissent, de eadem „officina bene merebat. Ibi eum non censetis ipsa tem„poris locique opportunitate invitatum, non communium „amicorum studio compulsum fuisse, ut scribendis epi„stolis obscurorum virorum socias manus praeberet? — „Accedit, quod ipsae illae Epistolae *clarorum* virorum „ad Reuchlinum, quas Melanchthon paullo ante edidisset, „movere eum poterant, ut opposita, quo magis elucesce„rent, iuxta se poneret: et Hutteni elegia ad poëtas ger„manos (Querel. II. 10.), aliquot annis ante scripta, ve„lut manu eum ducebat ad mentionem et memoriam „virorum, qui a Reuchlini partibus stabant, et Colonien„sium impetus repellebant. — — Deinde advertere nos „iubet Foerstemannus, Philippum illa aetate non crebrius „latino Melanchthonis nomine, quam patrio et germa„nico *Schwarzerd* et ipsum esse usum et ab aequalibus „nuncupatum. Quodsi carmini hanc imposuisset epigra„phen: *M. Philippus Sch*......., proclive erat supple„mentum *Schwarzerd*. Nunc mutavit ille quidem no„minis alteram partem, sed lepide ludens ita mutavit, ut „tamen aequalis servaretur numerus literarum. — De„nique de semet ipso Melanchthon et de amico suo Hage„noensi, Volfgango Angstio, sic commemoravit in hoc „carmine (v. 92. et 123.), ut novum inde de illius scriptore „argumentum repetere liceat." — Haec Eichstadius. Quanquam haec Foerstemanni sagax opinatio, quam Eichstadius valde probabilem habet, non eiusmodi nititur argumentis, quae omnem dubitationem removeant, tamen ego quoque eam probare non haesito. Primum quidem haerebam in eo, quod hoc carmen notitiam hominum doctorum in tota Germania prodit, qualem in iuvene septendecim annorum, qui Melanthon illo tempore erat, esse vix credideris. Sed quum Ioachimus Camerarius in vita Melanthonis (p. 7. ed. Strob.) de Melanthone puero tradiderit, illum solitum esse „et circuire et vestigare advenas scholasticos, *qui tum peregrinari consueverant*": dubitandum non est, quin Philippus advenas etiam de doctoribus suis interrogaverit. Accedit, quod etiam praenomen Philippi quasi digito auctorem monstrat, et quod scimus, Melanthonem illo tempore aliis quoque libris, qui ex Anshelmi officina prodierunt, aliquid sua manu addidisse. Quod postea Melanthon se auctorem huius carminis non confessus est, non officit opinationi Foerstemanni, quum quisque facile perspiciat, cur Philippus hoc carmen oblivioni traditum voluerit. Noluimus igitur hoc carmen a Melanthonis scriptis abesse.

***Carmen Rithmicale Magistri Philippi Schlauraff*[1], *quod compilavit et comportavit, quando fuit Cursor in Theologia, et ambulavit per totam Alamaniam superiorem.***

Christe Deus omnipotens, in quem spectat omne Ens,
Qui es Deus Deorum per omnia secula seculorum,
Tu velis mihi esse propitius quando tribulat me inimicus.
Mitte unum diabolum, qui ducat ad patibulum
Poëtas et Iuristas, qui dederunt mihi vexas;
Praesertim in Saxonia, ubi fui studens in loica[2])
Quam docuit me *Sibutus*, qui est in medicina imbutus,
Et habet antiquam vetulam, quae vendit bonam cerevisiam[3]).
Tunc est ibi unus poëta, qui vocatur *Balthasar de Facha*[4]),
Qui me tribulavit, quod mihi valde doloravit.
Tunc *Philippus Engentinus*[5]), qui non est vexator minus,
Incepit unam guerram: tunc quaesivi aliam terram,
Et cogitavi bonam rem, ut ad Rostoch irem,
Ubi *Hermannus Buschius*[6]) mortificavit unum carminibus.
Tunc audivi in via, quod viget ibi pestilentia.

---

1) Non *Schlauruff*, ut editiones posteriores habent. *Schlauraffe* puto esse i. q. Schlaudcraffe, ein läppischer Mensch, der nichts gelernt hat, und nichts thut, müßig herumschlaudert, aber doch gut leben will, und denkt, er dürfe nur den Mund aufsperren, so würden ihm die Tauben gebraten hineinfliegen. Der Name ist daher eine spöttische Hindeutung auf den Müßiggang, die Unwissenheit und das Wohlleben der Mönche.

2) *loica*] i. e. *logica*.

3) *Georgius Sibutus*, medicus et poëta laureatus Witebergae, de quo in epistolis obscuror. viror p. 230. ed. Roterm. haec leguntur: „Ille poëta nunc est Wittenberck: ibi accepit unam antiquam vetulam, quae vixit septuaginta octo vel paullo plus. Ego fui semel in domo eius, — tunc illa vetula sedit retro fornacem. Tunc dixi ei: est ista mater vestra? Respondit: non, sed est femina et uxor mea. Et dixi ei: quare sumpsisti istam antiquam vetulam? Respondit: quod est adhuc bona in fornicatione. Et etiam habet multum pecuniae, et scit facere bonam cerevisiam, et postea vendit eam et colligit pecuniam."

4) „Natus in oppido Hassiae *Vach*, cum Hutteno amicitia vetere et sincerissima coniunctus. Idem et Spalatino et Melanchthoni atque Luthero erat carissimus." *Eichst.*

5) *Engentius*] „Nomen ei fuit *Engelbrecht*. Socius accessit viris ingeniosis qui *poëtarum saecularium* nomine apud Theologos illius aetatis male audiebant." *Eichst.*

6) *Buschius*, natus an. 1468. Sassenburgi in provincia Monasteriensi, ibidemque an. 1534. mortuus. Aliquamdiu etiam Rostochii docuit. Excellens poëta illius seculi.

Et ivi ad Gribswaldiam, quae habet modicam companiam.
Et sic abivi mox, quamvis fuit statim nox.
Et veni ad Francofordiam, quae iacet apud Oderam:
Ibi *Hermannus Trebellius* [7]) cum suis poëmatibus
Multum me infamavit, et audocter blasphemavit.
Nec non duo *Osthenii*, qui sunt huius discipuli [8]),
Qui multis cognominibus vexabant me in civibus:
Da heißt mich die ganze Stadt das Cölnisch Copulat,
Ita quod ambulavi in Austriam, ad meam malam fortunam,
Quia *Collimitius* [9]) (veniat ei sanctus Antonius)
Fuit ibi Rector et meus inimicator,
Vocans me traditorem, et volens ponere ad carcerem,
Nisi fecisset *Hekmann* [10]). Sed *Ioachimus Vadian* [11])
Novum infortunium, propter *Peperkornum*,
Mecum ibi incepit: quia eum vilipendit
In sua defensione, quamvis cum magna ratione.
Tunc dixi quod sum innocens, et rogavi eum flens,
Quod vellet me dimittere: tunc dixit eis tacite
Rector bursae lilii [12]), quod retineret me cum vi,
Et dixit *Cuspinianus*, quem amat rex Maximilianus [13])
Quod Magistri in artibus sunt Doctores in peccatis mortalibus.
Tunc incepi inde transire, et ad Ingolstad venire:
Hic *Philomusus* habitat [14]), et contra Theologos metrificat.

---

7) „*Trebelius*, ex gente Sausewind in pago Natzae prope Isenacum ortus, unus fuit in primis Professoribus Academiae Francof.“ *Eichst.*

8) *Iohannes* et *Alexander Osthemii* (von Osten), equites Pomerani, amici Hutteni et postea etiam Melanthonis.

9) „*Georgius Collimitius*, medica, physica et mathematica scientia insignis.“ *Eichst.*

10) Vid. de illo theologo, qui et ipse fuit inter poëtas illius temporis, epist. obscur. viror p. 27. ed. Roterm.

11) „*Ioachimus Vadianus* (von Watt) natus d. 9. Nov. 1484., mortuus d. 6. Apr. 1551., Calvino fuit amicissimus, instaurationis sacrorum strenuus adiutor, ob eamque rem Pfefferkornio et sodalibus Coloniensibus valde infestus.“ *Eichst.*

12) „*Bursa* olim vocabatur domus, in qua inerat studiosorum numerus, certo subiectus Professori, quem appellabant Rectorem Bursae. Factum deinde, ut sodales talis bursae vocarentur die Bursche. — Constat sedes illas a patronis, quibus erant dicatae, et ab insignibus, quae habuerunt, diversa carmina traxisse. Equidem nihil praeterea de bursa lilii iuveni.“ *Eichst.*

13) „*Io. Spiesshammer*, natus Suinfordiae, obiit an. 1529., philosophus, medicus, poëta, historicus, postea a Maximiliano Viennensi Senatui praefectus.“ *Eichst.*

14) *Iacobus Losherus*, qui carmen das Narrenschiff (navis Narragonica) an. 1488. in latinum sermonem transtulerat.

Tunc timens eius furiam, transivi ad Nurbergam,
Ubi quidam *Pirkheymer*, qui non est Magister,
Fecit mihi instantiam: sed audivi ibi clam,
Quod cum multis sociis, in partibus diversis,
Magna in coniuratione, vellet stare pro Capnione,
Et contra nos theologos facere multos libros.
Et fuit mihi dictum, quod noviter unum librum
Scripsit de usura, quam admittit Theologia,
Sicut Bononiae est disputatum, et per Magistros nostros probatum.
Sic ivi post unum mensem ad Universitatem Lipsiensem,
Ubi *Richardus Crocus*, qui dicitur esse Anglicus [15]),
Vidit me per viam, et dixit: illam bestiam
Ego novi Coloniae. Respondi, noli dicere,
Quia ego non sum. Tunc dixit ad suum socium:
Iste pro theologis est proditor Capnionis,
Et est magnus pultronus, quod dixi Magistris in artibus,
Qui iuraverunt invicem, accipere ei lectionem,
Ita quod in posterum non amplius haberet stipendium.
Venit *Mosellanus* [16]): dicens, ille Beanus [17]),
Deberet ad patibulum suspendi per suum collum,
Et fui licentiatus, et ad Erfordiam intentionatus,
Ubi *Aperbachius* [18]) me incepit tribulare acrius,
Et *Eobanus Hessus*, qui nunquam fuit fessus
Quaerere in plateis, ut percuterent me cum pugnis:
Et multum terribiliter vexavit me bis vel ter,
Et dixit ad studentes: frangatis ei dentes,
Quia Theologicus Reuchlin est inimicus.
Tunc dixit *Crotus Rubianus* [19]): unde venit ille Beanus,
Qui non est nobis notus? Dixi quod sum promotus.

---

15) *Crocus*, Corvus cognominatus, Londini natus, literis Lutetiae Parisiorum operam dedit, deinde Coloniam, post Lipsiam venit, ibique in Academia literas graecas et latinas docuit. Stipendio suo a Duce Georgio abrogato rediit in Angliam.

16) *Petrus Schadius Mosellanus*, Protegiae apud Confluentes natus an. 1493., mort. an. 1524. graecas et latinas literas Lipsiae docuit summa cum laude.

17) *Beanus*, a Gallico *béjaune*, i. e. *bec-jaune*, Gelbschnabel. Sic illo tempore appellabantur studiosi, qui nuper e scholis in Academias venerant, qui nunc dicuntur Schulfüchse s. Füchse simpliciter.

18) „*Gottschalcus Aperbachius*, mathematicus Erfordiensis tum temporis celeberrimus.“ *Eichst.*

19) *Io. Crotus*, propr. *Jäger* e pago Dornheim prope Arnstadt, unde Rubianus cognominatus, amicus Hutteni et Eob. Hessi, illo tempore clarus inter doctores Erford.

Respondit, eatis utique, tunc volui revertere
Statim ad Coloniam vadens per Buchoniam.
Sed dixit quidam socius, quod *Mutianus Ruffus* [20])
Esset in itinere, et posset me percutere.
Tunc ivi per Campaniam et veni iterum in Misniam.
Quod fuit ibi subito dictum Esticampiano [21]),
Qui misit suos discipulos, qui traxerunt me cum crinibus.
Et dixit *Spalatinus*, qui est eius vicinus,
Quia etiam ex parte sua darent mihi verbera,
Ergo satis percussus veni ad quoddam nemus,
Ibi quidam diabolus, vel certe malus angelus,
*Sturnum* ad me portavit [22]), qui ubi cognovit,
Dedit mihi alapam. Tunc ivi ad Franconiam,
Ubi est fluvius Moenus: ibi *Ulricus Huttenus*
Iuravit levatis digitis, quod vellet me percutere virgis,
Si vellem ibi stare. Tunc cogitavi meum salutare,
Vadens hinc in Sueviam ad civitatem Augustam:
Ibi *Conradus Peutinger*, cui non placet *Brulifer* [23]),
Noluit me permittere, quod possem hic quiescere.
Tunc praeterivi Studgardiam, quia habet ibi stanstiam
*Reuchlin* ille haereticus, qui fuit mihi suspectus.
Tunc ad Tubingam abii, hic sedent multi socii,
Qui novos libros faciunt et Theologos vilipendunt:
Quorum est vilissimus *Philippus Melanchthonius*,
Sicut ego cognovi: et igitur Deo vovi,
Si viderem illum mortuum, quod irem ad Sanctum Iacobum.
Fuit et *Bebelius*, et *Ioannes Brassicanus* [24]),
Et *Paulus Vereander* [25]), die schwuren alle mit einander,
Quod vellent me percutere, si non vellem recedere.
Sed quidam hic theologus, cum nomine *Franciscus*
Sua cum cavisatione [26]) portavit me ex illa regione.
Tunc cogitavi ire, et ab illis poëtis venire.
Et ivi ad unam patriam, quam dicunt Argentinam:
Ibi in media via facta est una rebaldria,
Quia *Nicolaus Gerbelius* cum suis disputationibus
Confundit me in populo: quod steti in magno scandalo.
Venit *Sebastianus Brant* [27]), der nahm mich bei der Hand,
Dicens mihi: sequere, nos volumus navigare
Abhinc in Narragoniam propter tuam stultitiam.
Et fuit ibi *Schurerius* [28]), qui est pinguis socius.
Ipse me derisit, et dixit: Herr, ihr müsset mit
Bis ins Schlauraffen Land, da seyd ihr fast wohl bekannt.
Collegi meam tunicam, et cepi inde fugam,
Pergens ad Sletstadium: quum vidi *Wimphelingium* [29]),
Qui habet unum pellicum, quod est bene impinguatum,
Nec non *Iacobum Spiegel* [30]), qui dixit: woher du Daubengigel? [31])
Respondi, quod ex Suevia. Tunc dixit quod sum bestia.
Et ego fui iratus: tunc dixit mihi *Kirherus* [32]),
Quod irem ad Athenas et discerem graecas literas.
Et fuit etiam *Sapidus* [33]) cum multis suis scholaribus,
Dans mihi disciplinam. Tunc invocavi caelorum reginam.
Tunc exclamavit *Storckius* [34]): volvamus hunc de gradibus.

---

20) *Conrad Muth*, ex Hassia, Canonicus Gothae, graecis latinisque literis instructissimus, Eob. Hessi amicus.

21) Vid. de eo epp. Mel. Vol. I. p. 77. Antequam in Academiam Witeb. vocatus est, docuit Lipsiae et Fribergae.

22) *Ioannes Staar*, s. *Sturnus*, ex Schmalcaldia, Hutteni amicus, Lipsiae cum laude docuit.

23) *Peutingerus*, natus Augustae Vindelicorum an. 1465., in iuris doctrina aeque versatus ac in literis elegantioribus, Maximiliano Imper. a consiliis. — *Steph. Brulifer*, Theologus Parisiensis et scholasticus.

24) *Henr. Bebelius*, Doctor academiae Tubingensis eloquentiae et poëseos laude clarus, mort. an. 1516. — *Io. Alex. Brassicanus*, Bebelii discipulus Tubingensis, laurea poëtica ornatus, Coloniensium adversarius acerrimus.

25) *Vereander*, Wahrmann? Sed Foerstemannus coniicit esse *Gereandrum*, qui tum temporis Tubingae erat.

26) *cavisatione* pro *cautione*. Quis theologus fuerit, incertum est.

27) Auctor carminis satyrici das Narrenschiff; mortuus Argentorati an. 1520.

28) *Matthias Schurerius*, typographus Argentoratensis, arte et doctrina clarus.

29) *Iac. Wimphel.* Sletstadiensis, eruditionis copia clarus, amicus Hutteni et Erasmi, frugalitate et odio luxus insignis.

30) Sletstadiensis, doctrina, inprimis iuris scientia clarus.

31) „*Daubengiegel*, convicium est, quo summa hominis stultitia notatur. *Giege* enim i. q. fatuus, unde illud diminutivum ducitur." *Eichst.*

32) „*Ioan. Kirherus*, natus Sletstadii, circa an. 1515. Spirae vixit, et an. 1518. pestilentia correptus obiit." *Eichst.*

33) Rector scholae Schletstadiensis.

34) Item Schletstadiensis.

Respondit ei *Phrygio* [35]): parcamus sacerdotio.
Venit *Beatus Rhenanus* [36]), quaerens an sum Almanus.
Respondi: sum ex Flandria: tunc statim duo verbera
Accepi super capite, quod vix potui audire.
Et ivi hinc ad Hagenaw, do wurden mir die Augen blaw,
Per te *Wolfgange Angst* [37]); Gott gib daß du hangst!
Quia me cum baculo percusseras in oculo.
Accurrit autem *Setzerius*, qui vix est Baccalaureus,
Cum uno magno volumine, percutiens me in latere,
Quod non habui spiritum, tunc oravi illum socium,
Quod facerem confessionem, quia haberem contritionem.
Sed ego in noctis medio surrexi de cubiculo,
Et ivi ad Friburgiam, quaerens misericordiam.
Sed ibi multi nobiles armati et horribiles
Reuchlin defenderunt, et mihi mortem minaverunt.
Nec non unus vetulus, qui vocatur *Zasius* [38]),
Ille antiquus Iurista, quaesivit an sum Scotista.
Respondi: doctor sanctus est mihi autor summus.
Tunc fecit me risibilem, quod habui pudorem.
Et statim quidam *Amerbach* [39]) spricht: ich will ein andres mach,
Und langet mir die Peitschen her, so will ich ihm ein neues lern.
Sic fui hic fugatus, quia sum ad miseriam natus,
Et veni Basileam, ubi vidi quemdam,
Qui *Erasmus* dicitur, et multum honoratur.
Tunc dixi cum licentia: dicat Vestra Excellentia,
Si estis Magister nostrandus, vel statim qualificandus.
Respondit ipse, utique: tunc sivi eum stare.
Sed in domo *Frobenii* sunt multi pravi haeretici.
Nec non *Glarianus* [40]), qui imposuit mihi manus
Percutiens in dorsum, et proiiciens deorsum.

---

35) *Paul. Constantius Phrygio*, etiam Schletstadiensis, postea Theologiae doctor Basileae.

36) *Beatus Bildius*, ab oppido Rhenaco *Rhenanus* appellatus, de literis optime meritus, intima amicitia iunctus Erasmo.

37) *Wolfg. Anxt* (etiam Augustus appellatus) typographus valde doctus Hagenoensis.

38) *Ulricus Zasius*, iuris scientia eminens.

39) *Bonifacius Amerbach* Basileensis, illo tempore Zasii discipulus, denique doctor iuris Basileae.

40) *Henricus Loritus*, a patrio pago Glarn in Helvetia Glareanus cognominatus, professor Basileensis illo tempore.

Et dixi, per tuam lauream fac mecum misericordiam,
Tunc ivi ad naviculam, abiens Wormaciam,
Ubi in hospitio cum *Theobaldo* Medico [41])
Fuit mihi lis, quia de Theologis
Dicebat multa scandala. Tunc dicebam cum modestia:
Vos estis homo stolidus, et statim unus caseus
Stetit mihi in capite: et sic recessi cum vulnere
Usque ad Moguntiam, ubi mihi gratiam
Fecit praedicator *Bartholo Decimator* [42]),
Dans mihi hospitium, et iurans per Deum vivum,
Si ivissem ad Coronam [43]), quod accepissem vexationem bonam,
Quia ibi commensales sunt valde nequitiales,
*Nicolaus Karbachius* [44]), qui legens pro scholaribus
Exponit Titum Livium; tunc reperi *Huttichium* [45])
Qui ex antiquo odio percussit me cum scamno.
Quia feci unum bombum, tunc dedit mihi pugnum
Doctor *Conrad Weydmann*. Ich sprach: wie soll ich das verstahn?
Tunc trusit me *Ioan Königstein* [46]), quod cecidi de gradibus.
Et sic post hoc periculum contuli me ad Rhenum,
Ubi quum ambulavi visus est mihi in navi
Doctor *Thomas Murner* [47]), Ordinis minorum frater,
Qui dixit: nisi parcerem propter meam dignitatem,
Statim coram omnibus iaceres hic in fluctibus.
Respondi: quare hoc? Tunc dixit: schweig du Holzbock,
Es leyt mir noch im Sinn, quod fecisti Doctor Reuchlin.
Sic ivi ad Coloniam, et inveni bonam companiam,

---

41) *Theobald Fettich*, clarissimus illo tempore medicus Wormatiae.

42) *Bartholomaeus Zehender*, Coloniae natus, eo tempore praedicator Moguntinus, superstitionis acerrimus hostis, qui postea praefuit Scholae in oppido Münden.

43) i. e. ad bursam, quae nomen coronae gerebat.

44) *Nicol. Carbach*, doctus typographus, qui de Titi Livii libris historiarum optime meruit.

45) *Io. Huttichius*, Moguntinus, qui primum in urbe patria munere ecclesiastico functus, postea Argentoratum vocatus est, ibique ecclesiae cathedrali praefuit.

46) Eichst. scribendum esse censit Königstein*ius*, „ut postremae dimidiati hemistichii syllabae similiter cadant." — Neque de Weidmanno neque de Koenigsteinio constat, quinam fuerint, quaenamque merita habuerint.

47) *Thomas Murner s. Murnar*, Argentoratensis, ordini Franciscanorum adscriptus, bonas literas primum Friburgi, postea Theologiam Lucernae in Helvetia docuit.

Quamvis mihi *Buschius* cum suis auditoribus,
Et *Ioannes Caesarius*, qui legit ibi Plinius,
Facerent instantias, quia non curavi has:
Sed steti cum Theologis, et vixi in laetitiis,
Und gab nit ein Har auff den Graven von newen Ar,
Quamvis sit Poëticus, quia Pepercornus
In suis dictaminibus dicit de nobilibus,
Qui quamvis sunt clari, non possunt excusari,
Et debent sibi solvere, pro sua obscuritate,
Et sic est finis propter honorem Universitatis.

---

## No. 5. an. 1516.

Editum primum in libello III. epistolarum Eobani Hessi p. 196. Item apud Vincent. p. 159. — Bebelius diem obiit anno 1516.

### *In mortem Bebelii Poëtae Philippi Melanth. adhuc adolescentis Epigramma* [1]).

*Εἰ μὲν βροτοὺς ἐπὶ χθονὶ*
*ζῆν ἐστ᾽ ὀνῆσαι, καὶ βιοῖ*
*ὅδ᾽ εὐκλεὴς Βεβήλιος*
*Μουσῶν πατὴρ Ἑρκιννίδων,*
*εἰδ᾽ αὖ βίος ξυνεμμέναι*
*θεῷ, Βεβήλιος γ᾽ ἐῆς*
*ἐκ τοῦδ᾽ ἐνοικεῖ δώμασι*
*τῆς εὐσεβείας εἵνεκα*
*᾽Ολυμπίοις: ἆρ᾽ οὖν βιοῖ.*
*τὰ δ᾽ ἄλλα θνητῶν τριακάδες*
*τὸ δεμὰς πολύτροπος τέφρα*
*ἰύγγιον δεθ᾽ ἡδονὴ*
*λῆραι δὲ τιμαὶ νηπίων,*
*πάντων τε πάντ᾽, ὄναρ σκιᾶς.*

Interpretatio [2]).

Si vivere est mortalibus
Prodesse vivit inclytus
*Bebelius*, qui literas
Herciniis primus dedit.
Sin vivere est accumbere
Deo, Bebelium quidem
Dat sese virtus perfrui
Coelestium. Vivit igitur.
At caeterarum quicquid est
Rerum, unus est tricesimus,
Nam corpus aridus cinis,
Merum est voluptas toxicum,
Et fastus imprudentium
Nugae, omnia caetera omnium
Umbrae fugacis somnium.

---

## No. 6. an. 1518.

Oda graeca Pirkheimero missa, quam dedimus in epistolis Vol. I. p. 22.

---

## No. 7. (an. 1518.)

Editi sunt hi versus in libello: „Elegantissima quaedam opuscula a Philippo Melanchthone Brettano edita. Hagenoae ex officina Anshelm. anno 1519. 8.", ubi leguntur post orationem Melanthonis de corrigendis adolescentiae studiis. — Recusi in Fabricii Centifol. Luth. p. 824.

### *Ad venerabilem Patrem Martinum Lutherum, pium Theologum. Philipp. Melan.*

*Ὦ ναζαραῖε ἰσραήλος ζάθει*
*ὁσιώτερ ὦ εἰρηνοποίων θυμάτων,*
*ἔκλεκτε, ἀφθόρου ἀληθείας λάτρι,*
*ὦ φυχέων κοσμήτορ ἄχραντ᾽ εὐσέβων*
*ἄνερ πόθων· σοφίας θεόπνευστ᾽ ἄγγελε*
*δίκης τ᾽ ἀμήτορος, λογοῦ τε ἐνθέου*
*ζωαρκεός τε μύστα ὄλβιε πνόης,*
*ὁ εὐχρίστου εὔοδμα βάλσαμα,*
*ἐκκλησίας δεύων χαρίτος κηρύγματι*
*καὶ τοῦ νεὼ τοῦ πανελεήμονος θεοῦ,*
*πιστός τε ἀγρυπνός τε ποῖμην, τὸν λύκον*
*τὸν ἄραβ ἀπώθεν τὸν σοφιστὰν βελιὰρ*
*ἔκπληξων, ὦ χορηγ᾽ ἀληθείας πότε*
*τὰς βεκκεσελήνους τῶν γε λογομάχων φρένας*
*τῇ θαυματουργῷ μωσέως ῥάβδῳ βόλει*
*βλεπεδαίμονας μάγους· τὰ γλωτταλγήματα*
*ἀρκεδίνοις ἄνθραξι τοῦ λογ᾽ ἐκφλέγε*
*μάχευ ἀναῤῥοπώς τε καλήκτως ἔπου*
*τῷ πυρφόρῳ ἰήσου· ὑπερασπίξεο*
*τοῦ εὐλογημένοιο τῶν πίστων λάχους.*

---

## No. 8. an. 1519.

Versiculos in Lutheri enarrationem epist. ad Galat. dedimus in epistolis Vol. I. p. 120.

---

1) Inscriptio apud Vincent.

2) Haec legitur apud Vinc. An a Melanthone profecta non dictum est.

**No. 9.** **an. 1520.**

† Ex autographo in cod. Rehdiger. Vratislav. Descripsit S. V. *Schulzius.*

### *Προπεμπτικὸν ad Ioh. Hessum amicum.*

Teutona Sarmaticis qua iuncta est finibus ora
Quaque colis bracho, barbare Quade, brevi,
I felix ducente deo ventisque secundis
Hesse, memor quondam, dulcis amice, mei.

Philippus Melan.
mense Ianuario.
M.D.XX.

---

**No. 10.** **(an. 1520.)**

Apud Secerium; item in opp. Basil. T. V. p. 358. et apud Vincent. p. 158.

### *Ἰουλιανοῦ ἀπὸ ὑπάρχων αἰγυπτίου.*

*Στέφος πλέκων πόθ᾽, εὗρον*
*ἐντοῖς ῥόδοις ἔρωτα*
*καὶ τῶν πτερῶν κατασχὼν*
*ἐβάπτισ᾽ εἰς τὸν οἶνον,*
*λαβὼν δ᾽ ἔπινον αὐτόν.*
*καὶ νῦν ἔσω μελῶν μου*
*πτεροῖσοι γαργαλίζει.*

Philippus.

Cum necterem corollam,
Inter rosas repertum
Cupidinem prehendi
Ala, meroque mergens
Una imbibi procacem.
Nunc ille saevit imis
Puer mihi in medullis.

---

**No. 11.** **(an. 1520.)**

Apud Secerium. Iterum in opp. Mel. Bas. Vol. T. V. p. 351. et apud Vincent. p. 106.

### *De duabus thecis Simonidis.*

Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne est,
Debita pro meritis gratia nulla redit.
Simonides binas ponebat in aedibus arcas,
Ledaeis charus fratribus ille senex.
Hanc, unde officium facilis promebat egenti,
Et tempestiva forte iuvabat ope.
Quam, postquam multa effudit, nova copia rerum
Accumulatae diu non vacuam esse sinit.
Altera facta fuit si gratia forte rediret,
Munera quae grati conderet arca viri.
Sed nihil huc quisquam intulit, arcaque semper inanis,
Officii, indicio, cuncta perire, fuit.
Simonides Thecam monstrabat utramque, laborem
Aerâve si peteret mutua ferre aliquis.
Et testatus opes se plena effundere Theca,
Pro meritis monuit praemia nulla dari.

---

**No. 12.** **an. 1521.**

Apud Vincent. p. 165. Hoc distichon sine dubio an. 1521. scriptum est, ubi prodiit liber Lutheri „Antwort auf das überchristliche — Buch Bock Emsers zu Leipzig, nebst einem Anhange an Murnar, desselben Gesellen: Lieber Bock stoß mich nit." — Faber paulo ante ex Constantia in aulam Archiepiscopi Moguntini vocatus fuerat.

### *In Emserum et Fabrum Antilutheranos.*

Emserus caper est, Fabrum constantia mittit,
Ille suis fumis uritur, hic scabie.

---

**No. 13.** **an. 1522.**

Apud Secer. Item in opp. Bas. T. V. p. 352. et apud Vincentium p. 111.

### *In Hesiodum.*

(i. e. invitatio ut studiosi intersint lectioni Hesiodi.)

Ascraei senis optimi Poëtae
Vobis cras ego carmen auspicabor,
Cui non praeferat aureas arenas
Quas voluit Tagus, aut opes Sabaeis
Quantas nigri Arabes legunt in agris,
Qui virtutis amat, colitque laudem,
Et mores volet aureos parare,
Naturaeque vices videre miras,
Parvo quas docet in libro Poëta
Graecis quem aedidit Ascra rure parvo.

**No. 14.** an. 1522.

Apud. Secerium; item in opp. Bas. T. V. p. 353. et apud Vinc. p. 135. — Altera versio serius facta est, et legitur tantum apud Vincentium et iu Scriptis public. acad. Witeb. T. III. p. 258b.

### *Ex Hesiodo.*

*Οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτῷ πάντα νοήσει*
*φρασσάμενος, τάχ' ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ᾖσιν ἀμείνω.*
*ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.*
*ὡς δέκε μετ' αὐτῷ νοέῃ, μητ' ἄλλου ἀκούων*
*ἐν θυμῷ βάλλεται, ὅδ' αὖτ' ἀχρήϊος ἀνήρ.*

Omnia per sese qui praevidet optimus ille est:
Proximus ille tamen qui paret recta monenti:
Sed qui non sapit ipse, nec audit recta monentem,
Invita ei mentem misero natura negavit.

Aliter redditum.

1. Qui nullo monitore potest facienda videre,
Quaeque decent, quaeque eventus in fine secundos
Sunt tandem paritura, suisque obtemperat ipse
Consiliis, mores vera ratione gubernans,
Anteit hic alios virtute et laudibus omnes.
2. Sunt alii minus ingenio plerique sagaces,
Qui parêre tamen curant meliora monenti,
Laudandos inter recte numerantur et isti.
3. Sed qui nec sapit ipse, nec audit recta monentes,
Nec patitur frenos, nec legum vincula curat,
Sed pronus sequitur, quo traxit caeca libido,
Hic malus, ac odio dignus ducatur, et idem
Accerset poenas sibi tandem, et tristia damna.

---

**No. 15.** (an. 1522.)

In farragine Secer. edita; item in opp. Bas. T. V. p. 337. Apud Vincent. p. 104. Etiam in Scriptis publ. acad. Witeb. T. III. p. 270 b.

### *De lectione Homeri.* (Scheda publice affixa.)

Vera est fama bonos agitari numine Vates,
  Nam Deus illorum pectora casta movet.
Virtutis praecepta canunt, ac vatibus autor
  Tradidit in terris illa docenda Deus.
Largaque cum coelo veniat facundia, rursus
  Eloquii vires altera dona dedit.
Est igitur pietas quaedam cognoscere Homerum,
  Cum bona de superum munera sede ferat.

**No. 16.** (an. 1522.)

In farragine Secer. Item in opp. Bas. T. V. p. 336. et apud Vincent. p. 130.

### *Ex secundo Iliados.*

Ad naves Ithacus propere contendit Achivas,
Et sceptro armatus perfert mandata Minervae,
Hic ubi forte aliquem procerum virtute videbat
Praestantem, blando revocabat comiter ore.
Non haec, non decet haec fortes fuga, siste pudendum
Siste gradum, incautumque simul compescito vulgus,
Atridae quae sit nondum sententia nosti,
Ille animos tantum vafer explorabat inertes,
Ecquid adhuc salva pudeat discedere Troia.
Forsitan et turbae dabit huic insania poenas.
Non est, crede mihi, Regum placabilis ira,
Maiestate, potens rerum quos Iupiter auxit.
Huic etiam Graecae dux curae est gentis Atrides,
Verum ex plebe aliquem nil magnae laudis egentem,
Tunc etiam stolido tantum clamore ferocem
Deprendens, dure increpitat, sceptrumque minatur.
Quo vesane ruis, mentemque quis impulit error?
Quin ades et melior quae sit sententia disce
Principibus, quibus est solis res-publica curae,
Quam neque consilio, neque possis Marte iuvare,
Omnibus hic nunquam simul imperitare licebit,
Nam multos regnare malum est, Rex unicus esto,
Cui sceptrum, cui iura dedit Saturnius uni,
Huic debes parere Duci, atque audire monentem.

---

**No. 17.** (an. 1523.)

In farragine Secerii; item in opp. Bas. T. V. p. 336. et apud Vincent. p. 131.

### *Ex Iliados libro sexto, Hector.*

*Ζεῦ ἄλλοιτε θεοὶ, δότε δὴ καὶ τόνδε γενέσθαι*
*παῖδ' ἐμὸν, ὡς καὶ ἐγώπερ ἀριπρεπέα τρώεσσιν.*
*ὧδε βιλήν τ' ἀγαθὸν καὶ ἰλίου ἶφι ἀνάσσειν.*
*καὶ ποτέ τις εἴπησι, πατρὸς δ' ὅγε πολλὸν ἀμείνων,*
*ἐκ πολέμου ἀνίοντα, φέροι δ' ἔναρα βροτόεντα,*
*κτείνας δήϊον ἄνδρα, χαρείη δὲ φρένα μήτηρ.*

O superi talem fieri concedite gnatum,
Qualis ego existo, et virtute excellere cives,
Ingens ut patriae sit praesidiumque decusque
Et si quando redit caeso foeliciter hoste,
Et spoliis auctus, conclament undique Troes:
Hic superat virtute patrem, quae gloria gnati
Soletur tristem matris recreetque senectam.

**No. 18.** (an. 1523.)

In farrag. Secerii; item in opp. Bas. T. V. p. 336. et apud Vincent. p. 131.

***De Achille libro nono Iliados.***

*Τόνδ' εὗρων φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ*
*καλῇ, δαιδαλαίῃ, ἐπίδ' ἀργύρεος ζυγὸς ἦεν*
*τὴν ἄρετ' οὺς ἐνάρων, πτόλιν ἠετίωνος ὀλέσσας,*
*τῇ ὅγε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀν-*
*δρῶν.*

Deprendunt Cithara cum tristes leniit iras
Peliden, erat autem operi pulcherrima forma,
Argentoque iugum factum latera alta tegebat,
Eetionea spolium hoc avexerat urbe,
Hac animum ille aegrum Cithara mulcere solebat,
Cum caneret laudes maiorum, et fortia facta.

---

**No. 19.** (an. 1523.)

In farrag. Secerii; item in opp. Bas. T. II. p. 336. et apud Vincent. p. 138.

***Mandatum Pelei patris, quo Achillea ad comitatem adhortatus est;*** lib. IX. Iliad.

Cum Pater ex Phthia comitem te misit Atridae,
Quae dederit mandata tibi suprema, memento
Aeacide, lachrimans cum multa monetque, rogatque:
Incertam belli fortunam Gnate Deorum
Committe arbitrio, et fatis, victoria laeta
Continget, superi si vestra incepta secundent,
Sed iuvenilem animum frenare, et vincere, cura
Sit tua, crede mihi, placido est nil pectore maius,
Atque iram furiale malum compesce, meretur
Haec virtus iuxta iuvenumque senumque favorem.

---

**No. 20.** (an. 1523.)

In farrag. Secerii; item in opp. Bas. T. V. p. 336. et apud Vincent. p. 133.

***Ex Homeri Iliad. lib. IX.*** (Phoenicis oratio.)

*Σοὶ δὲ μ' ἔπεμπε γέρων ἱππηλάτα Πηλεύς.*
*ἤματι τῷ ὅτε σ' ἐκ φθίης ἀγαμέμνονι πέμπε*
*νήπιον, οὔπω εἰδόθ' ὁμοιΐου πολέμοιο,*
*οὐδ' ἀγορέων, ἵνα τ' ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέ-*
*θουσι:*
*τοὔνεκά με προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα,*
*μύθωντε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.*

Incertos casus dubiique pericula Martis,
Consiliique artes nondum Pelide tenebas,
Quae decus immensum pariunt famamque perennem.
At tibi me Peleus comitem pater addidit, unde
Dicendi discas rationem et fortia facta.

Ex eodem libro.

*ἀφρήτωρ ἀθέμιστος ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,*
*ὅς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος.*

Exulet urbe sua longe laribusque domoque
Qui cupit in sese cives dira arma parare.

---

**No. 21.** (fortasse 1523.)

In farrag. Secerii et in opp. Bas. T. V. p. 337. Item apud Vincentium p. 134.

*Κηριοκλέπτης Θεοκρίτου.*

*Τὸν κλέπταν ποτ' Ἔρωτα κακὰ κέντασε μέλισσα*
*κηρίον ἐκ σίμβλων συλεύμενον, ἄκρα δὲ χειρῶν*
*δάκτυλα πάνθ' ὑπένυξεν. ὁ δ' ἄλγεε καὶ χέρ'*
*ἐφύσση,*
*καὶ τὰν γᾶν ἐπάταξε καὶ ἅλατο. τᾷδ' ἀφροδίτᾳ*
*δεῖξεν τὰν ὀδύναν, καὶ μέμφετο ὅττι γε τυτθὸν*
*θηρίον ἐντὶ μέλισσα καὶ ἁλίκα τραύματα ποιεῖ.*
*χ' ἁ μάτηρ γελάσασα, τὶ δ' οὐκ ἴσον ἐσσὶ με-*
*λίσσαις.*
*χ' ὡ τυθτὸς μὲν ἐῆσ', τά δε τραύματα ἁλίκα*
*ποιεῖς.*

Phil. Melanth.

E parvo alveolo furantem mella procacem,
Fixit apis puerum Veneris, digitosque tenellos
Vulnere non uno laceravit, saucia laeso
Intumuitque manus, verum puer ipse doloris
Impatiens, plodensque solum pernicibus alis
Subuolat ad matrem, digitos monstratque cruentos,
Quantula, ait, volucris mortalia vulnera fecit,
Mater ait ridens, tantillus qualia saepe
Vulnera das puer, ac apibus non corpore praestas.

---

**No. 22.** (an. 1523.)

In opp. Mel. Bas. T. V. p. 354. ed apud Vincent. p. 220. Vid. Epist. Vol. I. p. 737.

*In Vituperationem mercaturae.*

Huc ades auditor, Ioachimi concio nobis
  Caeca Propolarum fusta dolosque dabit.

---

**No. 23.** **(an. 1523.)**

In farrag. Secerii et in opp. Bas. T. V. p. 357. Item apud Vincent. p. 112.

*Ad Guilielmum Nesenum.*

Hunc etiam calamum tibi docte Nesene Philippus,
  Sincerae mittit pignus amicitiae.
Non tantum hic sese confert cum munere Erasmi,
  Sed calamo longe cedit Erasmiaco.
Frigida coenoso tulit hunc Saxonia stagno,
  In Nili ripis aeditus ille fuit,
Lethaeum excussit mundo tandem ille Veternum,
  Pingebat Domini cum monumenta sui.
Aurea Mercurii non tantum virga meretur,
  Illa sibi quantum laudis arundo feret.
Hos tantum versus mea pinxit arundo, placere
  Quantum ipsos versus, hanc etiam opto tibi.

---

**No. 24.** **(d. 31. Iul. 1523.)**

Epistola poëtica ad *Hier. Baumgartnerum*, quam dedimus in Epist. Mel. Vol. I. p. 618.

---

**No. 25.** **(an. 1523.)**

Epistola poëtica ad *Ioach. Camerarium*, quam vide in Epist. Vol. I. p. 644. Recuso apud Vincent. p. 158.

---

**No. 26.** **(an. 1524.)**

In opp. Mel. Basil. T. V. p. 352. et apud Vincent. p. 235. Scriptum puto mense Martio.

*Apelli.*

Prandebit Fuchsius mecum gratissimus hospes,
  Hic animaeque meae pars Ioachimus erit.
Addere convivam cupio te noster Apelle,
  Delectant illos non nisi, crede, boni.
Ergo veni tecumque iocos adferto, salesque
  Condimenta epulis illa futura meis.

**No. 27.** **(an. 1524.)**

Legitur in farragine Secerii et in Opp. Mel. Basil. T. V. p. 342. Iterum apud Vinc. p. 15. — Apographon inveni in cod. Goth. 26. p. 224. — Triplici forma habetur prima et nativa, quae est in cod. Goth., altera iam mutata in opp. Bas., et tertia, ut puto a Vincentio ipso mutata in huius epigrr. — In cod. Goth. inscribitur: „Phil. Melanth." in: „nisi Dominus aedificaverit domum etc. 1554." In libris editis sic:

*Psalmus CXXVII. nisi Dominus aedificaverit domum. Qui docet Deum custodem esse vitae nostrae et gubernare totum vitae cursum.*

Quò[1]) struis et caelo certas educere molem,
  Frustra erit, hoc condat ni Deus auctor[2]) opus.
Quò[3]) vigilas, urbemque tuo vis Marte tueri,
  Falleris, excubias ni Deus intus agat[4])
Et quanquam gratos somnos abruperis, ante
  Quam revehit clarum lucifer ipse diem:
Longa dies quamvis tristi consumta labore est,
  Ac operae partem nox quoque sacra trahat:
Nil tamen assiduae prosunt curaeque laborque,
  Si non aspirent numina summa tibi[5]).
Servat alitque pios rerum pater optimus; inde
  Commoda sunt vitae cuncta petenda tibi[6])
Non domus ipsa sibi, non urbs creat ipsa patronos,
  Felices cives datque facitque Deus[7]).
Impetus est qualis volucri rapidaeque sagittae,
  Figitur in iusso quae procul acta loco:
Sic quocunque rapit divinus spiritus illos,
  Virtuti cogunt cedere cuncta suae.
Non fortuna viros, non virtus deserit unquam,
  Moenia nec patriae sunt ruitura piae[8]).

---

1) Bas. et cod. Goth. 26. *Quod.*

2) Vinc. *autor.*

3) Bas. et cod. Goth. 26. *Quod.*

4) Bas. *ni Deus hic tibi agat.* Cod. Goth. 26. *hic nisi χριστος agit.*

5) Cod. Goth. 26. hos 6 versus sic habet:

Ante solent somnum vanae tibi demere curae
  Quam revehit claram pulcher Apollo diem,
Et dum longa dies tristi consumpta labore est,
  Sera quies aegre languida membra fovet,
Conarisque famem nulla non arte fugare,
  Nil agis et frustra sumitur iste labor.

6) Cod. Goth. 26. *Expectanda tibi sunt bona, vita, salus.*

7) Cod. Goth. 26. *Foelicem sobolem datque tenetque Deus,*

8) Bas. *Nec ruitura suae moenia sunt patriae.* — In cod. Goth. 26. sex ultimi versus sic:

Impetus est qualis volucri rapidaeque sagittae,
  Hinc iuvenum turbae vis quoque talis inest.
Foelix illa domus, quae tales nacta patronos!
  Hi patriae fuerint moenia firma suae.

No. 28. (an. 1524.)

Epigramma Ionae missum vid. in Epist. Mel. Vol. I. p. 648.

No. 29. (fortasse an. 1524.)

Mel. opp. Bas. T. V. p. 335. — Apud Vincent. p. 189. — Autographon Melanthonis, cuius scriptura iuvenilem aetatem auctoris prodit, habetur in cod. Monac. I. p. 209., quod contulimus. Posuimus igitur hoc carmen inter carmina anni 1524.

*Τῇ Εὐσεβείᾳ. [Ioachimi Camerarii carmen.]*

Ξέν. Οἴμοι τάλαινα τίς σε ὧδ' ἠείκισε;
τὴν εὐσέβειαν τὴν πότε μακαρίαν ὁρῶ.
φεῦ καὶ λέοντος δῆγμα καὶ ἀδριηνοῦ-λύκου.
χαυσονίδος ἕλκημ' αὐτὸ δ' [1]) ἄρκτου ὦ μέλεα
οὐδεὶς δὲ σ' εὐσεβῶν βοήθησε θέα; [2])
Εὐσεβ. ποῦ γῆς γάρ εἰσιν εὐσεβεῖς, φίλε ξένων;
Ξέν. οὐδὲν ἀγαθὸν γοῦν ἥδε γαῖα νῦν τρέφει;
Εὐσεβ. παύρους γ' ἔτ' ἀλλ' ὁμῶς ἐμοὶ κακωμένους.
Ξέν. σπεῦδ' ἄγε πρὸς ἰητῆρας πρὶν θανεῖν κάλει [3]),
ἤδη γὰρ ἄσθμα νείατον ψυχῆς πνέεις.
Εὐσεβ. Οὐκ ἐστὶν ἐμὲ θεὰν γ' οὖσαν θέμις θανεῖν.
Ξέν. Ὅπως δέ τις παύσειε τῶν σῶν πόνων.
Εὐσεβ. Πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδοι μ' ἀπώλεσαν.

Philippus Melanthon vertit:

Hospes. Quis misera te tractavit indignis modis?
Nam relligionem cerno, quae olim floruit.
Sed ecce saevus hanc *Leo* et rapax lupus
Et ursa lacerarunt o te miserrimam,
Nemo ne te piorum adiuvit [4]) o Dea? [5])
Relig. Dic hospes ubinam gentium sunt ulli pii?
Hospes. An neminem pium terra ulli alit loco?
Relig. Paucos, eosque ut ipsa sum, adflictos male.
Hospes. Sed antequam occidas medicos accersito,
Nam spiritum aegre ducis extremum modo.
Relig. Dea sum nec emori possunt unquam Dii.
Hospes. Levare sed arte medica possis haec mala.
Relig. Medicorum turba me sic, hospes, perdidit.

1) *δ'* excidit apud Vinc.
2) Hunc versum non habet Vinc.
3) Vinc. *κάλη*.
4) Bas. *adimit*.
5) *nemo — Dea*] in autographo non leguntur.

No. 30. (an. 1524.)

In opp. Mel. Bas. T. V. p. 358. et apud Vincentium p. 233. — Haud dubie Melanthon cum hoc anno in Palatinatu versaretur, Blaurero misit hoc carmen.

*Thomae Blaurero.*

Iram Pelidae et Troiae miserabile fatum
Cum lego, Dulichios errores dicis Homeri.
Utile propositum cura [1]) esse videtur utrique,
Maeonii vatis diurna Poëmata nosse,
Quodque sit in rebus fortunae, quod rationis
Imperium, docto spectare in carmine, sed me
Nescio quis terere Iliaden modo casus adegit,
Praetuleris Ithacum, quanto tu rectius, audi.
Pacis in hoc artes, meliorisque optime Thoma
Officium cernes vitae, experientia quantum
Conferat ad mores, ac rerum longior usus.
Quum mores hominum multorum lustrat et urbes.
Erratque in pelago [2]), vehiturque procacibus Austris
Aequore, rex Ithacae patiens quid debeat [3]) audis
Vir sapiens patriae, cum hic [4]) fumum posse videre
De patrio tecto votis ardentibus optat.
Vina monent Veneremque honos contemnere sponsi
Penelopes, et quis Circeia pocula mentem
Eripiunt, formasque novas medicamina fingunt.
Moly suum vates mihi crede, poëma vocavit,
Quo vim virtutis, speciemque ostendit honesti.
Hanc Dirae nunquaum, nunquam mala toxica laedant,
Discis et immanes vinci ratione Tyrannos,
Cum falli Cyclopa vides, vimque arte repelli,
Stultorum regum viva est Polyphemus imago.
Vanum etiam vulgus contemnere recta monentem
Accipis, Aeolios vires cum stulta resolvit
Classis. Nulla suis vitae pars, optime Thoma,
Exemplis caret. O, cui fata dedere, beatum,
Moeonii vatis divina poëmata nosse,
Perge modo, ac animum felici pasce labore.
Nostra Venusinos cum vellet Epistola versus
Exprimere, est propius, Thoma imitata tuos.

1) *curae* Bas.
2) *pelago*] Bas. *alto*.
3) Bas. *debeas*.
4) Bas. *his*.

**No. 31.** **an. 1524. mense Iul.**

In opp. Mel. Basil. T. V. p. 339. Apud Vincent. p. 188.

### *Epitaphium Petri Mosellani.*

(Obiit Mosellanus d. 18. Apr. 1524. Lipsiae. Vid. epp. Vol. I. p. 654 sq. et p. 664.)

*Κεῖται τῷ δὲ τάφῳ Πέτρος, ποτάμοιο Μοσελλᾶ*
*Τοὔνομ' ἔχων, ῥήτωρ ὅς ποτε ἡδὺς ἔην.*
*Τῷ μακρόν τε βίον γῆρας τεφθόνησε ποθεινὸν,*
*'Αντὶ δὲ ἄσβεστον μοῖρ' ἀπέδωκε κλέος.*
*Πᾶς δὲ μινυνθάδιος καὶ τειρεσία πέλετ' αἰών,*
*Κρείττονος οὖν δώρου γῆρας ἄμειψε θεός.*

---

Latina huius carminis interpretatio legitur in Opp. Mel. Basil. p. 339. et apud Vincentium p. 190., quam hic adiungimus.

Conditus exiguo iacet hoc sub marmore Petrus,
Nobile cui nomen clara Mosella dedit.
Attica quo primum hic audita interprete lingua est,
Cum docuit graio Teutonas[1]) ore loqui.
Et Latiae[2]) veterem linguae revocavit honorem
Nativumque illi reddidit arte decus.
Ipsius eloquium vivo Cicerone probasset
In medio quondam Roma diserta foro.
Magna etiam coluit pietate oracula Christi,
Et sanctis studiis consona vita fuit.
Ipse sua[3]) vivus quod spe votisque petivit[4]),
Pars sit ut aetherei da bone Christe chori.

---

**No. 32.** **an. 1524. mense Iul.**

Opp. Mel. Basil. T. V. p. 339. Vincent. p. 187 sq.

### *Epitaphium Guilielmi Neseni.*

(Periit d. 6. Iul. 1524. in Albis aquis Witebergae. Vid. epp. Vol. I. p. 663. 664.)

*Ὡς τὸ βροτῶν γένος ἐστ' ἀνεμώλιον, ἠδὲ ἀμειν-*
*θηνὸν,*
*ὦ νέοι, ὡς αἰὼν πᾶσιν ἄπιστος ἔνι,*
*'Απροιδὴς θάνατος Νεσσηνὸν ἔμαρψε νέονπερ*
*"Αξενον, ὃν στυγεροῦ ἄλβιος οἶδεν' ὄλεσε.*

---

1) Bas. *Teutones.*
2) Basil. *Latiae*, Vinc. *latè.*
3) Vinc. *suam.*
4) Bas. *petebat.*

**No. 33.** **an. 1524.**

In opp. Basil. T. V. p. 352. Apud Vincent. p. 285. coll. Epp. Vol. I. p. 599.

### *Uliano.*

Scriptum Uliane tuo calamo mihi forte dedisti,
Exemplum causae nuper Olynthiacae.
A me de Graeco fuerat quae Rhetore versa,
Et veteris Lacii verbaque iusque capit.
Inde manus docti artificis procudit in usum
Communem, nobis mille deditque libros.
Bina tibi ex illis Uliane volumina mitto,
Et cupio gratum munus id esse tibi.
Unum pro Archetypo debebam scilicet haec est.
Gratia pro merito reddita iusta tuo.
Alterum Hymelbergo dones, aequissimus illo
In scriptis censor talibus esse solet.

---

**No. 34.** **(an. 1524.)**

In farragine Secerii, et in opp. Basil. T. V. p. 351. Apud Vincentium p. 105.

### *In officia Ciceronis.* (Scheda.)

Ocia dum faciunt divum solennia nobis,
Dum pueros nucibus ludere forte iuvat.
Aut cum mobilibus talis sibi quisque parare
Inter convivas aurea regna studet.
Quaeso aliquam nobis ocii concedite partem,
Et vacui fructum temporis ipse feram.
Exiguum vobis Tulli propono libellum,
Delitias voluit quem pueri esse pater.
Praemia virtutis demonstrat nescia mortis,
Et vocat ad verum Tullius ipse decus.
Eloquioque rudem linguam bonus imbuit autor,
Quo patriam, cives quo tueare tuos.
Ergo paulisper Genium fraudate, brevemque
Si sapitis Tulli discite quaeso librum.

---

**No. 35.** **(an. 1524?)**

In farrag. Secerii et in opp. Bas. T. V. p. 339. Item apud Vincentium.

### *In Decalogum.*

Divino praecepta puer si prodita ab ore,
Et facies casto pectore iussa Dei:

Ipse pater vitae cursum moderabitur omnem,
  Nec fortuna tibi saeva nocere potest.

---

**No. 36.** (fortasse an. 1524.)

Apud Secerium et in opp. Basil. T. V. p. 340. Item apud Vincent. p. 10.

***Benedictio mensae.*** (In usum suorum discipulorum.)

His epulis donisque tuis benedicito Christe,
  Ut foveant iussu corpora fessa tuo.
Non alit in fragili panis modo corpore vitam,
  Sermo tuus vitae tempora longa facit.

---

**No. 37.** (eod. temp.)

In opp. Mel. Basil. T. V. p. 240. et apud Vincent. p. 11.

***Gratiarum actio post cibum sumptum.***
(Discipulis suis praescripta.)

Postquam epulis exemta fames, mensaeque remotae,
  Dicemus grates nos tibi summe pater.
Non haec humanas vires alimenta iuvabunt,
  Divina si non hae foveantur ope.
Namque tuo vivunt agitata a Numine cuncta,
  Adflatu spirant cuncta, valentque tuo.
Nunc etiam gratis animis alimenta ministra,
  Atque immortali pectora pasce cibo.
Et quia cura sumus tua, nos pater optime serva,
  Et studia et vitae tempora cuncta rege.
Cumque epulas dederis rerum pater optime nobis,
  Adde epulis vires pro bonitate tua *).

---

**No. 38.** (an. 1525.)

In opp. Basil. T. V. p. 355. et apud Vincent. p. 220 sq.

***In Aesopum epigramma Ebnero scriptum.***

Nomine quae sophiae se vendit turba superbo
  Ore sonant tragico somnia ridicule.
Ecce iocis Phrygius dum condit seria, punctum
  Omne tulit miscens dulcibus utilia.

*) Duo versus ultimi in Basil. leguntur post: *valentque tuo.*

Si Phrygium discis divinum carmen Erasme,
  Moribus et lingua tum mage cultus eris.
Phaeacios alius forsan laudaverit hortos,
  Hic mihi fragrantes Phryx olet ecce rosas.
Moribus humanis quam prosit tincta lepore
  Fabula si nescis Phryx tibi testis erit.

---

**No. 39.** (an. 1525.)

In farrag. Secerii et in opp. Mel. Bas. T. V. p. 353. Item apud Vincent. p. 115. leguntur quinque carmina inscripta: „*ad Regem puerum.*" Unus enim ex pueris, apud Melanthonem habitantibus et discentibus rex caeterorum creabatur. De quo more habemus testimonium Melanthonis in ep. ad Camerar. Vol. I. p. 722., ubi scribit: „Nuper *ἐν τῇ Μάγων* (fest. Epiphan.) *ex more regem domi nostrae pueris creavimus.* Forte et advenerat Ballerhodus, et lata lex est, ut, quoties habentur comitia, suum quisque scriptum adferat. Victori *προεδρία* decernitur in convivio."

***Ad Regem puerum.***

Caetera turba suo pro carmine munera poscit,
  Et gratis versus condere nemo solet.
Non ego pro studio mercedem ferre laboro,
  Virtutem precium nam decet esse sui.

Aliud.

Cum te versibus ornat iste coetus,
Atque auro meliora dona mittit,
Et quae non ebur, optimaeque gemma
Indorum superent, tibi sodales
Optant officium suum probari,
Et te Pierias amare Musas,
Quae virtutis iter solent docere,
Princeps optime commonent frequentes.

Aliud.

Tum mihi regis eris sceptris et nomine dignus,
  Et Phoebo sacrum qui moderere gregem:
Cum vinces coetum puerorum, aliosque sodales,
  Pectoris aeternis ingeniique bonis.
Irrita tum fient et spes et vota bonorum,
  Cum potior Musis rex tibi luxus erit.

Aliud.

Multos iubebant Persae regibus oculos
Adesse monentiumque turbam maximam.
Pro te ergo rex fideles omnium excubant
Oculi, officii qui te admonent versu tui.
Horum monitis curabis ut respondeas.

### Aliud.

Si quisquam neget esse me Poëtam,
Paucos quod faciam, brevesque versus,
Is iam non populi leves amare
Me plausus sciat, at mihi bonisque
Musis me canere, et studere tantum
Nostri principis auribus placere.

---

**No. 40.** (an. 1525.)

In farrag. Secerii, in opp. Bas. T. V. p. 858. et apud Vincent. p. 152.

### *Ad Regem (puerorum).*

*Δεῖ πάσαις βασιλῆ ἀρετῆσι κεκόσμενον εἶναι,*
*τὸν δε μάλισθ᾽, ὅστις παίδων ἄρχει τε κρατεῖ τε,*
*τοῖς γὰρ ἐφισταμένοις παῖδές γε γίνονται ὅμοιοι,*
*ἐσθλὸν δεῖ σε ἐοντ᾽ ἐσθλοὺς ποιῆσαι καὶ ἄλλους.*

---

**No. 41.** an. 1525.

In Secerii farrag. et in opp. Mel. Bas. T. V. p. 852. Item apud Vincent. p. 109. — De Wallerhodo vid. Mel. epist. ad Camerar. d. 22. Ianuar. 1525.

### *Ad Wallorhodum.*

Si mecum Walorhode rusticari
Et secedere in oppidum propinquum,
Languentemque animum excitare ludo
Paulum ponere seriasque curas,
Et concedere ferias Cepollae,
Et tristem libet explicare frontem,
Huc nostras propere venito ad aedes,
Expectant comites amica turba,
Votisque omnibus advolare te orant.
Accurras igitur, simulque tecum
Tantum quaeso feras facetiarum,
Quantum Bartolus, atque Baldus, illi
Insulsi illepidi tui magistri
Nugarum omnibus edidere libris.
Tantum Mercurius ciere risus
Non possit Charitesque blandiores.
Quantum tu poteris movere risus.

**Nr. 42.** (an. 1525.)

In farrag. Secerii et in opp. Basil. T. V. p. 329. Apud Vincent. p. 123.

### *In Terentium.*

Comica debetur merito tibi palma, Terenti,
Tanta etiam parvis gratia rebus inest.

---

**No. 43.** an. 1525.

Editus est hic prologus in farragine epigrammatum Secerii, et iterum in opp. Mel. Basil. T. V. p. 329. Vincentius vero hunc prologum non recepit in suam collectionem epigrammatum Melanthonis. Quum autem Melanthon hunc prologum d. 22. Ian. 1525. miserit Camerario suo, eum abesse noluimus. — Videlicet solebant sec. XVI. scholastici fabulas et comoedias Veterum agere, ut Plauti, Terentii, aliorumque partim ut sese exercerent, partim ut oblectarent spectatores. Etiam Melanthon iuvenes suae disciplinae traditos hoc modo exercitabat, ut non solum ex epist. eius ad Camerar. d. d. 22. Ian. 1525. intelligitur, sed etiam e collectione Carminum a Ionae Reiffensteinio Witebergae facta et ad Secerium typographum missa, perspicitur. Melanthon igitur scholae suae etiam scripsit prologos, a puero quodam recitandos, quos hic iunctim dedimus, quanquam non omnes ad an. 1525., sed etiam ad an. 1526. referendi sunt.

### *Prologus in Eunuchum.*

Salvere iubeo spectatores optimos,
Qui scenae ornandae confluxere gratia,
Favore nostra studia ut excitent suo,
Artesque honestas et benigne provehant,
Authoritateque ut tueantur hunc gregem,
Qui scenicos ludos industria sua
Instruxit hac in urbe primus, ut iocis
Salibusque personent haec pulpita atticis,
Et barbaros plorare iussit, fabulas
Efferre qui vetabant in proscenium,
Quae cultiores iuvenum mores redderent.
Terentianam agemus, Eunuchum modo,
Quae fabulas latinas vincit caeteras
Sermonis elegantia et facetiis,
Vel ipse quas Momus miretur ac probet,
Illoque sentiat tinctas sale, quo satam
Amorum et illecebrarum matrem omnium
Venerem ferunt. Sed corrugare tetricos
Quosdam videtis nares, immodestiae
Hi vos accusant, in theatrum quod iocos
Proferre liberiores paulo ausi sumus,
Moresque criminantur viciari bonos
Parum severis dictis atque lusibus.

Sed o censores asperos et pergraves,
Qui quod reprehendunt in theatro ludunt domi.
Et curios simulant, vivunt bacchanalia,
Ludunt poëtae. At lusus illi seria
Ducunt, simulque morum tradunt optima
Vitae praecepta, ut nihil melius Solon
Aut sanctius tabulis inscripserit aeneis.
Sed asperam tamen virtutem condiunt
Iucundioribus illecebris, ut solent
Medici daturi pueris tetra absynthia,
Cum melle dulci et saccaro irritant gulam.
Facessant ergo iniqui iudices hinc procul
Ut aequioribus spectandi dent locum.
Nos publici nostrique causa commodi
Terentianam agemus Eunuchum modo,
Qua barbaram Thrasonis arrogantiam
Fastumque inanem irridet. Hic est cernere
Perinde ac in speculo ardelionum imaginem,
Qui caudices fungique cum meri sient,
Primas tamen sibi rerum ubique vendicant.
Proventus huius generis est uberrimus
Hoc seculo, cum se titulo sapientiae,
Musarum ubique venditant, hostes feri
Prophana divinaque miscent omnia.
Vos ergo favete, spectatores optimi,
Adfertur utilis et iucunda fabula.

---

No. 44. (an. 1525.)

In farragine Secer. et in opp. Bas. T. V. p. 328. Apud Vincentium p. 121.

### *Prologus in militem Plauti.*

Deserta scena et muta aliquandiu stetit,
Salesque refrixerant, et comici ioci,
Cum barbari obruissent tenebris literas,
Sed *) postquam caput erigunt comoediae,
Favete quaeso in lucem ut una prodeat,
Praestare id aequum est, vos quibus ipsae literae
Ingens decus peperere, Nec committere,
Audax ut inceptum, ac novum fraudi siet
Nobis, amor quos literarum perpulit,
Renovare priscum morem, et hoc spectaculo
Ludos facere, haec ut studia, et aetas postulant.
Illamque vos decet favore prosequi.
Audite nunc in qua velimus fabula
Facere actionis hoc loco periculum.
Germana Plauti est quam modo exhibebimus.
Cuius ferebant ore facundissimo
Musas fuisse libenter usuras probe
Si quando decressent latine dicere.
Nomenque fecit gloriosum militem
Poëta fabulae, argumentum ex servulo
Intelligetis, ille sumpsit hoc sibi,
Ut narret ipse, nam crepitaculum est merum,
Quod non molesti bis sumus, mihi gratiam
Debetis, ultro qui loquaci servulo
Cessi. Sed ecce militem delegimus,
Ut in hoc iuventus nostra inspiciat sedulo
Exemplum, et intueatur hic imaginem
Perinde ac in tabella adumbratam suam.
Nec lac enim lacti, nec ovo est ovum magis
Simile, huic inepto militi quam sunt modo
Qui cum meliores literas fastidiunt,
Rerum omnium tamen scientiam sibi
Audacter arrogant, et inter pocula
In compitisque venditant suum σοφός,
Vulgus prophanum et improbum, atque futile
Thrasones, atque Pyrgopolinices meri
Dignissimi quis latera fiant lorea.
Sed eccum militem, favete actoribus,
Et date iuventuti crescendi copiam.

*) Bas. *Sed hae.*

---

No. 45. (an. 1525.)

Apud Secerium; item in opp. Bas. T. V. p. 329. et apud Vincent. p. 122.

### *Prologus in Andriam Terentii.*

Vestrae periclum fecimus patientiae
Cum nuper in scena exhibuimus militem.
Animosque nobis addidit vester favor,
Ut non patiamur scenam consilescere,
Sed ne mirere. Quid pompae Teologicae
Cum comicis iocis? merae sunt fabulae,
In pulpitis ut[1]) agebant hodie Theologi,
Et chirothecae et annuli sunt fabulae,
Nomen Magistri nostri plane fabulae,
Postremo qui conduxit[2]) operam huius gregis
Theologus est, suoque iussit fabulam
Prolixior ut risus foret praescripto agi,
Ut ut placebimus, imputari vult sibi.

1) *ut*] Bas. *quas.*
2) Bas. *condixit.*

Adfertur huc Terentiana fabula,
Cui nomen autor ipse fecit Andriam,
Favete, bellus in medium prodit senex.

---

No. 46. (an. 1525. vel 26.)

In farragine Secer. et in opp. Bas. T. V. p. 532. Item apud Vincent. p. 123.

*Prologus in Hecubam Euripidis.*

Salvete spectatores candidissimi,
Qui literariae rei bene cupitis,
Hi me Iuvenes daturi hodie Tragoediam
Orare causam apud vos iusserunt suam.
Ideo hic in ipso constiti proscenio,
Et lege scenica peto, ut aequis auribus
Orationem accipiatis meam, et meos
Gregales invidiam contra tueamini.
Quidam novo, atque *) infando exemplo clamitant,
Factos alieno tempore ludos scenicos,
Et sera Bacchanalia a nobis agi,
Dum Christianis operandum sacris fuit.
Nec publicos mores, nec sacra laedere
Ludi queunt nostri. Nam non Comoediam
Iocularem, aut iuveniles amores, furtave
Puellarum, aut parasitorum scurrilia
Huc adferunt dicta, quae infirmis solent
Nocere mentibus, sed tetrica fabula,
Sententiisque referta gravissimis datur,
In qua fortunae varias cernere est vices,
Quae magnis opibus invidens, evertere,
Fastigium ad summum quos evexit, solet.
Si quem fortuna fovit, mollibus hactenus,
Regnumque si cui gerere praeclarum dedit
In populo hunc nostrae commonent Tragoediae
Exempla, suspectam fortunae ducere
Fidem, ima summis momento mutat levi.
Proin favete nostrae, quaeso, fabulae,
Memorabilesque vitae casus noscite,
Tragoediae huius autor est gravissimus
Euripides, cuius in poëmatis ait
Oracula tot, quot versus, esse Tullius.
Quod si placeamus, clare mihi plausum date.
Sed argumentum cupitis scire fabulae,
Id dicit iam Polydorus emissus specu
Profundo Tartari, fatum questus suum.

*) *atque*] Bas. *et.*

No. 47. (an. 1525. vel 26.)

In farragine Secerii et in opp. Bas. T. V. p. 531. Apud Vincent. p. 124.

*Prologus in Thyestem Senecae.*

Salvete spectatores candidissimi,
Honoris huc quicunque nostri gratiae
Venistis, et favetis artibus bonis,
Quarum excolendarum modo [1]) causa, quicquid est,
Quod operae [2]) ponimus in agendis fabulis
Sumimus. At ne detineam vos diutius,
Dicam. Thyesten acturi Senecae sumus,
Et impia fratrum facta, tristesque exitus
Recitabimus, O quantum ambitio parit mali.
Sic regni scelerata cupiditas omnia
Confusa iura naturae contaminat,
Ut frater impias fratri iniiciat manus.
Proinde spectandum exemplum damus utile,
Nam cernere hac licebit in Tragoedia,
Nil esse peius ambitione, quae omnia
Divina, humana, iusque et vas vertere solet,
Quae florentissimis quibusque fere fuit
Exitio civitatibus, quae denique
Tum plurimum nocet, cum in templa irruperit,
Ubi hoc tempore saevam exercet Tyrannidem.
O Dii quam tristis his impendet exitus,
Qui dum parant regnum sibi, sacra polluunt.
Sed ecce prodit Tantalus huc ab inferis,
Is dicet argumentum huius Tragoediae.

---

No. 48. (an. 1525. vel 26.)

Apud Vincent. p. 125. — In farragine Secerii et in opp. Basil. bic prologus non legitur, sed alius, quem Vincentius Melanthonis epigrammatibus non inseruit. Haud dubie vero etiam pertinet ad tertium decennium seculi 16, eumque hic caeteris adiunximus.

*Prologus in Phormionem Terentii.*

Vobis salutem noster hic optat Chorus,
Qui veste quamvis scenica in theatrum venit
Mentes tamen, moresque castos, et pios
Retinet, Deumque vult iocis et seriis
Adesse, quem precamur, ut nos protegat,
Servetque literariam Rempublicam.

1) *modo*] non habet Bas.
2) Bas. *Hos operae quod.*

Nam quod didicere fabulas, quas exhibent,
Honesta causa est ut latini copia
Sermonis exhauriatur ex his fontibus.
Huic vos studio favere maxime decet:
Et rebus ipsis utilitas et gratia
Ingens inest, imagines vitae omnium
Pinguntur in Terentii Comoediis,
Quae singulos, qualis deceat moderatio.
Qualisve in actione dignitas, monent.
Leporque mixtus est, salesque candidi.
Qui suavitate orationem condiunt,
Et saepe tecte commonent, quod expedit.
Dixisse quondam fertur Attica civitas,
Natos Menandri Comici lepidos sales
Illa ex salis spuma, Venus qua dicitur
Exorta, primum ex Oceana cum prodiit:
Id praedicari et de Terentii iocis
Quanquam severioribus conceditur.
Nunc Phormionem acturus est noster chorus
Qui praebet in hoc innoxios theatro iocos.
Sed Phormiones sunt opinor plurimi
Alii, suis qui sycophantiis movent,
Vertuntque tota regna, quos coherceat
Deus, piamque Ecclesiae pacem suae
Det sycophantarum peremptis coetibus,
Et omnium incendat regentum pectora,
Ut veritatem traditam divinitus
Et iura, iustitiamque Deo gratam colant.
Sed cesso. Nunc Terentianam fabulam
Audite quaeso cum modestia, ut decet.

---

No. 49. (fortasse an. 1525.)

In farragine Secer. et in opp. Bas. T. V. p. 350. Apud Vincent. p. 115. — Illo tempore fuisse amicitiam inter Melanthonem et Iulium Pflugium, testantur epistolae Vol. I. p. 761. coll. p. 952 et 989.

### *Philippus Melanthon Iulio Pflugk.*

Forte equites Mysi quendam celebrant hymenaeum
Atque agitant convivia laeti, et pocula certant,
More peregrino Thracum siccare vicissim.
Me miserum, ipsa sua germana modestia sede
Exulat, et luxus virtutem eiecit avitam.
Hic ubi convivas inter doctissime Iuli,
Agnovi Iuvenem, vestro cognomine, clarum,
Inclyta fama tuae virtutis cogit, ut illum
Compellem, contra me ignotum tractat, habetque
Comiter, et mecum sermones miscuit, estque
De studiis Iulii longissima mentio facta.
O te foelicem talem cum fata dederunt
Mentem, quae vulgi damnosis libera curis,
Vera sequi certet bona non obnoxia morti.
Caetera turba homines non uno errore tenentur,
Nam plerique gulae sectantur commoda, et ipsam
Vincere contendunt Sybarim, pars pallet amore
Accumulandi auri, studioque senescit habendi.
Ambitioque capit multos, fascesque superbi,
Et leve fallacis vulgi studiumque favorque,
Haec quoque me, nisi Iuli probas, insania coepit
Flacci more boni, tenues deducere versus:
Sic etiam cygnos imitabere corve canoros.
Tu vitae melius coepisti iter ingredi Iuli,
Palladiis natas artes dum solus Athenis,
Atque auctus veteri Latio in patrium invehis orbem,
Virtutisque viam, legesque ostendere pergis.
Macte animo iuvenis, coeptosque urgere labores
Ne desiste, dabit curarum praemia digna
Posteritas melior, iustosque rependet honores,
Nos, patiare, pio te carmine dicimus, atque
Esse tui gregis optamus pars optime Iuli.

---

No. 50. an. 1525.

Tria epitaphia Friderico, Duci Sax. scripta leguntur in farragine Secerii, in opp. Basil. p. 387. et apud Vinc. p. 95. Recusa etiam in Sculteti annal. Dec. I. p. 329.

### *Epitaphium Friderici, Ducis Saxoniae, Principis Electoris etc.*

Ante petet cursu Boiemica rura supino,
  Unde in Saxonicos defluit Albis agros:
Inclyta quam possit meritorum fama tuorum
  Occidere in populis, Dux Friderice, tuis.
Aurea viderunt hae gentes secula, regni
  Dum tibi Saxonici sceptra tenere datum est.
Pace frui placida campique urbesque solebant,
  Horrenda extimuit classica nulla nurus,
Bella alii ferro, sed tu ratione gerebas.
  Et sine vi victi saepe dedere manus.
Ingenio claros meruisti saepe triumphos,
  Militeque haud ullo fixa trophaea tibi.
Et pacis studiis florere, ac artibus urbes
  Contigit auspicio, Dux Friderice, tuo.
Fovisti spretas hac tempestate Camaenas,
  Unicus et studiis praemia digna dabas.

Namque tuo sumtu flavum schola condita ad Albim est,
Ut vitae verum traderet illa modum.
Hic Evangelii primum doctrina renata[1]),
Deterso coepit pura[2]) nitere situ.
Induit hic veros vultus, iterumque colorem
Accepit tandem relligio ipsa suum.
Et cum Germani sumsisset arma Tyranni,
Contra Evangelium sanctaque iussa Dei.
Doctores tibi cura pios defendere soli,
Et late Christi spargere dogma fuit.
His tibi pro meritis grata praeconia voce
Posteritas omnis, virque puerque canent.
Nulla tuas unquam virtutes nesciet aetas,
Non ius in laudes mors habet atra tuas.

Aliud.

Haec quicunque vides oculo properante viator,
Ad sacra ne pigeat sistere busta pedem.
Ille ego Fridericus, Duce quo Saxonia felix
Ardua sacratum tollit ad astra caput.
Qui quamvis tota arderet Germania bellis,
Effeci pacem gentibus esse meis.
Et senio tandem longis confectus ab annis,
Hic tegor exiguo conditus in tumulo.
Virtutum laudes et famam longa mearum
Posteritas semper, sit modo grata, feret.

Aliud.

Principis hic tumulus Friderici continet ossa,
Quem patriae patrem fecerat esse Deus.
Illius et manes fac optime Christe quiescant,
Molliter inque sinu posse latere tuo.
Nam dum vita fuit, tua sacra colebat, eratque
Nosse Evangelium maxima cura viro.

---

**No. 51.** **an. 1525.**

In farragine Secer. et in opp. Bas. T. V. p. 350. Apud Vinc. p. 118. — Coll. Epist. Vol. I. p. 737.

### *Iohanni Reiffenstein.*

Promissa est a te nobis oratio, Iane,
Quae mercatores vindicet ausa reos.
Regia crede mihi res est defendere, si cui
Non ipsum crimen, sed nocet invidia.
Et tegere, et servare bonos facundia debet,
Praesidium virtus scilicet istud habet.

1) Bas. et Sec. addunt *est.*
2) *pure* Bas.

Quare age tandem ausis, et sanctam suscipe causam
Irrita ne fallant nos tua dicta modo.
Conscissam ne vides tragico crudeliter ore?
Qualia de plaustris Attica turba sonat.
Tu (bene dicendo convitia vincere laus est)
Triste nihil meritam voce tuere pia.
Hanc tibi Maeonides divino carmine laudat,
Cum ferrum, Temesen, ipsa Minerva vehit.
Ascraeique, senis celebrant oracula, cantat
Socratis in gremio qui recubabat olor.
Aude igitur spretamque piis ulciscitor armis,
Materia ingenio convenit ista tuo.
*Ἄλκιμος ἐσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ,*
Haec tibi Maeonides classica, Iane, canit.

---

**No. 52.** **(an. 1525.)**

In farrag. Secer. et in opp. Bas. T. V. p. 351. Apud Vincent. p. 108.

### *Ad Ianum (i e. Ioannem Reiffenstein).*

In coena conviva mihi doctissime Iane,
De Symphoniacis unus et alter erit.
Quique *χέλυ* digitis argutis ludat, adesse
Ad nostras epulas Iane rogandus erit,
Non hunc crede mihi qui Martis furta canebat,
Inter phaeacas vicerit ille senex.
Carmine si tristes animi depellere curas,
Viribus et fessis ocia parva paras:
Huc ades ultro bonis convivia adire bonorum
Mos est, at rogitant te modo Iane boni.

---

**No. 53.** **an. 1525.**

In farrag. Secer. et in opp. Bas. T. V. p. 350. et apud Vinc. p. 118. — Apud Secerium inscribitur *Ioanni Eisleben* (Agricolae), et sic etiam in Basil. Sed Vincentius pro Eisleben dedit „Amico." Ubique vero Agricolae est scriptum, qui a. 1525. abiit Islebiam ut scholam ibi regeret.

### *Iohanni*[1]) *Eisleben.*

Optime quem praesens malebam, Iane, salutem,
Non falsa vobis dicere voce modo,
Hinc elegis ego ferre dedi, iussique, precari
Ut servet Christus teque, tuamque domum.
Auspiciisque scholae faveat, vestrosque labores
Provehat, atque suo numine coepta iuvet.

1) Reiffenstein? — In Bas. inscribetur: *Ioanni Isleben.*

Inserat et pueris pulcrae virtutis amorem,
  Quos commendavit patria chara[2]) tibi.
Si quid agam rogitas, vivo, sed lenta gravedo,
  Non patitur vires corpus habere suas.
Ipse tamen quaero longo solatia morbo,
  Assiduumque levo, qua licet arte, malum.
Dumque suos alius census aurumque repostum
  Sollicitis tacitus computat articulis:
Dumque agitant alii multo convivia Baccho,
  Et tali cogunt ad numerum bibere:
Fallo domi parvos inter mala taedia amicos,
  Et pueros inter, carmine, Iane, meos.
Et quoties fidos celebrat mea Musa sodales,
  In nostro partem carmine Ianus habet.
Plura ego non potui iam scribere, vive, valeque,
  Teque precor vatem, Christe, tuere tuum.

---

**No. 54.** (fere an. 1525.)

Apud Secer. et in opp. Bas. T. V. p. 350. Apud Vincent. p. 118.

### *Ad Amicum.*

Nulla Venus, nulli sunt nostro in carmine amores,
  Quam vereor, ne sit vere ibi nulla Venus.

---

**No. 55.** (fere hoc anno.)

In farrag. Secer. et in opp. Bas. T. V. p. 350. Apud Vincent. p. 117.

### *Ad Ionam.*

Carmina es ausus heri nobis promittere Iona,
  Qualia, si rumpat se Geta*), nulla facit.
Sed quae vel lepidum deceat lusisse Tibullum,
  Quaeve sibi Statius vindicet ille tuus.
Falle licet coenam quoties condixeris, isti
  Delitiae stomacho conveniunt Siculae.
Et mea mensa salem tantum, siccumque cuminum
  Proponit, noster quodque olus hortus habet.
Carmina non liceat promissa negare sodali,
  Namque decet vates candida, crede, fides.

---

2) *chara*] Bas. *cura*.

*) *Geta*] Vinc. *Gera*, quod ad Erfordiam, ad Geram sitam, spectaret, unde Ionas vocatus fuerat Witebergam. Sed praefero *Geta*, et *Gera* videtur esse error typographi.

**No. 56.** (fortasse an. 1525.)

In Secerii farrag. et in opp. Bas. T. V. p. 351. Apud Vincent. p. 118.

### *Ad Ionam.*

Si vacat exiguum percurras, Iona, libellum,
  Non longi usuram temporis ille feret.
Non mea mercato viciata oratio fuco est,
  Spectarique suo nuda colore cupit.
Pars est haec laudis quaedam, me iudice, Namque
  Si qua nihil facies Iona olet, haec bene olet.
Sed si nostra tibi sordent, formamque requiris,
  Quae nitet externo, luxuriatque habitu.
Et legere ista piget, librum mihi quaeso remitte,
  Quaerendus lector, cui placeamus erit.

---

**No. 57.** (fortasse an. 1525.)

In farrag. Secerii; opp. Bas. T. V. p. 351. Apud Vincent. p. 108.

### *Ad Ionam.*

Adfertur digitis nostris tibi Epistola scripta,
  Quam iuveni misit Thais amica suo.
Ista lege tamen capies suavissime Iona,
  Ut latia facias Thaida voce loqui.
Forte nefas ducis cum scorto ludere Iona,
  Casta quia in templis sacra docere soles.
Crede mihi, illa gregem cum pinxit docta Lycaei,
  De parvis atomis qui impia bella movet:
Perstrinxit fucata etiam pietate magistros.
  Turpe quibus faciunt vendita sacra lucrum.

---

**No. 58.** (fere an. 1525.)

In farragine Secer. et in opp. Bas. T. V. p. 351. Apud Vincent. p. 107.

### *In hortum Ionae.*

Huic horto cedet Lipsensis iure picena,
  Carmine quam Ruscus nobilitare studet.
Hic gravidam pomis ficum, lentasque cupressos,
  Purpureas violas, aurea mala parit.
Caetera quid referam, largas natura benigne
  Ruris opes horto divitiasque dedit.
Et vates colit hunc herus, invitatque frequenter,
  E medio doctas huc Helicone Deas.

Hic vidi Musas pro Carmine texere serta
  Praemia victori digna Ioachime tibi.
Hic vidi laetas plausu vultuque canenti
  Mycillo Aonias saepe favere Deas.
Socraticisque iocis hic Micale seria condis,
  Exacuuntque sales pectora nostra tui.
Sic fama est lusisse senem, cum forte sub umbram
  Defessum platani Phaedre secutus eras.
Hic tua convivas facundia Caspare pascit,
  Diis ipsis etiam[1]) nectare grata magis.
Cum celebrent hortum vernantem talia Ionae,
  Lipsica quid laudas praedia Rusce mihi?

---

No. 59. (fere an. 1525.)

In farrag. Secerii; in opp. Bas. T. V. p. 352. Apud Vincent. p. 107.

*Ad Pinum.*

Cum nova coepisti contexere carmina Pine,
  Quis mihi, Phoebus ait, Marsia rure strepit!
Anne iterum stultus vocat in certamina Divos?
  Quisquis es, exuta poena luenda cute est.

---

No. 60. (fere an. 1525.)

In farrag. Secer. et in opp. Bas. T. V. p. 352. Apud Vincent. p. 111.

*Ad Ionam.*

Coenam negligere est piaculare,
Sed qualem dare Apitius solebat.
Verum nos tenuem modo paramus,
Qualem vel Samius senex pobasset,
Graecos ille docebat esurire.
O non Theologis bonum magistrum.
Haud*) ad tale ego prandium vocavi
Francae lumina gentis huc vocamus
Ad notos, veteresque te sodales,
Atque hac lege venire te iubemus,
Si non haec tibi parca mensa sordet.

---

No. 61. (fere an. 1525.)

In farrag. Secer. et in opp. Bas. T. V. p. 353. Apud Vincent. p. 112.

1) Bas. *Diis etiam est ipsis.*
*) *Haud*] Basil. *Huc.*

*Ad Ionam.*

Scribere me tantum Crato blanda Epigrammata iussit
  Cecropio quae sint dulcia melle magis*).
Qualibus aut teneram iuvenis permulcet amicam,
  Aut puero ad cunas qualia cantat anus.
Qualia vel fatuo vendit Gnatho dicta Thrasoni,
  In scena risum cum ciet atque iocos.
Et vetuit sale seu mordaci tingere aceto,
  Lecturi irritent quae illiciantque gulam.
Optime Iona cupis causam cognoscere, nulla est
  Illius in toto corpore mica salis.

---

No. 62. (fere an. 1525.)

In farrag. Secer. et in opp. Bas. T. V. p. 352. Apud Vincent. p. 110.

*Ad Spalatinum.*

Nostris Cordus in aedibus Poëta
Prandebit modo, gratius sed illi
Hoc existimo prandium futurum
Si tu pervetus utriusque amicus,
Cordi scilicet et tui Philippi,
Conviva adfueris, vocant sodales
Te, quamvis humilesque pauperesque
At quorum tibi candor est probatus
Non nuper Spalatine cognitusque.
Codrus forsitan esse Corde posses,
Irus forsitan et Philippus esse
Posset, sed faciles utrumque Musae
Secernunt, stolido eximuntque vulgo.

---

No. 63. (fere an. 1525.)

In opp. Basil. T. V. p. 358. et apud Vinc. p. 234. — Mortuus et Longicampianus d. 4. Iul. 1526. Vid. epp. Vol. I. p. 804.

*Longicampiano.*

Aurea dent alii monumenta Epyreaque vasa,
  Saturnalitio Xenia grata Deo.
Nos calamos damus, exiguum tibi munus, habere,
  Has solas nobis esse putabis opes.
Sit modo donantis mens candida, saepe redire
  Munere pro parvo gratia magna solet.

*) *Magis*] Bas. et Sec. *mais.*

**No. 64.** **an. 1526.**

Breve carmen graecum, incipiens: *βίος δ᾽ἀληθῶς* etc., vid. in Epistolis Vol. I. p. 831.

---

**No. 65.** **an. 1526.**

In farrag. Secerii et in opp. Bas. T. V. p. 842. Apud Vincent. p. 16. Cf. Epist. Vol. I. p. 804.

### *Psalmus LXVI.:* „*Iubilate.*"

Huc agite o populi, summumque agnoscite patrem,
Illius et laudes carmine ferte pio.
Et vos qui primi redeuntem cernitis undis
Eoo Solem ducere ab orbe diem.
Et vos qui revehi tenebras, noctemque videtis,
Oceano fessos Sol ubi mergit equos:
Quem colimus vere esse Deum, rerumque parentem,
Discite, et illius numine cuncta regi.
Non nati casu, non casu vivimus ipsi,
Condidit, et factos servat, alitque Deus.
Ille iter incertum vitae, cursumque gubernat,
Illius vere curaque, grexque sumus.
Has laudes puerique Deo cantate, senesque,
Hic honor, haec summo victima grata patri est.
Hinc sperare animis audete, et poscere certum
Auxilium, tristi tempore quisque sibi.
Nam bonus est Deus, et miseros auditque, iuvatque
Qui credunt eius se bonitate tegi.

---

**No. 66.** **(1526.)**

In Secerii farrag. et in opp. Bas. T. V. p. 240. Apud Vincent. p. 14.

### *In Psalmos Davidis.*

Si qua Dei puram tangit reverentia mentem,
Et iusto Christi nomen honore colis:
Si quo res e fonte fluunt, quod et[1]) omnia numen
Et regit et servat, cernere mente soles:
Haec puer illius veneranda oracula disce,
Iessaeae quondam quae sonuere fides.
Illius ut Mosi per rupem[2]) gloria visa est,
Panditur hoc etiam carmine, crede puer.

1) *et*] non habet Bas.
2) Bas. *saxa*.

**No. 67.** **(an. 1526.)**

In farrag. Secerii et in opp. Bas. T. V. p. 848. Apud Vincent. p. 16 sq.

### *Ex Psalmo CXIX.:* „*In aeternum Domine permanet verbum tuum.*"

Sermo tuus nunquam, pater, occidit irritus, et non
Spem fallit mentis, destituitve piae.
Nulla potest unquam tua dicta abolere vetustas:
Sic durat verbo condita terra tuo:
Quodque indefesso cursu coelum omne pererrat,
Et Sol formosum fertque refertque diem.
Descripsere vices illis tua iussa, viamque,
Servat enim verbum cuncta regitque tuum.
Pene ego crudeli fueram hosti praeda futurus,
Vitaque in aeternam noctem abitura fuit,
Ni tua vox animam fugientem sola teneret,
Quae te adfirmat opem ferre solere piis.
Haec me tela inter fiducia texit, et enses,
Addidit et vires haec medicina novas,
Nulla tui nobis venient oblivia verbi,
Nec meriti fiet gratia vana tui.
Et fidum miseris portum Verbum esse canemus.
Nam sermone tuo reddita vita mihi est.
Nos tua cura sumus rerum pater optime, teque
Nos custode uno fidimus, atque duce.
Caetera deficiunt nobis solatia: quare
Nos tua defendat dextera quaeso pater.
Ecce tuum contra populum gens impia ferrum
Strinxit, et adversus te gerit arma Deus:
Sed vincent tua dicta hominum viresque minasque*)
Caetera praetereunt, sed tua dicta manent.

---

**No. 68.** **(an. 1526.)**

In farrag. Secerii et in opp. Mel. Basil. T. V. p. 848. Apud Vincent. p. 18.

### *Psalmus CXVIII.:* „*Qui confidunt in Domino.*"

Adhortatur ad fidem, quia Deus tuetur eos, qui ab ipso expectant auxilium.

Ut scopulis innixa[1]) suis Sionia rupes
Durat in aeternos non peritura dies[2]):

*) Bas. et Sec. *Sed vires hominum tua vincet dicta minasque.*
1) Sec. et Bas. *immota.*
2) *Durat* etc.] Bas. et Sec. *Haeret, et adversos spernere tuta notos.*

Sic irata pios nunquam fortuna revellet[3]),
Si spe nituntur pollicitisque Dei[4]).
Ecce vides Solymen quae moles cinxerit urbem
Et non humana moenia facta manu?
Parva inter montes latet, immani aggere septa,
Et stat inaccessis[5]) undique clausa iugis.
Defenditque suo propius[6]) nos robore Numen[7]),
Ignea dum simulat moenia luce sua[8]):
Ne populum feriant coelestia sacra colentem,
Acta malos contra noxia tela viros.
Ne te igitur capiat melior fortuna malorum,
Turpiter ut cupias destituisse Deum.
Non habet impietas successus, credite, longos,
Et male promeritos tristia fata manent.
Felicesque pii, quos tu, pater optime, servas,
Continget portum te duce nostra ratis.
Ergo leva, pater, afflictos, vitaeque guberna
Ambiguum cursum numine quaeso tuo.

---

No. 69. (an. 1526.)

In farrag. Secer. et in opp. Bas. T. V. p. 342. Apud Vincent. p. 22.

***Psalmus CXII.: „Beatus vir qui timet dominum" etc.***

Foelix, ille, Deum metuit qui pectore toto,
Cuius delitiae sunt bona iussa Dei.
Illius et natos, et qui nascentur ab illis,
Coelesti Dominus, crede, iuvabit ope.
Et quae sufficiant, donabit commoda vitae,
Iustitia est huius vindice tuta Deo.
Grataque in adversis cernet solatia rebus,
Adficitur nostris nam Deus ipse malis.
Vir bonus aera solet facilis dare mutua egenti,
Et mens illius nescia fraudis erit.
Non poterit talem fortuna evertere iniqua,
Est memor illius semper, eritque Deus.
Fortunaeque minas ille imperterritus audit,
Solius fidit nam bonitate Dei.
Et quoniam curae esse Deo se credidit, ipso
Inspectante malis, poena luenda venit.

---

3) Bas. et Sec. *nocebit.*
4) *Si spe* etc.] Bas. et Sec. *Qui fidunt superum numine posse tegi.*
5) *Et stat inacc.*] Bas. et Sec. *Et non accessis.*
6) Bas. et Sec. *propior.*
7) *robore numen*] Bas. et Sec. *numine, summus.*
8) Basil. et Sec. *Ignea si fieri moenia, datque pater.*

Ille suas quia spargit opes, et donat egenis:
Praemia iustitiae non moritura feret.
Et quamvis secura diu sint ocia pravis,
Poena tamen tardo hos corripit acta pede*).

---

No. 70. (an. 1526.?)

Opp. Bas. T. V. p. 342. et apud Vinc. p. 203. Est alia versio eiusdem Psalmi, quam hic statim adiunximus, quanquam serior esse videtur.

***Psalmus CXII.: „Beatus vir qui timet" etc.***

Felix ille Deum metuit qui pectore toto,
Et non fucata relligione colit.
Et qui divinae legi parere studebit,
Et cui deliciae sunt bona iussa Dei.
Fluctibus in mediis servabitur ille, paternas
Implebitque sua posteritate domos.
Et quanquam variis iactetur saepe periclis,
Attamen hunc summus servat alitque pater.
Huius conatus facilis fortuna fovebit,
Provehet et dextro numine cuncta Deus.
Illius aestivae superabunt horrea messes,
Et fruges amplo foenore reddet ager.
Hunc pater ancipiti servabit tempore, iusta
Causa patrocinio vincet ubique Dei.
Non deerunt unquam dubiis solatia rebus,
Quae faciunt pectus firmius esse viro.
Lumina ceu tenebris adparet clara remotis,
Sic tristi inveniet tempore laetus[1]) opem.
Vir bonus adflicto facilis succurrit amico
Et quacunque potest sedulitate iuvat.
Aeraque non agre dat mutua ferre petenti,
Ac opibus large subvenit ille suis.
Nec sibi divitias per fraudem aut quaerit honores,
Nec cuiquam iniustas iniicit ille manus.
Si quando exitium fortuna inimica minatur,
Illius semper vult meminisse Deus.
Et quia se curae esse Deo confidere novit,
Non huic incutiet nuncia fama metum.
Mens immota velut magno cum robore quercus,
Constat, et in Domino, spemque animumque locat.
Sed qui contemnit coelestia iussa, peribit,
Nam subito veniet magna ruina malis.
Vir quoque multa pius confert in pauperis usum,
Et fiet miseris portus et aura viris.

---

*) Bas. *Sera tamen tacitis poena venit pedibus.*
1) *laetus*] Bas. *pectus.*

Ille potest semper dubiis succurrere rebus,
Isque malis victus cedere nescit homo.
Impius usque licet coelestia numina culpet,
Dicat et iratus *) iurgia multa Deo.
Non impune diu tamen hoc erit, impia tandem
Turba graves poenas suppliciumque luet.

---

**No. 71.** **(an. 1526.)**

In farrag. Secerii et in opp. Mel. Basil. T. V. p. 343. Item apud Vincent. p. 28. Etiam adiunctum epistolae ad Theologos Lipsienses, datae nonis Octob. 1543, quam vide suo loco. Dedimus hic textum, ut in epistola ad Theologos Lips. a Melanthone ipso scriptus fuit.

### *Psalm. CXXXII.* [Ps. 133.]

Exiguis addit vires concordia rebus,
Et male quassatas fulcit et auget opes [1]).
Utque senis celso manantia vertice Aronis,
Defectos [2]) artus balsama larga rigant.
Sive satis ut vita redit dum Sirius agros
Torret, si gelido rore madescat [3]) humus.
Sic ubi sunt aequo sociatae foedere mentes,
Fidaque communis pectore iunxit amor,
Virtutem Deus aspirat, placidoque favore
Adiuvat [4]) et vitae cuncta pericla regit.
Philip. Melanchthon.

---

**No. 72.** **(an. 1526.?)**

In farrag. Secer. et in opp. Basil. T. V. p. 337. Apud Vincent. p. 104.

### *De adolescentiae institutione et studio.*

In ludum quidam gnatum ducitque, iubetque
Ut vitae melius discere tentet iter.
Et primis pater ingenium puerili sub annis,
Et rude dum pectus recta docere parat.
Qua puero fore ducat opus re, forte magistrum
Quaerit, at ille, opus est mente, ait, atque stylo.

---

*) *Iratusque dicat* Basil.

1) *Et male* etc.] Vinc. *Et cumulat modicas atque tuetur opes.*

2) Bas. et Sec. *Confectos.* Vinc. *Infirmos.*

3) Vinc. *madescit.*

4) *Adiuvat*] Bas. et Vinc. et Secer. *Provehit.*



**No. 73.** **(an. 1526.)**

Secerii ferrag. et opp. Bas. T. V. p. 337. Vincent. p. 104.

### *Carmen recitatum, cum crearentur Doctores medicinae, a puero, ut mos est, in solemni renunciatione.*

Nos quoque Poeonias pueri laudabimus artes,
Quae tristem a nobis possunt arcere senectam:
Nostris ipse choris inventor gaudet Apollo,
Victori pueri gratum Paeana canebant,
Dum Delo veniens stravit Pythona sagittis.
Ardet opes alius Croesi, miratur arenas
Quas Pactole vehis, studioque senescit habendi,
Et misero census augendi pallet amore:
Regum sceptra alii laudant, fascesque superbos,
Infidaeque iuvant miseros suffragia plebis,
Et levis ambitio, perfusaque gloria fuco:
Sunt etiam ventris qui tantum gaudia norunt,
Denique mortales non uno errore tenentur.
Foelix ille mihi bona qui meliora sequutus
Obscuras rerum causas, viresque *) latentes,
Coelestes ignes, et conscia sidera fati,
Quaeque parit tellus rerum miracula cernit,
Aeternumque decus virtutis novit, opesque
Extra fortunae positas temeraria iura,
Quique rudes hominum mentes et pectora mulcet
Ingenio, vitaque modum praescribit, et artes,
Et morbos ratione fugans, infirma tuetur
Corpora, dum vitae fugienti prorogat annos,
Ille mihi solus dicetur iure beatus.
Huc agite hanc palmam iuvenes certare parare,
Asserite has utraque manu non segniter artes,
Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

---

**No. 74.** **(an. 1526.?)**

In Secerii farrag. et in opp. Basil. T. V. p. 352. Apud Vincent. p. 111 sqq.

### *In Luscinium, proscindentem mortuum Huttenum.*

Cum laceret miseros crudeli carmine manes,
Nomen erit vultur, non Philomela tibi.

Aliud.

Sis miser et nulli miserabilis, omnia quisquis
A Diis pro merito cuique venire putas.

---

*) Bas. et Sec. *vicesque.*

**No. 75.** (an. 1526.)

In farragine Secerii et in opp. Mel. Bas. T. V. p. 837. Vincent. p. 55. — Apographon in Cod. Monac. 90. No. VII. p. 27 b.

*Precatio Numerorum VI.*

Optime Christe, tuae des fata secunda catervae[1])
Ac[2]) inter vitae saeva pericla tege[3]).
Tu dabis, ut cernat vere esse patremque Deumque,
Certa venit nobis, si miserere, salus.
Placatumque animum, vultusque ostende paternos,
Prosperaque eveniant cuncta favore tuo.

---

**No. 76.** an. 1526.

In opp. Basil. T. V. p. 855. et apud Vincent. p. 221.

*In imaginem Iustiniani.*

Dextra tenet gladium, servat manus altera libram,
Signa decent Reges scilicet illa bonos.
Illa quidem intentat sceleratis civibus arma,
Et terret stricto dextra mucrone malos.

1) *des fata* etc.] Sec., Bas. et cod. Mon. 90. *quaeso benedicito turbae.*
2) *Ac*] Sec., Bas. et cod. Mon. 90. *atque.*
3) Cod. Mon. 90. *tegas.*

Expendit iusto prius haec examine causas.
Quam nudata sinat colla ferire rei.

---

**No. 77.** (ex. an. 1526. ut videtur.)

In farrag. Secerii et in opp. Bas. T. V. p. 852. Apud Vincent. p. 109.

*Προπεμπτικὸν in discessum Iohannis Reiffenstein.*

Sic det Christus iter tibi secundum,
Et faustum in patriam, tibique donec
Fratres incolumi videre salvos,
Fratres, qui tibi Iane chariores
Ipsis sunt oculis tuis, vicissim
Qui te plus adamant suis ocellis:
Ut gratum est, mihi Iane quod dedisti
Discedens Xenion, novum libellum
Testis stabit amoris ille nostri,
Inter praecipuos meos libellos,
Auratisque superbus umbilicis
Ostendet titulos tuos, mihique
Absentem refert subinde amicum,
Et Iani meminisse me iubebit.
Ut si marmora, sive penicillo
Depictae tabulae tua ora servent
Iani Mnemosynon mei perenne,
Adservabitur hic mihi libellus.

# CARMINUM PHIL. MEL. LIBER II.

## CONTINENS EA CARMINA, QUAE AB ANNO 1527—1540. SCRIPSIT.

---

**No. 78.** (an. 1527.)

In opp. Bas. T. V. p. 240 et apud Vinc. p. 19.

***Psalmus IV.: „Cum clamarem, exaudivit me Deus" etc.***

Quamvis dura feram, tamen est pars certa salutis,
Et videt adflictos, et iuvat ipse DEUS.
Non igitur, quia me fortuna exercet iniqua,
Dicite me Domino displicuisse meo.
Eriget haec inter mala nos pater optimus, atque
Aspiciet lacrymas, accipietque preces.
Et rerum Domino nemo succenseat unquam,
Auxilium quoniam differat ille diu:
Sed petat, ac expectet opem: sic mollia durat
Pectora, sed nunquam deserit illa DEUS.
Et quamquam mora longa sit, et solatia nulla:
Qualia mundus amat, cernere posse datur:
Te promissa tamen recreent coelestia, donec
Impius hic mundus gaudia ventris habet.

---

**No. 79.** an. 1527.

In opp. Bas. T. V. p. 241. et apud Vincent. p. 19. Cf. Epist. Mel. Vol. I. p. 291.

***Psalmus CX.: „Dixit Dominus Domino" etc.***

Dat Domino nova regna meo pater optimus, illi
Quem mihi promisit venturum ab origine nostra,
Et delere iubet cunctos qui recta monentem
Contemnent: Regni primum Sionia rupes
Auspicium est visura novi, hic ubi gentis Hebraeae
Impia posteritas scelerato extinguere ferro
Hunc volet, ipse tamen superato ex hoste triumphum
Laetus aget, mediosque inter dominabitur hostes.
Ac ut Vere novo tenebris cum forte remotis
Mane aurora diem nobis, lucemque reducit,
Effundit rorem campis sitientibus aether:
Undique sic veniunt ad regia signa catervae,
Undique et agnoscent Dominum, monitusque sequentur.
Ille pios inter tam multa pericula vitae
Proteget, et mortis feralia iura fugabit.
Sed non sceptra modo geret ille, et regis honores:
Nanque sacerdotis summi quoque munus obibit,
Iratumque patrem nobis placabit, et unus
Orabit miseris veniam mortalibus, atque
Victima erit pro delictis gratissima nostris.
Nec veteri ritu pecudes mactabit ad aras,
Quem pater ad seros Aron misisse nepotes
Traditur, aut vituli consperget saxa cruore,
Aut metuende pater salsa tibi fruge litabit.
Non etenim offensi flectebat numinis iram
Talis honor: faciet noster nova sacra Sacerdos.
Et velut Abramum successu caedis ovantem,
Raptaque de victis spolia hostibus ampla ferentem
Melchisedec, parvis Solymis qui regna tenebat,
Excipit, et grata victorem voce salutat,
Atque viro benedicit, et omnia cepta secunda
Esse iubet, nec erunt, inquit, nostra irrita vota,
Adprobat ista Deus, qui te servatque, regitque:
Talia pro nobis faciet quoque vota sacerdos
Noster, ut humani generis mala plurima, rerum
Conditor ipse levet, miserisque errata remittat,
Et nunquam moritura novae det gaudia vitae.
Nec vero aeternum mors finiet huius honorem:
Vivet, et ipse suo fungetur munere semper,

Ut summi patris assidua prece mitiget iram.
Huic igitur regi iuvenes parere, senesque:
Tempus enim, mihi credite, erit cum numinis ultor,
Contemti ipse sui poenas, et iusta reposcet
Supplicia, et figet semper mensura trophaea
Hostibus extinctis. Nam magni dextra parentis
Hunc iuvat, et regum franget viresque minasque,
Et quanquam aerumnas nostras, mortemque subire,
Et perferre iubet pater, hunc tamen inde reducet
In vitam, fascesque dabit, regnumque tenere.

No. 80. (an. 1527.)

In opp. Bas. T. V. p. 341. et apud Vinc. p. 21.

*Psalmus CXI.: „Confitebor Domino"* etc.

Quas laudes tibi nos pater canemus,
Quae praeconta maximisque factis
Dicemus? manifesta signa nobis
Monstrasti bonitatis et favoris,
Ut curae tibi nos sciamus esse.
Escam namque piis pater dedisti,
Et tradis Cananaea regna nobis,
Mansurum quoque foedus omne in aevum
Fecisti: rata sunt, eruntque semper,
Quae dicis pater, atque polliceris.
Defendes populum tuum, atque mittes
In terras Dominum, ille liberabit,
Et nos proteget, et procul fugabit
Aerumnas, mala cuncta: reddet ille
Vitae gaudia sempiterna nobis.
Ergo omnes Dominum Deum timete,
Nam prima est sapientia hunc timere,
Quisquis iussa Dei facit, colitque,
Is demum sapere optime est putandus.

No. 81. (an. 1527.)

In opp. Bas. T. V. p. 340. et apud Vinc. p. 23.

*Psalm. LXXXI.: „Deus stetit in synagoga"* etc.

Stat Deus in media turba, coetuque Deorum,
 Terribilique alios increpat ore Deos.
Nunquis erit tandem scelerum modus? omnia iura
 Oppressa a vobis vique doloque iacent.
Nil in iudiciis inopis valet optima causa,
 Gratia sed tantum divitis illa regit.
Quin vos efficite, ut probitas innoxia semper
 Praesidio vestro tuta manere queat.
Nec circumscribi pupillos fraude sinatis,
 Iniusti metuant tristia iura fori.
Sed nihil his monitis regum fera corda moventur,
 Nec coecae mentes numina summa timent.
Nulla voluptates moderantur vincula legum,
 Miscent arbitrio fanda, nefanda suo.
Sed meritas olim dabit ista licentia poenas,
 Convenietque actis exitus ipse suis.
Ecce ego deiiciam celsa de sede Tyrannos,
 Cum manibus terras ipse movebo meis.
Vos equidem esse Deos iussi, natosque vocavi,
 Voce mea vobis regna tenere dedi.
Sed repetam titulos, et regni iratus honores,
 Et dabitis poenas vos aliquando mihi.
Utque alii exuti regnis cecidere Tyranni,
 Qui veluti plebis pars, sine honore iacent:
Sic postquam tituli vobis ego dempsero honorem,
 Lapsaque cum fuerint sceptra superba manu:
Vos ignota eritis contemptaque funera, sicut
 Obscura vulgus morte perire solet.
At tu summe DEUS surgas, terramque gubernes,
 Absque tuo regnum numine stare nequit.
Omnes te gentes Dominum metuantque colantque
 Omnia sunt etenim sub ditione tua.

No. 82. (an. 1527.)

In opp. Bas. T. V. p. 340 sqq. et apud Vinc. p. 25.

*Psalmus LXXXIV.: „Quam dilecta tabernacula"* etc.

Praecipit ut amemus, et summa cura ornare studeamus Ecclesiam Christi, hoc est, et verbum Dei, et ipsum publicum ministerium, et iubet huius ministerii causa fortiter perferre aerumnas, et pollicetur Ecclesiae in periculis auxilium Dei.

Nulla domus, non ulla mihi iucundior urbs est,
 Quamvis ingentes accumularit opes:
Quam templi sunt tecta tui, pater optime rerum,
 In quo doctrinae vox sonat ipsa tuae.
Hanc arcem toto venerabor pectore semper,
 Qua non est animo charior ulla meo.
Ipse tuas aras festis ornabo coronis,
 Atque illas iusto semper honore colam.
Utque suis timidae nidis gaudere volucres,
 Quos sibi quaeque sua condidit arte, solent:
In quibus et possunt hostes contemnere tutae,
 Et pullos dulci mater amore fovet:

Sic nobis templum nidus gratissimus esse,
Et certum debet perfugium esse piis.
Felix hac semper quicunque habitabit in arce,
Audiat ut laudes, et canat ipse Dei.
Vera piis patria est Ecclesia sola putanda,
Quae patriae debes officia, ista petit.
Non vis ulla animos unquam divellat ab ipsa,
Aeterno iunctam foedere semper ama.
Hanc omnes studio sociato ornentque iuventque,
Hic honor, haec pietas, credite, grata Deo est,
Ac veluti volucrum nidos industria munit:
Sic nostra cura est ista tuenda domus.
Crudelis quicunque ipsam lacerare parabit,
Impiaque adversus ceperit arma Deum.
Sed patriam hanc quisquis melior defendere certat,
Et vectam non vult destituisse viam:
Aerumnas feret ille graves, atque aspera multa:
His non succumbet sed tamen ipse malis.
Ac rivos late deducet fonte perenni,
Extingui nunquam dogmata vera queunt.
Doctores Deus ipse regens coelestibus auget
Dotibus, et studium provehit, atque iuvat.
Multaque deleto victores hoste trophaea.
Ponent ut fiat gloria nota Dei.
Exaudi gemitus nostros, pater optime rerum,
Aspicias templi quaeso pericla tui.
Conserva regni formamque statumque decorum,
Praefice concordes ipse, piosque duces,
Has ego delitias ardentibus expeto votis,
In templo semper degere posse Dei.
Et quamvis ibi erunt mihi multa adeunda pericla,
Namque odiis urget mundus ubique pios:
Attamen anteferam regnis, opibusque malorum,
Huius militiae signa decusque piae.
Namque sua dextra Deus istam protegit arcem,
Et cives nunquam deserit ille suos.
Felix, qui voci coelesti obtemperat uni,
Nec patitur frangi pectora firma minis.

---

**No. 83.** **an. 1527.**

In opp. Bas. T. V. p. 348. et apud Vinc. p. 207.

***Sententiae Salomonis ex primo capite.***

Pauca ego sum vobis morum praecepta daturus,
Spiritus e coelo prodidit illa Dei.
Et qua sit Deus exponam pietate colendus,
Et probet erga homines qualia facta Deus.
Sed qui non metuit coelestia numina vere,
Ridebit monitus impius ille meos.
Est vere metuisse Deum sapientia prima,
Hunc metue evenient cuncta secunda tibi.
Deinde patrem colito, monitusque audito paternos,
Et facias matris iussa verenda tuae.
Namque probos pueros velut ornant torque parentes,
Sic illos cumulat summus honore pater.
Principio hoc etiam est aetas incauta monenda,
Praeceptum trado non leve, iussa Dei.
Parva pii pars sunt hominum, pars maxima contra,
Quam nunquam possis enumerare, mali.
Rem quibus atque decus scelere est cumulare, voluptas,
Non illos terret vindicis ira Dei.
Et plerumque malis fortuna indulget amica,
Non favet illa diu, sed favet illa tamen.
Ergo ne numero iuvenis moveare caveto,
Ut quae turba probet [1] tu facienda putes.
Non habet impietas successus credite longos,
Iustaque pro factis poena venire solet.
Hei mihi cur parent tam pauci vera monenti,
Nec tangunt monitus ferrea corda mei?
Verum haec destituet cum vos fortuna vicissim,
Non tanget summum vestra querela patrem.
Ne dubitate venit pro factis poena luenda,
Iusta Dei vanas non habet ira minas.
Sed quia paulisper fortuna secunda malorum est,
Et tristi vultu respicit illa pios,
Falleris et regere haec nullum mortalia numen
Credis, et impune cuncta licere tibi.
His fortuna [2] nihil mea qui praecepta sequantur,
Vel cum conatur laedere, saeva nocet.

Caput II.

Si fieri cupitis sapientes pectore toto,
Vos pueri, ut doceat, saepe rogate Deum.
Illa etenim demum vera est sapientia, si qua est
De coelo summi prodita ab ore patris.
Sic bonitas immensa Dei, sic ira videri
Ostendet vobis cum Deus ipse, potest.
Ille gubernabit sancto tua corda pavore,
Coelestesque dabit posse timere minas.
Eriget ille etiam ac faciat sperare timentem,
Tu modo ne dubites poscere semper opem.
Hoc sapere est, ac nosse Deum, si rite timebis
Fidere et illius si bonitate scies.

1) Bas. *probat.*
2) Basil. *Huic fortunae.*

Ille iter incertum vitae moderabitur, atque
  Muniet adversus cuncta pericla pios.
Consilium semper dat rectum posse videre,
  Semper successum consiliumque iuvat.
Multa iubet perferre pios, verum ipse secundos
  Eventus dubii temporis esse facit.
Et ne te sceleratorum contagia laedant,
  Non opis humana est effugere illa, cavet.
Impia ne mentem accendant exempla malorum
  Doctrinae noceant neve venena tibi.
En ne vesano scorti capiaris amore,
  Scortantes perdet vindicis ira Dei.
Hos monitus audite, pios bona numina servant,
  At iustas poenas impia turba dabit.

Caput III.

Ne te parve puer capiant oblivia legis,
  Quae clara summi prodita voce Dei est.
Verum insculpe tuo cordi sanctissima iussa,
  Sit mens divina scripta tabella manu.
Sic tibi contingent longissima tempora vitae
  Placatusque dabit maxima dona Deus.
In dubiis nunquam deerit prudentia rebus,
  Et Deus eventus, consiliumque reget.
Esse Deo curae te credito pectore toto.
  Auxilium vitae, posce modo, ille feret.
Auro pars hominum fidunt, prudentia multis
  Securos animos tollere vana solet.
Sed tu consiliis ne fide tuis, Deus illa
  Arbiter et vindex irrita saepe facit.
Quicquid ages, petito Deus ut te rite gubernet,
  Semper enim gressus sic reget ille tuos.
Decipiet fallax tua te sapientia, nunquam
  Ingenii fidas viribus ipse tui.
Et non eveniet quicquid promiserit illa,
  Noxia sunt et quae profore saepe putes.
Quid fieri tantum properabas Cora sacerdos,
  Attulit exitium nam tibi raptus honos.
Quae iussit Deus, haec tantum faciasque, probesque,
  Qui timet haec, fugiat caetera cuncta procul.
Felix ille Dei qui formidaverit iram,
  Non fortuna piis saeva nocere potest.
Primitias frugum genuit quas fertilis annus,
  Munera coelesti debita redde patri.
Et donum esse Dei fatearis pectore grato,
  Semina quod magno foenore reddit ager,
Ne seges eludet messem fallacibus herbis,
  Ipse ope coelesti semina laeta fovet.
Has tantum laudes sibi dici poscit ad aras,
  Gratior hic honos est, quam data thura Deo.
Partem aliquam tamen et promas in pauperis usus,
  Certa Sacerdotum pars quoque messis erit.
Sic tibi divino vindemia munere fundet,
  Uvida de pleno fervida musta lacu.
Si mihi parueris, et vincent horrea messes,
  Et seges in pingui luxuriabit humo, etc.

---

No. 84. (an. 1527.)

In opp. Bas. T. V. p. 849. et apud Vinc. p. 211.

*Cantica Canticorum caput I.*

Crebra suae *) Dominus noster dat basia genti,
  Et figit labris oscula blanda suis.
Namque tuus favor est nobis iucundior unus
  Quam bona quae curas pellere vina solent.
Cum nobis verbum donaveris, undique fama
  Nominis in gentes spargitur ipsa tui.
Nunc igitur multi verbi recreantur odore,
  Et norunt multi te pater, atque colunt.
Accurrunt et te cupiunt novisse puellae,
  Haec verbi fragrans agmina ducit odor,
Tu tamen infirmae praebe solatia genti,
  Currentesque iuva numine quaeso tuo.
Esse vides nobis subeunda pericula mille,
  Illa nisi duce te vincere nemo potest.
Ecce autem in thalamos securam me modo ducit
  Rex meus et nova nunc gaudia pectus habet.
Hic nova dat miserae rursus solatia genti,
  Et medios hostes inter et arma tegit.
Haec te quisquis amat benefacta agnoscere grato,
  Et laudare solet pectore summe pater.
Nigra equidem videor sicut tentoria Cedar,
  Incultis Arabes quae posuere locis.
Et quoniam exercent me multa pericula spernor,
  Fortunae species est odiosa meae.
Sum formosa tamen pulchrae Solomonis ut arces
  In celsa quas nunc ille Sione struit.

---

No. 85. an. 1527.

In opp. Bas. T. V. p. 848. et apud Vinc. p. 216.

*Primum caput epistolae ad Colossenses.*

Exoptat Paulus vobis quicunque Colossis,
Mente pia Christum colitis, pacem atque salutem:

*) *suae* Basil. pro *tuae* quod habet Vinc.

O ego quas dicam grates tibi maxime rerum
Conditor immensum quia late spargis in orbem
Nostri Evangelii demissa oracula coelo.
Doctrinaeque tuae parvis das ferre Colossis
Munera ut in clara possint te luce videre,
Et metuant vitiis te nostris triste minantem
Supplicium et bonitate tua confidere discant,
Et Christi meritis placatum diligere ausint,
Defendique regique tuo se numine credant,
Et certam vitae melioris concipiant spem,
Et casto sibi quisque alios complexus amore,
Omnibus officiis liget [1]): Et quae caetera Epaphras
Ille meus docuit, sed tu pater optime rerum
Adspires, et adhuc infirmas provehe vires,
Et teneris concede animis adolescere, quaeso.
O pater et parvos coelesti ope perge fovere
Segniaque accendas divino numine corda,
Ut discant oculos in te defigere mentis,
Et magni assuescant propius vim cernere amoris.
Quo nos qui colimus Christum complectere, et esse
Nos curae tibi perspiciant, certentque vicissim
Iam mores tibi castos, atque reponere facta
Digna Evangelio, atque aliquas referant tibi grates,
Contemnantque minas ingenti pectore mundi,
Et sperent dextra defendi posse paterna,
Sic Evangelii surgat seges aurea nostri, etc.

---

No. 86. (an. 1527.?)

In opp. Basil. T. V. p. 847 sqq. et apud, Vinc. p. 212 sqq.

*Primum caput ad Timotheum.*

Exoptat Paulus tibi summo a patre salutem,
  Non cassis votis candide Timothee.
Iniunxi mandata tibi puer optime, quando
  Ex Epheso Macedum terra petenda fuit.
Ut nostra studeas arcere a plebe Magistros,
  Quos famae cogit falsa docere sitis.
Haec autem facienda piis praecepit Iesus,
  Acribus haec studiis iusserat ille peti.
Ut nihil addubites curae nos esse parenti,
  Qui vocat hunc vero pectore, sentit opem.
Ille luet iustas poenas, qui numen Iesu
  Non colit, et miseros velle iuvare negat.
Illa sibi demum mens est bene conscia, fidit
  Quae bonitate Dei, quae metuitque minas *).

1) *liget*] non habet Basil.
*) Bas. *quaeque minas metuit.*

Proxima sed virtus, homines colere, atque iuvare est,
  Et Christum castis moribus exprimere.
Hunc quicunque scopum non attigit optime gnate,
  Nil praeter nugas ille docere potest.
Ille Deum nostris oculis non monstrat, et esse
  In coelo nobis pernegat ille patrem.
Et miseris animis solatia nulla relinquit,
  Corda Dei verbo non levat ille malis.
Non vires contra Satanam, non arma ministrat,
  Denique ei totus fabula Christus erit.
A Christo revocat mentes et fingere mores,
  Viribus humanis id satis esse docet.
Ergo urget legem et servilia munia poscit,
  Non onus hoc Christi mentio grata levat.
Et tanquam faciem radientem Mose tegebat,
  Nec potuit lucem turba videre Dei.
Ille etiam infirmis oculis te Mose tuetur,
  Atque Deum tecta lege videre nequit.
Non ego lege volo male libera pectora solvi,
  Ista feras mentes indomitasque regit.
Et iubeo sanctam legem, sed rite doceri,
  Somnia, non legem plurima turba, docet.
Lege rudes animos coelesti assuescere iussit
  Servitio et flecti ferrea corda Deus.
Dum melior mentes afflarit Spiritus ille,
  Non dubiaque facit cernere luce Deum.
Nonne minas audis et magnae fulmina vocis
  De Sina intentat quae tibi rupe necem?
Irrita crede ferent non haec oracula venti,
  Non hinc parvus apex, aut breve iota perit.
Utque Deus vituli cultores perdidit olim,
  Et turbam infidam protinus igne necat:
Sic vitiis etiam nostris irascitur, atque
  Frenari mentes lege metuque iubet.
Lascivae Deus haec iniecit vincula carni,
  Deprimat ut tristi colla superba iugo.
Addidit aerumnas generis mala plurima nostri,
  Custodesque istos carceris esse dedit.
At quibus incusso monstrat delicta pavore,
  Et lex in quassa vulnera mente facit.
Talibus ex Evangelio medicina petenda est,
  Admovet his medicam Christus et ipse manum.
Condonat culpam et solatia multa malorum,
  Eque suo effundit gaudia vera sinu.
Spiritus ille etiam patris delapsus ab ore,
  Induit atque agitat numine corda novo.
Utque solet teneros oculos munire viator,
  A patre nos summo sic docet ille regi.
Languentesque animos nostros invitat, ut ausint
  Sperare in mediis numen adesse malis.

Et Veneris sedat flammas, iramque furentem
  Spiritus, et sancto corda pudore regit.
Nulla puer mentem infirmam peccata retardent,
  Ne veniam speret vel petere ausit opem.
Erigat ut peccatores ac servet Iesus,
  E patris in terras venerat ille sinu.
Meque suae fecit specimen bonitatis, ut aegris
  Adderet exemplo spemque animumque meo.
Inscius impura quamvis convitia lingua
  Dixissem in Christi dogmata vera boni.
Cultoresque Dei ferro iugulare solerem,
  Et gererem contra non pius arma Deum.

Ex secundo capite.

Non animo placido tolerare aut pectore forti,
  Adversos casus impia turba potest.
Iam queritur non esse Deo mortalia curae,
  Atque hominum audiri vota precesque negat.
Iam non digna bonos stomachatur ferre, patique
  Et non virtuti praemia iusta dari.
Non etiam aegrotam spe mentem sublevat, et non
  Auxilium miseris numina ferre putat.
Fessa labore fugae longinquae Hebraea fremebat
  Gens in Idumeis talia saepe iugis.
At vos et puras ad coelum tendere palmas
  Vultis, et adversis quaerere rebus opem.
Namque malis nimium indulgens fortuna minatur,
  Exitium populo triste paratque Dei.

---

No. 87. (an. 1527.?)

In opp. Bas. T. V. p. 351. et apud Vinc. p. 108. Item in Scriptis public. T. III. p. 270 b.

*Ad Ionam.*

Perge mihi Latio sermone exponere Iona,
  Cecropidum in medio crimina dicta foro,
Et quibus insontem Demosthena proscidit hostis,
  Ausonia nobis iurgia voce refer.
Non ignava decent generosas ocia mentes,
  Virtutemque acer durat, alitque labor.
Ergo operas studiis socias adiungito nostris,
  Atque aliquam partem viribus adde meis.

---

No. 88. (an. 1527.?)

Opp. Bas. T. V. p. 357. Vincent. p. 231.

*Ad Ionam.*

Nunc de syderibus fatisque regentibus orbem
Minguitiae decus est gentis dicturus Erasmus,
Quem te Iona etiam prodest audire, tuoque
Officio studium iuvenile accendere quondam,
Et parvam Ionam sic audiet ille vicissim
Idque hoc pro merito tibi se debere putabit.

---

No. 89. (an. 1527.)

Opp. Bas. T. V. p. 358. Vinc. p. 256.

*Ad Ionam.*

Nobis munera grata sunt Iona
Quae nostro populo, mihique mittis,
Nam sunt pignora mentis haec amicae,
Optabat sibi Zopyros tot esse,
Durò cortice punicum [1]) quot intus
Malum grana tegit, Darius olim,
Et fido mihi gratiora amico,
Quae sint munera nulla ferre possum.

Aliud.

Non duraturas statuas et marmora quondam,
  Caesaribus dederat Martia Roma suis.
Sunt mihi grata magis statuis et marmore, amici
  Pectore sincero qualiacunque dabunt.

---

No. 90. (an. 1527.?)

Opp. Bas. T. V. p. 358. Vincent. p. 234.

*Chiliano. (Goldstein.)*

Dum mea Grammaticae conatur reddere lucem,
  Detergitque atrum sedula cura situm.
Dumque hoc ingenium vestro desudat honori,
  Et nostri vobis pars Chiliane meret.
Quaeso mihi nitidam scribendo mittite Chartam,
  Fida meas servet quae teneatque notas.
Lipsica *) qualis erat calamo sat firma terenti,
  Et qua non temere sepia nigra fluat.
Nam qua nunc utor solita est confundere scripta,
  Dignaque erat tantum versibus illa tuis.

---

1) Bas. *puniceum.*
*) Basil. *Lima.*

## No. 91. (fere an. 1527.)

Opp. Basil. T. V. p. 353 sq. Vincent. p. 217 sq. — De rege poëtico in conviviis Scholasticorum vid. quae supra diximus.

### *Ad Regem poëticum in convivio.*

Vendunt carmina caeteri Poëta,  
Et mercede suum locant laborem,  
Et prostare [1]) suas iubent Camoenas  
Pro paucis obolisve, nummulisve.  
Nos gratis celebrare te solemus.  
Nostrum ergo officium tibi probari  
Aequum est, quisquis enim nihil reposcit  
Vera Encomia dicere est putandus.

Aliud ad eundem.

O princeps hederam tibi sequacem  
Nos contexuimus, piumque munus  
Frondentem pueri damus coronam.  
Tantum barbara nulla te Thyara  
Tantum Causia nulla te decebit [2])  
Quantum te virides decent Corymbi.  
Vatum convenit haec corona Regi,  
Musae namque hedera solent piorum  
Vatum cingere tempora albicante.  
Grato pectore parva dona sume,  
Quae nos officiosa turba tanquam  
Divis debita thura dedicamus.

Precatio pro Regno poëtico.

Vera fides, Deus, est Regum te sceptra tueri,  
Et quoddam numen Regibus esse datum.  
Ergo precor faveas regnis puerilibus istis,  
Namque etiam pueri sunt tua cura Pater.

---

## No. 92. (fere an. 1527.)

Apud Vincent. p. 179. — De ritu Depositionis vid. opp. Mel. Vol. X. p. 97.

### *Prooemium Depositoris Witebergensis, ut vocant, in ritu initiationis novorum Scholasticorum.*

Salvete spectatores humanissimi,  
Quibus est vetusti causa ritus cognita,  
Et quos honesta ratio movit officii  
Ut huc accederetis, non ineptias  
Ut hasce nostras cerneretis. Sed quia  
Vos iuniorum studia decet cognoscere,  
Quorum exploratio sit in his spectaculis:  
Moremque fuisse Athenis similem legimus  
Qui nominatur Graeca voce *ἀρεσχελεία*,  
Novosque multa monetis hic Scholasticos,  
Et vota pro discentibus facitis pia.  
Quod ergo adestis hic, debetur gratia  
Vobis, et ut patienter hos breves iocos  
Nunc audiatis, peto, non Momi scommata,  
Non adfero convicia huc scurrilia.

---

## No. 93. (an. 1527.?)

Apud Vincent. p. 217.

### *Iocus Nasonis in importunum ianuae pulsatorem.*

Forte domi solus quondam dum Naso sederet  
Intentus studiis, carminibusque suis,  
Pelignus gelido veniens a rure colonus,  
Ardua divini limina vatis adit.  
Utque erat agrestis, strepitu ferit ostia magno,  
Et tacito properans increpat ore moras.  
Nescio quid talem vatem sit, et inter asellum,  
Respondit breviter Naso Poëta, fores.

---

## No. 94. an. 1528.

Opp. Mel. Basil. Tom. V. p. 354. Vincent. p. 218 sq.

### *In Ciceronis de oratore libros.*

Dicendi Crassus divinas explicat arteis,  
Cum rusticatur Thusculi.  
Vicerit iste senem facundae Nestora linguae,  
Sermonis elegantia.  
Quem si forte libet propius cognoscere adeste,  
Nos proponemus candide.

---

## No. 95. (fere an. 1528.)

Opp. Basil. T. V. p. 355. Item in Scriptis publ. T. III. p. 264. Vincent. p. 79 sq.

---

1) *prostare*] Bas. *praestare.*

2) Bas. *decebat.*

*In librum V. Ethicorum Aristotelis ad Doct. Chilianum Goltstein.*

Qualis erat, terras cum nondum Astraea reliquit
Virgo, tibi si quid forte vidère libet:
Spectandum in parva dabimus Chiliane tabella,
Nicomachus pinxit, Nicomachive pater.
Nativo poteris ubi nudam cernere cultu,
Odit mercatum, scilicet illa decus.
Et vultus spernit medicatos: gratus at ille est,
Qualis Apellaeis est color in tabulis.
Hei, facies quantum Chiliane haec distat ab illa,
Pingere quam vester Bartolus *) ille solet.

---

**No. 96.** (fere an. 1528.)

Opp. Mel. Basil. T. V. p. 355. Scripta publ. T. II. p. 167 b. Apud Vincent. p. 43.

*Carmen quo solent puerull ad studiam literarum in scholam evocari die Gregorii.*

Vos ad se pueri primis invitat ab annis,
Atque sua Christus voce venire iubet.
Praemiaque ostendit vobis venientibus ampla,
Sic vos o pueri curat, amatque Deus.
Vos igitur laeti properate occurrere Christo,
Prima sit haec Christum noscere cura ducem.
Sed tamen ut Dominum possis agnoscere Christum,
Ingenuas artes discito parve puer.
Hoc illi gratum officium est, hoc gaudet honore,
Infantum fieri notior ore cupit.
Quare nobiscum studium ad commune venite,
Ad Christum monstrat nam Schola nostra viam.

---

**No. 97.** (an. 1528.)

Apud Vincent. p. 198. — Videtur Melanthon haec scripsisse in visitatione Ecclesiarum.

*Ad Iustum Menium Philippus.*

Quod natura mihi blesam dedit invida linguam,
Agnosco vitium, non amo, Iuste, meum.
Cuique suam labem attribuit natura noverca,
Omnibus et sors est arte ferenda sua.
Hoc ego malo tamen, quam quo tu Iuste laboras,
Quin mala cum laudas carmina, nulla facis.

Menii Responsio facta ab ipso Philippo.

Non mordere valent quenquam tua carmina blese,
Nam desunt Musis salque leposque tuis.

*) Bas. *Barulus*, ex mendo.

---

**No. 98.** an. 1529.

Carmen: „*Germania ad Regem Ferdinandum*", dedimus in epistolis Mel. Vol. I. p. 1056.

---

**No. 99.** an. 1529.

Opp. Basil. T. V. p. 339. Apud Vinc. p. 191.

*Epitaphium filii sui Georgii.*

Hic posuit nati moestus pater ossa Melanthon,
Utque animam serves te bone Christe rogat.
Ille duos nondum totos compleverat annos,
Cum non matura morte peremtus obit.

---

**No. 100.** d. 14. Oct. 1529.

† Ex cod. Monac. 90. No. VII. p. 123 b.

*„Epigramma Philippi Melanthonis ad Georgium Spalatinum, cum redirent Lutherus, Philippus, Ionas, Cruciger et alii e Colloquio Marburgensi, ubi tractabatur res sacramentaria."*

Iam redit e Cattis vestram *Lutherus* ad urbem,
Et defessa viae membra labore trahit.
Parva virum sequitur tibi non incognita turba
Hoc iter in . . . . dum quae comitata fuit
Hoc per amicitiam iuncti te iure rogamus
Hospitium ut nobis dent tua tecta modo,
Ut quondam divos sua sub tentoria duxit
Abramus fidei duxque paterque tuae,
Excipias simili studio, *Spalatine*, *Lutherum*;
Creditur is nobis angelus esse Dei.
Nam docuit veros hic *) Christo reddere honores,
Gloria cuius erat tota sepulta prius.

*) De voc. *hic* non satis certus sum, an recte legerim.

No. 101. an. 1529.

Apud Vincentium p. 50.

*In dispositionem epistolae ad Romanos, ad D. Iust. Ionam.*

Visa obscura prius multis oratio Pauli est,
  Omnis ubi series, unus acervus erat.
Singula sed postquam sunt ordine membra retexta,
  Dispositae clarum res modo lumen habent.
Commendatus erit tibi Iona diserte libellus,
  Est breve, sed magni grande laboris opus.

---

No. 102. (eod. temp. ut videtur.)

In opp. Basil. T. V. p. 349. et apud Vincent. p. 206 sq.

*Summa doctrinae Christianae ad piam iuventutem.*

Haec pueri verae pietatis credite summa est,
Et meminisse Deum, et bonitati fidere patris,
Et casti mores, mentisque exempla renatae.
Ille Deum metuit, magnam qui iudicis iram
Sentit, et illius horret facesque [1]) minasque,
Et se supplicium aeternum meruisse fatetur.
Primus hic est gradus ad Christi coelestia regna
Sic vates Esaia canit, te maxime rerum
Conditor in pavido, et deiecto corde habitare,
Si [2]) pudeat peccasse, dolorque hic pectora scindat.
Non simulentur ait lacrymae, gemitusque Iohelus,
Iusta Dei non ante unquam placabitur ira
Quam tibi displiceant vitae commissa prioris
Et vere doleas rerum offendisse parentem.
O vis quanta irae est, immensa potentia cum se
Exerit atque sui contemtum ulciscitur, inque
Infirmas animas ingenti numine saevit.
Poeniteat vitae Petrus, inquit, turpiter acta,
Haec est ad veniam nobis via prima petenda,
Dum vives nunquam sanctum depone timorem,
Saepe Deique minae, coelestia fulmina, menti
Terrorem incutiant pectus frangantque superbum.
Sed tamen interea mentem fiducia semper
Erigat, atque metum quaedam solatia rursus,
Luctando superent de Christo prodita nobis
Et peccata tibi per Christum crede remitti [3]),
Ingentemque iram placari [4]) numinis, et si
Spem veniae mens aegra, gravique absterrita mole,
Et variis scelerum formis dubitet retinere.
Tu confide tamen: gratis ignoscere nobis
Decrevit Pater et nostrum demisit in orbem,
Ut peccatores servaret, credite, gnatum.
Non nostris tribuit benefactis munera tanta,
Unica pro nobis mactata est victima Christus.
Hoc Evangelium Romanos Paule docebas,
Nostra nihil benefacta queunt nos iustificare.
Iusticia haec demum est uni confidere Christo,
Quod tibi placarit Patrem, veniamque rogarit
Ille unctus digitis patris unus cuncta sacerdos
Impetrat, et nunquam sunt illius irrita vota.

1) Basil. *fascesque.*
2) *Si*] Basil. *Et.*
3) Basil. *Crede tibi semper Christum peccata remitti.*
4) Basil. *placare.*

---

No. 103. (an. 1529.)

Opp. Basil. T. V. p. 358. Vincent. p. 235. (Scriptum ut videtur Spirae in conventu.)

*Ad Grynaeum.*

Est mihi quae scite Graiorum pingere possit*)
  Penna notas, digitis apta futura tuis.
Non Pharios unquam calamos praeponere possis,
  Huc ades a nobis hoc tibi munus erit.

*) *possit*] Basil. *datur.*

---

No. 104. (an. 1529.?)

Opp. Basil. T. V. p. 358. Vincent. p. 235.

*Betzio.*

Cum Demosthenis atque Luciani
Uno, Pete, volumine atque fasce
Iungis, seria vis iocis opinor
Urbanis lepidisque temperare.
Sed si ludere vis probe et iocari,
Ponenda est Cynica ista barba, Pete.

No. 105. (1529?)

Opp. Basil. T. V. p. 858. Vincent. p. 237.

*Georgio Brenner.*

Ligna mihi dulces succos sudantia mitte,
Certior est morbo nulla medela meo.
Piniciani etiam librum mihi mitte Georgi,
Qui variis rebus nomina certa facit.
Omnia habent inter sese communia amici,
Utor et officiis hinc ego saepe tuis.
Et quanquam tua me vincat fortuna merendo,
Non tamen ingrato pectore dona fero.

---

No. 106. an. 1530. d. 28. Iul.

Opp. Basil. T. V. p. 857. Vinc. p. 231. — Epistolam poëticam *de comitiis Augustanis* ad *Bernhardum Baumgartnerum* dedimus in Vol. II. p. 234.

---

No. 107. 23. Sept. 1530.

Epist. poëticam ad *Spalatinum* quaere in Mel. epp. Vol. II. p. 388.

---

No. 108. d. 30. Apr. 1530.

Opp. Basil. T. V. p. 856. Apud Vincent. p. 223. Etiam in Laurentii Bonincontri Miniatensis naturalium et divinarum, sive de rebus coelestibus libri tres, a L. Gaurico editi Basil. (1540.) 4. in appendice.

*Eclipsis Solis anni* 1532 *d.* 30. *April. in meridie.*

Cras ubi labetur medio Sol arduus orbe,
Infausta fratrem Cynthia nocte teget.
Nec vos o iuvenes coelestia spernite signa,
Nec superum vanas esse putate minas.
Quas autem Eclipsis clades denunciet ista,
Hic typus ex aliqua parte monere potest.
Ecce subit tenebras Astraeae in sidere Phoebus,
Et comites Martem Mercuriumque trahet [1]).
Legibus hi sacris quas diva Astraea tuetur,
Cum male sint [2]) positi maxima damna dabunt.
Vos tamen a Christo votis exposcite pacem,
Ille pericla unus pellere cuncta potest.

1) Boninc. et Bas. *trahit.*
2) Boninc. et Bas. *sunt.*

No. 109. an. 1532.

Ex autographo Philippi in cod. Goth. fol. no. 380. Editum iam in opp. Basil. T. V. p. 888. et a Vincentio p. 97.

*Epitaphium Illustr. Principis Ducis Iohannis Saxon. Electoris* (mortui d. 18. Aug. 1532.).

Tu quoque Saxoniae Ioannes inclyte princeps,
Non virtute minor cognite fratre tuo,
Eximia Christum pietate fideque colebas,
Vita piae mentis testis eratque tua.
Vindelicis coram tua Caesare nuper in oris
Asseruit Christi lingua professa fidem.
Notior ut fieret divini gloria verbi,
Temporibus fulsit quae rediviva tuis.
Utque Evangelii studium deponere velles,
Flectere non ullae te potuere minae.
Ista tui incendit constantia pectoris hostes,
Attulit et passim multa pericla tibi.
Sed te difficili protexit tempore Christus,
Et gratam pacem pro pietate dedit.
Ac tua saepe tamen moderatio profuit ingens,
Impia ne quisquam sumeret arma manu.
Hac longe superas aliorum laude triumphos,
Haec virtus magno principe digna fuit.
Ergo tuum a nullo nomen delebitur aevo,
Nec meriti laus est interitura tui.
Hic tua dum Christus meliori corpora sorte
Restituet iustis, molliter ossa cubent.
Spiritus at vivat coelique fruatur honore *)
Interea Christi conditus in gremio.

---

No. 110. an. 1532.

Ex autographo Philippi in cod. Goth. fol. no. 380. Editum iam in opp. Mel. Bas. T. V. p. 238. et a Vincentio p. 183.

*In sepulchrum (Ioannis Ducis Elect. Saxon. Princ. Elect.)*

Condita Saxonici sunt hic ducis ossa Iohannis,
Qui coluit vera cum pietate Deum,
Et donec patriae tenuit moderator habenas
Tranquilla custos pacis et autor erat.
Quanquam Evangelium dum spargi curat [1]) in orbem
Insidiis vidit seque suosque peti;

*) Vinc. *Spiritus at vivat gratoque fruatur honore.*
1) Bas. et Vinc. pro *curat* habent *sivit.*

Attamen has semper vicit ratione, nec unquam
  Bellica civili pretulit*) arma togae.
Inter felices animas te Christe precamur
  Ipsius manes ut tueare pios.

† Aliud.

Principis hic tumulus Ioannis continet ossa
  Quo tranquilla fuit Saxona terra Duce.
Ipsius ut serves animam te, Christe, precamur,
  Nam verbum coluit cum pietate tuum.

---

**No. 111.** **(an. 1532?)**

Apud Vincent. p. 184.

### *Epitaphium dominae Margaritae Ducissae Saxoniae.*

Saxoniae Domino sata Margarita Ioanne,
  Hoc tumulo placida morte soluta iacet.
Vix dum puberibus tria lustra peregerat annis,
  Hanc ubi supremo fata tulere die.
Cum vernaret adhuc primisque accresceret annis,
  Prima Dei verbum noscere cura fuit.
Hinc teneros vitam duxit sine labe per annos,
  Et generi mores grande fuere decus.
Nondum connubium norat taedasque iugales,
  Sed tantum Christo cura placere fuit.
Huic igitur sanctis quae moribus ipsa petebat,
  Coelestis vitae gaudia Christe dato.

---

**No. 112.** **(an. 1532.)**

Apud Vinc. p. 78 sq. et in Scriptis public. T. III. p. 263.

### *In Ethica.*

Non casu volucres atomi sine mente ruentes,
  Hanc mundi formam progenuere novam.
Formatrix sed mens sapiens, bona, libera, casta,
  Omnia miranda condidit arte, Deus.
Utque homines essent divinae mentis imago,
  Attribuit radios lucis habere suae,
Notitias, quales diurno in pectore lucent,
  Addidit et legi congrua corda suae,
Eheu dissidium sed nostro crimine venit,
  Utuntur flammis iam mala corda vagis.

*) Vinc. mendose *pertulit.*

Notitiae mansere tamen, legesque severae,
  Recte factorum regula ut esse queant,
Et ne ceu pecudum sit vita sine ordine nostra,
  His externa Deus vult modo membra regi.
Ut quanquam iratus gladium stringebat Achilles,
  Ipse tamen reprimit cum ratione manus.
Ex his notitiis divinis haec quoque fluxit
  Doctrina, est ista quae recitata libro.
In quo virtutum prodest simulacra videre,
  Qualia mens hominis pingere docta potest.
Sed Sol iustitiae radios in pectora spargens,
  Christus et adsimilans nos sibi luce sua.
Virtutem accendit meliorem, nescia mortis,
  Quae vivit flatu non moriente Dei.
His igitur scriptis doctrinam adiungito Christi,
  Ut vivens in te sit λόγος ipse Dei.

---

**No. 113.** **d. 4. Aug. 1533.**

Opp. Mel. Basil. T. V. p. 356. Apud Vincent. p. 223 sq. Et in libro Bonincontr. supra laudato.

### *Eclipsis Lunae, a. 1533. d. 4. Aug.*

Nox ubi roriferas terris induxerit umbras,
  Actus et hic fuerit Sole cadente dies.
Infectura teget ferrugine Delia vultus,
  Aethereo fratris lumina*) cassa sui.
Ac velut aeternas mundo factura tenebras
  Incutiet pavidis mentibus ipsa metum,
Fallor? an irati portendit numinis iram?
  Ne superum vanas esse putate minas.
Non magis his annis metuendum vidimus ullum
  Prodigium, veri sidera si quid habent.
Infaustus tenebras spectat Saturnus ab ortu,
  Et tacita populos fraude movere parat.
Saevus ab Euronota Mavors te Cynthia terret,
  Iniustisque armis impia regna petit.
Pene fuit similis fatali Eclipsis in anno,
  Quo misera cecidit rustica caede cohors.
Nos igitur moniti signis orare iubemur,
  Fiat ut irati mitior ira Dei.

*) Bon. et Bas. *lumine.*

No. 114. (an. 1533.)

Apud Vincent. p. 86. et in Script. publ. T. III. p. 269.

*De initiis doctrinae physicae.*

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Naturae varias et didicisse vices.
Si tamen autorem primum mens quaerere curet,
Omnia nec casu corpora nata putet.
Esse Deum mentem aeternam, quae condidit arte
Praesentique suum numine servat opus:
Agnoscas, quoties in coelum lumina tollis,
Et stellas certis motibus ire vides.
Seu quoties hominis naturam introspicis, atque
Effigiem nobis cernis inesse Dei.
Hunc rerum fontem si contemplabere: fructus
Magnos de Physicis haec tibi scripta ferent.

---

No. 115. (an. 1533.)

Opp. Bas. T. V. p. 854. Vinc. p. 219.

*In Philippicas Demosthenis.*

Intentet Macedum Regi quae fulmina rhetor
Atticus, huc venias si modo nosse velis.

---

No. 116. d. 14. Ian. 1534.

Opp. Bas. T. V. p. 856. Vinc. p. 224 sq. et in libro Boninc. supra laudato.

*Eclipsis Solis a. 1534. d. 14. Ianuarii.*

Eventus quod habent tardos coelestia signa,
Non ideo vanas esse putate minas.
Impius hic vulgi furor est contemnere fata,
Impietas poenam verum habet ista gravem.
Ante canunt vobis venturos numina casus,
Et laevas mentes saepe monere volunt.
Admoniti rursum superum flectamus ut iram,
Et fiant nostra mitia fata prece.
Sed sunt heu nimium surdae mortalibus aures,
Non ullae terrent pectora dura minae.
Quare iterum saevas portendunt *) sidera clades,
Cras ubi Sol medio traxerit orbe diem.
Aethereis tunc vecta plagis non omine fausto,
Obscura Solem Cynthia nocte teget.
Crede mihi accelerant iam non contantia fata,
Eventus faciles sed dato Christe precor.

*) Bas. et Boninc. *portendent.*

---

No. 117. d. 29. Ian. 1534.

Opp. Bas. T. V. p. 856. Vincent. p. 225. et in libro Bonine. supra laudato.

*Eclipsis Lunae d. 29. Ian. 1534.*

Postquam hodie Phoebus fuerit dilapsus in undas,
Sudantesque trahet sub freta fessus equos.
Lunaque consurget per opaca crepuscula noctis,
Aethereas inter conspicienda plagas.
Huius ubi coelo labetur prona [1]) supremo
Umbra, teget [2]) nitidum sanguinolenta caput.
Ingentes motus populorum et bella minatur,
Hanc prope Grandivi noxia stella comes.
Non procul Hesperio Saturnus cardine miscet,
In populis fraudes in populisque neces,
Iam toties hominum coelestia numina mentes,
Irrita nec possunt signa tot esse, monent.
Horrendis nuper tremuerunt motibus Alpes,
Et ripam sensit Rhenus utramque quati.
Nos igitur summi placemus numinis iram,
Ut fiant nostra mitia fata prece.

---

No. 118. (an. 1534.)

Opp. Mel. Basil. p. 855. et apud Vincent. p. 222 sq.

*Ad Milichium.*

Sidera dum claro spectas labentia coelo,
Et signas oculis lumina nota tuis.
Vere aliquam mentem rebus quae cuncta gubernat,
Et quae nostra videt facta, praeesse scias.

De ortu et occasu siderum secundum Poëtas.

Mane vehit supra terram tibi Cosmicus ortus
Sidera, sed Phoebi lumine tecta latent.
Mane dat Heltacus quaedam subvecta videre
Astra, sed Achronicus nocte videnda trahit.

1) Vinc. *poena*, Bas. et Bon. *prona.*
2) Vinc. *tenet*, Bas. et Bon. *teget.*

**Milichio.**

Haec tibi Milichi prognostica dono, precorque
  Mitiget ut nobis aspera fata Deus.

**Eidem, ut locum de fato in Physicis non satis commode scriptum remittat.**

Quas dedimus chartas de fato quaeso remitte,
  Non scriptas fato docte Iacobe bono.
Ad limam revocanda mihi sunt ista, sed opto
  Ut fiant operi mollia fata meo.

**Aliud ad eundem, quod delectetur doctrina Physices.**

Mitte mihi Physicen, aliud nil scribere possum,
  Tu licet errorem mentis id esse putes.
Non me delirum dici credique verebor,
  Democriti similis forsitan error erat.
Et velut Hypocrates curari hoc noluit arte,
  Hunc demi morbum sic ego nolo mihi.

---

**No. 119.** **(an. 1534.)**

Apud Vincent. p. 150. et p. 195. — Dedimus haec carmina hic, quia Melanthon Sophoclis Antigonem hoc anno interpretatus est. Vid. epp. Vol. II. p. 792.

***Ex Antigone Sophoclis, ubi exponitur dictum Biantis: ἄρχα τὸν ἀνδρὰ δείξει.***

**A) Iambica ex Antigone Sophoclis.**

Non pectus ullius potest introspici,
Urbis Magistratus priusquam gesserit.
Ego, si quis in gravi periclo civium,
Vere salutarem sciens sententiam,
Eam timore victus occultat tamen,
Hunc iudico civem esse malum ac inutilem,
Et si quis antefert saluti patriae,
Privati amici gratiam atque munera,
Hic omnium est mortalium iniustissimus.
Ergo Deum testem invoco, si patriae
Discrimen impendere videro meae,
Me voce dicturum atque mente libera
Sententiam, verissima quae videbitur.
Nec ullus hostis civitatis publicus,
Privatim amicus esse ducetur mihi.
Sed navis haec quae servet omnes unica
Sit civitas, qua cum vehemur integra,
In ipsa amicos quaerere florente liceat.

**B) Idem locus ex Sophocl. Antigone, apud Vinc. p. 195.**

Non penitus ullius voluntas perspici
Potest, priusquam admotus ad Rempub.
Fungi Magistratu atque imperiis coeperit.
Ego, hunc virum pronuncio esse pessimum,
Qui civitatem consilio regens suo,
Non dicere audet optimas sententias,
Tacensque veritatem dissimulat metu,
Et anteferre amicum patriae solet.
Testor supremi numen immensum Iovis,
Si quid malum impendere patriae videro,
Me civibus daturum id esse libere,
Nullum mihi foedus erit cum patriae hostibus.
Haec salva tuetur et salutem civium
In hac amicos stante quaerant singuli,
Illam videre qui florentem, gaudeant.

---

**No. 120.** **(an. 1534.)**

Apud Vincent. p. 228.

***Ex Sophocle.***

*Ὅπουδ᾽ ὑβρίζειν, δρᾷν τ᾽ ἃ βούλεται παρὰ*
*ταύτην νόμιζε τὴν πόλιν χρόνῳ ποτε*
*ἐξ οὔρων δραμοῦσαν εἰς βάθον πεσεῖν.*

**Philippus vertit:**

Ubi petulanter facere quod libet licet,
Legumque vox et ira vindicis Dei
Ridentur, ac inane nomen est pudor:
Magno ruet ventis secundis impetu,
Mox in profundum mersa tota civitas.

---

**No. 121.** **an. 1534.**

In opp. Mel. Basil. T. V. p. 849. In Scriptis publ. T. III. p. 83. et apud Vinc. p. 9. Vincentius adscripsit quidem annum 1539., sed ex epistola ad Corvinum, data d. 2. Ian. 1535., intelligitur, Melanthonem an. 1534. festo nativitatis Christi hoc carmen fecisse.

***De cantione Angelorum: Gloria in excelsis Deo!***

Quare ad pastores primum vox nuncia venit,
  Angelicus summa quam tulit arce chorus?
Nempe ut praecipue pastores carminis huius
  Gentibus autores esse ducesque velint.

Ut summo patri veri reddantur honores,
  Et toto fiat notus in orbe Deus.
Ac late in mundo spargantur munera Christi,
  Quae sunt placati pignora certa patris.
Et curent, ut sit placata Ecclesia Christi,
  Concordique regant ore, fideque gregem.
Sit procul a Christi discordia saeva ministris,
  Nanque Deus poterit, non nisi pace coli.
Nulla lues ovibus tantum, non ulla venena,
  Quantum pastorum dissidia ipsa nocent.
At generi humano tunc aurea vivitur aetas,
  Tunc animi capiunt gaudia vera pii.
Cum summi patris est vere patefacta voluntas,
  Et cum nos curae novimus esse Deo.
Cumque una Christum tranquilla Ecclesia voce
  Concinit, et studio laudat ubique pari.
Haec praecepta canit[1]) coetus pastoribus ille,
  Officii memores et iubet[2]) esse sui.
Quod quicunque facit, bona vera et maxima cunctis
  Affert, quaeque aetas nulla abolere potest.

---

**No. 122.** **an. 1535.**

Apud Vincent. p. 183 sq. et in opp. Bas. T. V. p. 288.

### *In tumulum Ioann. Ernesti, Ducis Sax., qui infans decessit anno* 1535.

Quisquis ad hunc veniens tumulum subsiste Ioannis
  Hic tegit Ernesti frigidus ossa lapis,
Saxonicae gentis Dux servantissimus aequi
  Ioannes genitor cui Fridericus erat.
Menstrua Luna semel nondum compleverat orbem,
  Cum vidit nati funera moesta parens.
Hunc ut suspicias faciunt pia vota parentes
  Innocuum gremio maxime Christe tuo.
Nam patris illa tui est, te testificante voluntas,
  Ne pueri aeterna morte perire queant.
Hosque iubes ad te nullo prohibente venire,
  Dicis et his coeli regna patere tui.
Et quando vitae te fata volente peregit,
  Commendat fratres hac tibi voce suos:
Respici qui vivunt germano sanguine fratres,
  Atque his Christe tuo numine dexter ades.
Felices ut eant in fortia facta parentis,
  Et teneant fausta patria sceptra manu.

1) Script. publ. *dedit.*
2) Script. publ. *iussit et.*



**No. 123.** **an. 1535.**

Editum a Vincentio p. 160 sq. ubi inscribitur: „Francisco Vinariensi anno 1535." — Apographon in cod. Bav. Vol. II. p. 386. ubi inscribitur: „Ad Magistrum Franciscum Vimariensem Ph. Melanthon." Scriptum est:

### *Francisco Burchardo, Wimariensi, in aulam Principis Electoris, ut Vicecancellarium, vocato.*

Cur te delectant aulae, *Francisce*, venena
  Et capiunt animum[1]) non bona vera tuum?
Quid titulos ambis et falsos quaeris honores,
  Tincta venenato fercula melle petens?[2])
Dii tibi monstrarunt faciles bona vera, sed ars est
  Haec novisse, modo his legitimoque frui[3]).
Suaviolum roseis quod fert tibi casta[4]) labellis,
  Cum[5]) pariter coniunx pectus et ora premit.
Omnibus hoc unum regnis ac omnibus aulis
  Atque opibus regum, si sapis, anteferes.
Has tibi delicias tristis male condiet aula,
  Ingentes curas quae sine fine parit.
Omnia Plutonis quae regia fertur habere
  Supplicia infelix afferet[6]) aula tibi.

---

**No. 124.** **an. 1535.**

Apud Vincent. p. 142. — Melanthon, ut ex epistolis Vol. II. p. 872. intelligitur, misit hoc versus Spalatino.

### *Ex Arato de Cometis.*

*Ὄφρα τις εὐετίῃ χαίρῃ ποτιδέγμενος ἀνήρ,*
*μήδ' εἶεν καθ' ὕπερθεν ἐοικότες ἀστέρες αἰεί.*
*μηθ' εἷς μήτε δύω, μηδὲ πλέονες κομόωντες,*
*πολλοὶ γὰρ κομόωσιν ἐπ' αὐχμηρῷ ἐνιαυτῷ.*

Fertilis Agricolae votis contingat ut annus,
Nunquam crinitum videatur in aëre sidus.
Non unus geminive micent pluresve cometae;
Apparere solent non sicco tempore crebri.

1) Vinc. mendose *animam.*
2) Cod. Bav. *Melle velint, credas, toxica cuncta peti.*
3) Cod. Bav. *Haec eadem vere nosse, tenere, frui.*
4) *fert tibi casta*] cod. Bav. *facit pulchra.*
5) *Cum*] cod. Bav. *Dum.*
6) *afferet*] cod. Bav. *conferet.*

No. 125. (an. 1535.)

In opp. Mel. Basil. T. V. p. 355., item apud Vincent. p. 221. Etiam in libro: Opus insigne Cypriani *Leovitii* a Leonicia — de magnis superiorum planetarum coniunctionibus etc. Witeb. 1586. 8., ubi post praefationem hi versus leguntur. Apud Vincentium inscribuntur: *In praedictiones astrologicas.*

*Philippus Melanthon.*

Irrita, crede mihi, non sunt praesagia Vatum,
Nec dubias fati cernimus esse minas.
Quare cum prosit casus praescire futuros,
Haec legito, et monitis afficiare Dei [1]).
Qui sapit ille animum fortunae praeparat omni,
Praevisumque potest arte levare malum.

Idem. [2])

Ἄστρα μὲν αὐτὰ πέλει θείας σημεῖα προνοίας
Μᾶλλον δ' ἡ ἄστρων θεσπεσίη διδαχή.
Astra quidem sunt ipsa Dei certissima signa,
Doctrina Deum certius esse docet.

---

No. 126. (an. 1535.)

In opp. Basil. T. V. p. 354. et apud Vincent. p. 220. — Ex epistolis intelligitur, Melanthonem hoc anno in schola enarrasse Homerum.

*In Homeri lectionem.*

Concio ubi rediit templo dimissa, legemus
Iliacum in nostris carmen, adeste, scholis.

Aliter.

E sacro postquam rediit pia concio templo,
Enarrabo senis carmina Maeonidae.

Aliter.

Hectoris exponam vobis pia iussa, precesque
E templo postquam concio missa redit.

---

No. 127. (an. 1535.)

In opp. Basil. T. V. p. 352. et apud Vincent. p. 185.

*De diversis generibus dicendi ex III. Iliados Homeri.*

Ἀλλ' ὅτι δὴ Τρώεσσιν ἀγρομένοισιν ἔμιχθεν etc.

Fors et concilio Troianae gentis in ipso
Atriden, Dominumque Ithacae conspeximus olim.
Altior hic gradiens et toto vertice supra
Extabat cunctos, sed erat venerandus Ulysses
Praecipue, medius postquam consederat, oris
Augusta specie, et vultus gravitate verenda.
Quin etiam decus augebat facundia utrique,
Publica consilium cum res poscebat opemque.
Verborum Atrides Menelaus parcior arctis,
Rem numeris omnem stringens, acerque premebat,
Et linguam quamvis annis minor arte regebat.
Ne qua ferretur longis ambagibus errans,
Dicentique aderat multo vis mixta lepore.

At surgens procerum in medio consultus Ulysses
Sollicitus restare diu, fixisque solebat
Luminibus haerere solo, sceptrumque tenere
Immotum tacitus, regum gestamen eburnum.
Interea sensumque animamque a corpore abesse
Indocili credas, sed ubi de pectore, vocem
Imo promisisset facundo largus ab ore,
Ut solet hyberno nix multo uberrima coelo
Sermo ruebat, et insolita mulcere coronam
Sensimus arte Ithacum, non qui contenderet illi
Quisquam erat: hoc adeo mirata est Troia quondam
Divinum decus Eloquii, non corporis umbram.

Aliter et brevius.

Sed prudens postquam in medium processit Ulysses
Dicturus stetit immotus, terramque rigente
Lumine spectabat, sceptrum non parte sinistra
Non dextra versans, veluti sine mente tenebat,
Dixisses hominem furere et rationis egere.
Ac simul ut vagam dabat imo e pectore vocem
Brumalique magis vi concita grandine verba
Cunctos mortales illum superare videret.

---

No. 128. (an. 1535.)

In opp. Basil. T. V. p. 352. et apud Vincent. p. 192.

*Oratio Diomedis ad Regem ex nono Iliados.*

Fas sit Atrida mihi tua dicta refellere primum,
Quae modo inops animi fudisti incondita, perfer

---

1) Bas. *Deûm.*

2) Haec quae sequuntur, non habentur in opp. Bas. neque apud Vinc.

Dicentem placide et nostro concede dolori,
Nam libertatem donat mihi concio fandi.
Tune mihi Danaum tota spectante caterva *)
Obiicis ignavum pectus foedumque timorem?
Probri huius facio testes iuvenesque senesque.
Non superi cunctis regum te dotibus ornant.
Sceptra dedere tibi, augustum et venerabile signum,
Non tamen est virtus animi decus, addita, maius.
Imbellis ne adeo tibi turba videmur Achivi,
Ut turpem suadere fugam tot regibus ausis?
At si tantus amor patrium te retrahit Argos,
Perge licet tibi, nemo viam, vada cerula, naves
Intercludit, et hinc comites abducito inertes.
Sunt quibus est pudor infectis discedere rebus,
Et certum est mecum Stheneleus si manserit unus,
Durare et fato ruituram evertere Troiam.
Haud etenim Troiam ventum est sine numine Divum.

---

No. 129. (an. 1535?)

Opp. Basil. T. V. p. 354. Vinc. p. 218.

*In lectionem Livii.*

Si quos larga iuvat Livii facundia, et ingens
Copia quae Cornu vicerit Ida tuum:
Huc agite atque aedes studiosi visite nostras,
Sidonii relegam maxima facta ducis.

---

No. 130. (an. 1535?)

Opp. Basil. T. V. p. 354. Vinc. p. 219.

*In Officia Ciceronis.*

Tullii nos hodie optimum libellum,
Qui pectus tenerum rudemque linguam
Divini expolit arte, praelegemus.
Virtutis tibi monstrat eminentem
Arcem Tullius, atque firmiorem
Portum, quem feriant Noti procaces,
Eurique Boreaeque saevientes
Frustra, quique minas nihil moretur
Fortunae, et placidam tibi quietem
Et mentem pariat sereniorem.

*) Bas. *corona.*

No. 131. (fortasse an. 1535.)

In opp. Bas. T. V. p. 353. et apud Vinc. p. 186.

*Locus Homeri Odyss. II.:* Σχεδόθεν δέ οἱ ἦλθεν ἀθήνη μέντορι εἰδομένη.

Pallas adest, vocemque refert, vultusque seniles
Mentoris, et iuvenem dictis compellat amicis.
Non tibi consilium, non virtus deerit unquam
Telemache, ipsa tibi mentem natura paternam
Insevit, patrem facundoque exprimis ore.
Par animi tibi robur adest in rebus agendis,
Non fortuna tuos conatus improba fallet,
Non ingressus iter iustis frustrabere votis,
Ardua deficerent vires, animusque parantem,
Te nisi finxissent talem materque paterque,
Rara tamen Soboles aequat virtute parentes,
Plurima degenerat maiorum moribus, atque
Vix ulli cumulant laudesque decusque parentum.

---

No. 132. an. 1536.

Apud Vincent. p. 101. Vid. de carmine quod Mel. fecit in iconem Georgii epp. Vol. III. p. 45. et 194.

*In imaginem Illustriss. Princ. Georgii, Principis in Anhalt et Ascania etc.*

Ascaniae stirpis virtus est clara triumphis,
Ordine quos numerant secula longa patrum.
Caesar in Adriaco cum gessit littore bellum,
Et fregit Venetas Maximilianus opes,
Dux erat Ascania natus de stirpe Rodolphus.
Fixit et in Veneto multa trophaea solo.
Nunc ad maiorum decora haec laus magna Georgi,
Accedit vere principe digna viro.
Quod sic doctrinam reliquis virtutibus addis,
Ut verum celebres pectore et ore Deum,
Et Christi illustres ingentia munera scriptis,
Iustifica supplex quae capis ipse fide.
Exemploque Esdrae populum dum iure gubernas,
Doctrinae spargis semina pura simul.
Summe Deus, solus qui das felicia regna,
Ascanios fratres, te precor, ipse regas.

**No. 133.** **an. 1536.**

Apud Vincent. p. 50 sq. — Cf. epp. Volum. III. p. 45. et p. 194.

*In imaginem Christophori.*

Ista piae mentis formam tibi monstrat imago,
  Quae Christum vera cum pietate colit.
Nam velut in mediis incedit fluctibus Heros,
  Qui non magnum humero, sed grave gestas onus:
Sic et multa pios discrimina oportet adire,
  Qui verbum portant maxime Christe tuum.
Omnia destituunt iustos solatia, nemo
  Auxilium tristi tempore ferre solet.
Tu quoque deseruisse tuos o Christe videris,
  Sunt etiam qui te posse iuvare negent.
Hoc est cur pueri sis pictus imagine: namque
  Convenit infirmis ista figura magis.
Tu quoque lapsantes interdum deprimis ipse,
  Irasci quoties te sibi velle putant.
Sustentat tamen, et praebet solatia Verbum,
  Ergo arbor gressus arida facta regit.
Haec tamen in florem rursus sese induet arbor,
  Reddet enim iustis praemia digna Deus.
Ille senex lumen qui praefert, doctor habendus,
  Errantem ut monitis rite gubernet, erit.

---

**No. 134.** **an. 1536.**

Apud Vinc. p. 89.

*Precatio.*

*Oἰ θυσίαις ὁ θεὸς μᾶλλον δὴ τέρπεται ἄλλαις*
*ἢ διδαχῆς μελέτη εἰλικρινοῦς τε λόγου.*
*τοὺς δ' οὖν χριστὲ ἴναξ καρδίη δ' ἔχον ἵλεω ὕμνους,*
*ἡμέτερας δ' ἁγίῳ πνεύματι ἄρδε φρένας.*

---

**No. 135.** **an. 1537.**

Apud Vincent. p. 164.

*Iocus ad Georg. Spalatinum, qui cum Lutheri ex sorore nepte eodem curru vectus ex conventu Schmalcaldensi, conducta alia rheda, ut Lutherum et Philippum, quos perendie hospitio excepturus erat, anteveniret, everso curru in lutum proiectus fuit.*

Qualis luce nova cum primum cornua complet,
  Hesperiis vehitur Cynthia pulcra plagis:
Qualis et Eoo formosum lumen in orbe
  Ante diem spargit candida mane Venus:
Talis in hoc curru vehitur Spalatine puella,
  Qui tibi non coeca sorte dicatus erat.
Hanc prope cum posses solus Spalatine sedere,
  Et teneris digitis implicuisse manus.
Et cum colloquium posses, miscere suave,
  In casta patitur virgine quale pudor.
Cur tamen ignota solam regione relinquis?
  Carpentoque alio cur fugere inde paras?
Durior Aegida es, qui raptam in littore liquit,
  Debebat vitam cui tamen ipse suam.
Hinc irata Venus, sortemque miserta puella,
  In media propere est te remorata via.
Carpentumque tuum coena demisit in alto,
  Hac pro neglecta virgine poena fuit.

Lutherus ex conventu divertens ad Spalatinum.

Christus in infirmo venit huc Spalatine Luthero,
  Et tua pro requie tecta benigna petit.
Quicquid huic facies, sibi factum iudicat ille,
  Qui nos membra sui corporis esse docet.

---

**No. 136.** **an. 1537.**

Intimatio de Eclipsi. Eam dedimus in epistolis Melanth. Vol. III. p. 374. Non ea legitur apud Vincentium.

---

**No. 137.** **an. 1537.**

Apud Vincent. p. 149 sq. — Melanthon hoc anno Euripid. Phoeniss. in schola enarravit. Vid. epp. Vol. III. p. 374.

*Ex Euripide in Phoenissis.*

Si quis malorum gaudeat commercio,
Rogare qualis ipse sit, nihil est opus:
Nam quisque similis est sodalitii sui,
Vadens ad aucupia cum visco et illice.

---

**No. 138.** **(an. 1537.)**

In opp. Bas. T. V. p. 335. et apud Vinc. p. 187.

*Euripides in Phoenissis.*

*Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφη.*
Nam veritatis est simplex oratio
Interpretemque non desiderat vafrum,

Sed ipsa per se viribus valet suis.
Mala causa callidis opus habet Pharmacis.

---

**No. 139.** **an. 1537.**

Carmen inscriptum: „*De commentario epistola ad Colossenses ad Matthiam Pannonium*", quod Vincent. habet p. 54., dedimus in epist. Mel. Vol. III. p. 336. Convenit in omnibus cum Vinc. textu, praeterquam quod pro „*inusta*" Vincent. dedit *mixta*.

---

**No. 140.** **(an. 1537.)**

Apud Vincent. p. 161.

***Rhadamanti lex talionis ex libro V. Ethic. Aristot.***

Iusta malis haec admisso pro crimine poena est:
Si quae fecerunt eadem patiantur et ipsi.

---

**No. 141.** **(an. 1537.)**

Apud Vincent. p. 197. — Enarravit Melanthon hoc anno in schola orationem Demosth. de corona, vid. epp. Vol. III. p. 378.

***Ex Demosthenis oratione περὶ στεφάνου Epitaphium civium Atticorum.***

Haec monumenta tegunt cives, qui fortiter arma
 Pro patriis aris proque tulere focis.
Nec cessere metu, nec vitam amittere curant,
 Cum patriae auxilium pectora fida ferunt:
Et saevos reprimunt hostes, ne regna superba
 Externae gentis Graecia serva ferat.
Sed postquam vicit duri sors aspera fati,
 Ipsorum patriae nunc tenet ossa sinus.
Non falli eventus et semper habere secundos,
 Divinae tantum sortis id esse scias.
Nulla potest vitare hominum sapientia fatum,
 Multus et humanis mentibus error inest.
Fortunae vicibus natura obnoxia nostra est,
 Nec vitare homines tristia fata queunt.

---

**No. 142.** **(an. 1537.)**

In opp. Basil. T. V. p. 384. et apud Vinc. p. 187.

***Ex Demosthenis oratione περὶ στεφάνου.***

*Οἵδε πατρὸς ἕνεκα σφέτερος εἰς δῆριν ἔθεντο ὅπλα* etc.

Hi pia dum patriis arcent a finibus hostem
 Pro tectis cives arma tulere suis.
Invictisque animis ausi decernere ferro
 Et conferre pedem, nec timuere mori.
Servitio patriam premeret ne turpiter hostis
 Cogeret et domitam tristia multa pati.
Felices nunc in patria quorum ossa teguntur
 Postquam ipsos divi sic voluere mori.
Nulla adversa pati, nusquam peccare Deorum est
 Nemo hominum fati vim queat effugere.

---

**No. 143.** **(an. 1537.)**

In opp. Bas. T. V. p. 354. Vincent. p. 219 sq.

***Ex Demosthenis oratione de corona.***

Enarrare, labore tot dierum
Lassatus nequeo forense bellum
Facundus quod in Attica urbe gessit
Rhetor, totius ille concionis
Dum mentes traheretque flecteretque
Iratus, hodie ocium mihi oro
Concedi breve feriasque iustas.

---

**No. 144.** **an. 1538.**

Editi a Vinc. p. 242., qui hos versus inscripsit: *De officiis Sacerdotum.* — In biblioth. minister. Erford. apographon a Hier. Nopo factum, ex quo hic hos versus dedimus.

**1538.**

*ἱερεὺς τὴν διδαχὴν εὐαγγελίοιο φυλάττων*
 *ἱλάσκει θυσίῃ ταῖς τε ἀραῖσι θεόν.*
D. Phil. Melanchthon id temporis Rector.

Hieronymus Nopi verto:

Verbi divini custos fidusque minister
 Sacro quotidie suppliciisque litat.

---

**No. 145.** **an. 1538.**

Apud Vincent. p. 198. — Orationem Demosth. a. 1538. enarravit Mel. Vid. epp. Vol. III. p. 570.

***Ex oratione Demosthenis de corruptela in legatione.***

Publica non prorsus volat fama per auras,
Namque est iudicii divini nuncia saepe.

---

No. 146. an. 1538.

Apud Vincent. p. 69., qui adscripsit an. 1538. Legitur etiam cum Melch. Acontii carmine in libro: „Phil. Mel. orationes omnes, ed. Nic. Gerbelius." Argentor. 1542. 4. p. 317.

***In Epicedion Melchioris Acontii de Erasmo Roterodamo scriptum.***

Quamvis ingrata est hominum natura, nec unquam
Reddere pro meritis, praemia iusta solet.
Nulla tamen laudes aetas abolebit Erasmi,
Non omnino mori gloria vera potest.
Scriptorum utilitas ingens fastidia vincet,
Et mixtae Charites, et nitor atque lepos.
Non aliena augent igitur praeconia famam,
Aeternum peperit nam decus ipse sibi.
Sed tamen est pietas meritis hunc reddere honorem,
Et grata munus voce referre datum.
Hoc animo carmen facundus Acontius edit,
Quo celebrat laudes Roterodame tuas,
Non vena indigna est, quae magnum cantet Erasmum,
Officii laudem sed magis ille petit.

---

No. 147. an. 1538.

Apud Vincent. p. 180. — Locus *ex Menandro* jam adfuit in epistola ad Vitum Theodorum Vol. III. epist. p. 587. Pro „proximus est *locus*" Vincent. dedit „prox. est *honos*", et versu seq. *est* post *admodum* non habet.

---

No. 148. an. 1538.

In opp. Basil. T. V. p. 355. et apud Vincent. p. 190.

***Praeceptum ὑγιεινοῦ.***

Caseolos mihi pulcra Venus donabat edendos,
Sedula quos digitis presserat ipsa suis.
Et bene fragrantes quibus intersperserat herbas,
Intyba, Samsucum, Cirsion atque rosas,
Et quos Ambrosia dulci, vinoque rigarat,
Ne desit succi copia larga boni.
Hei mihi cur tantae non uti munere divae,
Difficilis medici me nova cura sinit?
Has mihi qui toties ferales dicit epodas,
Caseolos Veneris dira venena putes.

---

No. 149. (an. 1538?)

Opp. Basil. T. V. p. 353. Apud Vincent. p. 63. Item in Scriptis publ. Tom. I. p. 452.

***Solonis elegia, citata a Demosthene, de causis quae adferunt exitium regnis et magnis civitatibus, conversa a Ph. Mel.***

Non urbem superi cupiunt evertere nostram,
Et nobis, nisi sint Numina laesa, favent.
Ac nostrae custos arcis Tritonia Pallas,
Perpetua cura moenia nostra tegit.
Ipsi sed patriam sceleratis mentibus ultro
Conantur cives dilacerare suam.
Nam precio quidam vendunt legesque fidemque,
Aurum qui nullo iure modoque petunt.
Saevitiam exercent, et tristia crimina caedis[1]),
Induat ut iustus civibus arma dolor.
Pars studet et sancire domestica damna rapinis,
Exhausit patrias cum male luxus opes.
Diripiuntque urbis patrimonia publica nostrae.
Et sibi divitias vique doloque parant.
Et non iustitiae formidant numen et iram,
Consiliis superum quae Dea semper adest.
Haec oculis cernit vigilantibus omnia facta,
Nemo putet falli Numina[2]) posse Deum.
Et quamvis poenas differt aliquando, tacetque:
Mente tamen memori facta nefanda notat.
Exigit et tandem poenas, non regna nec urbes
Effugiunt clades, quas meruere, graves.
Hinc urbs divitiis quondam, imperioque superba,
Servitii patitur tristia iura modo.
Aut rabidi cives in mutua vulnera stringunt
Exorta gladios seditione suos.
Aut validos hostes sine causa forte lacessunt,
Sopitumque movent quod fuit ante malum.
Namque urbs, quae socios iniustis provocat armis,
Mox ruet, et subitis est peritura modis.

---

1) *et — caedis*] *rapiuntque tyrannida quidam* Basil. et Scripta.
2) *numina*] *lumina* Basil.

Casibus his validae gentes delentur et urbes,
Pro spreta poenas quae pietate luunt.
Et si qui patriae excidio [3]) fortasse supersunt,
Posthac fata illos non leviora manent.
Extorres, sine spe, sine sede, inopesque vagantur.
Aut emti precio vincula dura gerunt.
Sic partem fert quisque suam cum publica clades
Incidit, et prohibet ianua nulla malum.
Non latebrae quenquam fugientem abscondere possunt.
Intrant in thalamos [4]) publica damna tuos.
Haec moneo cives, nec fabula ficta putanda est:
Leges atque Deum spernere, crede, nocet.
Sed placidam retinet pacem reverentia Iuris,
Peccanti quae non parcere lenta solet.
Haec prohibet turpem luxum, frenatque rebelles,
Crescere nec patitur semina sparsa mali.
Iudicis emendat fraudes, violentaque facta,
Nasci inter cives dissidiumque vetat.
Denique vita hominum tranquilla et honesta manebit,
Servandi leges dum pia cura manet.

---

**No. 150.** **an. 1538.**

Opp. Mel. Basil. T. V. p. 335. et apud Vincent. p. 188., qui adscripsit annum 1538.

***In Cornelii Taciti libellum de moribus Germanorum ad Ioann. Lutherum.***

*Ἡδὺ ἑῆς πατρίδος γνῶναι ἀρετὰς καὶ ἀγῶνας,*
*Καὶ ταχ᾽ ἐφορμήσει πρὸς καλὰ τοῦτο φρένας,*
*Ταῦτ᾽ οὖν γερμάνων, ὦ παῖ μεγαλήτορος ἀνδρός,*
*Σπεῦδ᾽ ἀρηιφίλων ἔργα παλαῖα μαθεῖν.*
*Ποῖον ὁ Ἀρμίνιος ποτ᾽ ἀμυνάμενος περὶ πάτρης,*
*Δουλοσύνης ῥήξας ἐχθρὸν ἀφεῖλε ζυγόν,*
*Τοιοῦτοι δ᾽ ἀγαθοῖς μόχθει ἄνδρεσσι πρέπουσι*
*Τοῖς πατρίδος νομίμοις χερσὶν ἀρηγέμεναι,*
*Εἰδὲ σῷ ἂν ζεῦξεν τοῖον πατρὶ μοῖρα στρατηγόν,*
*Οὐκ εἴη ἀθέοις νυνὶ τυραννίδ᾽ ἔχειν.*

---

**No. 151.** **(an. 1538.)**

In opp. Mel. Bas. T. V. p. 335. et apud Vincent. p. 156.

3) *excidio patriae* Basil. et Scripta.
4) *In thalamos penetrant* Basil. et Scripta.

***Hesiodus lib. II.: ἐργ. καὶ ἡμερ.***

*ἦμος κόκκυξ κοκκύζει δρυὸς ἐν πετάλοισι,*
*τὸ πρῶτον τέρπει τε βροτοὺς ἐπ᾽ ἀπείρονα γαῖαν.*
*τῆμος ζεὺς ὕον τρίτῳ ἤματι, μήδ᾽ ἀπολήγοι,*
*μήτ᾽ ἂρ ὑπερβάλλων βοὸς ὁπλὴν, μήτ᾽ ἀπολείπων,*
*οὕτω κ᾽ ὀψθότης πρωτηράτῃ ἰσοφαρίζει.*

Cum cuculus raucum [1]) querną super arbore cantum
Ingeminat, laetusque novi ver nunciat anni,
Continuo e coelo foecundus defluit [2]) imber.
Si large [3]) ille boum vestigia flumine replet,
Clara diem terris dum quartum aurora revexit,
Irrigat, atque siti morientes recreat herbas.

---

**No. 152.** **(an. 1538.)**

Opp. Mel. Basil. T. V. p. 335. Vinc. p. 189.

***Ex Hesiodo:** τῆς δὲ ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν.*

Virtutem voluere Dii sudore parari,
Longa via est ac ardua quae perducit ad illam,
Inque aditu primo longe est asperrima, sed cum
Veneris ad summum facilis iucundaque fiet.

---

**No. 153.** **(an. 1538.)**

Opp. Mel. Basil. T. V. p. 334 sq. Vincent. p. 168.

***Versus Hesiodi, quos Aeschines oraculum nominat:** πολλάκις ξυμπάσα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ* etc.

Unius ob culpam saepe urbs dabit integra poenas,
Iustitiam spretis violat qui legibus, inde
Supplicium iratus de tota Iupiter urbe
Sumit, et immittit, miseris pestemque famemque,
Strata iacent varia morientia corpora clade,
Ac *) cecidit fugiens victorem exercitus hostem,
Avulsive solo merguntur in aequore muri,
Fluctibus aut mediis poenas dabit obruta puppis.

1) Basil. *rauco gugulus.*
2) Bas. *depluet.*
3) Bas. *largo.*
*) *Ac*] Bas. *Aut.*

No. 154. (an. 1538?)

Opp. Mel. Basil. T. V. p. 339. Vincent. p. 182.

*Epitaphium D. Casp. Lindemann.*

Hic sita Lindemani sunt frigida Casparis ossa,
Qui Medica clarus Doctor in arte fuit.
Et quoniam insigni doctrinae adiunxerat usum,
Saxonici Medicum contigit esse Ducis.
Tantum illi perperere decus moresque fidesque,
Egregia quantum laudis ab arte tulit.
Quare perpetuum tali ratione favorem,
Iudicio meruit Principis ille boni.
Pectore non ficto numen coeleste colebat,
Te fontem medicae Christe professus opis.
Ergo animae ipsius concedas maxime Christe,
In gremio ut vivat non moritura tuo.

---

No. 155. (an. 1538?)

Opp. Mel. Basil. T. V. p. 338. Vincent. p. 188.

*Epitaphium Ioan. a Mingvitz.*

Hic tumulo placida defunctus morte Ioannes,
Mingvitiae gentis gloria summa cubat.
Qui generis titulos auxit virtutis honore,
Quam semper summum credidit esse decus.
Ipsius in gravibus prudentia cognita rebus,
Et mens consilio plena, fideque fuit.
Eloquio flexit magnorum pectora Regum,
Artibus et cunctis floruit ille togae.
Et pius ad patriae respexit commoda semper,
Atque autor dubio tempore pacis erat.
Quare difficiles aulae moderator habenas
Saxonici rexit consiliumque Ducis.
Ergo illum quamvis properantia fata tulerunt,
Virtutis durat gloria magna tamen.
Tu quoque des illi coelestis, gaudia vitae,
Quae petiit votis maxime Christe piis.

---

No. 156. an. 1539.

Apud Vincent. p. 67., qui margini adscripsit: „anno 1539. Francofordiae ad Moenum". Etiam in Mel. select. Declam. Tom. II. p. 217.

*Ad studiosam iuventutem.*

Si decus Ausoniae linguae retinere studetis
Si cupitis recte verba latina loqui,
Cura sit a teneris Vatum cognoscere scripta,
Eloquii fontes hos sciat esse puer.
Horum pectoribus motus Deus indidit acres,
Sublimemque dedit Musa canora sonum.
Verum non satis est legisse poëmata tantum,
Accedat studiis altera cura tuis.
Ut doctis digitis exempla effingere certes,
Cogere et in numeros verba soluta novos.
Hic labor ingenii vires acuitque fovetque,
Hinc venit eloquii copia, forma, nitor.
Hoc si languescet studium, si ignara iuventus
Non perferre volet taedia longa styli:
Hei mihi quae clades reliquas iterum obruet artes
Barbaries tenebras invehet atra novas.
Ad Vates igitur docilis revocanda Iuventus,
Hinc sibi sermonis lumina clara trahat.
Et quanquam oblectent numerique sonique legentem:
Rerum animos gravitas plus tamen ipsa capit.
Naturam rerum totam pinxere Poëtae,
Et morum quae sit norma sequenda, docent.
Hi monstraverunt coeli fastigia primum,
Non mergenda mari quae Cynosura notat,
Ut teneant metas errantia sidera certas,
Signifero Phoebi quae sit in orbe via.
Tardior aestivo cur Phoebus in axe vehatur
Cum superat noctis tempora longa dies.
Brumaque cur noctes extendat frigida, quando
Ima tenet celeres orbita solis equos.
Lumine cur careat cum Soli proxima Luna est,
Et medio fratrem cur tegat ipsa die
Ut Lunam involvat tellus ingentibus umbris,
Et vetet opposito lumine posse frui.
Quasque vices servent orientia sidera coelo,
Et quo discedant ordine mersa mari,
Quae stellae diros moveant, urantque Cometas,
Ac flammis istis suppetat unde vapor.
Ne causas recitant tantum, sed fata Poëtae
Describunt, fieri nec temere ista monent.
Esse Deum rerum autorem testantur, et istum
Mentibus humanis haec dare signa ferunt.
Cui non res libeat studiose inquirere tantas?
Dura nisi cui mens est Adamante magis.
Has complectuntur Vatum monumenta bonorum,
Quantum ipsas homini cernere posse datur.
Ergo dexteritas, et docti cura Mycilli
Ad Musas lector cum tibi monstret iter:
Hoc duce Parnassi celsas ascendito rupes,
Et tua doctrinae fontibus ora riga.

**No. 157.** **an. 1539.**

In opp. Mel. Basil. T. V. p. 839. Apud Vincent. p. 191. — Mortuus est Metzlerus a. 1539. Vid. epp. Vol. III. p. 682.

### *In tumulum Chiliani Metzleri, Vratislaviensis.*

Hic iacet ac placida Chilianus morte quiescit,
 Metzlero iuvenis de genitore satus.
Pectore qui clarum referens vultuque parentem,
 Fama sui generis summa futurus erat.
Si non heu misero spoliatus flore iuventae
 Hic procul a patria mortuus esset humo.
Hunc tu qui pueros coeli dignaris honore
 Perpetuo tecum vivere Christe sinas.

---

**No. 158.** **(an. 1539?)**

Opp. Mel. Bas. p. 839. Vincent. p. 191 sq.

### *Filiae praefecti Saxoniae.*

Ipse iubes ad te pueros o Christe venire,
 Atque hos perpetua morte perire negas.
Hac spe Margaridos posuere huc ossa parentes
 Nobilis ex Metia quae sata gente fuit.
Et tibi qui gemitus audis ac vota piorum,
 Commendant natam maxime Christe suam.

---

**No. 159.** **(an. 1539.)**

Apud Vincent. p. 85. — Anno 1539. ut videtur scriptum, cf. epp. Vol. III. p. 743.

### *Precatio desumta ex cap.* 16. *Lucae de Lazaro.*

Aeger et ulceribus squalens in corpore toto,
 Hic iaceo et pereunt tabida membra fame.
Divitis ante fores iacuit ceu Lazarus olim,
 Cui fastidito nemo ferebat opem.
Ut tamen a cunctis spretus, tua cura, tuoque
 Exceptus gremio Lazarus ille fuit:
Sic, aeterne Deus, tua me clementia servet,
 Et miserum dextrae protegat umbra tuae.

---

**No. 160.** **(an. 1539?)**

Opp. Bas. T. V. p. 854. Vincent. p. 220.

### *Significatio feriarum.*

Tempestiva iuvant operosas ocia Musas,
 Martini ferias sit mihi fas agere.

---

**No. 161.** **Febr. 1540.**

† Ex apographo in cod. Monac. II. p. 152. — Vide de hoc carmine epistolam ad Vitum Theod. d. 15. Febr. 1540. Vol. III. p. 955.

### *Aenigma propositum a Philippo Melanchthone cuidam amico.*

Degener a reliquis Aquilis *Gypaeetus* esse
 Dicitur, et timido pectore turpis avis.
Hunc formosa tamen Siren amat, inque marinos
 Accessit scopulos carmine blonda suo.
Scilicet ut fortis corvorum inde agmina pellat,
 Et Nysos nota de statione fuget.
Sed virtutis habet non tantum ignava volucris,
 Ipsis quae corvis obvia praeda venit.
Cur igitur venit huc? ut, si qua cadavera restant
 Dulichia quae sunt de rate sparsa, voret,
Aut ut Musarum volucres Pegnesside *) ripa
 Arceat e scopulis deiiciatque suis.

Aristoteles
*γυπαίετος ἔχει τῶν ἄλλων ἀετῶν*
*κακὰ πάντα, ἀγαθὸν δ' οὐδέν.*

---

**No. 162.** **an. 1540.**

Apud Vincent. p. 29., qui adscripsit: an. 1540. Item in Scriptis public. T. III. p. 253.

### *In Psalmos Davidis.*

Esse Deum aeternam mentem, quae cuncta creavit,
 Mundi totius machina pulcra docet.
Plus tamen est sic nosse Deum, quod vota piorum
 Audiat et gemitus pondus habere sinat.
Id tibi promittunt haec coelo oracula missa,
 Iessaei vatis quae sonuere fides.
Hinc igitur moestis solatia firma petantur,
 Hunc quaerat portum mens tremefacta sibi.
Amphion cantu scopulos traxisse putatur,
 Et potuisse Orpheus flectere voce feras:
Attamen hos longe Davidis carmina vincunt,
 Quae mentem e media ducere morte solent.

---

*) Pegnitz, ad cuius ripam sita est Noriberga.

**No. 163.** **an. 1540. ut videtur.**

Opp. Bas. T. V. p. 340. Apud Vincent. p. 205.

*Psalmi primi paraphrasis.*

Ocia non animis secura pecunia confert,
  Nec vitae tutus, credite, portus erit.
Denique nemo suo vallum sibi Marte parare
  Contra fortunae iura vicesque potest.
Felix ille Deo quisquis Duce fidit, et huius
  Ambiguum vitae lege gubernat iter.
Hunc pater in dubiis rebus tegit optimus, atque
  Defensum in gremio gestat ubique suo.
Utque nihil laedunt hyemis mala frigora Palmam,
  Illaque perpetui veris honore viret:
Sic etiam iste malis nescit succumbere victus
  Durat, et in media vivere morte solet.

---

**No. 164.** **(eod. temp.)**

Opp. Basil. T. V. p. 340. Vincent. p. 205.

*Concio Christi ex Psalmo II.*

Quis furor est contra coelestes arma movere?
  Successu impietas est caritura viri.
In celsa tradit mihi regia sceptra Sione,
  Et mandata Deus dat nova ferre mihi.
Namque ait ipse Pater, gnatus mea summa voluptas,
  Haeres iure mihi totius orbis erit.
Huius qui sequitur Regis victricia signa
  Fortunae tutus rideat ille minas.
Maximus ista pater gnatum mandata per orbem
  Non vana in populis spargere voce*) iubet.
Vos populi gnato patris date thura supremi,
  Hoc quisquis fidit Principe salvus erit.

---

**No. 165.** **an. 1540.**

Apud Vincent. p. 129. *Versus de pudicitia ex Bachylide* vid. in epp. Vol. III. p. 1110.

---

**No. 166.** **(an. 1540.)**

Apud Vincent. p. 157. — Melanthon h. a. Euripidem in schola enarravit.

*) voce] Bas. ubique.



*Iocaste apud Euripidem ad filium Eteoclem.*

Ὦ τέκνον οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακὰ
Ἐτεόκλες πρόςεστιν, ἀλλ' ἡ ἐμπειρία
ἔχει τί λύξαι τῶν νέων σοφώτερον.
Senecta non laborat omnibus malis,
Sed, gnate, magnam habet rerum experientiam,
Dicendo polleat ut plus iunioribus.

---

**No. 167.** **an. 1540.**

Apud Vincent. p. 136. — Anno 1540. scriptum, ut intelligitur ex epist. Vol. III. p. 1090.

*Citeos fuisse in locis vicinis Macedoniae, ex Homero, Odyss. 11. manifestum est.*

Ἀλλ' οἷον τὸν Τηλεφίδην κατενήρατο χαλκῷ,
ἥρω εὐρύπυλον, πολλοὶ δὲ ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι
κήτειοι κτείνοντο, γυναίων εἵνεκα δῶρον.
Ipse Neptolemus telo traiecit acuto
Magnanimum Eurypylum genuit quem Telephus ingens,
Ceteosque olim iuxta prostravit, in arma
Coniugium quos promissum traxisse ferebant.

---

**No. 168.** **(an. 1540.?)**

Apud Vincent. p. 241.

*In itinere Vinariensi precatio.*

Σοὶ πάτερ οἶδα χάριν φάος ἠελίου ἀνάγοντι,
  ἤματα τῶν νυκτῶν κ' ἀεὶ ἀμειβομένῳ
καὶ δέομαί σε, λόγῳ ψυχὰς φωτίζε μὲν ἡμῶν,
  αἰεὶ ὃς ἐν θειῷ κόλπῳ ἔλαμψε σέθεν.

---

**No. 169.** **Sept. 1540.**

In opp. Mel. Basil. T. V. p. 359. et apud Vinc. p. 169., ubi inscribitur: „Pro Argonautis precatio in itinere Wormatiensi. — Edidit illud etiam Paulinus in histor. Isenacensi p. 148, ubi Melanthon dicitur hos versus adiecisse epistolae ad Paulum Eberum d. 24. Sept. 1540. Fecit hos versus Gothae in itinere. Cf. epp. Vol. III. p. 1125. — Vincentius inscripsit: „precatio pro Argonautis in itinere Wormatiensi."

*(Paulo Ebero.)*

Oppressit reducem, quem rexit*) Iasona navis,
  Quae tulit auricomi velleris acer opes.

*) Paulinus vexit.

Non te, Christe, tamen, quam tu regis[2]) opprimet Argo,
Sed victor servas[3]) hanc etiam incolumem.
Nos ergo in portum deducas atque gubernes,
Deleri nautas nec patiare tuos.

---

**No. 170.** **an. 1540.**

In opp. Basil. T. V. p. 359. Vincent. p. 169 sq.

***Pro incolumi reditu precatio.***

Christe tuos vates educito saltibus istis,
Rursus et incolumes in tua templa loca,
Incendasque animos, tenerasque resolvito linguas,
Ut possint laudes concelebrare tuas.
Vis etenim infantum laudari voce, dabisque
Ingeniis vires, eloquiumque piis.

---

**No. 171.** **Nov. 1540.**

Versus: „*de inquietis ingeniis*", qui in opp. Basil. T. V. p. 359. et apud Vincent. p. 162. leguntur, vide in epistolis Mel. Vol. III. p. 1163.

---

**No. 172.** **an. 1540.**

Apud Vincent. p. 86 sq. et in Scriptis publ. T. III. p. 269 b.

***Wormatiae anno 1540. Simoni Grynaeo.***

Quod Tullii tribuis laudes mihi docte Grynaee,
Hei nimium dici forte Poëta studes.
Effinxit Siculus coeli terraeque figuras,
Et quas efficiunt sidera pulcra vices:
Non tamen ille Deo potuit se aequare magistro,
Qui vitam et motum rebus inesse dedit.
Eloquium Tullii sic nemo expresserit unquam,
Quod fudit motu mens agitata Dei.
Nemo Pericleo quamvis sit praeditus ore,
Assequitur laudes Marce diserte tuas.
Interea tenui vena praeconia Christi
Dicere si potero, sat mihi laudis erit.
Et Deus infantum celebrari gaudet ab ore,
Huic ergo officium spero placere meum.

---

2) Paulin. *tegis.*
3) Paulin. *serves.*

**No. 173.** **an. 1540.**

In opp. Basil. T. V. p. 359. et apud Vincent. p. 168.

***Andreae Camitiano Iuriscons. scriptum Wormatiae an. 1540.***

Interpres Iuris, cuius doctrina senatum,
Et populi motus[1]), consiliumque regit,
Est inter cives merito ceu numen habendus,
Et vero dignus semper honore coli:
Si modo iustitiam, pacemque fidemque tuetur
Et Christi leges asserit, atque colit.
Ut qui nolebat diram defendere caedem,
Qua fratrem Caesar sustulit[2]) ipse Getam:
Ut Morus, qui, ne divortia tetra probaret,
Saevitiam subiit foede Tyranne tuam.
Non tituli insignes faciunt, nec purpura clarum,
Si vendit fumos, aut struit arte dolos.

---

**No. 174.** **d. 10. Nov. 1540.**

In opp. Basil. T. V. p. 359. et apud Vinc. p. 167.

***Andr. Camitiano Wormatiae de ipsius natali, an. 1540. die Andreae.***

Hunc Andrea diem cara cum coniuge natos
Spero equidem laetos concelebrare tuos.
Iamque pudica parens gnatum, parvasque sorores
Vota iterare iubet pro genitore suo.
Nomine nos etiam moniti, tibi fausta precamur,
Ut servet Christus teque tuamque domum.
Nec dubito, afficitur votis Deus optimus istis,
Hos audit, qui te, maxime Christe, colunt,
Tu quoque legatus nunc es pro dogmate Christi,
Ut Domini Andreas nuncius ille fuit.
Curat legatos, quos mittit rector Olympi,
Non ergo curam deseret ipse tui.

---

**No. 175.** **an. 1540.**

In opp. Bas. T. V. p. 360. et apud Vinc. p. 169.

***Erasmo Ebnero apparanti coenam poëtis (Wormatiae).***

Formicis gaudet formica, cicada cicadis,
Dulcia sic mihi sunt vestra sodalitia.
Cur igitur me non ad coenam accersis Erasme?
An quia me Vatem non satis esse putas?

---

1) *motus*] Basil. *mores.* 2) Basil. *perdidit.*

## No. 176. an. 1540.

Primum editum in Carmin. Wormatiens. Repetitum in opp. Mel. Bas. T. V. p. 360. Iterum in Mel. consil. lat. a Pezelio editis P. I. p. 408. et in epist. Mel. ad Camerarium p. 343. Denique apud Vincent. p. 170 sq. — Primum dabimus carmen Io. Sturmii tum versati Wormatiae ad Chilianum Goldstein, deinde Responsum Melanthonis, nomine Chiliani scriptum.

### A.

***Chiliano Goldstein Iohannes Sturmius Wormatiae.***

Ornatissime Chiliane, quaeris
Quid mi triste fuit per hosce menses?
Per quos iusticium videtur esse:
Indignorque fremoque quod Cochleus,
Et Sorbonicus, et niger Pelargus,
Cumque his Nausca, et Eccius Sophistae,
Pars ignobilis undecim virorum,
Regnant, et retinent suos patronos,
Et frontem feriunt, nihilque cedunt.
Hoc mi triste fuit videre monstrum.
Rursus quid recreavit ac refecit,
Audi, dum metuunt, nimisque agendo
Tam multas sibi gratias prehensant,
Avertuntque bonos, nihilque praestant,
Nos dum nil sumus, et iacemus omnes:
Victrix causa Dei manet, iacetque
Monstrum *χρυσομανὲς καὶ ὀξύθυμον*
*ποριοβοσκὸν, ἄνανδρον, ἠδ' ἀπηνὲς*
*ἠδ' ἀπροσκορὲς, ἠδὲ γαστρίδουλον,*
*καὶ μιαίφονον, ἠδὲ ἀνδρόλοιγον.*

### B.

**Responsio Phil. Melanth.**

Ut spernunt medio mari procellas
Securi scopuli, ac [1]) notos frementes:
Sic convitia, et impetus malorum,
Omnes insidias, minas, furores,
Nos contemnere iussit ille Rector [2])
Aeterno genitore natus, arma
Qui contra gerit agmina impiorum,
Et depellit Erinnyas Draconis
Irati, ac odio Dei furentis,
Defenditque chorum pium, sonantem
Vocem Evangelii, Deique laudes.
Nec Cyclops metuendus ille nobis,
Nomen qui sibi sumit Eccianum,
Qui te Christe probris lacessit audax,
Obscoenaque libidine inquinatus
Potat cum Satyris, suisque scortis.
Sed poenae venient luendae et ipsi,
Ingentemque oculum eruet superbo
Hospes de misero choro piorum,
Contemtus velut *οὖτις* ille quondam,
Sed mentem atque manus Deo regente.
Tunc *) circum Satyri hispidi iacentem,
Gibbosusque Pelargus, et Cochleus,
Edent pro Domino irritas querelas,
Sed victor statuet trophaea Christus.
Ergo nos alacres petamus, atque
Expectemus opem a parente rerum,
Exaudit pia vota qui suorum.

1) *et* Camer., Pez. et Bas.
2) *victor* Camer., Pez. et Bas.

*) *Et* Camer., Pez. et Bas.

## No. 177. an. 1540.

Scripta publ. Witteb. I. p. 20. — Legitur etiam in: Arithmeticae practicae methodus facilis per Gemmam Frisium, Medicum et Mathematicum (Wittb. 1550. 8.), ubi etiam versus graeci leguntur, quos Mel. vertit [1]). Recusum est hoc carmen apud Vincent. p. 137.

***Philippus Melanthon.* (1540.)**

Mulae asinaeque duos imponit servulus utres,
Impletos vino, segnemque ut vidit Asellam
Pondere defessam vestigia figere tarda,
Mula [2]) rogat: quid cara parens contare, gemisque?
Unam ex utre tuo mensuram si mihi reddas,
Duplum oneris tunc ipsa feram; sed si tibi tradam
Unam mensuram, fient aequalia utrique
Pondera. Mensuras dic docte Geometer istas.

1) Hi sunt: *Εὐκλείδου Γεωμετρικοῦ.*
*Ἡμίονος καὶ ὄνος φορέουσαι οἶνον ἔβαινον.*
*Αὐτὰρ ὄνος στενάχιζεν ἐπ' ἄχθεϊ φόρτου ἑοῖο.*
*Τὴν δὲ βαρυστενάχουσαν ἰδοῦς ἐρέεινεν ἐκείνου,*
*Μῆτερ τί κλαίουσ' ὀλοφύρεαι ἠΰτε κρουη.*
*Εἰ μέτρον ἓν μοι δοίης διπλάσιον σέθεν ἦρα,*
*Εἰ δὲ ἓν ἀντιλάβοις, πάντως ἰσότητα φυλάξεις·*
*Εἰπὲ τὸ μέτρον ἄριστε γεωμετρίης σύνιστορ.* (Vinc. *ἐπιίστωρ.*)
2) Vinc. *Multa*, ex mendo.

# CARMINUM PHIL. MEL. LIBER III.

## COMPLECTENS EA, QUAE INDE AB AN. 1541. USQUE AD AN. 1560. SCRIPSIT.

---

**No. 178.** ineunte anno 1541.

Opp. Mel. Basil. T. V. p. 889. et apud Vincent. p. 169.

*Concionatoribus Noribergensibus Wormatiae.*

Corda fide laudat Christus lucentia vera,
  Quaeque Deum fuci nescia rite colunt.
Et monachorum odit fraudes, simulataque vota:
  Non iniussa Deus sacra probare solet.
Haec expendemus si forte libebit adesse,
  Cras etenim vobis curia nostra patet.
O utinam simili consensu Ecclesia ubique,
  Ut nos, ac una voce Deum celebret.

---

**No. 179.** (eod. temp.)

Opp. Mel. Basil. T. V. p. 859. Apud Vincent. p. 172. Etiam editum a Strobelio in eiusd. Neuen Beiträgen zur Lit. P. III. p. 194.

*Erasmo Ebnero, Wormatiae, anno* 1541.

Qui laude ingenii studiisque excellis, Erasme,
  Quique paras morum dexteritate decus [1]),
O mihi fraterno devinctum pectus amore,
  Hisque meis oculis non mihi care minus [2]);
Mitte precor Vito quae scripsimus, atque tuere
  Nostrum, despectus sit licet illi, gregem.
Exemploque tui Musas ornato parentis,
  Quo vir non alius iustior ullus erat.

1) Bas. et Strob.: *Quique decus morum dexteritate paras.*
2) Bas. et Strob.: *Quique meis oculis charior ipse mihi es.*

Grata Deo pietas haec est, mihi crede, futura,
  Qui referet [3]) factis praemia digna piis.

---

**No. 180.** exeunte Ian. 1541.

In opp. Basil. T. V. p. 341. et apud Vincent. p. 172 sq.

*Doctori Camitiano Lipsiae an.* 1541.
(in reditu ex conventu Wormatiensi).

Saepe mihi puero dicit carissima mater,
  Qui coluit magna cum pietate Deum.
Esse scias mentem aeternam, quae cuncta creavit,
  Et iussit certa singula lege regi.
Nonne vides Solis distingui tempora cursu?
  Perque vices noctem, restituique diem?
Qui nunc aestatem, propius cum venit ad Arcton.
  Adducit, calida semina luce fovens:
Inde hyemem ducit spaciis velociter arctis,
  Virgine ab Icaria pronus ubi egit equos.
Omnia quid memorem? cunctas res ordo gubernat
  Inditus autoris numine et arte Dei.
Hic etiam in proprios volucres discedere nidos,
  Et docuit tectum condere quanque sibi.
Heu cur mens hominis *) leges oblita parentis
  Errat, et est expers ordinis una sui:
Templa Deus nidos, nidos vult esse laresque,
  Cum casta natos coniuge cuique suos.
Sed quotus hos nidos, quo debet, curat amore?
  Qui tamen id faciet, praemia magna feret.

3) Bas. et Strob. *reddit* pro *referet.*
*) Basil. *hominum.*

No. 181. (eod. temp.)

In opp. Basil. T. V. p. 861. Vincent. p. 173 sq. Apographon in cod. Monac. 90. VII. p. 23.

***De Thebe Saxonica*** (oppidulo Düben) ***an.* 1541. *in reditu ex itinere Wormat.***

Parva iacet Thebe mediis in saltibus amnis,
Hic ubi Mysorum Mulda pererrat agros,
Parva sit ista licet, Thebis certare vetustis
Multiplici poterit commoditate tamen.
Cadmeas olim fratrum discordia Thebas
Exitio, et regni dira cupido dedit:
Hic non ambitio civilia commovet arma,
Ingentes tantum quae comitatur [1]) opes.
Tuta sine invidia paupertas degit [2]) amatque
Leges, ac aequo vivere iure docet.
At luxu periit Thebe altera, proximo Nilo,
Pernities morum quae gravis esse solet.
Sed labor hic cogit frugales esse colonos,
Et desunt vitiis hoc alimenta loco.
Non tamen hic victum prorsus negat invida terra,
Labraca cum percis [3]) et tibi Mulda dabit.
Adde Evangelii lucem, quae his fulget in oris,
Hoc nullum poterit grandius esse bonum.
Felix cui dederit mediocria commoda vitae
Ipse Dei gnatus, notitiamque sui.

No. 182. (eod. temp.)

Apud Vincent. p. 174.

***De pago Melan prope Thebas Saxonicas anno* 1541.**

Qui modo dispersis veluti magalia tectis
Pagus Saxoniam dividit atque Mysos.
Urbs Mediolanum quondam his amplissima terris
Arx Henetos contra, barbariemque fuit.
Nunc nihil antiqui decoris, nisi nomen inane
Servat, et in saltu iam sine honore iacet.
Omnia sunt hominum venturae obnoxia morti,
Et faciunt subitas tristia fata vices.

1) Apogr. *comitantur*.
2) Apogr. *tegit*.
3) Apogr. *parcis*.

No. 183. d. 11. Mart. 1541.

Apud Vincent. p. 174 sqq.

***De eclipsi Lunae futura d.* 12. *Mart.* 1541. *Elegia.***

Cras ubi venturae sub prima crepuscula lucis,
Ibit ab Eois Lucifer ortus aquis:
Quisque ad auroram Musis consurgis amicam
Et linquis placidi mollia strata thori:
Suspicias pleno lucentem corpore Lunam,
Et mox naturae triste videbis opus.
Namque reversurus nocturnis Phoebus ab undis,
Dum ducis astrorum sidere fertur Ovis.
Occupat adversum Phoebe pulcherrima libram,
Qua nitet octavae regia moesta plagae.
Terra sed in medio solares impedit ignes,
Hinc Lunae involvit tristior umbra caput.
Illa diu frustra caecis luctata tenebris
In fortunato sub sene pressa gemit.
Nequicquam timidus spectator Iuppiter astat,
Occidua coeli quem Leo parte tenet.
At Phoebo iniustis gaudens Mars impius armis
It comes, et saevo fulminat ore minas.
Quis duros adeo lapides in pectore gestat?
Quis secura adeo vivere mente potest?
Cui non corda timor, cui non stupor occupet artus?
Haec quoties coeli tristia signa videt.
Nam velut eventus signa est saepe ante secutus,
Sic haec effectu nemo carere putet.
Legibus insidias veniens fallacior aetas,
Hei minus ad fraudes ingeniosa, struet.
Et sceleri nomen praetexere discet honestum,
Autolycique sibi quaeret ab arte decus.
Forsitan et facient de relligione cothurnos,
Qui te fucato pectore Christe colunt.
Dirum etiam plebi rursus portenditur omen,
Quae subito casus est habitura graves,
Verum haec cura Deo sit commendata, precandum est,
Ut tantas coeli mitiget ille minas.
Illum adeo imploret iustis Ecclesia votis,
Aerumnas melius nulla medela levat.

No. 184. 22. Mart. 1541.

In opp. Basil. T. V. p. 861. Apud Vincent. p. 1 sq. — Adscripsit Vincentius margini: „anno 1541. in itinere Ratisbonensi 22. Martii." Vid. quae de hoc carmine Melanthon scripsit ad Vitum Theodor. epp. Vol. IV. p. 151.

### *Detestatio negligentiae ex Capite 17. Exodi.*

Acer Idumaeus loca per deserta vagantes
  Acere Ebraeos finibus ausus erat.
Conseruitque manus, sed Moses arma suorum
  Adiuvat, et precibus praelia magna ciet.
Et vincit quoties palmas ad sidera tendit,
  Quemque vocat, coram sentit adesse Deum.
Brachia sed quoties iterum lassata remittit,
  Cogitur Ebraei cedere turba Ducis,
Ergo die toto dum fusus pellitur hostis,
  Erectas palmas ut tenuisse queat:
Subiicitur cubitis orantis saxea moles,
  Sollicitoque suis corde petentis opem.
Sic quoties curamque precesque remisimus ipsi,
  OCIA securis insidiosa nocent.
Illecebrae vacuas subeunt dulcedine mentes,
  Et facile in vitium pectora prona trahunt.
Exacuant igitur tot nostra pericula curas
  Propositae nobis exitiique viae.
Nec quisquam putet his se emergere posse procellis,
  Auxilium praesens ni Deus ipse ferat.
Conditor aeternus vera est tibi voce rogandus,
  Hunc tamen ut places, ara petenda tibi est.
Nulla est grata Deo, nisi Christus filius, ara,
  Qui luit officio crimina nostra suo.
Huic impone manus, huic toto incumbito corde,
  Ad patrem nostras perferet ille preces.

---

## No. 185. an. 1541. Ratisbonae.

Apud Vincent. p. 28 sq. Item in Scriptis publicis Acad. Wit. T. III. p. 262 b. Apographon in cod. Goth. 25. No. 9.

### *De lectione Psalmorum Davidis.*

Membra rudi e terra primorum quando parentum,
  Arcana finxit maximus arte pater.
Adflavitque haustas proprio de pectore mentes:
  Nos, admirandum condidit autor opus.
Notitiam ipsius late ut spargamus in Orbem,
  Ut laudent nomen terra polusque Dei.
Alter honos tamen ad doctrinam accedere debet,
  Assidua ut quaeras voce parentis opem.
Utque Deo semper tales reddamus honores,
  Aeternam vitam filius ipse dedit.
Haec tibi Davidis proponunt carmina Vatis,
  Ut laudes tribuas, et pia vota Deo.

## No. 186. 4. Apr. 1541.

In opp. Mel. Basil. T. V. p. 262. In Scriptis publ. T. III. p. 259 b. Asservatum est autographon bene scriptum alia manu (nam Melanthon ipse dextra illo tempore uti non poterat) in cod. Gothano No. 25. in 4. p. 1., quod Melanthon sua manu in tribus fere locis correxit, et cuius fronti haec verba inscripsit (ad Paulum Eberum, cui carmen misit): „*ostende Reverendo d. Pastori doctori Ioh. Pomerano; poterit, si illi videbitur, praefigi libello de ordinatione.*" Ex hoc autographo, typographo statim tradita prodiit archetypon sic inscriptum: „Collatio de impositione manuum in dedicando sacerdote et dedicanda victima, scripta in Conventu Ratisbonensi a Philip. Melanth. Anno M. D. XLI." In fine: „M. D. XLI. mense Aprili. Vitebergae per Iosephum Clug. 1 pl. 4." — Historiam huius carminis cognosces ex epist. Mel. Vol. IV. p. 138. 146. 148. 149 sq. 172. Nos hic textum dedimus ut legitur in autographo et archetypo.

### *Collatio de Impositione manuum in dedicando Sacerdote, et dedicanda victima.*

Mos vetus et prima deductus origine mundi
  Traditus et sancta relligione patrum est*),
Sacrifici manibus pecudis contingere frontem,
  Hostia quae pura est iam facienda Deo.
Norma sacerdotem similis cur dedicat ipsum?
  Imposita cur fit sanctus et ipse manu?
Testatur ritus puram esse, Deoque dicatam,
  Ante aras pecudem quae ferienda cadet.
Sic inculpatum mos hic iubet esse ministrum,
  Qui iam Doctoris munus obire volet.
Non aliquo sit mens polluta errore prophano,
  Vitaque ad exemplum crimine tota vacet.
Addictusque Deo divina oracula tradat,
  Officii metas norit et ille sui.
Lege datos fasces aliis permittat habendos,
  Nec rector trepidi gestiat esse fori.
Non vulgi frenos populari deditus aurae,
  Nec morum laxet vincula grata Deo.
Nolit ad adfectus regum, coecosque furores
  Flectere ceu turpis iuraque fasque Gnatho.
Quisque manum imponit rectoris nomine summi,
  Semper ut huic curet subditus esse iubet.
Doctrinam, moresque regant coelestia dicta,
  Et nova non ausit condere iura sibi.
Heu quantam rerum molem, quae pondera Doctor,
  Infirmis humeris ille gerenda subit?
Seu cupidas Regum mentes frenare studebit,
  Seu populum ad mores vult revocare bonos.
Numina seu conficta dolo detrudet ab aris,
  Impia Pontificum diminuetque lucra.

---

*) *est* habet hic autographon, cui Melanthon sua manu *est* addidit, et archetypon. Hoc *est* Vincentius delevit.

Seu fictam monachis personam detrahet, atque
  Asseret aeterni dogmata vera Dei.
Quas feret aerumnas furiis agitantibus hostes?
  Tollere qui e medio tale Catharma volent.
Sic etiam Doctor sincerus victima fiet,
  Assidueque litat sanguine et ipse suo.
Ecce tenes causas, cur ritus dedicat [2]) idem,
  Et pecudem et mysten qui pia sacra facit.
Ista sacerdotis Christi verissima imago est,
  Muneris huic detur gloria prima sacri.
Hic sine labe fuit, claraque in luce parentem
  Et videt, et vero semper honore colit.
Huic Deus ipse manum imposuit, iussitque docere
  Arcana aeterno dogmata promta sinu.
Hunc pressere manus et iussa severa parentis,
  Supplicio ut lueret crimina nostra suo.
Hunc licet inferior, comitatur caetera turba,
  Officii titulum cui dedit ipse sui.
Vult Evangelii custodes semper haberi,
  Militia socios semper et esse suae.
Cum mater vocat hos Ecclesia nomine Christi,
  Mandat et imposita munera sacra manu:
Admoniti discant istius imagine ritus,
  Hic ordo quantum polliceatur opus.
Ut pecus ante aras quondam sacrata cadebat,
  Tosta Deo ut fierent viscera suavis odor:
Victima sic etiam Christo fit quisque sacerdos,
  Laudibus ut fragrent terra, polusque Dei.
Talis Abel tenerum pure mactaverat agnum,
  Agnus at exitio mox datus ipse fuit.
Consilio patrias Esaias rexit habenas,
  Et trepidis portus civibus ille fuit.
Depulit Assyrium Solymis a moenibus hostem,
  Victori ponens clara trophaea Deo.
Iamque senex centum vitae confecerat annos,
  Cum serra scissus victima et ipse fuit.
Nemo potest memorare omnes, spectabimus omnes,
  Cum Deus induerit corpore quemque novo.
Talia sed quaedam prodest exempla tenere,
  Non Baptista igitur praetereundus erit.
Hic Evangelio monstrato tradidit Agno,
  Placatum nobis qui facit esse Deum.
Et Pharisaeorum taxant deliria, ritus
  Fucosos vetuit pro pietate sequi.
Iustificamque fidem docuit Iordanis ad undam,
  Et rupes Gnathum [3]) iam sonuere Dei.
Sordibus humanis Lex obscurata iacebat,
  Huic etiam lucem reddidit ille suam.

2) Archetyp. *dedicet*, ex mendo.
3) Archetyp. et Bas. *natum*, mendose.

Congrua descripsit civilis munera vitae,
  Iuraque militibus, iudicibusque dedit.
Atque fidem iussit lucere in rebus agendis,
  Notior ut fieret gloria vera Dei.
Coniugii sancit legem, damnatque Thyesten,
  Uxorem, fratris qui rapere ausus erat,
Quare Baptistam crudelis adultera perdit,
  Qui moriens veluti victima caesa iacet.
Notitiae Christi Stephanus, non sanguine Tauri
  Restitui vitae dona perennis, ait.
Concio Pontifices ingrata accendit avaros,
  In caput ut iacerent aspera saxa viri.
Utque alios multos sileam, fit victima Paulus,
  Eoo Christi nomen ab orbe gerens.
Et dum sex lustris terraque marique vagatur,
  Ac Evangelium spargit ubique Dei:
Et negat extingui mentem divinitus ortam,
  Corporis e vinclis quando soluta fugit.
Proponensque malis poenas, et praemia iustis
  Arbitrio vero distribuenda Dei:
Iustitiam monstrat, quam Christi propter honorem
  Aeternus nobis dat pater, atque probat.
Interea pugnae, pugnisque pericula iuncta,
  Tam longo exercent tempore mille virum.
Dum tandem ferienda dedit sua colla Neroni,
  Et iacuit tanquam vile cadaver humi.
Nostra etiam vidit quanquam infelicior aetas,
  Qui vitae Christum praeposuere suae.
Hic ubi diviso Batavorum est insula Rheno,
  Suduaniam in ripa dure Sicamber habes.
Haec tulit Henricum civem, quem vidimus ipsi,
  Florentem studiis, ingeniique bonis.
Hic toto Christi spirabat pectore amorem,
  Cui studuit vera reddere vota fide.
Eximiaque suos mores pietate regebat,
  Virtutum exemplum posset ut inde capi.
Quicquid id est, quod de natura Graecia scripsit,
  Artibus excultus norat et ille bonis.
Quas teneat metas dum totum perficit annum,
  Aureus obliquo Phoebus in orbe means.
Longius a terra cum summo tardus in axe
  Volvitur, arentes cur premit aestus agros.
Cur, quoties imo velocior ibit in axe
  Et propior terrae, frigida Bruma venit?
Haec ita contemplans autorem, agnoscere iussit,
  Et pura grates dicere mente Deo.
Haec ait ostendunt nobis illustria signa
  Aeterna mundum non sine mente regi.
Altera sed potior fuit illi cura tenere,
  Extant quae nobis tradita voce Dei.

Hoc Doctore iterum Bremensi inclaruit urbi
 Unius Christi munere parta salus.
At quia divinos statuis [4]) detraxit honores,
 Exitium Monachi qualibet arte struunt.
His furiis mitra ornatus dedit arma Tyrannus,
 Qui tandem oppressum non procul urbe necat.
Heu cur tam subito orbata est Ecclesia tali
 Lumine, quo posthac debuit illa frui.
O dilecte mihi ante alios Henrice, laboris
 Nunc partem nostri te tolerare velim.
Talia praeconum quamvis sunt fata piorum,
 Membra iacent saevis et lacerata modis:
Non periere tamen, sed habent commertia laeti
 Cum Christo, vivis agminibusque patrum.
Huius, cum stanti tibi frons tangetur ad aram,
 Te fieri socium noveris ipse chori.
Pontificemque scias tibi Christum imponere dextram [5]),
 Poscenti vires et dare velle novas.
Proh quanto a falsis mystae discrimine veri
 Distant, hoc etiam nos meminisse decet.
Nemo potest unquam censeri iure sacerdos,
 Contra Evangelium qui fera bella gerit.
Quique furens audet nova fingere Numina, quique
 Sacra facit nulla tradita voce Dei.
Tales sacrifici celebrabant Orgia Baccho,
 Errans cum thyrsis ebria turba suis.
Et Salii Martis tales ignota sonabunt
 Carmina cum gererent scuta vetusta manu.
Sacrificos similes creat et nunc Roma prophana,
 Qui propter ventrem numina falsa colunt.
Hos fuge, et a veris Christi discerne ministris,
 Pure Evangelii qui pia iussa docent.
Denique vota pii faciant, summumque parentem
 Assiduis precibus, quod iubet ipse, rogent,
Ut populum per quem vero celebretur honore,
 Augeat, et semper protegat, atque regat.
Foelicesque duces addat, doctosque ministros,
 Larga Evangelii messis ut esse queat.
Arceat et Christi grassantem dextra Draconem,
 Ne ferus humanum devoret omne genus.
Servet opus Pater aeternus quod condidit, atque
 Notitiam extingui non sinat ipse sui.

4) Vinc. *status*, ex mendo.
5) Vinc. *dextra*, ex mendo.

No. 187. mense Maio 1541.

Melanth. Consil. lat. I. p. 458. Item Scripta publ. T. III. p. 266. et Vincent. p. 83.

***Somnium Philippi de hyaena in comitiis Ratisbonensibus.*** **(1541.)**

Me iussere Duces fallacem pingere hyaenam
 Et monstri speciem proposuere mihi.
Tetra erat ex variis moles confusa figuris,
 Tectaque liventi sanguinolenta cute.
Virginei vultus, sed torva micantia flammis
 Lumina saevitiae tristia signa dabant.
A collo gemini pendebant membra draconis,
 Scillaei tandem pars erat ima pedes.
Horrebam aspiciens, et toto corpore sanguis,
 Ac pene extincto sanguine vita fugit.
Ut pingam tamen illi urgent, non obsequor, aio
 Iratus, pingi non bene posse pedes.
Quo ruitis proceres? Qui mentes occupat error?
 Cur templo infertis talia monstra Dei?
Excutior somno, gelidus cum pectore manat
 Sudor, et e subito membra pavore stupent.
Nonnihil hac moneor fortassis imagine: sed te,
 Christe, rogo, ut praesens *) pectora nostra regas.

No. 188. an. 1541.

Apud Vincent. p. 168.

***In hyaenam Ratisbonensem.***

Emendare strophas huius, fraudesque libelli,
 Non multae possunt, una litura potest.

No. 189. an. 1541.

Apud Vincent. p. 84 sq. et in Scriptis publ. T. III. p. 267 b. Vincentius margini adscripsit: „*Ratisbonae an.* 1541."

***In Wintoniensem defensorem coelibatus.***

Qui castitatem magnis laudibus vehis,
Contraque sanctum disputas connubium,
Tu quisquis ille coelibum admirator es,
Omitte iam tua cogitata callida

*) *praesens*] Pez. et Scripta *placidus*.

De coniugum ac de coelibum discrimine,
Et te, tuosque contuere coelibes,
Quae vestra vitae puritas sit istius.
Quod si impudicitiae omnibus plenam notis
Libidinumque spurcitati videris,
Fucis nefandas turpitudines novis
Ornare cesses. Falsa enim praeconia
Mores refutant et tui et gregalium.
Nam quid, Deus bone, tu, tuumque istud genus
Effoeminatim, molle, quale erat Phrygum,
Idaea currum qui sequentes per iuga
Matris Deorum pulsitabant tympana,
De continentia, atque castis moribus
Speciosa verba sanctimoniae datis,
Non castitatem vos profecto quaeritis,
Sed huius ut sub dignitate et nomine
Impune libereque turpitudini,
Et serviatis moribus nequissimis.
*ἀχημονοῦντες ἐν τρόπων πονηρίᾳ*
*πάσῃ τ' ἀσελγείᾳ θεοῦ γοῦς βίου.*

---

**No. 190.** **(an. 1541.?)**

Apud Vincent. p. 76., qui margini adscripsit: „*Hoc Epigramma suspicamur non esse Philippi, sed alterius cuiusdam, quod tamen expungere noluimus.*" — Videtur eodem tempore in conventu Ratisb. factum.

***Epigramma, quo contra Papalia monstra commendatur coniugium pium.***

Quicunque insano temnit connubia fastu,
  Coniugii autori displicet ille Deo.
Namque adeo infectus primaevae crimine culpae,
  Dum vitae adfectat non nisi suave genus:
Non videt esse Dei munus quod sanciit ipse,
  Sancitumque sua pro bonitate iuvat.
Sed natus vitiis vivit, vitiisque senescit,
  Invenit in vitiis et sua fata suis.
I nunc et mundo vitam mentire pudicam,
  I nunc cum monachis impie Papa tuis.
Ite quibus sordent civilis munia vitae,
  Quae parit a magno consita planta Deo.
Ite quibus sordent tenerae Davidis olivae,
  E quibus humanum prodiit omne genus.
E quibus Imperia, et leges nascuntur, et urbes,
  Longinqua celebrent ut pietate Deum.
Dum loquor exitium felix tibi nunciat omen,
  I nunc cum monachis impie Papa tuis.

**No. 191.** **an. 1541. m. Aug.**

Apud Vinc. p. 80. — Epistolam ad *Ioann. Caesarium* de conventu Ratisbon. quaere in epp. Vol. IV. p. 639.

---

**No. 192.** **an. 1542.**

† Ex apographis in cod. Monac. in 4. 89. No. VI. p. 40b. et in cod. Paris. D. L. 54a.

***Iohanni Marcello Regiomontano.***

*Τοῦτο γέρας μικρόν ἐστι γαμήλιον, ἄλλο δὲ μεῖζον*
*Σπουδάζει δοῦνα, ὦ φίλε, θύμος ἐμὸς*
*Σὸν γὰρ ἀεὶ ὑμέναιον ἐπεύχομαι εὐτυχῆ εἶναι* [1]),
  *καί σε βίον χριστὸν παντὸς ἔχειν φύλακα.*
*Εὐσεβέων δ' εὐχαὶ ἀγαθοῖς δῶρ' εἰσὶν ἄγαστα* [2]),
  *Ὧν μὲν ἐγὼ χρυσοῦ ἀντὶ θέλοιμι τυχεῖν.*

---

**No. 193.** **an. 1542.**

Apud Vincent. p. 76 sq.

***De motu astrorum in Theoricas Planetarum.***

Non ferri casu pulcherrima corpora mundi,
  Verum mente regi, consilioque Dei:
Testatur Phoebus qui certis legibus annum
  Conficit, et notis itque reditque viis.
Et gratis vicibus lucem noctemque reducit,
  Et tempestivo nata calore fovet.
Temperat et radios quos excipit humida Luna,
  Distinguens annum mensibus ipsa suis.
Denique cuncta suis labuntur sidera metis,
  Naturam propriis officiisque iuvant.
Haec cum suspiciens oculis ac mente notabis,
  Autorem agnoscas, et venerere Deum.
Hic nobis haustam proprio de pectore mentem
  Inseruit, iusti notitiamque dedit,
Ergo etiam scelerum poenas hic exigit ultor,
  Virtutumque dabit praemia grata piis.

---

**No. 194.** **an. 1542.**

† E cod. Goth. 401. p. 246b.

***P. Mel. D. C. C. anno 1542.***

Seu te fucosis invitat honoribus aula,
  Semper erunt comites cura dolorque tibi;

---

1) Cod. Paris. *δοῦναι.* 2) Cod. Paris. *ἄγασται.*

Seu furor invisus mutatae excluderis aulae
  Solliciti tangunt anxia corda metus.
Sed si pertuleris animo fastidia magno
  Non poterit longi temporis esse dolor,
Et musis posthac tranquilla mente vocabis,
  Barbara quas nunquam non vetat aula coli.
    *Aulica vita splendida miseria est.*

---

**No. 195.** **Nov. 1542.**

*Versus in Danielem Ioann. Stigelii*, quaere in epistolis Mel. Vol. IV. p. 898.

---

**No. 196.** **(fortasse hoc temp.)**

Apud Vinc. p. 13.

### *In Danielem Prophetam.*

*Δειχθείσας τεράεσσιν ἰδὼν φοβεροῖς βασιλείας.*
  *Ὀῤῥωδεῖς ἀρχὰς πήματα τοῖα ὁρῶν.*
*ἴσθι θεὸν δ' ὅτι γὴν ὠμοῖς ὑπέταξε τυράννοις,*
  *πάντα φέρον ὀργῇ αἴσυλα ἔργα βροτῶν.*
*ἐστὶ δὲ φθίνοντος κόσμου σχετλιώτατον ἄχθος,*
  *ἡ μιαρῶν τούρκων αἰνὴ ἀτασθαλία.*
*ἄτη γὰρ πλεῖον πυμάτῳ αἰῶνι προκόψει,*
  *καὶ ἀτρεκὴς ἔσται πίστις ἀμαυροτέρα.*
*καὶ σπινθῆρα μόγις θειῶν τηρήσει ἐφετμῶν,*
  *τῷ χριστῷ ὀλίγον τάγμα συνηγορέον.*
*ἥξει δ' ἀϊδίου υἱὸς πατρὸς αἶψα δικάζειν,*
  *καὶ ἐναργεῖς ἐχθροὺς ἶφι κολαζόμεναι.*
*θαρσεῖ τ' οὖν σωτῆρ' ἅγιοι ποτιδέγμενοι αὐτοῦ,*
  *καὶ μὴ μαργώσαις φρεσσὶ λάθεσθε λόγων.*

---

**No. 197.** **(fortasse eod. temp.)**

Apud Vincentium p. 239.

### *In animalia pingentia Monarchias Danielis 7.*

*Ἔνθα δὲ θῆρας ἰδὼν στυγερῶν σημεῖα τυράννων,*
  *θαυμάζεις ἀρχῆς πήματα τοῖα πέλειν.*
*ἴσθι θεὸν δ' ἀνόμοις ὑποτάξαι γῆν βασιλεῦσιν,*
  *ὅττι φέρει ὀργῇ αἴσομαι ἔργα βροτῶν.*
*ἔστι δε φθίνοντος κόσμου σχετλιώτατον ἄχθος*
  *ἡ μιαρῶν τούρκων αἰνὴ ἀτασθαλία.*

**Nr. 198.** **11. Nov. 1542.**

Apud Vinc. p. 176.

### *Paulo Ebero, praelecturo Dialecticen a Philippo scriptam.*

In tenui quamvis noster labor esse feretur,
  Quod pueris Logices prima elementa damus:
Plus tamen his operis Ecclesia sacra iuvatur,
  Quam si de Pario marmore templa struas.
Quare pertexi si vis exempla, libellum
  Nunc vacuo mittas Paule diserte mihi.
    Postridie Martini 1542.

---

**No. 199.** **23. Apr. 1543.**

Apud Vinc. p. 2. qui margini adscripsit: „an. 1542. in itinere ad Ubios."

### *Imago Ecclesiae Exodi 33.: Moses stans in caverna rupis, ac videns tergum Dei praetereuntis.*

Insita sunt animis nostris ab origine prima
  Noticiae autoris semina vera Dei:
Impositum ut nobis Dominum sciremus, et eius
  Immotae legi subdita vita foret:
Heu cur has flammas divinae extinguere lucis
  Tam multi obliti seque Deumque solent:
Iustaque legitimae conturbant foedera vitae,
  Contemptoque ruunt in scelus omne Deo.
Sed paucos tamen haec accensa in pectore flamma
  Permovet, ut vitae munera iusta colant.
His novisse Deum propius, coramque videre,
  Quantum concedet, maximus ardor inest.
Ergo etiam Moses vultus in lumine claro
  Monstratos Domini cernere posse rogat.
Sed docet et Mosen et nos, totumque piorum
  Agmen, ubi agnosci, se Deus ipse velit.
Non haec pigra hominum concreta ex pulvere moles,
  Insuper et vitiis squalida facta suis,
Sustinuisse potest divini incendia vultus,
  Cum sordes nostras Iudicis ira videt.
Ergo iubet Mosen sublimi insistere rupi,
  Illius et latebris se tenuisse cavis.
Hac ego praeteriens, inquit, dabo terga videnda,
  Sic ut et interea te mea dextra tegat.
Nos quoque in immota docuit consistere rupe,
  Amplecti Gnatum dum iubet ipse suum.

Et latebrae nobis subeundae Ecclesia sola est,
In qua Evangelii dogmata pura sonant.
Namque Deus transit per Mundi secula cuncta,
Ut coetus aliquos iungat et ipse sibi.
Nec genus humanum quod imago debuit esse
Autorem referens, omne purire sinit.
Quosque sibi adiunxit, locat uno in vertice cunctos,
Nemo illum ex alia cernere sede potest.
Hi vocem agnoscunt, et facta ingentia dextrae,
Praesentemque vident semper adesse Deum.
Expectantque olim venturae gaudia vitae,
Et bona quae nullo sunt peritura die.
Tunc nec erunt discedentis vestigia tantum,
Nec tantum longe terga videnda Dei:
Sed fulgore novo propius spectabimus ora,
Colloquio dabitur perpetuoque frui.
Arcanas causas inspecto fonte sciemus,
Et gratae mentes munera tanta canent,
Interea bellis lacerantur regna, suasque
In poenas fato mundus ubique ruit.
Ac velut aggestis Tytanas montibus ausos,
Ad sublimem arcton scandere fama refert,
Conatosque astris extinctis, omnia rursus
In vetus et coecum vertere mixta chaos:
Turcica sic rabies passim sese impia iactat:
Adversus gnatum bella movere Dei.
Denique cum variis quatiatur motibus Orbis,
Exercent Christi multa pericla gregem.
Sed tamen hos inter terrores, fataque mundi
Dextra pios coetus protegit ipsa Dei.

---

No. 200. an. 1543.

Apud Vincent. p. 240.

*Epitaphium Giberti Longolii, Doctoris Medicae artis, qui mortuus est d.* **30.** *Maii* **1543.** *Coloniae Agrippinae.*

Hoc tegitur Saxo Giberti corpus inane,
Longoliae gentis qui fuit alter honos.
Dicentem Ausonii vivo Cicerone probassent,
Tantus in eloquii flumine splendor erat.
Et quae doctrinae fontes tenet Attica lingua,
Sic ipsi tanquam patria nota fuit.
Naturae varios didicit motusque vicesque
Et quae foeta hominum munera terra parit.
Calluit et medicam dextreque exercuit artem,
Aegrotis solitus ferre frequenter opem.
Pestis Agrippina cum grassaretur in urbe
Eripuit saevae corpora multa neci.
Id meritum grati cives meminere, feruntque
Ac artem laudant officiumque viri.
Dotibus his tantis castos adiungere mores,
Et studuit vera mente timere Deum.
Huic tamen extincto quidam, qui templa gubernant,
Iura sepulturae sancta locumque negant.
Non aliquo talem meruit pro crimine poenam,
Sed quod Vera Dei iussa professus erat.
Sola novi fuit iratis haec causa furoris,
Non Evangelii lumina ferre queunt,
Hunc igitur Bonnam corpus venerabile Rhenus
Detulit adversis officiosus aquis.
Et funus magno gemitum cum duceret isthinc,
Dicitur a lachrymis intumuisse suis.
Sed mens cara Deo, quod spe votisque petivit,
Nunc fruitur vultu maxime Christe tuo.

---

No. 201. an. 1543.

Apud Vincent. p. 119.

*Epitaphium Cleopes Voglerae.*

Frigida in hoc tumulo Mariae sunt ossa sepulta,
Quae iuncta Cleope nomine dicta fuit.
Digna quidem hoc titulo, quae mores ipsa professa est,
Exemplo Cleopes congrua vita fuit.
Supplicium quando pro nobis Christus obivit,
Sanguine ut ablueret crimina nostra suo,
Tunc Cleope moestam comitari est ausa sororem,
Vicit enim pietas vera fidesque metum.
Et missum hunc coelo testata est esse magistrum,
Seque eius toto pectore dogma sequi.
Sic Cleope nuper tumulo quae conditur isto,
Est Evangelium mente professa sua,
Nec metuit rabiem, et petulantia probra malorum,
Qui spernunt leges optime Christe tuas,
Addidit et castos semper sine crimine mores,
Esset ut exemplum vita pudica bonis.
Utque olim Cleope solita est servire sorori,
Officiis inopes fovit et ipsa piis.
Ergo virtutis cultor Voglere Georgi,
Te tali orbatum coniuge iure doles.
Quae forma, ingenio, morum gravitate placebat,
Flagrabat cuius pectus amore tui.

Quaeque Deum tecum concordi mente vocabat,
Haec vincla aeterni foederis esse solent.
Certa sed hunc animo minuant solatia luctum,
Quae monstrat nobis Filius ipse Dei.
Iam patris aeterni faciem secura tuetur,
Praemiaque accepit pro pietate sua.
Matronasque inter Cleopae sociata priori
Colloquio Christi iam solet illa frui.
Hic quam nunc oculis absentem animoque requiris,
Uxor in amplexus est reditura tuos.
Sermonesque iterum dulces miscebitis una,
Coelestisque eritis pars quotacunque scholae.
Hic arcana Deus quae nunc mens anxia quaerit,
In clara vobis luce videnda dabit:
Interea donec renovabit corpora Christus,
Tecta leni terra molliter ossa cubent.

---

No. 202. (an. 1543.)

Hoc epigramma edidit Vinc. p. 188. cum latina versione, quam nescio an ab ipso vel a Melanthone facta sit. Eckius obiit d. 10. Febr. 1543.

*Epitaphium Iohannis Eccii.*

*Πολλὰ φαγὼν καὶ πολλὰ πιὼν, καὶ πολλὰ κακ᾽ εἴπων*
*Τῇ δὲ ταφῷ Ἔκιος γαστέρ᾽ ἔθηκε ἑήν.*

Multa vorans, et multa bibens, mala plurima dicens
Eccius hac posuit putre cadaver humo.

Aliter.

Hoc epitaphium legitur in cod. quodam Io. Piscatoris, ubi tecturae indus inscriptum est. Item apogr. in cod. Monac. 90. No. VII. p. 299 b.

*Πολλὰ φαγὼν καὶ πολλὰ πιὼν, καὶ πολλὰ κακ᾽ εἴπων,*
*Τῇδε ταφῷ Ἔκιος γαστέρ᾽ ἔθηκεν ἑήν.*
*Μὴ ζητεῖ μαρὰ ψυχὴ ποῖ φρούδη ἀπέπτη,*
*Ψυχὴ ἑὴν αὐτῷ κοιλία ἠδὲ φάρυγξ.*

Hoc est:

Qui dapibus ventrem largis, linguamque veneno
Pavit, in hoc situs est Eccius ecce loco.
Quas animus sedes teneat, ne quaere viator,
Huic animus quia venter et esca fuit.
M. C. B.

Multa vorans et multa bibens mala multa locutus
Hic posuit ventres Eccius ecce suos.
G. S.

No. 203. (eod. temp.)

Apud Vinc. p. 188. — Convenit ita cum epitaphio Eckii, ut putaverim nos versus eodem tempore, ergo ante Lutheri obitum, scriptos esse.

*Epitaphium Doctoris Martini Lutheri.*

*Πολλ᾽ ἀγαθὰ ποιῶν, πολλ᾽ εὐσεβέα τε διδάσκων*
*Λούτηρος, τύμβῳ σῶμα δέδωκε ἑόν.*

Qui Christum docuit pure et bona plurima fecit,
Lutheri hac urna molliter ossa cubant.

---

No. 204. an. 1543.

Apud Vincent. p. 199.

*In elegias Christophori Copeheni* 1543.

Eloquium et numeros facilemque in carmine venam
Indidit humanis mentibus ipse Deus,
Autorem nobis haec ut vestigia monstrent,
Et nostra in coelum vota precesque ferant.
In populisque sonent laudes et dona parentis,
Praemia qui iustis pro pietate dabit.
Hic exempla etiam virtutum in carmine tradi,
Et normam qua sit vita regenda iubet.
Tales materias celebret cum Musa Copeni,
Lectori gratam convenit esse pio.

---

No. 205. (an. 1522.)

Apud Vinc. p. 198. coll. epp. Vol. V. p. 228. 229.

*Clarissimo viro Ioachimo Bustio* (Beust) *Doctori.*

Hunc tibi iustitiae cultori dono libellum,
Qui te iustitiae prima elementa docet.

---

No. 206. (an. 1543.)

Apud Vincentium p. 46 sqq.

*De angelis Sapphicon* *).

Dicimus grates tibi summe rerum
Conditor, Gnato tua quod ministros

*) Hoc carmen *Paulus Eberus* germanicis versibus in usum Ecclesiarum ita reddidit (vid. *Lossii* Psalmod. p. 232. et

Flammeos finxit manus, Angelorum
Agmina pura.
Qui tuae lucis radiis vibrantes,
Te vident laetis oculis, tuasque
Hauriunt voces, sapientiaeque
Fonte fruuntur.
Hos nec ignavum sinis esse vulgus,
Nec per ingentes volitare frustra
Aetheris tractus, temere nec inter
Ludere ventos:
Sed iubes Christo comites adesse,
Et pios coetus hominum tueri,
Qui tuas leges venerantur, atque
Discere curant.
Impiis ardens odiis, et ira
Nam tuis castris Draco semper infert
Bella qui primus scelus, atque mortem
Intulit orbi.
Hic domos, urbes, tua templa, gentes,
Et tuae legis monumenta tota,
Et bonos mores abolere tentat
Funditus omnes.

---

*I. M. Schamelii* evangelischer Lieder-Commentarius 1. Theil S. 244):

1. Herr Gott dich loben alle wir, und sollen billig danken dir für dein Geschöpf der Engel schon, die um dich schweben in deinem Thron.
2. Sie glänzen hell und leuchten klar und sehen dich ganz offenbar, dein Stimm sie hören allezeit, und sind voll göttlicher Weisheit.
3. Sie feyern auch und schlafen nicht, ihr Fleiß ist auch dahin gericht, daß sie, Herr Christe, um dich seyn, und um dein armes Häuffelein.
4. Der alte Drach und böse Feind für Neid, Haß und für Zorne brennt, sein Datum steht alles darauf, wie von ihm werd zertrennt dein Hauf.
5. Und wie er vor hat bracht in Noth die Welt, führt er sie noch in Tod. Kirch, Wort, Gesetz, all Ehrbarkeit zu tilgen ist er stets bereit.
6. Darum kein Rast noch Ruh er hat, brüllt wie ein Löw, tracht früh und spat, legt Garn und Strick, braucht falsche List, daß er verderb was christlich ist.
7. Indeß wachet der Engel Schaar, die Christo folgen, immerdar, und schützen deine Christenheit, wehren des Teufels Listigkeit.
8. An Daniel wir lernen das, da er unter den Löwen saß; deßgleichen auch den frommen Loth der Engel half aus aller Noth.
9. Dermaßen auch des Feuers Glut verschont, und keinen Schaden thut den Knaben in der heißen Flamm, der Engel ihn'n zu Hülfe kam.
10. Also schützt Gott noch heut zu Tag fürm Uebel und für mancher Plag uns durch die lieben Engelein, die uns zu Wächtern geben seyn.
11. Darum wie billig loben dich, und danken dir, Gott, ewiglich, wie auch der lieben Engel Schaar dich preiset heut und immerdar.
12. Und bitten dich, du wollst allzeit dieselben heißen seyn bereit, zu schützen deine kleine Heerd, so hält dein göttlich Wort in Werth.

Interim sed nos tegit Angelorum
Quae ducem Christum sequitur, caterva,
Atque grassantis reprimit cruenta
Arma Draconis.
Angeli Lothon Sodomae tuentur,
Inter infestos Elisaeus hostes
Angelis cinctus nihil extimescit
Bellica signa.
Tutus est inter medios leones
Angelis septus Daniel Propheta,
Sic tegit semper Deus his ministris
Omnia nostra.
Hoc tuum munus celebramus una,
Et tibi noster chorus Angelique,
Gratias dicunt simul accinentes
Conditor alme.
Et tuo templo vigiles ut addas
Angelos semper, populoque Gnati
Qui tuum verbum colit, obsecramus
Pectore toto.

---

No. 207. (an. 1543.?)

Apud Vincent. p. 242.

*In effigiem Io. Schoneri, Mathematici, anno aetatis eius XLIX.*

Astrorum motus, et fata regentia mundum,
Qui norunt, multos Francica terra tulit.
Hesperus at quanto quam caetera sydera fulget
Splendidior, vultus Sole tegente suos:
Tantum prae reliquis caput extulit unus et alter,
Secula vix maius prisca tulere decus.
Regius alter erat cui mons cognominis usum,
Et natale solum primaque tecta dedit.
Qui procul Ausonia decessit in urbe Ioannes,
Artis ibi specimen cum daret ipse suae.
Alter ab hoc venit Schonerus laudibus artis,
Non tamen inferior, quam fuit ille suae.
Nostra quoque his Ducibus peragrarunt lumina coelum,
Barbarico fuerant quae viciata luto.
Utque fere extinctam revocavit uterque Mathesin,
Sic tantum peperit laudis uterque sibi.
Terra tibi quantum Boeotica fortis Orion,
Et Libyca Atlanti debuit ore suo.
Haec vero vultus Schoneri monstrat imago,
Ingenium libris exprimit ipse suis.

**No. 208.** **24. Ian. 1544.**

*Scheda* publice affixa *de Eclipsi*, apud Vincent. p. 71. legitur in epist. Mel. Vol. V. p. 892.

---

**No. 209.** **an. 1544.**

Apud Vincent. p. 45.

### *De S. Iohanne Baptista, Iambicum Dimetrum.*

Aeterno gratias patri
Omnes canant Ecclesiae,
Quod nuncium verbi sui
Iohannem nobis miserit.
Hic mores exui malos
Iussit, metuque Iudicis
Mox adfuturi terruit
Superbas mentes omnium.
Rursusque perculsos metu,
In spem vitae certam vocat,
Et monstrat agnum digito
Qui placat unicus Deum.
Haec ille firmo pectore
Docet, et Christum praedicat
Venire, ceu Solem novum,
Prodire aurora nunciat.
Nec Pharisaei spiritum
Fregerunt ingentem viri,
Helias alter hic fuit,
Hypocritas tunc arguit.
Te summe rogamus pater,
Ut corda nostra suscites,
Ut vere possint credere
Iohannis testimonio.

---

**No. 210.** **an. 1544.**

Apud Vincent. p. 46 sq.

### *De Maria visitante Elisabeth.*

Aeterne gratias tibi
Dicamus omnes conditor,
Quod inter hostes plurimos
Ecclesiam servas tamen.
Ut inter arma gentium
Herodis, et satellites,
Interque tetros dogmatum
Furores, et deliria.
Servas Mariam virginem:
Domumque castae Elisabeth,
Quae praedicant munus tuum
Datumque Christum nunciant.
Non Pontifex non Princeps,
Etsi sciunt oracula
Vatum, venisse noverant
Salutis authorem novae.
Sed dulcis haec Elisabeth,
Et virginis congressio
Arcana promit caeteris
Vere Deum colentibus.
Alvoque foetus conditus
Longo sacerdotum agmini
Agnoscit ignotum ducem,
Adorat et gestu suo.
Haec prima synodus fuit,
Testata de Christo duce,
Postquam statuto tempore
Verbum Patris factum est Caro.
Accensa testimoniis
In corde nostro talibus,
Colat fides et invocet
Christum Mariae filium.
Opemque spe firma petat,
Missumque credat a Patre,
Ut invocantes adiuvet
Malisque cunctis liberet.

---

**No. 211.** **an. 1544.**

*Gratulatio coniugii*, quae apud Vinc. p. 177. legitur, ad Io. Stigelium scripta est, et legitur in epp. Vol. V. p. 399.

---

**No. 212.** **an. 1544.**

Versus ad Stigelium (si sunt Melanthonis) vid. in epistolis Vol. V. p. 419.

---

**No. 213.** **an. 1544.**

Apud Vincent. p. 91. Apogr. in Cod. Goth. 19, p. 2b. — Dedi hic carmen ut legitur apud Vincent. et in codice. Sed mutilatum est. Integrum carmen dedimus supra in epistolis Vol. V. p. 448., ubi ex epistola ad Camerarium

rem ipsam cognosces. Vincent. inscripsit: Τεύχριον; sed est carmen in picturam puellae tenentis coronam ex floribus „Je länger je lieber" cum inscriptione:

Je länger je lieber ich bin allein,
Denn Treu und Wahrheit ist worden klein.

*Τεύχριον.*

Feceris haud quicquam, nisi quod fecisse necesse est,
Quamque dedit, norma est una sequenda, Deus.
Et fugito turbam, nisi cum Respublica poscit
Congressus modicos: futile turba malum est.
Nec tibi curabis multos adiungere amicos,
Rara haec sunt, candor, gratia, iusta fides.
At si quos poteris, reque officiisque iuvato,
Sic tamen, adiutos ne meminisse putes.
Praecipue vero remis, velisque potentum
Fucosas fugito cautus amicitias.

---

No. 214. an. 1544.

Versus Mel. in librum *contra Turcam*, quos Vincent. non habet, quaere in epistolis Vol. V. p. 564.

---

No. 215. an. 1545.

Apud Vincent. p. 69. et apographon in cod. Goth. 19. p. 3., ex quo intelligitur, Melanthonem hos versus fecisse in Iacobum Schenck, Freibergensem, de quo vid. epistolae huius anni.

*De ingratitudine hominum.*

Sunt homines, humeris quos si quis gestet¹) ad urbem
Ausoniam²), domiti quae caput orbis erat,
Nec tamen ad portam placide deponat eosdem,
Gratia praeteriti nulla laboris erit.

---

No. 216. an. 1545.

Apud Vincent. p. 69 sq. et apogr. in cod. Goth. 114. p. 89 b. (In eundem Schenckium scriptum.)

*In cuculum devorantem nutricem suam corrucam.*

Ingrato cuculus nutricem devorat ore,
Et miserae pietas officiosa nocet.

1) *gestet*] cod. Goth. 19. *portet*.
2) Cod. Goth. 19. *Ausoniae*.

Hei mihi quam scelus hoc imitantur saepe volucres,
Pectora queis cygno candidiora putes.

---

No. 217. an. 1545.

Carmen *in Pindarum*, apud Vincent. p. 127., dedimus supra in epp. Vol. V. p. 781.

---

No. 218. an. 1545.

Apud Vincent. p. 250. — Hoc anno prodiisse picturam Witebergae docet epistola supra Vol. V. p. 880.

*In picturam Witebergae.*

Parva domus viduae vatem quae pavit Eliam,
Vix bene Sidonio littore nota fuit.
Inde tamen late divini semina verbi,
Auspice per populos sparsa fuere Deo:
Sic patriam Senones ubi sedem habuere vetusti,
Quae nunc Saxonico subdita terra duci est.
Urbs non magna quidem gelida Witeberga sub Arcto,
Adiacet ad ripas Albi vadose tuas.
Hinc tamen extremi sub turbida tempora Mundi,
Lux Evangelii sustulit orta iubar.
Claraque divino radios augente favore,
Per multas passim lucet in orbe plagas.
Da Deus ulterius successum et suffice vires,
Et tua contra omnes assere dona minas.
Atque Evangelii plures ut voce vocati,
Syncera facias te pietate colant.
Et velut hospitium servasti vatis ELIAE,
Doctrinae quod tunc arx fuit una tuae.
Sic etiam ut celebrent secla hic venientia Christum,
Albidos in ripis templa, scholamque rege.

---

No. 219. 15. Oct. 1545.

Editum a Vincentio p. 103. Apographon in cod. Monac. 90. no. 7. p. 28. — A Melanthone sua manu inscriptum exemplari Homeri, quod erat in bibliotheca *Becheri*, Rectoris Scholae Chemnicensis: „Homeri Ilias ad verbum translata Andrea Divo Iustipolitano interprete. Parisiis, in officina Christ. Wecheli, M. D. XXXVIII. 8. — Vincentius inscripsit:

*Epigr. in Homerum ad literarum iuventutem.*

Nocturna versate manu, versate diurna,
Maionii, iuvenes, utile[1]) vatis opus
Humanae speculum vitae quod dicitur, in quo
Affectus populi cernitis atque Ducum,
Quodque simul monstrat, quae sint discrimina morum,
Quae lex distinxit non violanda[2]) Dei,
Quae deceant homines, habeant quae facta[3]) secundos
Eventus, iusto[4]) cuncta regente Deo,
Et quae sint summa cura studioque cavenda,
Quae sequitur laesi vindicis ira Dei.
Ne dubita, semper delicta atrocia poenas[5])
Et subitas clades post mala facta sequi[6]).
Hanc quicunque legit[7]) doctrinam transferat arte
Ad sese, ut mores hinc regat ipse suos.
Civilis vitae normam viditque[8]) docetque
Quanquam oculis senior captus Homerus erat.

---

**No. 220.** **an. 1545.**

Apud Vincent. p. 148. — Melanthon hoc anno enarravit Lycurgi orationem contra Leocratem. Vid. epp. Vol. V. p. 836.

*Versus in oratione Lycurgi contra Leocratem:*

Ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτῃ τινὰ
τούτῳ πρῶτον ἐξαφαιρεῖται φρενῶν
τὸν νοῦν τὸν ἐσθλόν, εἰς δὲ τὴν χείρω τρέπει
γνώμην, ἵν' εἴδῃ μηδὲν ὧν ἁμαρτάνει.

Id est:

Iratus ad poenam Deus si quos trahit,
Auferre mentem talibus primum solet.
Caliginemque offundit, ut ruant suas
Furenter in clades, sibi quas noxii
Accersiverunt ultro consiliis malis.

---

1) *iuvenes, utile*] Autogr. *nunc vos nobile;* puto in Autogr. *nunc vos* esse errorem describentis, et Mel. scripsisse *iuvenes.*

2) Autogr. *violata.*

3) Autogr. *fata.*

4) *iusto* habent Autogr. et cod. Mon. 90. — Vinc. *iuste.*

5) Autogr. et cod. Mon. 90. *poenae.*

6) Autogr. et cod. Mon. 90. *et subitae clades mox comitare solent.*

7) Autogr. *leget.*

8) Autogr. *videtque.*

**No. 221.** **an. 1545.**

Apud Vincent. p. 143 sq.

*Versus Euripidis in Lycurgi oratione contra Leocratem.*

Si quis beneficium est daturus civibus,
Id gratius fit liberali pectore
Et sponte cum datur: datum morosius,
Lenteque, non habebit ullam gratiam.
Ergo volens gnatam exhibeto patriae,
Ut fiat hostia pro salute publica.
Mentemque causae permovent graves meam,
Urbs nostra multis antecellit caeteris,
Nequaquam enim confluxit huc ex dissonis
Confusa multitudo gentibus, gerens
Moresque naturasque dissimiles sibi:
Sed mater haec est una tellus Attica,
Stirpis vetustae civium, ex hac quam solo
Mundi architectatrix creavit mens Dei,
Virtutis acres inserens stimulos satae.
Sed condidere urbes coloni caeteras,
Passim profecti dissitis regionibus,
Non congruentes mentibus, lusor velut
Si discolores in fritillo misceat
Talos. At Urbem quisquis externam incolit,
Ut in tigillo nodus asper eminens,
Ceu tignum ad ordinem aedificii non quadrans
Non ille mente civis est, sed nomine.
Nostra ergo pro patria, verendis legibus,
Et constituta moribus bonis decet
Pericla adire, et perpeti aerumnas graves,
Causamque quare procreamus liberos
Hanc esse praecipuam putandum est, ut Dei
Notitia luceat futuris seculis,
Semperque custodes sient superstites
Coelestium legum, atque templorum Dei.
Qui in patria tueantur has res optimas,
Et disciplinam civium, et mores bonos
Non impia feritate deleri sinant.
Nec franget ullus hoc nostrum pectus timor,
Violare leges ut velim sanctissimas,
Quae singulos prodesse patriae iubent,
Cum morte filiae unius periculo
Nunc liberari tota possit civitas.
Nam me docet numeratio, ut servem magis
Quo plus videmus esse, quam quod est minus.
Unam domum labi, minus certe est mali,
Quam civitatem ruere totam funditus.
Si pro puella germen esset masculum

Natum mihi, bellumque forte posceret,
Cives ut hostem dimicantes praelio
Depellerent, num filium mortis metu
Recusem in aciem mittere? At vero mihi
Tales ego opto filios, qui fortiter
Et praelientur, et velint excellere
Inter viros virtute clari caeteros,
Nec sint in urbe ceu figurae inutiles,
Aut picta ceu simulachra parietes tenent.
Sed saepe matrum lachrimae cum filii
Arma induunt, animos eorum effoeminant.
Harum eiulatus atque mollia pectora
Non laudo, quibus ignava vita charior
Est filiorum, quam decus pulcherrimum.
Et quae suis suadere turpitudinem
Audent, honore nec sepulchri, et posteri
Moventur adprobatione seculi,
Quod praedicat virtutem eorum laudibus
Veris et immortalibus, qui patriam
Et templa protexere, nec mortis metu
Cessere nostris hostibus, nec sanguinem
Vitamque dubitarunt suam profundere.
Et filiae nostrae futura est gloria
Aeterna, si pro patria mortem oppetat,
Geminasque servabit sorores unica.
Caedam ergo gnatam, ut fiat hostia civibus.
Non dico enim esse proprie unius meam,
Nisi quod ex alvo mea ceu plantula
Nata est. At urbe perdita simul omnia
Perire nosque liberosque cernerem.
Sed dixeris. Extincta si sit filia,
Nos una in urbe sceptra deinde amittere.
Esto ferent ut fata, stirps tunc altera
In urbe nostra principem teneat locum.
Servasse patriam maius est regno decus:
Denique voluntas recta sit quod possumus
Praestare, legibus volo sanctissimis
Parere, nec violare eas sciens velim.
Et interim fruar bonis communibus,
Legum ordine, atque disciplina civium,
Quae me volente nullus hic deleverit,
Non sede stantem Palladem firmissima,
Laevaque terrificos tenentem Gorgonis
Angues movebit, aut ab Arctoa plaga
Eumolphus huc exercitum ducent ferum,
Aut barbarae gentis furor Thracensium.
Ne hostis hic trophaea figet uspiam,
Nullos triumphos hic aget, nec laurea
Victrice glorians superbe ornabitur.
Concedo, cives victimam hinc abducite,



Ut salva sit victrixque nostra patria.
Nam filiae vitae salutem publicam,
Immota stat sententia, anteponere.
O patria utinam diligant te singuli
Cives, ut hoc ardet meum pectus tui
Amore vero, si voluntas principum
Talis foret, tranquillior status tuus
Maneret, et motus domesticos mali
Ciere non possent, et hostes exteros
Arcere posset omnium concordia.

---

**No. 222.** **6. Ian. 1546.**

Editum ex autographo in *Hertelii* progr. „Stimmen aus der Zeit der Reformation über die Einrichtung guter Schulanstalten, nebst einigen ungedruckten Briefen Melanchthons." (Zwickau 1830. 4.) p. 20. (Apud Vincentium hoc carmen non legitur.)

### 1546.

Moenia, quae vestras circumdant *Iona* Salinas,
  Vix delassatis currus adibit equis,
Tunc quando Hesperias Phoebus labetur in undas
  Cumque Iovem Aegoceros in mare torvus aget;
Pulchraque iam rediens nascentia cornua ad Euros
  Hausto convertet lumine Luna novo:
Cuius ut adspicies formosi sideris ora
  Talia adorato dicito verba Deo:
Indiga, luce tui perfusa Ecclesia gnati,
  Fulget ut a Phoebo lumina luna trahit.
Ergo tuis radiis illustra pectora nostra,
  O Christe aeterni gnate et imago patris.

(Alia manu adscriptum est: *In Epiphaniis Domini.*)

---

**No. 223.** **exeunte an. 1546.**

Apud Vincentium p. 75. — Apographon in cod. Goth. 114. p. 89 b, ubi Melanthon dicitur hoc carmen fecisse in *Mauritium*, Ducem Saxoniae, bellum inferentem Ioanni Friderico, Electori.

### *De Absalone filio Davidis.*

Degener immerito rapuisti sceptra parenti,
  O iuvenis patriae pestis acerba tuae.
Digna tuis factis*) sed poena secuta, vagantem
  Frondibus arboreis implicuere comae.

*) Cod. Goth. 114. *coeptis.*

Hasta Ioab maduit forti vibrata lacerto,
  Sanguine transfixo pectore tincta tuo.
Has scelerum poenas pulso dedit ille parente,
  I nunc et patriis insidiare bonis *).

---

**No. 224.** **6. Ian. 1547.**

Apud Vincent. p. 40. — *Imaginem somnii* dedimus in epistolis Vol. VI. p. 349.

---

**No. 225.** **an. 1547.**

Apud Vincentium p. 150 sq. — Hessus diem obiit d. 6. Ian. 1547.

### *Epitaphium Rev. viri D. Iohannis Hessi, S. Theol. Doctoris et Vratislaviensis Ecclesiae Pastoris.*

*Ἔστι θεῷ λιπαρῶν θυσία χαριεστέρα ἄλλων*
*  καὶ ὀδμὴν γλυκερὰ λοιβὴ ἱεισ᾽ ἀγαθήν:*
*τὴν σοφίαν καθαρῶς εὐαγγελίοιο διδάσκειν,*
*  καὶ φωνεῖν ὁσίαις δόγματα θεῖα φρεσίν.*
*Τοῖος᾽ Ιωάννης ποτὲ ἔνθα διδάσκαλος ἦεν,*
*  ᾧ πατρῶα ἔην Ἕσσος ἐπωνυμία.*
*Θέσφατα ὃς λαοῖς σπείρων ἐντάλματα χριστοῦ,*
*  πιστὸς ἐὼν δολερὰς οὐ προσέμιξ᾽ ἁπάντας.*
*Καὶ τίμησεν ἀκιβδήλοις ἀρεταῖς θεὸν αἰεί,*
*  ἐν καρδίῃ πίστιν σεμνά τε ἤθη ἔχων.*
*Νῦν οὖν ἐς μακάρων ψυχὴν θεὸς ἤγαγ᾽ ὅμιλον,*
*  ἐν δὲ σόρῳ ταύτῃ λείψανα θῆκε πόλις.*

---

**No. 226.** **an. 1547.**

Apud Vincentium p. 89. — Paululum aliter legitur hoc distichon in Mel. epist. Vol. VI. p. 590 et p. 672.

### *Precatio.*

*Συμβουλὴν ἀγαθὴν καὶ ἀφορμὴν εὐτυχίαντε*
*  συμβούλευτα ἐμοὶ δὸς πατρὸς ἀΐδίου.*

---

*) Quando in odio fuerit illo tempore Mauritius Dux Saxon. intelligitur etiam ex carmine eodem tempore facto, quod canerent matres quando cunas infantum movebant, quodque habes in cod. Bavari Goth. V. II. p. 620:

Sauße, Kindle, sauße,
Der Tod sitzt hinter dem Hause,
Er hat ein'n langen Schlitten,
Nimpt Kaiser und Könige mitten,
Setzt Herzog Moritz oben drauf,
Daß er dem Teufel nicht entlauf,
Hängt die Hussern und Spanier dran,
Der Papst ist ihr Fuhrmann.

**No. 227.** **an. 1547.**

Versus graecos de Margiticis vide in epp. Vol. VI. p. 467.

---

**No. 228.** **28. Oct. 1547.**

Apud Vincent. p. 70.

### *De eclipsi Lunae, d. 28. Oct. 1547.*

Certa Deus toti impressit vestigia mundo,
  Agnosci sapiens conditor unde queat.
Nec natas casu res esse, ars indicat ipsa,
  Stellarum motus quae regit atque vias,
Esse Deumque docet menti lux insita nostrae,
  Separat a factis quae vitiosa bonis.
Conscia corda Dei cum iustam vindicis iram
  Quolibet admisso crimine moesta tremunt.
Et semper culpam poena comitantur atrocem,
  Et si sera, tamen praemia laudis erunt.
Non urbs, non regio, non aetas ulla severi
  Iudicii exemplis, non domus ulla caret.
Ac Deus ut flectat nos ad meliora, stupendis
  Incautos signis praemonet ipse datis.
Saepe timent aliquem conterrita sidera casum,
  Saepe ingens tellus ceu ruitura tremit.
At quos nulla movent venturae nuncia poenae,
  Cyclopum similes forsitan esse volent.
Sponsi Penelopes minitantia numina rident,
  Cum cernunt tota tristia spectra domo.
Cumque madent tetro sudantia saxa cruore,
  Et subitum Phoebum Cynthia nocte tegit:
Mox tamen hunc risum Sardoum poena secuta est,
  Qualis contemti Numinis esse solet.
Nos igitur moniti tollamus lumina ad astra
  Non aspernantes signa verenda Dei.
Hesperias Phoebus cum cras mergetur in undas,
  Luna tenebrosum proferet atra caput.
Postque dies, aliquot cum iam decreverit Orbis,
  Venit ad fines cum Nepa, Luna, tuos:
Horrenda involvet fratris caligine vultus,
  Cum iam de coeli culmine ducet equos.
Et simul in tenebras incurrent Marsque Venusque
  Callidus et fraudum structor Atlantiades.
Heu mihi quos motus populi, quantosque furores,
  Portendunt tetro, sidera iuncta loco?
Haec licet astra regant homines, regit attamen astra
  Noster, qui non vult Stoicus esse, Deus.

Nos igitur quibus est afflicta Ecclesia curae,
  Assidue oremus supplice voce Deum:
Leniat ut clemens haec tanta pericula nobis,
  Et sanet populi vulnera saeva sui.

---

**No. 229.** **an. 1547.**

Apud Vincent. p. 151. Item in Scriptis public. T. I. p. 424b.

***Epitaphium Leonhardi Maioris*, *filii Georgii Maioris*, qui decessit anno aetatis suae XIV, a nato Christo 1547., d. 17. Septb. — Vid. etiam Schedam academicam in Scriptis publicis datam d. 9. Maii 1558.**

*Παιδία οἰκτίρμων δέχετ' ἄχθεντα πρὸς αὐτὸν
  παντοκράτωρ ὁ θεὸς κ' οὐκ ἀτελέσθαι ἐᾶ.
Δέξατο οὖν σὲ θεὸς τέκος, ὦ Λεόναρτε, Γεωργοῦ
  φίλτατον, ἐλλογίμου εὐσεβέος τε πατρός.
Εἴδως γὰρ θεὸν εἶναι¹) ἀληθέα, ὃς φανερώθη
  δηλώσας τέρασιν τὸν νόμον ἀτρεκέσι,
καὶ υἱὸν πέμψας ἐν σταυρῷ λύτρα τίοντα,
  ὥςτε καταλλάττειν τῷ πατρὶ φῦλα βροτῶν.
Τὸν δὲ θεὸν πίστει τόδε καλοῖς ἤθεσ' ἐτίμας
  φωνήσας ἱκέτην χριστὸν ἀεὶ ἔμεναι.
Τοὔνεκα οὐρανίης ζωῆς Λεόναρτ' ἀπολαύεις,
  καὶ φάει ἐν λαμπρῷ χριστὸν ἀεὶ ἐσορᾷς²).*

---

**No. 230.** **an. 1548.**

Ex apographo in cod. Monac. 90. no. VII. p. 29. Apud Vincent. p. 35. — Leguntur etiam in epist. ad Pannon. Cf. epp. Vol. VI. p. 759.

***Ph. Melantho* 1548, *a. r. ā. Pentecoste* 3057*).**

Spiritus ut domini nascentia corpora fovit,
  Cum manus artificis conderet ipsa Dei:
Sic foveat coetus, qui Christi oracula discunt,
  Accendatque igni pectora suo.

---

**No. 231.** **an. 1548.**

† Ex apographo in cod. Zittav., ubi no. 89. legitur.

***Georgio Fabricio, Rectori Scholae Misniae.***

*Νῦν ὅταν ἠελίου προοδεύων σείριος αὔει
  σώματα τῶν ξεινῶν¹) καύματι οὐλομένῳ,
εἰς πόλιν ὑμετέραν ἄρχων μ' ἐκέλευσε νέεσθαι,
  κουφότερος δὲ πόνος γίνετ' ἰδόντι φίλους.
Καὶ ἅμα ἔρχονται ὑμᾶς ἀγαπῶντες ἄριστι
  ἀνδρὲς, καὶ μούσαις καὶ τε χάρισι²) φίλοι.
Τοὺς ἀποδέξασθαι ξενικῶς χρὴ Μῦσον³) ἐόντα,
  εἰδότα τὴν ἀρετὴν ἠδὲ φιλοξενίαν.*

Salutem et Ioachimo.
Philippus.

---

**No. 232.** **an. 1548.**

Scripta publ. Witth. T. I. p. 214b.

***Epitaphium coniugis Mauritii Goltz.***

Hoc tegitur saxo *Christinae* corpus inane,
  Coniux *Mauricii* quae pia *Goltzen* erat.*)
Hei cur non tumulo sunt condita corpora eodem,
  Iunxerat ut vobis pectora castus amor?
*Mauricii* exuvias procul hinc Francofordia texit,
  Praeterquam Moeni labitur unda vagi.
Sed tamen in coelo Christus coniunxit utrumque,
  Iustifica semper quem coluere fide.

Philippus Melanthon.

---

**No. 233.** **an. 1548.**

Apud Vincent. p. 229. — Mortuus est Conr. Mauser d. 23. Oct. 1548. Vid. epp. Vol. VI. p. 228.

***Epitaphium Conradi Musuri Norinbergensis Iurisconsulti.***

Hoc saxo tegitur *Conradi* corpus inane,
  Cui patrium fuerat Noricaberga solum.

---

1) *εἶναι*] Script. publ. *αἶαι*.
2) *ἐσορᾷς*] Script. publ. *ἐφορᾷς*.
*) Sic in codice. Vincentius: *Precatio sumta ex Genes.* 1: „*Spiritus Dei fovebat aquas.*"

1) Apogr. *ξώων*, mendose.
2) Apogr. *καὶ χάριτες*, quod mutari non haesitavi.
3) *Mysum*] i. e. hominem Misnicum. Misnenses enim Melanthonem Mysos appellasse satis constat.
*) Funus eius fuit d. 8. Iunii 1548. — Mauricius Goltz, civis Witebergensis bibliopola, homo honestus et beneficus, Francofordiae ad Moenum in nundinis vernis a. 1548. ex vita discesserat, quem coniux in morte mox sequuta est.

Cognomenque vetus Musuri a stirpe paterna
  Conveniens studiis quod tamen eius erat.
Nam fuit interpres legum custosque sacrarum,
  Quas vitae normam tradidit esse Deus.
Iustificaque fide coluit te maxime Christe,
  Sincero faciens pectora vota tibi.
Esse Deumque sciens aequalem aequalia amavit,
  Rexit et in dubio iudicis ora foro.
Nunc morbo extinctus, quod spe votisque petebat,
  In gremio vivit maxime Christe tuo.
Hoc posuit coniunx monumentum fida marito,
  Non ficta Christum quae pietate colit.

---

**No. 234.** **an. 1548.**

Apud Vincent. p. 98. et in Scriptis publ. T. II. p. 52.

### *Epitaphium Benedicti Pauli, Iuriscons.*

Frigida in hoc tumulo Benedicti membra teguntur,
  Cognomen Pauli qui patrium tenuit.
Doctor erat Iuris, virtute ornatus et arte,
  Eloquio clarus, consilio atque fide.
Saxoniae ducibus sententia saepe probata est
  Ipsius, et patriae profuit ille suae.
Iustificaque fide quoniam te Christe colebat,
  Conspectu fruitur mens modo laeta Dei.

---

**No. 235.** **(an. 1548.)**

† Ex autographo Mel. in cod. Dresd. coll. Seidel. no. 40. descripta a Clar. *Gersdorfio.* — Item apogr. in cod. Monac. 89. no. VI. p. 5 b. et iterum in cod. Monac. 90. VII. p. 27. — Qua occasione data Melanthon hos versus scripserit, incertum est. Fortasse referendi sunt ad ann. 1548 vel 1549.

### *Carmen.*

Vita humana decus non maius[1]) possidet ullum,
  Quam iustas leges notitiamque dei.
Tanta sed ingratae[2]) contemnunt munera mentes,
  Quas omne in vitium caeca libido trahit.
Ergo conantur coelestia tollere dicta,
  Qui sacra in questum vertere fraude[3]) solent.
Hi perdunt Christi ferroque ignique ministros,
  Hi pingunt fucis dogmata falsa novis.
Sic etiam lacerant audaces iura tyranni,
  Astreaeque suum[4]) quem dabit aula locum[5]),
Inque foro passim regnant[6]) terrore dolove
  Et bona pugnaci vindice causa caret.
Interea tamen esse Deo mortalia curae,
  Et, scito, poenas impia facta sequi.
Ergo donet[7]) coetum Christus[8]) profugumque piumque,
  Ac auditores proteget ipse suos.

1) Codd. Mon. *maius non.*
2) Codd. Mon. *sed tanta ingr.*
3) Codd. Mon. *qui fraude in questum vertere sacra.*
4) Codd. Mon. *locum.*
5) Codd. Mon. *suum.*
6) Apogr. Gersd. *regnat.*
7) Codd. Mon. *docet.*
8) Apogr. Gersd. *Christum.*

---

**No. 236.** **(an. 1548. ut videtur.)**

† Ex apogr. in cod. Monac. 89. no. VI. in 4to. p. 29 b.

### *Ph. M.*

Curarum, puer, et miserae solatia vitae
  Certa magis poteris nulla parare tibi,
Divino quam si mores sermone gubernes
  Et bona si pura numina mente colas.
Ergo, pater, sanctis votis te, summe, precamur,
  Ingenium nobis ut puerile regas,
Cum varias inter iactetur vita procellas
  Et fragilem toties obruat unda ratem.
Me miserum! Non est hoc tristi tempore quisquam
  Auxilio tantis qui queat esse malis.
Tu tamen oro, pater, placidos ostendito vultus,
  Et quassae ambiguum dirige navis iter.
Nulla animis aurum confert solatia nostris
  Lana nec Assyrio murice tincta iuvat.
Sermo tuus nobis, pater optime, sola voluptas,
  Id mihi curarum dulce levamen adest.
Et prius abscondet clarus sua lumina Phoebus,
  Mutabit faciem candida Luna suam,
Ulli tui quam nos cupient oblivio verbi
  Ex animoque cedant quam tua dicta meo.

---

**No. 237.** **an. 1549.**

Carmen in Ptolemaei librum editum ab Erasmo Reinholdo ap. Vincent. p. 246. quaere in Mel. epist. Vol. II. p. 405.

No. 238. 12. Apr. 1549

Apud Vincent. p. 254 sq.

*De eclipsi, quae fuit d.* **12.** *Apr.* **1549.**

Non fertur dubio natura sine ordine casu,
  Volvitur ambiguis ut Dea coeca rotis.
Sed Deus hanc sapiens certis moderatur habenis,
  Turpia qui punit vindice facta manu.
Praemonet et scelerum poenas instare timendas,
  Ostendens irae nuncia multa suae.
Talia non ullo sunt irrita tempore signa,
  Haec licet irridens impia turba neget.
Dum tegit obscura Phoebum caligine Luna.
  Duraque dum tetro saxa cruore madent.
Dulichii iuvenes minitantia sidera rident,
  Penelopes castum qui petiere thorum.
Ultio sed risum Sardoum iusta sequuta est,
  Qualis contemti Numinis esse solet.
Sic tandem meritas persolvent tempore poenas,
  Qui spernent Triviae signa futura nigrae.
Cynthia cras etenim piceis obducta tenebris
  Amittet radii lumina clara sui.
Mane ubi iam noni continget limina tecti,
  Quo pandit chelas Scorpius ipse suas.
Et cum nona domus sit Relligionis, et ingens
  Hauriat a Luna deficiente malum:
Hei nova doctrinae metuo certamina Christi,
  Quae seret ingeniis impia turba suis.
Inficiens animos cauda vibrante feroces,
  Dissidiis addet Scorpius arma novis.
Sed licet astra regant homines, et bella minentur,
  Ipse tamen summa Christus in arce sedet.
Hic non est rigido Parcarum carcere clausus,
  Sed lenire potest fata severa piis.
Ergo gravem castis flectamus moribus iram,
  Orantes summam supplice voce Patrem.
Mitiget ut miseris haec tanta pericula nobis,
  Et servet coetus languida membra sui.

---

No. 239. an. 1549.

† Ex apographo in cod. Monac. 89. no. VI. in 4to. p. 98 b.

*Carmen Ph. M.*

*Ὦ σοφὲ τῆς γαίας καὶ λαμπροῦ κτίστα ὀλύμπου*
  *σωτῆρος Χριστοῦ, ὦ πάτερ ἀΐδιε,*
*ὅττι κυβερνήτης εἷς ἠδὲ τροφεύς τε φύλαξ τε*
  *ἀνθρώπων γενεᾶς οἴδαμεν ἀτρεκέως*
*σῆς ἐνεργεσίην χεῖρος καὶ τήνδε ἀείδω*
  *ὅττι ἐκὼν ἡμῖν Ἠλεῖον προσάγεις.*
*σημαίνει δ' ὁρατὸν φάος ἠελίου ἀνίεντος*
  *καιόν τ' ἐν ψυχαῖς λώϊον ἄλλο φάος.*
*πεμπ' οὖν ἐς καρδίας ἡμῶν πάτερ ἵλαε αὐγὴν*
  *τὴν ἀπὸ τῆς σοφίας ἠδὲ δικαιοσύνης.* 1549.
Nenti verba fides et mentem iungit Olympo.
*Νηθούσῳ νοῦν καὶ λόγον ἅπτει πίστις ὀλύμπῳ*
  *τῇ γὰρ ᾄδει πάσης λήξιος ἔργα θεῷ.*

---

No. 240. an. 1550.

Carmen: *Σώματα μὲν ἐσμεν* etc., quod Vincentius non habet, quaere in epistolis Vol. VII. p. 539.

---

No. 241. 10. Febr. 1550.

Carmen graecum ad *Georgium Fabricium*, quod Vinc. non habet, quaere in epistolis Vol. VII. p. 784.

---

No. 242. an. 1551.

Apud Vincent. p. 89., qui annum 1551 adscripsit.

***Precatio ex Luca c. 24.***

Vespera iam venit, nobiscum Christe maneto,
  Extingui lucem nec patiare tuam.

---

No. 243. an. 1551.

Apud Vinc. p. 87. et in Scriptis publ. T. III. p. 270. Iterum apud Vincent. p. 238.

***De pareliis conspectis a. 1551. d. 21. Mart., quae fuit natalis Ducis Mauricii.***

Spargit ut in toto lucem Sol unicus orbe,
  Vivificoque unus cuncta calore fovet:
Unicus aeterni sic natus mente parentis,
  Accendit radiis pectora nostra suis.
Hei cur plura tamen Solis simulacra videntur,
  Et vacuo mendax ludit imago polo?
Doctrinae fingent aliqui ludibria forsan,
  Adiicient alias dissidiisque faces.

Sed tu gnate Dei longe mendacia pelle,
  Concordes animos lux tua sola regat.

---

**No. 244.** **an. 1551.**

Apud Vincent. p. 177, qui adscripsit: „anno 1551. 19. Augusti."

*Precatio in peregrinatione.*

Gnate Dei tibi perpetuum qui colligis agmen
  In terris, pure quod tua dicta sonet:
Nos rege et ad nidos clementer ducito nostros,
  Nulla salus nobis te nisi dante venit.
Et fac praecones laudum nos esse tuarum,
  Notitiam extingui nec sine Christe tui.

---

**No. 245.** **an 1551.**

Vincent. p. 177 sq., qui adscripsit: „anno 1551. 19. Augusti."

*Ex Callimachi ad Apollinem hymno.*

Livor ait Phoebo, dicens clam talia in aurem:
Non miror vatem, qui non effundere tantum
Sermonis flumen possit, vim pontus aquarum
Quam magnum voluit. Pede sed detrusit Apollo
Livorem dicens: Euphratis flumine magno
Plus coeni semper, mixtae sordesque vehuntur.
Parva sed haurit apis Cereris de fontibus undam,
Lympida de summo saliit quae vertice montis,
Livor ubi infoelix pereat, cogatur abire.

---

**No. 246.** **25. Maii 1551.**

† Ex apographo in cod. Monac. 89. in 4to. no. VI. p. 58. — Prior pars huius carminis (8 versus priores usque ad verba: *novit opem*) iam edita est in Melanth. epigramm. p. 180. a Vincentio, qui carmen inscripsit: „Precatio in conventu colloquii Wormatiensis", sed ad marginem posuit ann. 1554., quo autem anno Wormatiae nullum colloquium fuit. Sequutus igitur sum auctoritatem cod. Monac.

*Philippus Melanthon M. Georgio Cracovio die* 25. *Maii* 1551.

Aeterni viva*) effigies splendorque parentis
  Custodem nobis quem Pater esse dedit,
Quique tibi semper victurum colligis agmen
  Ex hac quam finxit mole paterna manus:
Nos rege, qui cupimus veros tibi reddere honores,
  Afflatuque move pectora nostra tuo.
Et nostras defende domos turbamque tenellam,
  A te quae solo poscere novit opem.
Haec repetes toties rediens iam vola Georgi,
  Cum gnatum coniunx obvia prima feret.
Coniugis in labris quoties dulcissima figes
  Basia purpureis filiolique genis.
Istius ipse Deus transfudit semina amoris
  Non temere in sensus castaque corda patrum.
Ergo preces etiam probat inter suavia mixtas,
  Coniugibusque piis hos iubet esse ratas.

*) Vinc. *vita*, ex mendo.

---

**No. 247.** **an. 1551.**

Ex Consiliis Ph. Mel. edit. a Pezelio, Pt. II. p. 153., ubi hoc carmen refertur ad an. 1551. Apud Vinc. p. 228.

*Versus scripti manu Philippi in librum Bibliorum Germanicorum. Ad Mart. Lutherum filium, patri* ὁμώνυμον *).

Mersa erat in tetras Ecclesia moesta tenebras,
  Ac iacuit dura lege sepulta fides:
Ne tamen humanum prorsus genus omne periret,
  Voce tui docuit nos Deus ipse patris.
Hic, cum multa suae fidei documenta dedisset
  Doctrinae spargens semina pura Dei:
In linguam nostram studuit transfundere fontes:
  Et tantum lucis lectio nulla tenet.
Ergo Deum, pariterque Dei celebrare ministrum
  Perpetuo gratae posteritatis erit.
At te praecipue patris novisse labores,
  Ipsiusque sequi iussa verenda decet.

*) Vincentius inscripsit: „*De Rev. Viro Martino Luthero Doct. Theol., ad filium Martinum Lutherum.*"

---

**No. 248.** **an. 1551.**

Ex autographo in cod. Rehdig. Vol. III. Vratislav. descripta a S. V. *Schulzio*. Edita etiam in Scriptis publ. Acad. Witeb. T. III. p. 258. et a Vincentio p. 154.

*Versus ex Arato Latinis versibus redditi a Philippo Melanthone.*

Mortales nondum deprendimus omnia signa
Quae deus impressit, naturae conditor, arte;

Sed nos multa latent quae nondum comperit usus.
Quorum aliqua ostendet venturis Iupiter annis
Qui genus humanum cum vere diligat, augens
Muneribus variis toto se monstrat in orbe
Ut quoties oculis incurrunt undique nostris
Esse deum, doceant vestigia talia. Nosque
Esse ipsi curae, monitos testentur, et ipsum
Agnoscant nostrae mentes, lucemque sequantur
Iusticiae, quam nostra opifex in pectora sparsit.

Aratus *).

πάντα γὰρ οὔπω
ἐκ διὸς ἀνθρώποι γινώσκομεν, ἀλλ' ἔτι πολλὰ
κέκρυπται τῶν αἴκε θέλῃ καὶ ἐς αὐτίκα δώσει
ζεὺς, ὁ γὰρ οὖν γενεὰν ἀνδρῶν ἀναφανδὸν ὀφέλλει.
Πάντοθεν εἰδόμενος, πάντῃ δ' ὅγε σήματα φαίνων.

Philippus Melanthon.
1551.

---

**No. 249.** (an. 1551. ut videtur.)

Apud Vincent. p. 93 sq.

***Ad Iohannem Albertum Ducem Megalopyrgensem.***

Omnia vasta facit saevis Bellona ruinis,
Praecipue studiis est inimica piis.
Hospitium sapiens dedit olim Graecia Musis,
Nunc est barbarico Graecia praeda duci.
Italiam petiere fuga, sed fraudibus illae
Pontificumque armis perdita tota iacet.
Hinc igitur dubiis fortunae casibus actae,
Intrarunt fines Teutonis ora tuos.
Hic habuere aliquam sed parvo tempore sedem,
Nam furit in nostra Mars quoque dirus humo,
Ergo per extremam Germani littoris oram,
Hospitium miserae supplice voce petunt.
Ne penitus nostro discedant orbe, benigne
Inclyte Dux Musas tu relevare velis.
Hoc tibi pro merito condent praeconia laudis,
Virtutem testes quas iubet esse Deus.

*) Haec et quae sequuntur non leguntur in Script. publ. et apud Vincent.

---

**No. 250.** an. 1552.

Apud Vincent. p. 129. Etiam supra in epistolis Vol. VII. p. 1142.

***Fortuna hominum instabilis.***

Οὐ τύχαι ἀνθρώποις τῷδ' ἐν βίῳ ἔμπεδοί εἰσιν,
καὶ φεύγουσιν ἀεὶ ὡς ἀμένηνον ὄναρ.
Ἄλλα θεοῦ ἔλεος τοῖς εὐσεβέεσσι βεβαιόν,
τούτῳ πιστεύειν χάρμα βροτοῖσι μόνον.

---

**No. 251.** an. 1552.

Scripta publ. Witteb. T. I. p. 485. et apud Vincent. p. 5. ubi inscribitur:

***De navi Christi, quae est Ecclesia.***

Auricomum vellus postquam transvexit Iason
In Patriam sperans debita regna sibi,
Oppressit dominum navis de culmine lapsa,
Sub qua defessus iam cubat ille domi,
Non te, Christe, tamen tua quam regis opprimet Argo,
Quamvis et rimis est lacerata suis.
Tum quoque cum fluctus ciet imo ex gurgite Orion
Et rapidi venti proelia saeva movent,
Quassatam medio in pelago tua dextera servat,
Et Vere es nautis anchora sacra tuis.
O viva effigies aeterni, luxque parentis,
Defendas coetus, optime Christe, tuos,
Qui tua non ficta discunt oracula mente,
Atque tuo poscunt numine semper opem.

---

**No. 252.** an. 1552.

Scripta publ. Witteb. T. I. p. 493b. et ap. Vincent. p. 27 sq.

***Psalmus CXXII.: „Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus."***

Gratiarum actio de constitutione Ecclesiae et precatio de conservatione etc.

*Philippus Melanthon.* (An. 1552.)

Summe Deus nobis patefacte in rupe Sinai,
Nostra tibi grates pectora et ora sonant.
Quod sancis, Solymis ut templi immota sit omni
Tempore dehinc sedes, quod tua dicta sonet.
Curia stat nobis sapiente ornata Senatu,
Voce tua patriam consilioque regens.

Pectora cunctorum dulcis concordia iungit,
Et studio aedificant *) moenia nostra pari.
Isaciasque tribus cunctas huc ire necesse est,
Cedenda est alio victima nullo loco.
Hic vox doctrinae spargatur ut unica purae,
Quam nobis coelo tradidit ipse Deus.
Ipsius ut bonitas in toto luceat orbe,
Notaque sint gnati munera magna sui.
Restituit nobis vitam qui labe remota,
Iustifica salvos et facit esse fide.
Hic fons doctrinae sit limpidus inde fluentis,
Non ficto Deus ut possit **) honore coli.
Posteritas in qua Davidis regna tenebit,
Hic semper sedes non peritura manet.
Diligite hanc Solymen, et grato reddite corde,
Debita huic omnes ***) munera, vota, preces,
Qui fovet officiis hanc iustis atque tuetur,
Proteget hunc semper dextera magna Dei.
Sit tibi pax, et vera salus, Ecclesia, semper
Quae discis studio dogmata sancta pio,
Fausta meos propter fratres, propterque propinquos.
Opto tibi, et templi ne labefiat honos.

---

No. 253. an. 1552.

Carmen *de Siclo*, nomismate gentis iudaicae habes in epist. Vol. VII. p. 965. — Melanthon autem illud postea mutavit, et hac forma legitur apud Vincent. p. 31 sq. et in Scriptis publ. T. I. p. 438. — Item in *Io. Henr. a Seelen* philocal. p. 18. Vid. etiam Mel. epist. d. 22. Febr. 1552.

## *De Siclo.*

Iusta sacerdotum designat [1]) munera Siclus,
Cuius in Ebraeis urbibus usus erat.
In quo florescens insculpta est virga Aaronis,
Quae monet, ut doceant dogmata pura Dei.
Parte calix alia est impletus thure Sabaeo,
Hic offerre preces, ut nova thura, iubet.
Attamen ante alios summus facit ista sacerdos
Filius aeterno de genitore satus.
Ipse sinu profert nobis decreta parentis,
Restitui [2]) vitam quo velit ille modo.
Hic Aaronaei coetus est florida virga,
Ac Evangelii semina prima ferens.

*) *aedificant*] Vinc. edidit *condunt*.
**) Vinc. *posset*.
***) Vinc. *debita cuncta illi*.
1) *designat*] Philoc. *demonstrat*.
2) Phil. et Scripta *restituit*.

Hic et consilio mirando victima factus,
Iusticiae solvit debita λύτρα patris.
Cumque cruor toto manaret corpore: supplex
Vulnera pro nobis obtulit, atque preces.
Et sibi perpetuum doctrina colligit agmen,
Vivificans verbo pectora nostra suo.
Quanquam autem ad dextram coelesti in sede parentis
Ipse dat haec semper maxima dona piis:
Doctores tamen adiungit, sociosque laborum,
Organa quos vocis praecipit esse suae.
Cura sit his fontes [3]) doctrinae nosse salubres [4]),
Fundere [5]) et in populo flumina [6]) pura Dei.
Cumque Sacerdotis Christi coniungere votis,
Assiduos gemitus, cura sit, atque preces.
Gnate Dei nobis iram placato parentis,
Et tua discentes dogmata Christe tegas.
Tuque λόγος vivens nostris in mentibus adsis,
Et flatu accendas pectora nostra tuo.

---

No. 254. an. 1552.

Apud Vincent. p. 238 sq. — Vid. quae scripsit Melanthon ad Matthesium Vol. VII. epist. p. 942.

## *In effigiem Ioannis Friderici, Ducis Sax. Elect. tenentis manu flosculum violae.*

Hic me flos violae dextra quam gesto caduca,
De nostra monet, et debilitate docet.
Flosculus hic redolet nitidis pulcherrimis hortis,
Et tamen exiguo tempore durat odor:
Sic res humanas fragilis fortuna gubernat,
Tempore sic homines stantque caduntque brevi.
Ille ego qui quondam felix mea regna tenebam,
Hic ubi Saxonicos irrigat Albis agros.
Cuius erat totum celeberrima fama per orbem,
Quod regerem populos cum pietate meos.
Quique ego pro patria pugnans et dogmata sacra
Defendens, clarum nomen ubique tuli.
Nunc me captivum tenet alter, et optima nobis
Cum sit, non ullo causa tuente, perit.
Erepti fasces et inanis gloria Mundi,
Sed placuisse uni praefero posse Deo.

3) *fontes*] Phil. *formam*.
4) Phil. *salubrem*.
5) Phil. *Tradere* pro *Fundere*.
6) *flumina*] Phil. *dogmata*.

Et mea dependet nunc a te gloria Christe,
Quod pars sum regni quantulacunque tui.
Teque precor dubiis addas solatia rebus,
Et mihi deserto mite levamen ades.

---

No. 255. an. 1552.

Apud Vincent. p. 58 sq.

*De Siloh, Gen. 49.*

Gnate Dei effigies aeterni viva parentis,
Aeterna Verbum mente satumque patris.
Iudutus nostra qui carne in virginis alvo,
Humanum accedis, maxime Christe, genus:
Te pius Isacides compellat nomine Siloh,
Quod teuerae es foetus virginis ipse teuer.
Ac velut involvens foetum membrana recentem,
Dum rude sub matris pectore turget onus.
Mollis et admotus non est durabilis ullos,
Pendet et a Cotylis squalida tota novis:
Sic infirma fuit caro tunc tua maxime Christe,
In cruce pro nobis cum lacerata fuit.
Indueras etenim mirando foedere carnem,
Huic nostrae similem, suppliciique ream.
Sed prorsus fragilis nos ipsi, et sordida pellis,
Materna chorion labe reumque sumus.
Attamen hoc vivet chorion, quando induis ipse,
Voce tua sanans, atque cruore lavans.
Sic autem nobis divina haec munera dantur,
Cum discunt vocem pectora nostra Dei,
Ac coetus ideo discentum Christe tueris,
Ut chorion vere sit Schola casta tuum.
At tua tuta precor servetur fascia Siloh,
Ne queat hanc ullus dilacerare furor.

---

No. 256. an. 1552.

Versus, quos Mel. scripsit in exemplar dialectices Antonii Geuderi Noribergensis patricii d. 6. Mart. 1552., editi primum a Strobelio in: Nachricht von Mel. öfterm Aufenth. und Verrichtungen zu Nürnb. p. 40 sq. in eiusd. vermischten Beiträgen zur Lit. p. 120.

In tota vita numeros ut scire necesse est,
Idque Deus lumen mentibus ipse dedit;
Sic praecepta homines dialectica nosse necesse est.
Haec enim a summo lux venit orta Deo,
Ordine diversus res ut distinguere possis,
Ne velut obscurum sit tibi sermo chaos,



Inque suos artus ut singula membra locentur,
Nec sint in dictis turpia monstra tuis.
Ac velut utilitas numerorum cernitur usu,
Quam laus nulla satis commemorare potest,
Sic usus monstrat, quantum dialectica prosit,
Divino hoc tanto munere disce frui.

---

No. 257. an. 1552.

Scripta publ. Witteb. I. p. 435 b. et apud Vincent. p. 61 sq.

*Philippus Melanthon de consideratione humani corporis.*

Non casu volucres atomi, sine mente ruentes,
Hanc mundi formam progenuere novam.
Formatrix sed mens sapiens ac optima mundi est,
Consilio servans condita cuncta suo.
Quae clara impressit passim vestigia rebus,
Conditor agnosci possit ut inde Deus.
Nosse vias numerorum ac ordinis, atque tenere
Immotum recti iudicium atque mali.
Non haec ex caecis atomis sapientia venit,
Verum est naturae prospicientis opus.
Sic etiam positus coeli terraeque perennes,
Quodque trahunt certae sidera cuncta vices,
Testantur vere numen sapiensque bonumque
Esse, quod has leges condidit atque regit.
Sic non humano concreta in corpore membra
Sponte sua, et casu nata sine arte putes.
Singula consulto certos distinxit ad usus,
Cum templum vellet nos Deus esse sibi.
Divina in cerebro radios sapientia spargit,
Cum verbo mentes luce suaque regit.
At cor iustitiae domus est, sentitque dolores,
Cum punit sontes vindicis ira Dei.
Adflatuque Dei purgatum, gaudia sentit
Et vita fruitur non pereunte Dei.
Formatum ad tantos corpus cum videris usus,
Factorem agnoscas et venerere Deum.
Ipsius et templum non labes ulla prophanet,
Pollutum abiiciat ne gravis ira Dei.

Noribergae, Die conversionis Pauli
anno 1552.

Manu Philippi inscripti sunt hi versus libro: Andr. Vesalii Bruxellensis Scholae medicorum Patavinae Professoris, de humani corporis fabrica. Basil. 1543. fol. qui iam est Dom. Treviráni, Profess. Vratislav.

No. 258. an. 1552.

Apud Vincent. p. 29 sqq. et in Scriptis publ. T. I. p. 436. — Vincent. in margine habet: „*anno* 1552. *in reditu ex itinere Noribergensi.*"

*De venis metallicis.*

Non casu volucres Atomi sine mente ruentes,
Hanc mundi formam progenuere novam.
Formatrix sed mens sapiens ac optima mundi est,
Omnia quae mira condidit arte Deus.
Consilioque sagax varios distinxit ad usus,
Et prodesse homini caetera cuncta iubet.
Et clara impressit multis vestigia rebus,
Agnosci sapiens conditor unde queat.
Haec bonitas celebranda tua est Deus optime semper,
Fac gratae mentes ut tua facta canant,
Quare etiam grates pro tanto hoc munere dico,
Quod certum est artis tantum opus esse tuae:
Intima quod venas sparsisti in viscera terrae,
Usibus ut nostris apta metalla ferant.
Lactea ubi fumis hydrargyra mixta coquuntur
Sulphureis, fibrae semina prima novae.
Dantque alias formas coelestia lumina massis,
Et vagus in terris hoc iuvat ignis opus.
Sed satis effari queat haec miracula nemo,
Hoc certum est, nasci cuncta fovente Deo.
Vis etiam nostro quaeri haec tua dona labore,
Legitimos usus et tua dicta docent.
Mandasti quondam fieret tibi ut aurea sedes
Intra aditum templi conditor alme tui.
Iussisti binas argenti pendere drachmas,
Ut servaretur relligionis honor.
Et iustum esse doces, par compensatio cum fit,
Sic vis pro sumta merce nomisma dari.
Cumque probas operas fossorum: Ecclesia saepe
His collecta locis fida, placensque tibi est.
Strymonia docuit nam Paulus in urbe Philippis,
Hic ubi tunc auri vena opulenta fuit.
Divitiasque loci celebravit longa vetustas,
Urbs ibi nam Datus non minor ante fuit.
Sed cepit Pauli doctrina ditior esse,
Qui populi mores praedicat, atque fidem.
Exul ubi viduae pietate exceptus Elias
Sidonia quondam non procul urbe fuit.
Hic a conflatis antiqua Sarepta metallis,
Artem et opus monstrat nomine clara suo.
Multa bonae mentes exempla hinc sumere possunt,
Quae formant mores, quos probat ipse Deus.
Esse Deum verum, patefactum in rupe Sinai
Noriut, qui mundum condidit, atque regit:
Quique redemptorem misit de virgine natum,
Qui viva aeterni patris imago sui est:
Vocem Evangelii qui dura in pectora spargit,
Foecundat montes semine ut ipse dato.
Addit et huic vitam coelesti lumine voci,
Adflatu mentes urit et ipse suo.
Fossores tamen esse iubet, sua dicta doceri,
Et studio disci praecipit ipse pio.
Disce Sareptanae viduae pia facta, fidemque,
Haec aliqua ut referas parte, precare Deum.
Ac simul effundi divinam in pectore lucem,
Inque sinus terrae semina larga, petas.
Gnate Dei effigies aeterni viva parentis,
Hos populos serves, te precor, atque regas.
Ac Evangelio semper tibi collige coetum,
Concedas studiis hospitiumque piis.
Haec animo volui, iuga per Ioachimica vectus,
Perque Annae montes qui modo nomen habent.

---

No. 259. an. 1552.

Apud Vincent. p. 140 sq. — Vid. quae de duobus Philippis Melanthon scripsit in epistolis Vol. VII. p. 962.

*Oraculum in Achaicis Pausaniae de duobus Philippis, altero felici, altero regni eversore.*

In Macedum populis clarissima regna tenebunt,
Argiva de stirpe, bonum, damnumque Philippi.
Horum qui prior est, gentes urbesque domabit,
Sed veteris regni perdet decus omne secundus
A populis victus, quos mittent vesper et ortus.

---

No. 260. an. 1552.

Apud Vincent. p. 65 sqq. et in Scriptis publ. T. I. p. 437 b.

*De oppido Torga, quae in tabulis Ptolemaei existimatur esse Argelia.*

Urbs vetus est gentis Mysorum nomine Torga,
Hic sita ubi flavis labitur Albis aquis.
Quae fausta quondam dicta est Argelia voce,
In tabulis veterum ceu monumenta docent.
Nec vocem Graecam terris miremur in istis,
Ionicae genti Mysia mixta fuit.
Forsitan ista fuit Dominorum regia sedes,
Hinc solare iubar nomina clara dedit.

At quamvis urbes fatalia tempora mutant,
Et coelum patria est unica firma piis:
Hic ubi semper erit Deus omnia in omnibus idem,
Luce sua mentes iustitiaque replens:
Motibus in tantis tamen haec Argelia restat,
Possidet et decus hoc de bonitate Dei.
Lux Evangelii quod in ista spargitur urbe,
Cum qua semper adest Filius ipse Dei.
Istius hic urbis Sol est, hic colligit agmen,
Iustitiae radios cui dat habere suae.
Donat et aeternae cunctis exordia vitae,
Iustifica accipiunt qui bona tanta fide,
Hic populi frenat legum reverentia mores,
Et censura gravis turpia facta notat.
Adde quod imbuitur doctrinae lacte iuventus,
Et legit a summo tradita scripta Deo.
Haec teneris animis ostendit lectio Christum,
Et nova Virtutum semina sparsa fovet.
Saxoniaeque aliquot Ducibus nascentibus ortu
In primo hospitium Torga fidele dedit.
*Fridericus* sapiens princeps hac natus in urbe est,
Promeruit patriae qui pater esse suae.
Consilio qualis Nestor fuit inter Achivos,
Teutonicis ducibus Nestor et iste fuit.
Et cum doctrinae lucem renovare Lutheri,
Cepisset scriptis Filius ipse Dei.
Istius pietas tutam et moderatio sedem
Concessit studiis docte Luthere tuis.
Nomina quique tenet patris, patruique *Ioannes*
*Fridericus* Torgae natus in arce fuit.
Cui quanquam eripuit patriam sors aspera belli,
Non procul hinc Caesar cum sua castra locat,
Non tamen eripuit virtutem et pectus honestum,
Et, qua Gnate Dei Te colit ipse, fidem.
Ergo et iudicio victoris digna favore est
Ipsius virtus, nescia mensque doli.
Sponte sua libertatem qui reddidit ipsi,
Hoc quantum decus est *Ian Friderice* tibi?
Ah tandem lachrimae vincant pietate fluentes,
Ut Dominae reddas optime Christe virum.
Exilii numerans quae iam contabuit annos,
Dulichii coniunx ceu generosa viri.
At vivit tamen et superat longe Icariotin,
Confidit tantum nam bonitate tua.
Redde patrem Natis sic expectantibus ipsum,
Ut vult Telemachus posse videre patrem.
Qui reliquos fratres annis praecedit, et ipsi
Nascenti hospitium Torgae fidele dedit,
Hanc urbem, totamque oram tua dextera servet,
Semper et hic coetum collige Christe tibi.

No. 261. (eod. temp.?)

Apud Vincent. p. 176 sq.

### *In oppidum et arcem Torgensem.*

Unde sit huic urbi, quaeres, Argelia nomen,
Quod de Phoebaea Graecia luce trahit?
Ut reliquas stellas fulgenti lumine vincit,
Unus et adducit Sol, revehitque diem:
Sic superant formae vicinas luce puellae,
Quas urbs de Phoebi lumine dicta parit.
Attamen haec maior laus est, pietate quod inter
Notitiaque alias eminet ista Dei.
Et qui Mysorum populis dant mitia iura,
In ripa hac posita est Albidos aula Ducum.
Haec tua gnate Dei defendat moenia dextra,
Semper et in populo hoc laus tua vera sonet.

---

No. 262. an. 1552.

Scripta publ. Witteb. I. p. 439. et apud Vincent. p. 154.

### *Limites Germaniae.*

Philippus Melanthon. (an. 1552.)

*Ῥῆνος ἀπὸ ζεφύρου, βιάδροιο δὲ ῥεῖθρον ἀπ' ἠοῖς,*
*Γερμάνων κρατερῶν γαῖαν ὁρίζει ὅλην.*
*Ἐσχατιαὶ δ' ἄλπεις νιφόεσσαι πρὸς νότον εἰσίν·*
*Ἐς βορέαν πύματος βαλτικὸς ὠκεανός.*
Rhenus ab occasu, Viadri sed flumen ab ortu,
Clauserunt fines Teutona terra tuos.
Aëriaeque Alpes immotus limes ad Austrum,
Balticus ad Boream terminat oceanus.

Vel alio modo *):

*εἰς ἠῶ βίαδρος, ῥείνου πρὸς βούλετον ὄχθαι,*
*γερμάνων χώρας τέρματα ἐστὶ ὅλης.*
*στηρίχθη δ' ἕρκος νιφόεσσαι πρὸς νόθον ἄλπεις,*
*ἐς βορέαν πύματος βάλθικος ὠκεανός.*

In autographo Mel. in cod. Rehd. Vratislav., descriptum a. S. V. *Schulzio*, haec sic leguntur:

*Εἰς ἠῶ Βίαδρος, ῥήνου δ' ἀπὸ βουλίτου ὄχθαι*
*Γερμάνων χώρας τέρματά ἐστιν ὅλης,*
*Στηρίχθει δ' ἕρχος, νεφόεσσαι πρὸς νότον ἄλπες*
*Εἰς Βορέαν πύματος βέλτικος ὠκεανός.*
Rhenus ab occasu, Viadrus disiungit ab ortu,
Teutonici fines, qua patet ora, soli.

---

*) Haec tantum habet Vincent.

Arduus aëriae sunt Alpes limes ad Austrum,
Ultimus ad Boream Balticus Oceanus.

---

**No. 263.** an. 1552.

Precationem: „*Numen ut aeterni sapiens*" etc., quam Vincent. non habet, vide in epistolis Vol. VII. p. 956. 959. 960.

---

**No. 264.** an. 1552.

Scripta publ. Witteb. I. an. 1552. p. 483. et apud Vincent. p. 152 sq.

### *Aenigma Philippi Melanthonis.*

*Ἔξοχα τῶν ἄλλων τὰς φοίβου φράγκε πορείας* [1])
*Μάνθανε, οὐρανίους καὶ θεοῦ ἔργα φοράς.*
*Ὅττι ἔτους συνόλου ἕλκει ποσὰ ἤματα κύκλος,*
*Τοῦ ποτάμου φράζει τοὔνομα ὑμεδάπου.*

Discite praecipue Solis motumque viasque,
Vos quibus est patrium Francica terra solum.
Namque dies totos [2]) quot traxerit ambitus anni,
Id fluvii vestri vox bene nota sonat.

| | |
|---|---|
| *M* | 40 |
| *E* | 5 |
| *N* | 50 |
| *O* | 70 |
| *Σ* | 200 |

Summa 365 dies [3]).

---

**No. 265.** an. 1553.

Apud Vincentium p. 248. — Apographon huius carminis, Georgio Fabricio missi, est in cod. Zittav. No. 87.

---

1) Scripta *πορίας*.
2) Script. *totus*.
3) Apud Vincentium addita sunt haec:
*D. Paulus Eberus.*
Hoc tibi monstrat idem fluvii vox graeca, quotannis
Post messem Pharii qui rigat arva soli.

| | |
|---|---|
| *N* | 50 |
| *E* | 5 |
| *I* | 10 |
| *Λ* | 30 |
| *O* | 70 |
| *Σ* | 200 |

ummа 365 dies.

### *Georgio Fabricio. An. 1553.*

*Νῦν ὅτ' ἐπ' αἰγοκέρῳ σέλας ἠελίοιο ὀχεῖται,*
*καὶ μοίρας ἔταμεν τας δύω ἠματίας* [1]).
*ἠδὲ βάθος νιφέτων γαῖαν καὶ δένδρα καλύπτει*
*Βούδορα καὶ βλάπτει ἤματα τὰς ἀγελάς.*
*Σώματι τῆς μυσῶν διὰ χώρας νώθρῳ* [2]) *ἄλημαι*
*ἐκ στηγεροῦ πολέμου τήνδε δυὴν ἔχομεν.*
*θαλπώρη τίς ἔσται ἱστορέειν σε πάροντι,*
*ὡς γλύκυ εἰς εὔνου ὄμματα ἀνδρὸς ἰδεῖν.*
*τήλεφον* [3]) *ὡς μυσὸς τὸν πτώχον ἐδέξατο πύθρας* [4]),
*δέξαι τῶν μυσῶν φίλτατε καὶ σὺ φίλον.*
Philippus.

---

**No. 266.** an. 1553.

Apud Vincent. p. 191.

### *Epitaphium Iohannis (Koch), ministri D. Philippi.* (obiit d. 3. Apr. 1553.)

Iohannes patrii Nicri discessit ab undis,
Huc accersitus voce Philippe tua.
Quem comes exilii iuvit precibusque fideque,
Nam vere gnato credidit ille Dei.
Ipsius hic Dominus sepelivit corpus inane,
Vivit conspectu mens fruiturque Dei.

---

**No. 267.** an. 1553.

Apud Vincent. p. 243 sq.

### *In mortem Erasmi Reinhaldi Salveldensis, Mathematici et Professoris in Academia Witebergensi, anno M. D. LIII.*

*Σῶμα ἐεσταμένη ψυχὴ ἔτι σαθρὸν Ἐρασμόν,*
*τῆλοθ' ἀρθοῦσα ὅμως ἀστερόεντα κύκλον:*
*Ἁρμονίην τε χόρον ἄστρων, τεχνήν τε κρατόςτε,*
*ὠφελίμους ζώων τῷ βίῳ ἢ δρόμους.*
*Τὸν σοφὸν εὐσεβέως κτιστὴν κόσμοιο ἐπέγνω,*
*ἠδὲ νόμους αὐτὸν θέντα δικαιοσύνης.*
*Κ' ἀτρεκέεσσι λόγοις ἅμα ἠδ' ἐργοίσι δικαίοις,*
*αἰεὶ ἐτέμησεν πάντα κρατοῦντα θεόν.*

---

1) Cod. Zittav. *καὶ μοίραν ποιεῖ ἤματος εἶν ὀλίγην*.
2) Vinc. *νώδρῳ*, quod mendosum puto.
3) *τήλεφον* habent Vinc. et cod. Zitt., sed suspicor mendum.
4) *πύθρας* habet Vinc., sed cod. Zittav. *τενθρης*, utrumque, ut videtur, mendosum.

*Πίστει ἀκιβδήλῳ καὶ τοῦτ᾽ ἐφρόνησ᾽ ὅτι χριστὸν*
*ἱλαστῆρα βροτοῖς υἱὸν ἐπέμψε θεός.*
*Δεξαμένη τε ἐπαγγελίας αὐτοῦ τῷ ἀλιθῶς,*
*τῷ πατρὶ τοῦ χριστοῦ ὄντι λατρεύσε θεῷ.*
*Νῦν οὖν ἡδ᾽ ἀγαθὴ ψυχὴ, τὴν σάρκα λιποῦσα,*
*ἐν λαμπροῖς πταμένη δώμασιν οὐρανίοις,*
*ἱστορεοῦσα θεὸν σοφίας αὐτοῦ ἀπολαύει,*
*καὶ ὑμνεῖ αὐτὸν πολλὰ διδασκομένη.*
*Ὥς δ᾽ ὁ γέρων Ἄτλας στιβαρῷ πότε ὠρίωνι,*
*υἱὲ Ἀρισταῖος τοῖς κέω ἐνναεταῖς.*
*Τέρματα δεῖξεν ἔτους θείᾳ ταχθέντα προνοιᾷ,*
*σημασίας ἄστρων σπεῖρε διδασκαλίαν.*
*Οὕτως εὐποιῶν σαξώνικον ἔθνος Ἔρασμος,*
*τὴν περὶ τῶν ἄστρων σπεῖρε διδασκαλίαν.*
*Μωροκακοῖς κ᾽ ἂν ἐστὶ γελὼς τὸ δὲ κενταυροῖσιν,*
*ἄλλα πόνημ᾽ ἀρετὸν τῷ σοφῷ ἐστὶ θεῷ.*

---

**No. 268.** **an. 1553.**

Editum a Vincentio p. 34. etiam in den Unschuldigen Nachrichten Jahrg. 1735. p. 642. Vid. epp. Mel. Vol. VIII. p. 74., ubi hi versus sunt in ep. ad Matthes. Etiam Vol. VIII. p. 231.

### *Precatio.*

Te maneat semper servante Ecclesia Christe,
Insertosque tibi nos tua dextra tegat,
Tres velut in flamma testes Babylonide servas,
Rex ubi praesentem te vidit esse Deum.

---

**No. 269.** **an. 1553.**

Apud Vincent. p. 249 sq. et in Scriptis publ. Tom. II., ubi inscribitur: „Rector Academiae Witeb. Melchior Fendius, artis medicae Doctor." At Melanthonem habet auctorem. Vincentius inscripsit:

### *Edictum nomine Rectoris Academiae, propositum Scholasticis, ut munuscula sua ad aram offerant.*

Mens aeterna Deus, verax, bona, libera, iusta,
Casta, volens similes nos etiam esse tibi.
Vindicibus flammis tibi quae contraria deles,
Iustitiae nam tu Regula sola manes.
Corpora quae mundi verbo distincta creasti,
Exemplar quod vis ordinis esse boni.
Quodque tua effigies est et de lumine lumen,
Quod tribuit nobis notitiamque tui.
Et fragili indutum pro nobis victima carne,
Iustitiae solvit debita *λύτρα* tuae,
Perpetuam et vitam fracta cervice Draconis,
Restituit nobis agnitione sui.
Quodque tui spargit flammas in pectora flatus,
Pura Evangelii voce sonante tui.
Talia ut in nobis sint casti incendia cordis,
Optimus est qualis spiritus ipse Dei.
Te precor omnipotens mundique hominumque creator,
Voce tua nobis et patefacte Deus.
Quamvis iusta, tamen nobis tua parcat ut ira,
Quam gnati placant vota cruorque tui.
Perque ipsum semper nos inter collige coetum,
In quo sit veri gloria nota Dei.
Hic Sol iusticiae, nos ut tua simus imago
Nostra sibi adsimilet pectora luce sua.
Nosque tuo flatu moveatque regatque petentes,
Urat hic ut mentes ignis amore Dei.
Haec omnes mecum faciant ardentia vota,
Seque petant inter cuncta pericla regi.
Gratia sed quoniam debetur iusta docenti,
Qui recte monstrat munera summa Dei,
Ergo Pastores ut sit reverentia nota,
Prosit et exemplo nos monuisse rudes.
Quisque manu casta castas adportet ad aras,
Ut decet officio debita signa pii.

---

**No. 270.** **an. 1553.**

Apud Vincent. p. 179.

### *Ceu multa inter se dicunt Theologi:*

Sed gnate Dei te Christe toto pectore
Oramus, ut nos spiritu regas tuos:
Vitisque cum sis, palmites fac nos tuo:
Idem piis votis mecum precemini.

---

**No. 271.** **an. 1553.**

Apud Vincent. p. 74.

### *De nomine Margaridos in nuptiis D. Davidis Chytraei.* (Nuptiae fuerunt d. 10. Nov. 1553.)

Margaris in conchis oritur dulcedine roris,
Nomina quae Sponsae Margaris apta dedit.
Rorem Evangelii quo pingit nomine Christus,
Mens pia quem sitiens ceu nova concha rapit.

Sicut arenoso sitiens in littore concha,
Quando suum primum Ver modo tempus agit:
Siccior a coeli stillantem cardine rorem,
Pinguior ut fiat fertilitate, petit:
Quo bene nunc hausto (quod et est mirabile dictu)
Gemma salutaris cordibus inde venit:
Haec tamen in magnis generosior acta procellis,
Si modo post rorem turba sequatur, erit:
Parva redemptoris sic est Ecclesia Christi,
Donec in hac mundi colluvione latet.
Appetit e coelo coelestiae dogmata, rorem,
Dogmata viventis tradita voce Dei.
Hoc sic attracto sitiendi in pectore rore,
Nascitur inque animis mox nova gemma piis.
Scilicet agnitio vero de nomine verae,
Cumque Dei surgit firma timore fides.
Aeterni bonitas tunc fit conspecta parentis,
Quando fide pectus sentit adesse λόγον.
Haec lux atque fides inter certamina crescit,
Cum petit auxilium maxime Christe tuum.
Haec quoque contriti cordis data gemma dolori,
Unica solamen quod medicatur, habet.
Praestat et aeternae verissima gaudia vitae,
Gaudia quae nullo sunt moritura die.
Has propter causas ad gemmam dogmata pacis,
Filius aeterni comparat ipse Dei.
Ergo bonis studiis decus, ornatissime David,
Qui Vatum merito dignus es ore cani:
Cum tua Margaridos coniunx pulcerrima nomen,
Omine tam rebus conveniente gerat:
Te decet hoc ipso laetari nomine sponsae,
Quod monet ut Christi dogmata semper ames.

---

**No. 272.** **an. 1553.**

Apud Vincent. p. 101 sq.

*In imaginem Mauricii Ducis Sax. Elect.*
(Mort. d. 11. Iul. 1553.)

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quae valuere ruunt.
Ut perit in primo Pelides flore iuventae,
Pyrrhus et hoc ipso de genitore satus.
Ac Asiae domitor Macedum de stirpe creatus,
Et qui Burgundas Carolus auxit opes:
Sic iam Mauricium nimium properantia fata
Saxoniae terris eripuere Ducem.
Qui Gallos Turcosque feros virtute repressit,
Militiae praestans artibus atque togae.
Hic modo cum patriam iustis defenderet armis,
Fudissetque hostes auxiliante Deo.
Fraude globus missus victorem vulnerat, inde
Post pugnam vitae non mora longa fuit.
Commendans animam sed Christo, exordia vitae
Hausit coelestis non dubitante fide.
Est fragilis natura hominum, sed reddere vitae
Gaudia vult Christus non moritura piis.

---

**No. 273.** **an. 1553.**

Apud Vincent. p. 246. Conf. Vol. VIII. p. 265.

***Epitaphium scriptum Georgio Principi Anhaltino, Praeposito Magdeburgensi et Misnensi, pie placideque vita defuncto 16. Cal. Decb. an. 1553, cum vixisset an. 46, mens. 2, dies 4, hor. 14.***

Principis Ascania nati de stirpe Georgii,
Quem cernis tumulus proximus ossa tegit.
Huic fuit Ernestus genitor, qui pacis amore
Promeruit patriae totius esse pater.
Matris erat castae Monsterbergensis origo,
Sincera coluit quae pietate Deum.
Ascaniae gentis virtus est clara triumphis,
Ordine quos numerant secula longa patrum.
Sed fuit huic fontes doctrinae discere cura,
Quam nobis gnatus tradidit ipse Dei.
Hoc ad maiorum decus addidit inclyta facta,
Praebuit et patriae commoda magna suae.
Esdras seu quondam populo ius dixit, et idem
Interpres Solyma legis in urbe fuit.
Principis hic munus simul et Pastoris obivit,
Ipsius mentem rexit et ora Deus.
Iustificaque fide capiens tua munera Christe,
Solius est cuius parta cruore salus.
Vera luce Deum agnovit precibusque vocavit,
Numinibus fictis mens inimica fuit.
Nec virtutum umbras habuit, sed pectora rexit
Ipse Dei vivens assimilata λόγος,
Urbibus in multis flavus quas alluit Albis,
Et quas coerulei praeterit unda Salae.
Agmina collegit Christum celebrantia, spargens
Pura Evangelii semina voce sua.
Fidus et aetati venienti testis ut esset,
De Christo patriae publica scripta dedit.
Hic frater lacrymans Ioachimus condidit ossa,
Vivit conspectu mens fruiturque Dei.

O Deus Ascaniam stirpem servesque regasque,
Nulla venit nobis te nisi dante salus.

---

No. 274. (fortasse an. 1553.)

Apud Vincent. p. 102 sq. — Aepinus obiit d. 13. Maii 1553.

*In imaginem Iohannis Aepini Doct. Theol.*

Haec est Aepini Doctoris imago Iohannis,
Qui docuit caste dogmata pura Dei.
Saxonicoque pios coetus in littore rexit,
Fulsit et exemplis integra vita bonis.
Urbis ubi Hamburgae stant ardua moenia clarae,
Massyliae veteris quae decus omne tenet.
Et superat meliore bono, quod praebet honestum
Et fidum hospitium maxime Christe tibi.
Inde etiam Aepinus vigilans et pectore firmo,
Errorum fucos depulit atque dolos.
Ergo Deo grates tanto pro munere dico,
Utque regat semper pectora nostra peto.
Et faciat, semper nos unum ut simus in ipso,
Aeterni gnatus quod petit ipse Patris.

---

No. 275. (an. 1553. ut videtur.)

Apud Vincent. p. 140. — Vid. epistol. Vol. VIII. p. 168.

*Oraculum ex Pausania de filiabus Scedasi.*

Leuctra mihi sunt curae, et mors tristissima gnatae
Occisae Scedasi quae periere duae.
Hic atrox fiet pugna, et saevissima caedes,
Fatalis quando venerit illa dies.
Quam prius haud quisquam norit, quam Dorica pubes
Amittet robur, militiaeque duces.

---

No. 276. an. 1554.

Apud Vincent. p. 227. Apographon in cod. Goth. 213., ubi inscribitur: „Epitaphium Principis Sibyllae" etc. — Apud Vincent. est inscriptio:

*De illustriss. Principe ac Domina Sibylla, coniuge Ducis Saxon. Ioann. Friderici Electoris, nata ex illustriss. familia Iuliacensi et Clevensi mortua d. 21. Febr. 1554. 11. die ante mortem mariti.*

Edita Iuliaca fuerat quae stirpe Sibylla,
Saxonici coniunx et generosa Ducis.
Bilionaee tui generis Gotfride propago,
Maiorum celebri stemmate clara fuit.
Gotfrido, postquam Solyma rex factus in urbe est,
Spinea, regis honor, gesta corona fuit.
Haec etiam caput est spinis redimita cruentum,
Facta crucis consors moesta Sibylla viro.
Sed postquam terras vitae pertaesa reliquit,
Laeticia fruitur, contuituque Dei.
Atque sui rursus pectus complexa mariti,
Gaudia percipiens non moritura, tenet.
Hic ubi Gotfridus, David, sanctusque Iosias
Te comitem adiungunt Ian Friderice sibi.
Cum quibus alloquio dulci recreatur uterque
Coniuge cum dulci casta Sibylla suo.
Historiamque suae memorant aetatis, et optant
Maiorum natos inclyta facta sequi.

---

No. 277. an. 1554.

Apud Vincent. p. 226. Apographon in cod. Goth. 213.

*De illustriss. Principe ac Domino D. Ioanne Friderico Duce Saxon. Elect., mortuo d. 3. Martii a. 1554., aetatis vero 51.*

Saxonici Ducis haec celebrati Herois imago est,
Cui clarum nomen Ian Fridericus erat.
Qui pia doctrinae curavit semina spargi,
Qua videt Arctoum Saxonis ora latus.
Iustificaque fide capiens tua munera Christe
Sincera coluit cum pietate Deum.
Sic etiam patriam iusto moderamine rexit,
Exemplum ut possit Principis esse boni.
Et quanquam bello cessit tibi Carole moto,
Induerat pietas attamen arma Duci.
Ergo Deus praesens eventus leniit ipsi,
Ac inter texit mille pericla virum.
Maioremque tulit fidei constantia laudem,
Quam poterat victrix dextera ferre Ducis.
Ut Daniel captus patriae plus profuit exul,
Quam si gessisset bella cruenta domi,
Hic etiam postquam Christi bonitate reductus
Ad patriae rediit limina sacra suae.
Voce sua pacis fuit autor, debita tantis
Pro meritis ipsi gratia semper erit.
At nunc ornatus patriae coelestis honore,
Colloquio fruitur maxime Christe tuo.
Summe Deus tu das solus felicia regna,
Saxonicos igitur protege quaeso Duces.

**No. 278.** **an. 1554.**

Apud Vincent. p. 98 sq.

### *Epitaphium scriptum D. Hieron. Schurff, Doct. Iuris.*

Doctor erat Iuris praestans Hieronymus arte,
Iusticia, ingenii viribus, atque fide.
Schurfiadum de stirpe satus, quae clara per Alpes
Helveticas, numerat secula multa patrum.
Iura enarravit lustris bis quinque, nec ullus
Ostendit fontes dexteritate pari.
Consiliis rexit fidis populosque ducesque,
Lumen enim Iuris temporis huius erat.
Hunc etiam sapiens Caesar dignatus honore est
Carolus, Imperii qui modo sceptra tenet.
Quaeque leget veniens aetas, monumenta reliquit,
Multorum studiis proderit iste labor.
Iusticiae esse Deum fontem quia noverat ipsum,
Ut recte nosset maxima cura fuit.
Iustificaque fide capiens tua munera Christe,
Solius est cuius parta cruore salus.
Vera luce Deum agnovit, precibusque vocavit,
Et rectae fidei congrua vita fuit.
Ipsius hoc tumulo requiescunt molliter ossa,
Vivit, conspectu mens fruiturque Dei.

---

**No. 279.** **an. 1554.**

Apud Vinc. p. 85 sq. et in Mel. Consil. lat. P. II. p. 845.

### *De matre Cananaea, Matth. 15.*

Quantus erat dolor in Cananaea matre puella,
Cuius mens furiis exagitata fuit:
In tanto nunc est Ecclesia moesta dolore,
Doctorum furias cum videt, atque Ducum.
Sed tu gnate Dei gemitus audito precantum,
Nulla venit nobis te nisi dante salus.
Tu procul a nobis saevos depelle furores,
Et sanes verbo pectora nostra tuo.
Quamvis ira tui nos urget iusta parentis,
Et sumus ut turpes nos rea turba canes,
Attamen ut timide sub mensa captat herili,
Esuriens modicas parva catella dapes:
Sic cum dira fames nostros absumserit artus,
De mensa petimus pabula Christe tua.
Gnate Dei generis nostri cum sumseris artus,
Nos gerat infirmos haec tua massa precor.

**No. 280.** **an. 1554.**

Apud Vinc. p. 4. et Scriptis publ. T. II. p. 45.

### *De vagiente Ecclesia.*

Aeterni de mente patris sapientia nata,
In qua Mundi operum fulsit idea novi:
Et quae distinxit pulcerrima corpora rerum,
Et iussit formas singula habere suas:
Haec eadem in parvis vagit sapientia cunis,
Naturae nostrae membra tenella gerens.
Sic quanquam infundit se nostra in pectora, nobis
Nondum se totam cernere posse dedit.
Ut tamen in nobis sint tantae exordia lucis:
Tanquam vagitus dogmata prima sonat.
Non spernis, quanquam infirmos, si debita credant
Te λύτρα pro nobis Christe dedisse patri.
Ah precor infirmis adsis ut mentibus, atque
Doctrinae foveas semina sparsa tuae.
Dum tua se totam pandet sapientia nobis,
Atque patrem clara luce videre dabit.
Quando mortali solventur carcere mentes,
Et duce te coeli culmina celsa petent.
Christe tuo exulibus patriam tu sanguine reddis,
Nulla venit nobis Te nisi dante salus.

---

**No. 281.** **an. 1554.**

Versus: „*Ut gerit agnorum*" etc., quos Vinc. non habet, quaere in epist. Vol. VIII. p. 309.

---

**No. 282.** **an. 1554.**

Carmen: „*Urbs ad Visurgim*" etc., quod Vinc. non habet, quaere in Mel. epp. Vol. VIII. p. 316.

---

**No. 283.** **an. 1554.**

Apud Vincent. p. 6 sq. — Vincentius habet quidem ad marginem: „in reditu ex Ubiis anno 1543"; sed in eo erravit. Ex Mel. epistolis Vol. VIII. p. 388. intelligitur, hoc carmen a. 1554. factum et Proxeno missum esse.

### *De Mose percutiente petram.*

Qua regione Arabum fines Sinaia rupes
Claudit, et incultas aspicit alta plagas:
Aegra siti lymphas mediis quaerebat arenis
Gens ex Isacidae semine nata patris.

Et quanquam passim terram effodere perustam:
  Nulla ibi larga tamen vena reperta fuit.
Iamque animas exhalabant, siccata labellis
  Dum matrum infantes ubera forte trahunt.
Expirantque simul matres tristique sepulchri
  Munere maternus fungitur ipse sinus.
Hic iterum subeunt animos nova taedia vulgi,
  Poenitet et varias deseruisse domos.
Nec tamen accusant Mosen, sed grandius addunt,
  Quo premat immeritos, crimen habere Deum.
Scilicet haec miseris nimium vulgata querela est,
  Iusta sed est semper iudicis ira Dei.
Et quanquam sontes punit, tamen inter eosdem,
  Servat relliquias agminis ipse sui.
Ergo iubet Mosen percussa educere rupe,
  Pro populo undarum flumina larga suo.
Obsequitur Moses, novo sed confusio mentem
  Turbat, et aggresso diriguere manus.
Et, cuius nunquam pectus trepidaverat ante,
  Si quando fuerant iussa obeunda Dei.
Iam veluti navis scopulis illisa fatiscit,
  Sic rupem aspiciens, excidit iste sibi.
Et ferit, et dubitat, sed mox se colligit ipse,
  Et vigor, in pectus, qui fuit ante, redit.
Ergo ardens iterum rupem Sinaida pulsat,
  Et baculo cogit cedere saxa suo:
Quodque riget late loca vasta, effundere flumen,
  Unde sibi dulces hauriat agmen aquas.
Hoc Deus exemplo monstrat se pascere egentes,
  Quos ad militiam deligit ipse suam.
Sed tamen et maius quiddam spectacula tanta
  Significant, multum quod meminisse iuvat.
Legifer ut Moses est iussus scindere rupem,
  Sic propter Legem vulnera Christus habet.
Lex immota manet: peccatum punit, et odit,
  Proponitque irae plurima signa Deus.
Verum, ne prorsus natura humana periret,
  Neve haec frustra esset condita imago Dei:
Pro nobis Natus patris intercessit, aditque
  Poenam, quam iusta sanxerat ira Dei.
Lex igitur Christum insontem percussit, et inde
  Manarunt vitae flumina grata novae.
Cur autem trepidat Moses? praesagia luctus,
  Venturo in populo tunc pavor ille fuit.
Quae legem, vocemque Dei gens audiit una,
  Haec Christo Domino est iniicere ausa manus.
Venturum scelus hoc exhorrent pectora Mosis,
  Et nondum noto mota dolore stupent.
Saepe duces populi feriunt te maxime Christe,
  Anteferunt dictis cum sua iura tuis.



Et coeci decus esse putant non solvere leges,
  Quas decuit voci cedere sponte Dei.
Est virtus leges, et morum vincla vereri,
  Si tamen et legum regula Christus erit.

---

**No. 284.** **(an. 1554?)**

Apud Vincent. p. 99 sq.

*Epitaphium scriptum coniugi integerrimi viri Friderici Bernpeckii.*

Hoc tumulo castae matronae condidit Annae
  Fridericus Bernpeck coniugis ossa suae.
Cui novisse Deum, et coelestia discere dicta,
  Et parere ipsis maxima cura fuit.
Iustificaque fide coluit te Christe Redemtor,
  Exemplum mores et pietatis erant.
Mens igitur patriae fruitur coelestis honore,
  Hoc tantum tegitur corpus inane solo.

---

**No. 285.** **an. 1555.**

Apud Vincent. p. 6.

*In tabulam Ecclesiae Dei sub imagine Halcyonum, descriptam Carmine a Martino Socolovio.*

Fluctibus in mediis pariens Ecclesia quare
  Halcyonum similis sit, tabula ista docet.
Illa sed est aliis etiam depicta figuris:
  Naturae impressit plurima signa Deus.
Nidus humi iacet inter saxa Hypolaidos, in quem
  Ignavus Coccyx ova fovenda locat.
Cumque diu pavit cuculum officiosa voracem,
  Nec tamen ingluviem iam saturare potest:
Tum sibi servatae solvens mala praemia vitae,
  Nutricem cuculus devorat ore suam.
Sic pia se praestans Thammero Ecclesia matrem,
  Serpentem proprio nutriit ipsa sinu.
Non timet in matrem crudeles vertere morsus,
  Ille nec esse Deum, qui videt ista putat.
Gnate Dei, prohibe, proprii defensor honoris,
  Visceribus cuculos se satiare tuis.

No. 286. an. 1555.

† Ex autographo Mel.

*Versus quos sua manu inscripsit Mel. exemplari locor. theolog.* (Lips. 1553.), quod nunc est in bibl. *Μεγαλάρχοντος* Badensis. Primus possessor libri inscripsit nomen *Ioh. Iac. Vinther*, qui illum dono accepisse a Melanthone videtur.

Et simul[1]) auxilium praesenti a numine Christi
  Poscit et expectat non dubitante fide.
Sic procedet opus faustum populisque tibique
  Diriget et cursus aura secunda tuos.
Invictamque Dei dextram vis nulla repellet
  Omnia cogentur cedere prona Deo.
Ipsa etiam quamvis Adamanti incisa feruntur
  Cum petimus cedunt fata severa Deo.
Nec deus est numen Parcarum carcere clausum,
  Quale putabatur Stoicus esse Deus.
Ipse potest solis currus inhibere volantes
  Ipse velut scopulos flumina stare iubet.
O *λογε* gnate Dei nostris in mentibus adsis
  Et flatu accendas pectora nostra tuo.
Scripti versus
manu *Philippi*
anno a nato Christo ex virgine
1555. anno a condito mundo 5517.

---

No. 287. an. 1555.

Apud Vincent. p. 229 sqq.

*Epithalamion Illustrissimo Principi Duci Saxoniae Io. Friderico, et inclytae Principi Agnetae, filiae Principis Hessorum scriptum.* *)

Amore flagrantissimo
Sponsam suam tenerrimam
Amat ceu Sponsus unicam:
Sic gnatus unicus Dei
Imago viva qui Patris
Vivensque semper est λόγος.
Massam naturae diligit
Humanae quam sibi induit.
Idemque nos ceu surculos
Massae insitos amat suae
Et gestat in sinu suo.
Huius mirandi foederis
Vult esse conditor typum
Amorem dulcem coniugum.
Amor sed ut castissimus
In filio manet Dei:
Sic esse castas coniugum
Mentesque vult, et corpora.
Et punit horrendis modis
Flammas libidinum vagas,
Castas et accipit preces,
Tegitque casta corpora.
Vos ergo cum connubii
Divina iura copulent,
Amorque iustus pectora
Cum vestra iungat mutuo,
Ian Friderice Saxonum
Dux nobilissime, et patre
Prognate Principum optimo.
Tuque Hagne stirpis Hassiae
Decus, fruamini in Deo
Amore laeti mutuo.
Vos servet et regat Deus.

---

No. 288. an. 1555.

Apud Vincent. in Epigr. p. 35. Versus facti sunt anno 1555, quo anno Melanthon hoc carmen misit amicis. Vid. epp. Vol. VIII. p. 438. et 442. Editum etiam est hoc carmen in den Unschuldigen Nachrichten Jahr 1735. p. 642.

## (*Precatio.*)

Nil sum, nulla miser novi solatia, massam
  Humanam nisi quod tu quoque, Christe, geris.
Tu me sustenta fragilem, tu, Christe, guberna.
  Fac ut sim massae surculus ipse tuae.

---

1) Ex his verbis intelligitur, primum versum huius carminis desiderari.

*) Agnes, filia Philippi Landgravii Hassiae, nata d. 31. Maii 1529, primum d. 9. Ian. 1541. nupta Mauritio, Duci Saxoniae, deinde, post Mauritii obitum iterum d. 16. Maii 1555. nupta Ioanni Friderico, Duci Saxoniae Wimariae, ubi autem eodem anno, d. 6. Nov. 1555. a febri ardente correpta obiit, et Wimariae sepulta est. Eius sepulchro haec inscripta leguntur:

Talis adhuc vivens, genus Hessi sanguinis Agnes
  Saxoniae ducibus nupta duobus eram.
Principe Mauritio primo viduata marito
  In thalamum veni Ian Friderice, tuum.
Bis duo lustra duos et quinque superstes in annos
  Ad superas abii morte soluta domos,
Morte propinati quae *suspicione veneni*
  *Non caret*, occultum iudicat omne Deus.

Hoc mirum foedus semper mens cogitet, uno
  Hoc est, ne dubita, foedere parta salus. *)

---

**No. 289.** **an. 1555.**

*Versus ex Bachylide*, quaere in epist. Vol. VIII. p. 588.

---

**No. 290.** **Oct. 1555. Norinbergae.**

Apud Vincent. p. 85. et in Scriptis publ. T. III. p. 268 b.

### *De lectione historiarum.*

Ipse Deus metas annorum condidit arte,
  Quas oculis simul et mente notare iubet.
Ut generi humano sint nota exordia mundi,
  Ex atomis casu ne coiisse putes.
Utque Deus, quo se patefecerit ordine constet,
  Quaeque sit e coelo vox data prima Dei.
Et quando fuerit venturus victima ut esset,
  Aeterno natus de genitore λόγος.
Quodque habeant finem mortalia cuncta sciendum est
  Iudiciique instet quando tremenda dies.
Annorum, rerumque igitur sit notus ut ordo,
  Regnorum historia est tota legenda tibi:
Haec etiam ostendit divinum numen adesse,
  Quod nos iusticiam nosse, et amare docet.
Puuit et iniustos magnis cruciatibus omnes,
  Ne dubita, iniustis Lex rata semper erit.

---

*) Secundum Io. Mart. Schamelii Evangelischen Lieder-Commentarius, 1. Th. S. 299. ex hoc carmine natum est canticum ecclesiarum nostrarum:

Ich armer Mensch doch gar nichts bin,
Gott's Sohn allein ist mein Gewinn.
Daß er Mensch worden, ist mein Trost,
Er hat mich durch sein Blut erlost.

O Gott Vater, regier du mich
Mit deinem Geist beständiglich;
Laß deinen Sohn, mein Trost und Leb'n,
Allzeit in meinem Herzen schweb'n.

Wenn mein Stündlein vorhanden ist,
Nimm mich zu dir, Herr Jesu Christ.
Denn ich bin dein und du bist mein,
Wie gern wollt ich bald bei dir seyn.

Herr Jesu Christe, hilf du mir,
Daß ich ein Zweiglein bleib an dir,
Und nachmals mit dir auferstéh,
Zu deiner Herrlichkeit eingeh.

**No. 291.** **9. Oct. 1555.**

Apud Vincent. p. 200 sq. et apogr. in cod. Goth. no. 213. ubi adscriptum est, Melanthonem hoc carmen fecisse Coburgi d. 9. Oct.

### *Ad Iustum Ionam mense Oct.* 1555. *cum rediturus esset Philippus ex urbe Norica, compositis de Osiandri dogmate dissidiis.*

Rex iustus tenuit Solymorum mitia sceptra,
  Qui docuit veri numina nosse Dei.
Viderat et sub aquis hominum genus omne perire,
  Et lacrymis undas auxerat ipse suis.
Et quinti secli tardos confecerat annos,
  De vero testis posset ut esse Deo.
Hunc non raro senex Abram vicinus adibat,
  Vallis Ebroneae qui novus hospes erat:
A seniore tamen didicit primordia mundi,
  Quoque modo fuerit vox patefacta Dei.
Quique Dei fuerit coetus, mundique furores,
  Ut tegat hunc inter dextera magna Dei.
Natus et aeterno quis sit λόγος ille parente,
  Qui solet esse pii duxque comesque gregis.
Et carne indutus nostra qui tempore certo,
  Fracturus saevi colla Draconis erat.
Placataque ira rursus qui gaudia vitae,
  Deleta nobis morte daturus erat.
Sic tamen aeternus Pater hunc ut conditor orbis
  Iustifica agnosci iusserit ipse fide.
Colloquia haec illi quando dulcissima miscent,
  Saepe vident medios inter adesse λόγον:
Sic etiam decuit mala nos lenire senectae,
  Et viva curas voce levare graves.
Haec de doctrina multis collatio lucem
  Adferret: quaedam *) longa senecta docet.
Utilis aetati venienti noster ut esset
  Consensus, regeret quem Deus, ipse λόγος:
Sed nunc impediant quae, constat, ἐρίννυες, istos
  Congressus, dulcis colloquiique vias.
Non tamen impediunt gemitus et vota piorum,
  Gnate Dei coetus tu rege Christe tuos.
Inque Deo facias nos unum simus ut omnes,
  Nulla venit nobis te nisi dante salus.

---

**No. 292.** **an. 1555.**

Versus: „*Dura voces praecepta*" etc., quaere in epist. Vol. VIII. p. 685.

*) Apogr. *quam tam.*

No. 293. an. 1556.

Distichon: „*Non Deus est numen*" etc., quaere in epist. Mel. Vol. VIII. p. 672.

---

No. 294. an. 1556.

Apud Vincent. p. 72. et in Scriptis publ. T. II. p. 157.

*Gigantes clamore asini dissipati.*

Impia cum ruerent Titanes in arma furentes,
Conati aethereas profodere ense domos:
Iupiter ut patriis depelleret arcibus hostes,
His tamen incussus nec pavor inde foret:
Mentitis imitans Pan Aegocerota figuris,
Terruit hac specie grandia monstra truci.
Sed neque tunc fracti bello cessere Gigantes,
Bacche tuus vector donec Asellus abest.
Ille rudens rauco dum classica personat ore,
Anguipedes turpi dant sua terga fugae.
Haud secus Autolici callentes furta Sophistae,
Dicentes vero crimina multa Deo:
Terribili fugient Asini clamore repressi,
Bella ματαιολόγων exitus hic sequitur.

---

No. 295. an. 1556.

Apud Vincent. p. 86. et in Scriptis publ. T. II. p. 168.

*Locus Io. 17, 26. carmine redditus.*

Nec tu Gnate Dei maius meliusve rogare
Aeternum poteras, optime Christe, patrem:
Quam quali στοργῇ semper te diligit ipse,
Diligat et simili nos ut amore pater.
Nec tribui nobis hoc possit munere maius:
Quid nati posset maius amore dari.
Non apud aeternum facis irrita vota parentem,
Adfirmat iurans hoc pater ipse tibi.
Erga nos etiam es patrii tu pignus amoris,
Iussus pro nobis debita λύτρα dare.
Nos igitur quanquam sumus aegra et sordida massa:
Credimus ista tamen munera summa dari,
Confisique tua prece, Christe, pericula nostra
A summo petimus cuncta parente regi.
Tuque tuo serves infirmos Numine, qui vis
In nostris vivens mentibus esse λόγος.

No. 296. an. 1556.

Apud Vinc. p. 49.

*In Commentarium Epistolae Pauli ad Romanos a Philippo scriptum.*

Doctrinam ex Pauli sumas scaturigine lector,
Sed liber ad fontes hic tibi monstrat iter.
Sic λόγον aeternus misit Pater, ut sua dicta
Nobis ambiguos non velit esse sonos.
Ergo velim proprie coelestia dicta referre,
Nec coenum inspersum fontibus esse velim,
At mentes hominum caligo abducit, ut extra
Rectam discedant lapsae aliquando viam.
Sed tamen errantes revocat censura piorum,
Et monitis paret mens pietatis amans.
Iudiciis igitur lectorum posco moneri,
Censurae candor si modo iunctus erit.
In Christo semper nos una Ecclesia simus,
Una fides iungat pectora, et unus amor,
Vult Deus esse unum sibi nos, iunctosque tuetur,
Distractis rabies mutua utrinque nocet.
Iunxisti ut massam tibi nostram Christe Redemtor,
Aeterno sic nos foedere iunge tibi.

---

No. 297. an. 1556.

Apud Vincent. p. 237 sq.

*De appellatione Siloh epigramma scriptum an. 1556.*

Magni consilii qui dicitur Angelus esse
Aeterno natus de genitore λόγος.
Edidit Isacidae laeta haec oracula voce,
Cum fuit exilii duxque comesque seni.
Non prius amittet sceptrum Iudaea propago,
Quam veniet Siloh missus ab arce poli.
Perpetuae reddet nobis qui gaudia vitae,
Crimina cum proprio vestra cruore luet.
Cur tamen est dictus servator nomine Siloh?
Quod de virgineo nomine foetus erit.
Et fragili similis chorio, pellique cruentae,
In cruce cum tabo vulnera facta fluunt.
Talis at est factus pro nobis fascia Christus,
Quanquam iusticiae fons sine labe manet.
Nos homines autem vere tam sordida massa,
Nos lacerum chorion, putre reumque sumus.
Sed tu gnate Dei nostras etiam indue pelles,
Et vitam miseris insere fasciolis.

Nec tamen hanc reddis, nisi qui tua dogmata discunt,
  Tantum hanc ad vitam vis Deus esse viam.
Ergo precor studia haec tu semper dirige Christe,
  Aeterno Siloh vera propago Patris.

---

**No. 298.** **an. 1556.**

Legitur hoc carmen in Melanthonis apud Vincentium p. 251 sq. ubi inscribitur: *De cometa qui fuit conspectus anno* 1556. Idem habetur in Scriptis publicis Acad. Witteb. ad ann. 1556., ubi collocatum est inter duo alia scripta academica, quorum alterum d. 2. Iulii, alterum d. 5. Iulii datum est. Igitur vel 3. vel 4. Iulii publice affixum est. Prodiit nimirum ut edictum Decani ordinis philosophici, Lasani, et primum editum est in libello: „Oratio de discrimine legum politicarum et traditionum, quae in Ecclesia ab hominibus conduntur. Recitata a Decano Collegii Philosophici Magistro *Bartolemeo Lasano*, Cygneo etc. Witteb. 1556 — 8." — Hic et in Scriptis publicis inscribitur:

*Decanus Collegii Philosophici in Acad. Wittebergensi, Bartolemeus Lasan, Cygneus.*

Ostendit terris et in aëre multa sereno
  Irrita nequaquam signa futura Deus,
Signaque naturae quae non imitantia leges
  Portendunt subitum non procul esse malum.
Vidimus hoc anno rapidum flagrare cometen,
  Sulcantem dubias multa per astra vias.
Quodque fuit mirum vicino sole cometae,
  Cum soleant primas arripuisse faces:
Non prius accensos hic coepit spargere crines,
  Astrorum quam dux e regione stetit.
Aequabat motu Phoebus noctemque diemque
  Udaque purpurei tempora veris erant:
Halitus e molli sublatus ad aethera terra,
  Cum rutilae specimen coepit habere comae.
Primum, qua coeli προτρυγητής parte refulget,
  Semina flammarum conspicienda dedit.
Altius arcturi mox ad fastigia pergit,
  Sub rapido nullas dum facit axe moras,
Denique sicca super Cynosurae sidera vectus,
  Occupat Arctoae signa suprema plagae.
Inde gradum retro facit, et quae noster horizon
  Astra capit cursu proximiore legit.
Ac simul auroram petit, Eoumque cubile,
  Phoebus anhelantes unde reducit equos.
Hic subit Iasiden, et quae te trans vada ponti
  Aërium Perseu [1]) carpere fecit iter.
Candida cornigeri Phoebus tam limina tauri,
  Nec modo Phryxeae vellus habet ovis:

1) *Perseu*] archetyp. habet *Aeolide*.

Protinus illius vestigia trita cometes
  Arripit, et Soli sidera cuncta tenet.
Hoc iter errantis multi vidêre cometae,
  Qui fera Teutonicis damna minatur agris.
Sunt anni decies octo, quo tempore vixit
  Dux qui Burgundas Carolus auxit opes:
Tunc in suprema similis regione Cometes
  Aëris horrifico miscuit igne comam.
Is motu simili sese per inane volutans,
  Permensus coeli climata multa fuit.
Astraeae primum tenuit confinia Librae
  Arctoi petiit culmina deinde poli.
Sed remeans illinc medium qua circulus orbem
  Dividit astrigeram lumine texit ovem.
Nulla aetas vidit flagrantem impune Cometen,
  Non leve venturum nunciat ille malum.
Tunc quoque crebra tulit summis incommoda regnis,
  Civiles motus, publica damna tulit.
Quippe secuturas strages tristesque ruinas,
  Atque tuae retulit, Carole, signa necis.
Proxima vix ea post incendia venerat aestas,
  Carolus Helvetico caesus ab hoste cadit.
Tu quoque Tisiphone mundi, tu dirus alastor,
  Testis et immensi fax, Mahomete, mali,
Paulo post fugiens cecidisti Hydrunte relicta:
  Tandem blasphemos opprimit ira Dei.
Nunc quoque blasphemos tangent [2]) Turcosque Papamque
  Adproperans Nemesis iudiciumque Dei.
Dogmata turbabit, passim sterilescere campos
  Coget, et adducet tempora dura famis [3]).
Sed quaeramus opem divinitus, atque precemur
  Aeterno gnatum de genitore λόγον.
Filius aeterni λόγος, effigiesque parentis,
  Assiduus custos agminis ipse sui,
Defendet sanctos inter mala plurima mundi,
  Qui mitem toto corde precantur opem.
Cura sit interea vitam coluisse modestam
  Omnibus et verbi discere iura sacri.
Dent etiam solito nobis sua nomine more,
  Censuram studii qui subiisse volunt.
Non labor his deerit noster, nec amica voluntas,
  Semper et ingeniis officiosa bonis [4]).

2) *tangent*] archet. *anget*.

3) Pro *Dogmata turbabit* — — *dura famis* archetyp. et Scr. publ. habent:

  Et segetes passim siccis morientur in herbis,
   Et fient multis arida membra fame.

4) Versus postremos inde a: *Dent etiam solito* etc., Vincentius non dedit.

**No. 299.** **an. 1556.**

Apud Vincent. p. 84. et in Scriptis publ. T. II. p. 197.

### *In concionem Leporum ad Leones, cuius fit mentio apud Aristotelem 3. πολιτειῶν.*

Cum veluti lepores dare iura Leonibus audent,
  Hi sacra, qui populum verba, fidemque docent.
Conanturque truces sine vi frenare Tyrannos,
  Contemti poenas pro pietate ferunt.

---

**No. 300.** **an. 1556.**

Apud Vincent. p. 193. Cf. Mel. epist. d. 31. Oct. et d. 28. Decb. a. 1556., et d. 1. Ian. 1557. scriptae.

### *Epitaphium Elisabethae, coniugis I. Agricolae Islebii in urbe Arctoa.*

Clarus in hac Evangelium docet urbe Iohannes,
  Cui patria Islebii nomen habere dedit.
Texit in hoc tumulo dilectae hic coniugis ossa,
  Syncera coluit quae pietate Deum.
Ac veluti nomen retulit, quod mater habebas
  Baptistae felix Elisabetha tuum.
Sic imitata fidem, sic mores casta secuta est,
  Et mens ipsius templum erat, estque Dei.
Iustifica se Christe fide tibi tradidit, et te
  Pro nobis statuit λύτρα dedisse patri.
Hac erecta fide tibi paruit alme creator,
  Totius et vitae, lex tua, norma fuit.
Semper et aerumnas victrix quas pertulit inter
  Laeta Deo laudes obtulit atque preces.

---

**No. 301.** **12. Dec. 1556.**

Scripta publ. Tom. III. p. 83. Apud Vincent. p. 51 sq. Item in Petri Palladii Isagoge ad libros propheticos et apostolicos (Witteb. 1577.). — Habentur autographa huius carminis alterum in Cod. Rehdig. Vratisl. mihi descriptum a S. V. *Schulzio*; alterum in biblioth. Gymnasii Thorunensis, quod descripsit Clar. *Brohm*, Director Gymnasii.

### *Epigramma de Monarchiis, ex Dan. 2.*

Aspicis ut iaceant disiecti membra colossi,
  Quem rex Chaldaea vidit in arce potens [1]),
Sed tantum pars ima pedum ferroque lutoque
  Mixta statim rimis corruitura suis.
Delevere urbes Turci populosque potentes,
  Sunt igitur ferrum, caetera regna lutum [2]).
Sed lapis absque manu celso de monte revulsus
  Mox aderit, iudex, filius ipse Dei.
Totius et plantae delens ferrumque lutumque
  Regna dabit populo non peritura suo.
Ergo Dei gnato dedant se [3]) pectora nostra,
  Ipsius et discant iussa verenda sequi.
Tu λόγε [4]) gnate Dei nostris in mentibus adsis,
  Et flatu accendas pectora nostra tuo [5]).

Philipp. Melanthon,
Witebergae 12. Decb. an. 1556. [6])

---

**No. 302.** **25. Dec. 1556.**

Apud Vincent. p. 201 sqq.

### *De Encaeniis celebratis Hierosolymae.*

Ad Comitem *ab Eberstein* et Dominum in Neugarten.

Hoc Encaenia laeta mense nono
In pulcris Solymis agi quotannis
Mos est traditus, ut memor triumphi
Esset posteritas, Phalange caesa
Quo βδελύγματα dira Macabaeus
Delens, restituit pios honores,
Quos verus Deus unicus creator
Humani generis, docet, probatque,
Qui se voce sua, datoque gnato,
Ostendit, vetuitque lege, fingi
Cultus esse alios Dei, Deosque,
Huic vero Solymi Deo potenti
Hoc pro munere gratias agebant,
Hunc verum esse Deum Sione tota,
Hunc servare suos pie canebant,
Orabantque suam tegi Siona.
Nos Encaenia nostra cum vetustis
Grati nunc celebremus, atque nobis

---

1) Pro *potens* autogr. Thor. *senex*. Libri impressi hunc versum sic: „Qui Chaldaea olim visus in arce fuit."

2) Sic autogr. Vratisl. et libri impressi. Sed autogr. Thor. hoc modo:
  Delevere urbes T. pop. potentes,
    Nec gens imperium saevior ulla tenet.
  Est igitur ferrum Turcorum saeva tyrannis,
    Et sunt infirmum caetera regna lutum.

3) Libri impr. *se dedant*.

4) Sic aut. Thor. Libri impressi: *O λόγε*.

5) Aut. Vratisl. *Tu λόγε — nostra tuo* non habet.

6) Haec subscripta leguntur tantum in Scriptis publ.

Luce Evangelii recens reducta
Ex templis simulacra mentibusque
Pellentes reverenter invocemus
Aeternumque Deum, Deique gnatum,
Et quos voce sua docet, probatque
Constanter, tribuamus ipsi honores,
Custodemque sui sciamus esse
Coetus hunc Dominum λόγον parentis
Aeterni χόριον sibi cruentum
Qui cicumdedit, esset ut redemptor
Humani generis potensque Siloh.
Hunc, ut protegat et Siona nostram,
Votis assiduis precamur omnes.

---

**No. 303.** **28. Dec. an. 1556.**

*Precationem de initio novi anni* apud Vincent, p. 87., incipientem: „*Ipse Deus sapiens*" etc., quaere in epistolis Vol. VIII. p. 940. Vol. IX. p. 19. et in ep. d. d. 1. Ian. 1560. Vol. X. p. 721. 788. 988.

---

**No. 304.** **(fortasse an. 1556.)**

Apud Vincent. p. 241.

***In locos communes* [i. e. in exemplar libri] *postremae editionis.***

Υἱὸν ἔπεμψε θεὸς ζωὴν αὐτοῦ διὰ φωνῆς,
πειθομένοις δοῦναι ἄφθιτον ἀκράταις.
Τὸν δ' εἶναι μοῦνον δεῖ πᾶσι διδάσκαλον ἡμῖν,
αὐτὸς καὶ παρέχει πνεῦμα μαθόντι καλόν.
Δεῖ δ' ἑρμηνεύτας τάξιν διδαχῆς ἀποδεῖξαι,
ταὶ ἐξήγησις πιστὴ ὅδ' ἐστὶ πίναξ.

---

**No. 305.** **an. 1557.**

Apud Vinc. p. 52. Script. publ. T. III. p. 264.

***Petendum ut simus unum in Christo.***

In tristi sudans quod poscit agone cruorem
Aeterno Christus de genitore satus,
Semper concordes unumque ut simus in ipso,
Cum Christo nostra hoc vota animique petant.

**No. 306.** **23. Aug. 1557.**

Apud Vinc. p. 72 sqq. Apogr. in Cod. Goth. 19. p. 191.

***Ad Rectorem et Professores Academiae Marburgensis, scriptum in itinere Wormatiensi an. 1557.***

Cum redit Assyriis Isaaci gnatus ab oris,
Uxores secum filiolosque trahens,
Nec tantum ignotas gentes, et barbara corda,
Verum etiam socerum, fratris et arma timet [1]):
Hunc λόγε gnate Dei tua dextera texit, opemque
Luctanti, ut claudus vinceret ipse, tulit,
Sic iter ingressus nos ad certamina saeva,
Plena futura odii, plena futura doli:
Protege gnate Dei, nos consilioque guberna,
Hostilis rabies ne nocuisse queat.
Ut vero Isacidae concessit Amygdalus umbram,
Urbis et exiguae ius dedit hospitii:
Sic nos excipiat fessos Academia vestra,
Quae candore suo vincit Amygdalium [2]).
Non fertur casu natura sine ordine, sed mens
Formatrix rebus signaque vimque dedit.
Fructus Amygdalinus foris est lanugine cinctus,
Dura magis sub qua lignea claustra manent [3]).
Nucleus in medio suavis latet atque salubris,
Qui cibus est nobis et medicina simul.
Prima aetas molli doctrinae voce regenda est,
Iucundisque typis, ista putamen erunt.
Durior hinc custos lex est, sontesque trucidat,
Ac omnes homines iudicat esse reos.
Sed trepidis Evangelii vox grata medetur,
Haec sunt Isacidae significata seni.
Ergo scholae similis credatur Amygdalus esse,
In qua doctrinae vox sonat una Dei.
Congruit hoc etiam vulpes quod Amygdalae amarae.
Gustatae subita morte necare solent.
Sic Schola flexiloquos extinguit casta Sophistas,
Ars quibus Archilochi vulpis et acta placent.
Vestra igitur cum sit custos Academia veri,
Quaerimus hic umbras nos quoque Amygdalinas.
Sed iure hospitii date Xenia mitia vina,
Sintque unum in vero pectora nostra Deo.

---

1) *timet*] Vincent. *tenet*.
2) Apogr. *Amygdalinum*.
3) *manent*] apogr. *iacent*.

**No. 307.** **an. 1557. 19. Nov.**

Apud Vinc. p. 89. Scripta publ. T. III. p. 271 b. Epistolam poëticam ad *Pistorium*, Pastorem Niddanum, quaere in epp. Vol. X. p. 375.

---

**No. 308.** **an. 1557.**

Carmen ad *Doct. Seldium* de obitu fratris scriptum Wormatiae, apud Vincent. p. 88. et in Scriptis publ. T. III. p. 271., vide in Mel. epistolis Vol. X. p. 375 sq.

---

**No. 309.** **an. 1557.**

Epistola poëtica *ad Heresbachium*, incipiens: *Non ardentior edita ulla vox est* etc., quaere in epist. Vol. X. p. 576. — Apud Vincent. non legitur.

---

**No. 310.** **an. 1557. 10. Nov.**

Apud Vinc. p. 90 sq. et in Scriptis publ. T. III. p. 272. — Idem dedimus in epistolis Vol. X. p. 861. ubi Brentio inscriptum est.

### *De natali Die Lutheri ad Iacobum Rungium, Wormatiae.*

Natalis redit annuus *Lutheri*,
Hoc in mense vetus tenente nomen
Orionis, eo quod hic in undas
Nunc mane insilit, hostis ut venena
Vitet cuspide scorpii minantis
Adversa regione coeli in ortu,
Et nymbos ciet horridosque ventos.
Ut vero senior docens Orion
De stellis populos simul monebat,
Quis nam lumina fecerit, viasque
Et motus regat arte sempiterna,
Saepe addens, Deus ille fecit idem
Humanum genus, e suaque luce
Infudit radios, suasque leges,
Quas servare iubet colique semper,
Poenisque opprimit impios furores.
Sic et de sapiente conditore
De Christoque λόγῳ Dei parentis
Monstraret meliora cum Lutherus,
Hostes huic quoque Scorpii fuerunt,
Sed texit Deus utilem ministrum,
Idem nos faciat Deus ministros
Gratos, et simul ut tegat precemur.
Natali celebrentur ista luce
Dona ingentia, gratiaeque agantur
Aeternoque patri, patrisque gnato,
Et nobis eadem dari petamus.

---

**No. 311.** **an. 1557.**

Apud Vincent. p. 247 sq.

### *Georgio Cracovio missa ad Christum εὐχὴ in reditu ex colloq. Wormatiensi an. 1557.*

Aeterni viva effigies splendorque parentis,
Custodem nobis quem pater esse dedit.
Quique tibi semper victurum colligis agmen,
Ex hac quam finxit mole paterna manus.
Nos rege qui cupimus veros tibi reddere honores,
Adflatuque move pectora nostra tuo.
Et nostras defende domos turbamque tenellam,
A te quae solo poscere novit opem.
Haec repetes toties rediens iam vota Georgi
Cum gnatum Coniunx obvia prima feret.
Coniugis in labris quoties dulcissima figis
Basia, purpureis filiolique genis.
Istius ipse Deus transfudit semina amoris,
Non temere in sensus castaque corda Patrum.
Ergo preces etiam probat inter suavia mixta,
Coniugibusque piis has iubet esse ratas.

---

**No. 312.** **an. 1557.**

Vincent. p. 77 sq. Scripta publ. T. III. p. 258 b.

### *De tabulis geographicis.*

Esse Deum; ostendit mundi pulcherrimus ordo,
Et distincta locis corpora prima suis.
In medio terra est sedes animantibus apta,
Orbis quam circum lucidus astra vehit.
Sunt quibus arte viae factae, metaeque perennes,
Nec casu ex atomis omnia nata putes,
Aspicias igitur terras, ac astra, sciasque
Esse Deum, cuius nos quoque cura sumus.
Et videas ubi non dubiis oracula signis,
Et leges dederit conditor ipse suas.
Quoque loco fuerint Christi vestigia certa,
Qui λόγος est natus de genitore Deo.
Et spectes fuerint ubi primum maxima Regna,
Lapsa aliis populis cur dederitque Deus.

Has igitur tabulas Regionum cernere prodest,
Quae spectatorem talia multa monent.

---

**No. 313.** **11. Dec. 1557.**

Epistolam poëticam *ad Petrum Lotichium*, incipientem: „*Cum Franci tenuere*" etc., quam etiam habet ap. Vinc. p. 91. et in Script. publ. T. III. p. 272b., dedimus in Mel. epp. Vol. X. p. 397.

---

**No. 314.** **an. 1557.**

Apud Vincent. p. 194 sq. — Obiit coniux Melanthonis d. 11. Oct. 1557.

### *Epitaphium Catharinae, coniugis Phil. Mel.*

Proximus hic tumulus Catharinae contegit ossa,
Quae Crappo quondam consule nata fuit.
Coniugio casto fuerat quae nupta Philippo,
Ex scriptis cuius nomina nota manant.
Virtutes habuit donatas numine Christi,
Matronae Paulus quas docet esse decus.
Hic absente viro sepelivit filia corpus,
Vivit conspectu mens fruiturque Dei.

---

**No. 315.** **an. 1557.**

Editum in *Kappii* Nachlese etc. T. I. p. 63.

### *Epitaphium Henrici ab Einsiedel Consiliarii Ducis Saxoniae Electoris defuncti d. 6. Decbr. 1557. in oppido Kohren, auctore Philippo Melanchthone.*

Henrici corpus posuere hic quinque parentis
Ex ipso nati, nobilitate pares.
Ex Einsidelia fuerat qui stirpe creatus,
Ornavitque vetus qui pietate genus.
Nam te, vere Deus, Christi Pater optime rerum,
Iustifica coluit, conditor alme, fide.
Ipsius et mores iusti castique fuerunt,
Mens quoniam fuerat luce renata Dei.
Et quamvis Evangelii confessio verax
Attulit huic odium damnaque multa viro:
Defensus tamen est praesentis numine Christi
Inter qui servat magna pericla pios,
Quinque Electorum fidus fuit ille senator,
Saxonium sceptrum qui tenuere Ducum.
Suasor erat pacis, multorumque arbiter aequus,
Praebebat patriae commoda magna suae.
Motaque cum vidit moestus civilia bella,
Restitui pacem maluit ille piam.
Ter tres huic peperit natos castissima coniux,
Et dulces gnatas quinque, iuvante Deo.
Ex his ter denos quatuor superadde nepotes,
Cum natis vidit spem superesse domus.
Qui sancte ut colerent Christum votisque vocarent,
. . . . . . . . . . . . . . . .
Se commendavit moriens Tibi, Christe, redemtor,
Credenti vitam qui sine fine dabis,
Foelix haec anima est morientia membra relinquens,
Quae Christum coluit non dubitante fide.
Gnate Dei, fac posteritas ut salva sit omni
Tempore florentis sit patriaeque decus.
Phil. Melanth.

---

**No. 316.** **an. 1558.**

Vincent. p. 78. Scripta publ. T. III. p. 259.

### *Epigramma.*

Vincere difficile est tentant cum dulcia sensus,
Ni fugias, poena est saeva luenda tibi.
Sed fuge, teque regi poscas a numine Christi,
Offendent quae non posse nocere putes.

---

**No. 317.** **an. 1558.**

Apud Vincent. p. 177.

*In Chronicon*, (i. e. in Chronicon a se editum scriptum,) coll. epp. Vol. X. ep. d. 4. Febr. 1558.

Ut noris quando sese patefecerit ipse,
Spectari iussit secula cuncta Deus,

---

**No. 318.** **an. 1558.**

Apud Vincent. p. 180 sq.

### *Petro Vincentio die natali Platonis.*

Dicitur ista dies tribuisse exordia lucis
Magne Plato eloquii, signaque mira tibi:

In cunis examen apum, nam dulcia mella
Finxerat, hoc tanquam rore labella rigans.
Si te Vincenti delectant mella Platonis,
Ad coenam venias mox Petre docte meam.
7. Idus Aprilis, Anno 1558.

---

**No. 319.** 7. Apr. 1558.

Apud Vincent. p. 181.

***Petro Vincentio, fratri cariss. post coenam.***

Hoc etiam dictum est inter dulcissima mella,
Quae sapiens nobis tradidit ipse Plato.
ὅττι γεωμετρεῖ θεὸς αἰεὶ πάντα κυβερνῶν,
Haec vox in coena nunc agitata mea est.
Te vocem nobis hanc enarrare volebam,
Sed cras ut venias Petre diserte peto.

---

**No. 320.** an. 1558.

Versus graecos ad *Praetorium* quaere in epist. Mel. Vol. X. p. 566.

---

**No. 321.** an. 1558.

Apud Vincent. p. 203.

***Demetrio hospiti Constantinopolitano.***

Θρηΐκιης ξένε ἐκ πόλεως καλέω σε μεθ' ἡμῶν,
Νυνὶ φαγεῖν, μίξαι καὶ χαρίεντα λόγον.

***Gnome de invocatione.***

Ὅττι χρεῖαν ἔχεις τεύξεις αἰτῶν
παρὰ χριστοῦ.

---

**No. 322.** an. 1558. d. 13. Aug.

Versus: *Ipse ego quicquid ero* etc., quaere in Mel. epist. Vol. X. p. 589. et p. 911. — Vincentius eos non habet.

---

**No. 323.** an. 1558.

Precatio incipiens: „*Aeterno genitore nate*" etc., quam Vinc. non habet, vid. in Epp. Vol. V. p. 648.

**No. 324.** an. 1558.

Apud Vincent. p. 100.

***In imaginem Rev. Doct. Ioannis Bugenhagii, Pomerani.***

Coniugis ut senio confecti corpus aquatum
Ipsa suis humeris Halcyo grata gerit:
Sic bene promeritum Doctorem Ecclesia curet,
Et levet aetatis pondera dura seni.
Sic tua canities, Doctor Pomerane, fidesque
Sincera est cunctis iam veneranda piis.
Qui procul externis sparsisti fidus in oris
Pura Evangelii semina voce tua.
Ac ceu Baptistes agnum monstrare solebat,
Aeterno Christum de genitore satum.
Tu quoque iustifica docuisti agnoscere Christum,
Aeternique patris sumere dona fide.
Fictiliumque alias formas tua lingua Deorum
Evertit, Papae quas voluere coli.
Et velut in scopulis celsos locat Halcyo nidos,
Hyberni circum quos fremit unda maris:
Sic medio in pelago felix iam Dania nidos
Extruxit Christo, te fabricante, pios.
Te Deus hos inter texit iuvitque labores,
Nunc vita functus vivis in arce poli.

---

**No. 325.** an. 1559.

Vincent. p. 38.

***Gratiarum actio pro beneficio nati Christi.***

Omnipotens aeterne Deus, qui cuncta creasti,
Nostra tibi grates, pectora, et ora sonant.
Quod genus humanum non dira in morte relinquis,
Effigiemque tuam non periisse sinis.
Sed gnatum donas, qui nostros induit artus,
τὸν λόγον ἀϊδίου πατρὸς ὑφιστάμενον.
Hic est promissus patribus cognomine Siloh,
Isacide gnatos ut moriture doces.
Namque erat hic χορίῳ similis, tenera, atque cruenta
Fascia pro nobis victima quando fuit.
Cumque sit Emanuel, non tantum crimina tollit,
Gaudia sed reddit non moritura piis.
Semper adest nobis, semper sibi colligit agmen,
Aeterni λόγος hic, viva et imago patris.
O res mirandas, mirando foedere iuncta est
Humani generis languida massa Deo.

Credimus haec tibi Gnate Dei, sic credere voci
  Prolatae ex patrio praecipis ipse sinu.
Sed tamen haec fidei modica est scintillula, fiat
  Auxilio petimus fortior illa tuo.
Ac veluti lucis radios Sol spargit in Orbem,
  Tu sol iustitiae nos rege luce tua.
Et non extingui patiare in pectore nostro,
  Notitiamque tui, notitiamque patris.
Hospitiumque tuae doctrinae protege Christe,
  Emanuelque tuo semper adesto gregi.

---

**No. 326.** an. 1559.

Apud Vincent. p. 39. Scripta publ. III. p. 256.

*Precatio.*

Quod λόγος aeterni demissus ab arce parentis,
  Factus et humana victima carne fuit:
Haec est divina sapientia tradita voce,
  Quam verax testis comprobat ipse Deus.
Tanta Dei bonitas, et tanta haec foedera cerni
  Non possunt, doceas Tu nisi corda Deus.
Vis autem agnosci λόγον, ac ut nuncius iret
  Misisti, nobis pignus et esse iubes.
Te pater ipse simul vis, et tua munera sumi
  Te tribuens nobis et tua dona, fide.
Ergo Gnate Dei nobis da Christe precamur,
  Notitiam patris, notitiamque tui.
Eque tuo flammas in pectora spargito nostra,
  Ut celebrent vero semper honore Deum.
Et tua sit concors, crescatque Ecclesia, et una
  Voce tuas laudes, et tua dona canat.

---

**No. 327.** an. 1559.

Apud Vincent. p. 48.

***De coniugio, in nuptias Ioannis Cratonis, artium et medicinae Doct. Vratislaviae, an. 1559. mense Septb.***

Ephes. 5.: Mysterium hoc magnum est etc.

Pectus ut in sponso flammarum incendia sentit,
  Qui vero sponsae flagrat amore suae:
Naturam sociam vero sic diligit igne
  Filius aeterno de Genitore satus.
Induit humano quam foedere, quo sibi nostrum
  Fraterno pariter iunxit amore genus.
Iura thori Deus exemplum cum foederis huius
  Esse velit, caste praecipit ipsa coli.

**No. 328.** an. 1559.

Apud Vincent. p. 52 sq.

***Ad studiosam iuventutem pro felici anni auspicio.***

Vere Deus, sapiens, verbo tu cuncta creasti,
  Et certis annum legibus ire iubes.
Cumque velis pulchri metae spectentur ut anni:
  Miranda Solis tu regis arte vias.
Effice ut iste tuo nobis sit numine felix
  Annus, qui novus hoc incipit esse die.
Da pacem, vigeantque bonae te praeside leges,
  Ac Evangelii nos rege luce tui.
Infirmum scis esse gregem, qui dogmata discit.
  Vivifica gnati tradita voce tui.
Adsis in nobis igitur custosque paterque,
  Nulla venit nobis Te sine dante salus.
Et quia tu legum fons, pulcri ac ordinis autor
  Es Deus, et custos legitimi Imperii:
*Fernando* tribuas longa et foelicia regni
  Tempora da faustus sit pater ut patriae.
Succedit fratri frater tibi *Carole*, cuius
  Virtutem semper secla futura canent,
Vicisti quoties, bonitas tua leniit iram,
  Ne bellum possent tristia plura sequi.
Ex auro frenos dat Pallas Bellerophonti,
  Servet ut in bellis cum ratione modum.
Par bonitas fratri est, qui parcere civibus optat,
  Et contra Turcos qui pia bella gerit.
Quos procul a nobis depellas Christe precamur,
  Bellaque nemo domi seditiose gerat.

---

**No. 329.** an. 1559.

Apud Vincent. p. 53 sq.

***Exhortatio ad doctrinae studia et invocationem.***

Effundam flatum, dicis, Davidis in agmen,
  Christe, Evangelii qui solet esse comes.
Gratia magna Dei docili ut notissima fiat,
  Utque prece accedat non dubitante Deum.
Mentibus et petiisse iubes hoc munus anhelis,
  Teque avidis iuras hoc dare velle bonum.
Ergo voce tua confisi Christe precamur,
  Aura evangelii sit comes ista tui.
Luceat in nobis, et iustae pectora nostra
  Adsimilet Legi, quae data voce Dei est.

Te vere, aeternumque patrem ut cognoscere possim,
Et motus habeant, quos tua verba docent.
Haec nos flamma tibi iungat, summoque parenti,
Ipse sit in nobis iam nova vita Deus.
Non sine doctrina venit haec in pectora flamma:
Disce igitur studiis et pia vota iuves,

---

No. 330. an. 1559.

Apud Vincent. p. 193 sq. Scripta publ. T. IV. p. 8 b.

***Ad turrim templi in oppido Marienberg.***

Augustus patriam cum Dux Elector haberet,
Hanc urbem cuius condidit ante pater.
Hoc templum extructum est, sonet hic ut maxime Christe
Vox Evangelii tempus in omne tui.
Et sincera sonet, quam tradit, et unica, Christus
Aeterno natus de genitore λόγος.
Hic tibi gnate Dei doctrina collige coetum,
Iustifica cui sint corda renata fide.
Et fac templa Dei nos ut viventia simus,
Aeternae vitae laeticiamque dato.
Da soboli nostrae pacem moresque guberna,
Et sint qui vera te pietate colant.
Argenti venis etiam da semina larga,
Id quoque nam donum novimus esse tuum.

---

No. 331. an. 1559.

Apud Vincent. p. 181. — Scripta publ. T. IV. p. 65 b.

***Christiano Pontano, Cancellario Ducum Saxon.***

Nestoris eloquium vicit pater, atque Periclis.
Sedarunt motus, qui populi atque Ducum.
Adseruit Christi causam sed lingua parentis,
Aeternas laudes exposuitque Dei.
Non igitur venient nobis oblivia patris,
Virtutem ipsius secla futura scient.
Ipse patrocinio texit me saepe fideli,
Nunc commendatum me cupio esse tibi.

No. 332. an. 1560.

Vincent. p. 155 sq. Scripta publ. T. IV. p. 68.

*Ἑξάστιχον P. M. de dicto* **1. *Paral.* 17.:** ***„adspexisti me in forma hominis"*** etc.

In forma quod nos hominis placidissime Christe
Aspicis, et tamen es conditor ipse Deus:
Et nostram massam miseratus crimina deles,
Et vitae aeternae gaudia vera dabis.
Haec grati canimus tua dona, simulque precamur,
Te nos ut doceas, luce regasque tua.

---

No. 333. an. 1560.

Ex Consiliis Ph. M. edit. a Pez. pt. II. p. 398. Simile vid. in epist. d. 18. Oct. 1558.

***Versus Phil. Melanth. paucis diebus ante obitum ab eo scripti.***

Eo die, quo publice postremum praelegit quibusdam petentibus testimonium initiationis suae, coepit scribere hos versiculos, quos tamen non absolvit morbo impeditus.

Aeterno genitore nate Christe,
Orator patris, ex sinu verendi
Vocem evangelii ferens suavem,
Qua credentibus exhibes potenter
Vitam iustitiamque sempiternum,
Et qui sanguine nos tuo redemtos
Exaudis, reputas, facisque iustos,
Ostendisque piis tuum parentem:
Nostras Christe Deus doceto mentes,
Ac in pectora gratiae arrabonem
Nostra effundito Spiritum, moventem
Casta incendia et invocationem:
Fac pars agminis ut tui per omne
Aevum simus, alacriterque semper
Aeterni patris, et tuas sonemus
Laudes etc. Amen.

## CARMINUM PHIL. MEL. LIBER IV.

### EA COMPLECTENS QUORUM ANNUS NATIVUS A NOBIS DEFINIRI NON POTUIT.

---

**No. 334.** — —

Apud Vincent. p. 10.

***Cur nos curet et servet Deus.***

Non Deus ostendit se tantum ut corpora curet,
  Sed cur servari nos velit, ipse monet.
Scilicet ut sese nobis communicet ipse,
  Semper et ut vivant pectora plena Deo.
Tunc autem in nobis fulget, tunc pectora complet,
  Mens pia cum discit munera nosse Dei.

---

**No. 335.** — —

Apud Vincent. p. 10.

***Deus est casta mens.***

Casta Deus mens est, casta vult mente vocari,
  Et castas pondus iussit habere preces.
*Πνεῦμα ἐὼν θεὸς ἀΐδιος καθαρόν τε καὶ ἁγνόν,*
  *τῶν ἁγνῶν δέχεται ἱερὰ μοῦνα φρενῶν.*
*Ἁγνείαν καὶ ἔταξε νόμοις σεμνοῖσι γάμοιο,*
  *τιμήσεις θεὸν οὖν ἐν γάμῳ εὐσεβέως.*

---

**No. 336.** — —

Apud Vincent. p. 11.

***Distichon.***

Ut tua pertingat, penetretque precatio coelum,
  Ardenti fiat speque fideque frequens.

**No. 337.** — —

Apud Vincent. p. 11 sq.

***In Genesin.***

Non coeco casu natura humana sine ullo
  Consilio, ex veteri prodiit orta chao.
Nec deinde est lapidum temere de mole renata,
  Quos iecit monitus Pyrrha secuta viri.
Magnum opus est, ad quod nos mens aeterna creavit,
  Ut nostro studio notior esse queat.
Ac in nos haustam proprio de pectore mentem
  Fudit, et effigiem iussit habere sui.
Ah cur autoris subeunt oblivia nobis?
  Unde homini tanti venit origo mali?
Sed Deus ipse sua depellit luce tenebras,
  Et quae sit vitae norma sequenda docet.
Audiit hanc coelo delatam Ecclesia prima,
  Et Deus hos fontes semper adire iubet.

---

**No. 338.** — —

Apud Vincent. p. 12.

***In historias Regum.***

Hanc speculum vita ducas, morumque magistram,
  Quae libris istis traditur, historiam.
Praemia iustorum monstrat, poenasque nocentum,
  Et praesens regnis numen adesse Dei.
Et dubiam vitae sortem, ac incerta pericla,
  Non tantum humana calliditate regi:

Sed custode Deo casus superabimus omnes,
Placatum pietas si modo nostra facit.
Et quibus officiis possit flectique colique,
Hic exempla liber iusta sequenda dabit.
Sit licet utilitas res gestas nosse prophanas,
Utilior tamen est perlegere ista labor.

---

## No. 339.

Apud Vincent. p. 13.

### *In Prophetas.*

O utinam Vatum praeconia dicere possem,
Accendit quorum pectora pura Deus:
Doctrinae ut lucem renovarent, atque docerent
Quis summo patri sit tribuendus honor.
Hi populum in rebus dubiis rexere, levantes
Consilio gentis multa pericla suae.
Venturum aeterni natum cecinere parentis,
Crimina ut ablueret nostra cruore suo.
Hunc propter recipi docuerunt vota, precesque
Hoc duce iusserunt Numen adire patris,
Censuraque sua frenarunt saepe Tyrannos,
Et populi mores continuere sui.

---

## No. 340.

Apud Vincent. p. 14.

### *In Psalmos.*

Saxa ferunt Vatem traxisse Amphiona cantu,
Ut strueret Thebis moenia prima suis.
Maius opus fieri Davidis carmine constat,
Qui trahit ad summum pectora nostra Deum.
Nunc servatoris narrat praeconia Christi,
Quem canit aeterno de genitore satum.
Nunc apte gemitus, et verba precantia tradit,
Ad summum patrem quae tua vota vehant.
Nunc iustas vitae leges, poenasque malorum,
Et promissa canit praemia magna piis.
Haec igitur Cithara est ad tempora quaelibet apta,
Aureaque in manibus semper habenda piis.

## No. 341.

Apud Vincent. p. 42 sq.

### *De dicto Ioannis Baptistae:*

„Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi datum sit ei a Deo." Ioh. 3.

Nullius est foelix conatus et utilis unquam,
Consilium si non detque iuvetque Deus.
Tunc iuvat ille autem, cum mens sibi conscia recti,
Mandati officii munera iusta facit.
Et simul auxilium praesenti a numine Christi
Poscit, et expectat non dubitante fide.
Si procedet opus faustum populoque tibique,
Navis et aura tuae vela secunda vehet,
Invictamque Dei dextram vis nulla repellet,
Omnia cogentur cedere prona Deo.
Ipsa etiam, quamvis adamanti incisa feruntur,
Cum petimus cedunt fata severa Deo.
Nec Deus est numen Parcarum carcere clausum,
Quale putabatur Stoicus esse Deus.
Ipse potest solis currus inhibere volantes,
Ipse velut scopulos flumina stare iubet.

---

## No. 342.

Apud Vincent. p. 161 sq.

### *De dicto Esaiae c. 30.:*

„Dabit vobis Dominus panem arctum et aquam et non sinet avolare Doctorem."

Quanquam urbes et regna ruunt, et nulla videtur
Doctrinae sedes firma futura piae:
Non tamen has inter Christus periisse ruinas
Agmina quae discunt dogmata vera sinet:
Sed dabit hospitium nobis, donoque modeste
Hoc inter iussit tanta pericla frui.
Sic patris aeterni dicunt dulcissima verba,
Nos omnes semper quae meminisse decet.
Doctorem verum panesque undasque salubres,
Munera sed vobis cum cruce tanta dabo.
Non tamen aerumnae vestrae sine fine manebunt,
Mox aderit cunctis meta statuta malis,
Aeterni gnatum patris tua lumina cernent,
Laetus aeterni luce fruere Dei.
Haec spes discenti tribuat solatia certa:
Irrita non fient vota laborque pii.

No. 343.

Apud Vincent. p. 168.

*Die Pentecostes precatio Lipsiae scripta.*

Vox tua, Gnate Dei, est, accendere velle parentem
  Aeternum flatu pectora nostra tuo.
Promissumque iubes munus votisque fideque
  Poscat ut hic coetus, qui tua iussa colit.
Hac igitur freti Christe optime voce rogamus,
  Ignis ut inflammet pectora nostra tuus.

---

No. 344.

Apud Vincent. p. 199 sq.

*Precatio ad mensam.*

Quod sumus et tegimur, dulces quod carpimus escas,
  Omnia credamus muneris esse Dei.
Sufficit hic etenim vires alimentaque rebus,
  Sustentat verbo cuncta creata suo.
Mortales miseros, pecudes, armenta, volucres,
  Implumem corvum vestit, alitque Deus.
Ergo debetur quaedam reverentia mensae,
  Ergo decet grata sumere mente dapes.
Non trahat in praeceps coecum *βουλίμια* pectus,
  Immemor ut dubitet solvere vota Deo.
Sicut Centauri convivia barbara ducunt,
  Ignari victum qui dedit esse Deum.
Gustatura cibos solita est libare vetustas,
  Qui mos a sanctis patribus ortus erat.
Sic quoque nostra pios praemittant fercula coetus,
  A prece principium, de prece finis erit.

---

No. 345.

† Ex autographo Mel in cod. Rehd. Vratislaviae, descriptum a S. V. *Schulzio.*

*De puero Iesu iacente in praesepio.*

En iacet in paleis sub inani et paupere tecto
  Salvator, brutum vagit et ante pecus.
Non sunt Assyriis exculta palatia nimbis,
  Sed parva est magni pompa puerperii.
Cur homo multiiuga peccati mole gravatus
  Abnuit hic Regis Symbola ferre sui?

No. 346.

Apud Vincent. p. 48 sq.

*In Paulum Apost.*

Non sic Daedaleus Christum pinxisset Apelles,
  Ut sacer hunc Paulus exprimit ore pio.

Item Graece:

*Οὐ δεχὲ δαιδάλεος τὸν χριστὸν γράψαι ἀπελλῆς,*
  *ἔνθεος ὡς παῦλος τῷ δ᾽ ἐχάραξε λόγῳ.*

---

No. 347.

Apud Vincent. p. 114.

*Praemeditate loquendum.*

Hermogenes voluit laudari, dicere multa
  Quod subito posset non meditata prius.
Atticus orator sed contra turpe putabat,
  Dicere apud cives non meditata diu.
Sculpta, inquit, potius recitarem, non modo scripta,
  Causa moram ferret si peragenda reo.
Ah utinam sapiens placeat contatio multis,
  Fundant ad gnatum votaque casta Dei.

---

No. 348.

Apud Vincent. p. 50.

*In carmen Eberhardi Lothmanni.*

Lex divina tibi vitae sit regula semper,
  Sitque tibi potior quam tua vita, Deus.
Eripiantque tibi vitam prius arma Tyranni,
  Quam sanctam legem, Iustitiaeque decus.
Non hic ex caecis Atomis venit ordo perennis,
  Sed monet esse Deum, Iudiciumque Dei.
Est Deus humano spargens in pectore lucem,
  Notitiam iusti, notitiamque mali.
Idem etiam vindex cunctorum iudicat acta,
  Obruit et poenis ipsius ira malos.
Haec etiam ostendit Caracallae poena Tyranni,
  Carmine quam recitas docte Eberharde tuo.

**No. 349.**

Apud Vincent. p. 94 sq.

### *M. Paulo Ebero.*

Ausoniae historiam cur non mihi, Paule, remittis,
Quae nova Pontificum bella dolosque refert?
Ni veniens ad nos, et pagellam modo reddes
Non fidei hoc Franciae, verum erit Aemoniae.

---

**No. 350.**

Apud Vincent. p. 192 sq.

### *Ad Paulum Eberum.*

Missa Hamburgiaci tibi dicitur amphora zythi
Quod celans solus, Paule, bibisse cupis.
Invites socios, vel quod Philoxenus optat,
Opto tibi collum ceu solet esse gruis.

---

**No. 351.**

Apud Vincent. p. 187.

### *Epicedion Nicolao Caesio scriptum.*

Ergone supremis rapuit mors improba fatis
Te Caesi, Aonii gloria magna chori.
His tua cura fuit iuvenilia corda docere,
Et mecum Christi multiplicare gregem.
Mox erit ut coram cernamus uterque loquentem
Te λόγον aeterno de genitore satum.
Tunc nobis inter sanctos arcana recludes
Omnia, in aetherea Christe benigne schola.
Interea Caesi mihi dilectissime salve,
Perpetuum salve, perpetuumque vale.

---

**No. 352.**

Apud Vincent. p. 155.

### *Contra curiositatem.*

Ἀπραγμόνως ζῆν ἡδὺ, μακάριος βίος
καὶ σεμνὸς ἐὰν ᾖ μεθ' ἑτέρων ἀπραγμόνων.
ἐν θηρίοις δὲ καὶ πιθήκοις ὄντα δεῖ
εἶναι πίθηκον. ὦ ταλαιπώρου βίου.

Non curiose vivere est ingens bonum,
Si modo nec inter curiosos vivere
Cogaris, et inter factiosos complices.
Sed quando vivis inter beluas malas,
Et simias, oportet fieri simiam:
Heu vita quantis miseriis obnoxia est.

---

**No. 353.**

Apud Vincent. p. 162.

### *De discrimine historiae Herodoti, Thucydidis et Xenophontis.*

Historiam Herodoto Musae narrasse feruntur,
Qui vincit cunctos rebus, et eloquio.
Tempore Thucydides quamvis est proximus isti,
Et grandi tanquam classica voce sonat:
Sermonis Xenophon tamen hunc dulcedine vincit,
Exemplum Regis pingit et arte boni.

---

**No. 354.**

Vincent. p. 166.

### *De utilitate lectionis historiarum.*

In genere humano cernit Deus omnia vindex,
Et certa iniustis poena venire solet.
Huius iudicii testes cognoscere semper
Historias sapiens praecipit ipse Deus.
Ingentem ut metuas praesentis iudicis iram,
Et poenae frenet mollia corda metus.

---

**No. 355.**

Apud Vinc. p. 165 sq.

### *Comiti Michaëli Werthemio discedenti ex Acad. Lips. προπέμπτικον.*

Isaciden veluti redeuntem in rura paterna,
Iordanis vitreas tunc ubi voluit aquas:
Protexit custos qui membra senilia fovit,
Languida cum lucta fracta fuere gravi:
Idem te custos patrias ita ducat in arces,
Tradat et incolumi debita sceptra tibi.
Nec leve onus sceptri est, crescent curaeque laborque,
Cum rudibus populis iura ferenda dabis.

Tunc igitur custos idem feliciter adsit,
Luctanti praesens auxiliumque ferat.
Crede feret, si tu mores retinebis honestos,
Sinceraque Deum si pietate coles.
At non Sirenum illecebris capiaris in aulis
Quae leviter curant numina sancta Dei.
Et luxu suadent fugientem perdere vitam,
Nec leges, morum vincula honesta, pati.
Auribus obstructis Sirenum has effuge voces,
Et vitae, Christus sit tibi norma, tuae.
Sic tibi laeta fluent peragendae tempora vitae,
Et cernes generis prospera fata tui.

---

## No. 356.

Apud Vincent. p. 178.

*In Iohannis Schrammii nuptiis precatio.*

Te Deus ut castam mentem nos esse sciamus,
Condemnat flammas lex tua sancta vagas.
Coniugii sancis sanctissima foedera casti,
Idque tuum patrio more tueris opus.
Non vis obscoenae regnare libidinis aestus,
Vis Ecclesiolam quamlibet esse domum.
Omnibus hoc toto decretum gentibus orbe
Declaras poenas tristibus esse ratum.
Quis neget aut foedus tibi connubiale probari,
Quod videt auxilio non nisi stare tuo?
Felices memoresque Dei, propriaeque salutis,
Qui thalami legem coniugialis amant.
His etiam nostris faveas pater optime Sponsis
Quem suadet pietas, da bona fata thoro.
Castus ut es, casto sic sis Deus aequus amori,
Fac tua sint Sponsis gaudia firma novis.
Iesu noster amor votis ardentibus oro:
Sint curae thalami iura salusque tibi.
Ut monitis, quali simus tibi foedere iuncti,
Coniugibus sit mens una, sit unus amor.

---

## No. 357.

Apud Vincent. p. 190.

*Ad hospites Hamburgenses d. 7. April.*
(Fortasse anno 1556.)

Quae lux orta fuit nascenti prima Platoni,
Cum medii veris tempore floret humus;
Cuius apes cunis sparserunt dulcia mella,
Omen ut eloquii numina laeta darent.
Excipiat fauste vos hac Academia luce,
Aeternique regat nos λόγος, opto, patris.
Mellificaeque ut simus apes, fac optime Christe,
Alveolos vere nos facito esse tuos.
Assiduo gemitu, lachrymarum oramus, et undis,
Te gnatum, ut doceas pectora nostra, Dei.
Te propter nobis servato dogmata vera,
Te propter laudes adsere Christe tuas.

---

## No. 358.

Apud Vinc. p. 182.

*Ioanni Cratoni tabulas Prutenicas mittens.*

Δῶστε Κράτων δῶρον πέμπει σοὶ τοῦτο φιλίππος,
οὐρανίους δ' οἴμους οὗτος ἔδειξε πίναξ.

*In librum hymnorum Cratoni donatum.*

Τὰς δὲ Κράτωνι ἰατρῷ δῶκε φίππος ἀοιδάς,
ὕμνοι γὰρ ψυχῆς φάρμακά εἰσι νόσων.

---

## No. 359.

Apud Vincent. p. 255.

*Epitaphium filioli Wolffgangi Diffsteteri, quondam praefecti arcis Wittebergensis.*

Ad te cum iubeas infantes Christe venire,
Talibus et tribuas dulcia regna poli:
Excipias Wolffgangi animam salvesque tenellam,
Ex Diffstetero qui patre natus erat.
Reddere te vitam cum norint Christe parentes,
Commendant sese, filiolumque tibi.

---

## No. 360.

Apud Vincent. p. 60.

*Disticha.*

1) *De exilio Christi et Ecclesiae.*

Exul erat Christus, comites nos exulis huius
Esse decet, cuius nos quoque cura sumus.

2) *Subditus esto Deo.*

Subditus esto Deo, mandato munere fungens,
Et spera in miseris et pete rebus opem.

3) *Nemo novit Patrem nisi filius, Matth.* 11.

Nemo patrem novit nisi filius, et quibus huius
Semina notitiae filius ipse dedit.

4) *Item.*

Vult ad sertores laudum nos esse suarum,
Idque magis poscit quam nova thura Deus.

5) *Ex Paulo 1 Cor.* 15.

Non labor in Domino vester inanis erit.
*ὑμῶν ἐν κυρίῳ οὐ κόπος ἐστὶ κενός.*

---

## No. 361.

### *Disticha.*

1) Apud Vinc. p. 115.

Iusta Dei sontes affligit vindicis ira,
Ne dubita, veniet tempore poena brevi.

2) Apud Vinc. p. 129.

*Οἰνοποτεῖν μετρίως, κούρης τ' ἀπολαύσ' ἐρατείνης,*
*ἥδιστος βίοτος σὺν φόβῳ ἐστὶ θεοῦ.*

3) Apud Vinc. ib.

*Ad Doct. Magerium Aurelianum.*

*Κελτικόν ἐστ' εὐεργετικὸν γένος, ὦ φίλε, δράχμας*
*τέσσαρας οὖν πτώχῳ πέμπει μελαγχολικῷ.*

4) Apud Vinc. p. 155.

*In κηριοκλέπτην Theocriti.*

Pungit apis puerum Veneris dum dulcia mella
Furatum, sic sunt dulcia mixta malis.

5) Apud Vinc. p. 182.

*In Herodotum.*

*Ὡς κακὰ μὲν πέπρωτ' ἀδίκοις τιμαίδε δικαίοις,*
*ἠδὲ βιοῖο γραφὴ δείξεται ἱστορία.*

6) Apud Vinc. p. 183.

*Somnium in Theologastros.*

*Οὐ γὰρ ἐγὼ δύναμαι τοῖς κυκλώπεσσι μάχεσθαι.*

---

## No. 362.

Schedam Melanth. publicam affixam quaere in epist. Vol. X. p. 90.

## No. 363.

Apud Vinc. p. 87 sq. et in Scriptis publ. T. III. p. 270.

### *Scheda de enarratione orationis Aeschinis contra Ktesiphontem.*

Vobis rursum hodie in Scholam feremus
Iustam Rhetoris Attici querelam,
Hostis qua iugulum sui, caputque
Iratus petit, atque pestilentes
Obiurgat rabulas, furentem ad arma
Qui civilia, mutuasque caedes
Accendunt populum, sibique regna
Pergunt impia fraude machinari,
Et leges temerarii refigunt,
Vallum scilicet, unicumque murum
Pacis, qua meliusve, gratiusve
Dii mortalibus haud dedere quicquam.
Haec audire iuvabit universos,
Qui virtutis amant decus coluntque.

---

## No. 364.

Apud Vincent. p. 136. Scripta publ. T. III. p. 261.

### *Prodigium conspectum Sibari in Italia, antequam deleretur.*

Cum Sibaris peritura fuit sunt omina visa:
Praecedunt poenas nuncia signa graves.
In medio conspecta foro bilem atque cruorem,
Terribili specie lurida Iuno vomit.

---

## No. 365.

Apud Vincent. p. 196.

### *Epigrammata trium statuarum ad Strymonem fluvium positarum civibus atticis, qui Medos represserant, ex Aeschinis orat. contra Ktesiphontem.*

Prima statua.

Hi virtute suae Medos ad Strymonis undas
Cogebant turpi vertere terga fuga.
Et primi domuere hostes ferroque fameque,
Ut tegerent patriae moenia cara suae.

Alterius statuae epigramma.

Haec Ducibus grati posuerunt praemia cives,
Qui pia contra hostes arma tulere feros.

Ut moneant seros mansura trophaea nepotes,
  Pro patriis etiam ferre pericla focis.

Tertiae statuae epigramma.

Cum Danai ad Troiam posuerunt castra Menestheus
  Dux ibi Cecropia missus ab urbe fuit.
Hoc aciem nemo melius disponere norat,
  Si dubitas certus testis Homerus erit.
Hanc etiam laudem sibi postera vendicat aetas,
  Namque solent fortes Cecropidae esse duces.

---

## No. 366.

Apud Vincent. p. 196 sq.

### *De civica corona, ex Aeschine.*

His grati cives donarunt ferre coronas,
  Pro rebus gestis praemia iusta suis.
Qui libertatem pulsis ex urbe Tyrannis,
  Et leges patriae restituere suae.

---

## No. 367.

Apud Vincent. p. 114 sq.

### *In βατραχομυομαχίαν Homeri.*

Mus brevis, et saliens in gurgite Rana palustri,
  Dum nulla causa praelia stulta cient:
Fulmineo pugnas Iovis ira fragore diremit,
  Et tandem fugiens agmen utrumque perit.
Sic modo dira serunt ex bellis bella Tyranni,
  Nec res, sed coecus armat utrinque furor.
Pestiferique magis Thebana Sphinge Sophistae,
  Verba venenato frivola velle linunt.
Aspicit haec vindex oculis Deus omnia iustis,
  Ne grave cum sparget fulmen, inermis erit.
Gnate Dei bonitate tua mala tanta levato,
  Et serves coetus Christe, regasque pios.

---

## No. 368.

Apud Vincent. p. 129 sq.

***Plato in Epinomide ait, gratam de Deo famam in astris et doctrina astrorum sparsam esse, quae sententia hoc venustissimo disticho expressa est:***

Ἄστρα μὲν αὐτὰ πέλει θείας σημεῖα προνοίας,
  μᾶλλον δ' ἢ ἄστρων θεσπεσίη διδαχή.
Astra quidem sunt ipsa Dei certissima signa;
  At doctrina Deum certius esse docet.

---

## No. 369.

Apud Vinc. p. 167 sq.

### *Locus Platonis VII. de repub., qui est commendatio Dialecticae.*

Sermonis certas tradit Dialectica leges,
  Quaque via possis prendere vera, docet.
Ac velut in coenum incautus si forte viator
  Labitur, atque udo polluit ora fimo:
Surgit, et immundis sordes detergit ocellis,
  Abluit et turpi squalida membra luto:
Sic hebetes oculos acuit Dialectica mentis,
  Lynceus ut videas lumina vera puer.

---

## No. 370.

Apud Vincent. p. 142.

### *Epigramma, quo venuste significatum est, et turbari mentem vino et accendi corpora ad libidinem.*

Ὥπλισμαι πρὸς ἔρωτα περὶ στέρνοισι λογισμόν,
  ἐν δέ με νικήσει μοῦνος ἐὼν πρὸς ἕνα.
Θνητὸς δ' ἀθανάτῳ συνελεύσομαι, ἢν δὲ ἐγὼ βοηθὸν
  βάκχον ἔχῃ, τί ποιεῖν πρὸς δύ' ἐγὼ δύναμαι.

Hoc est:

Sum satis illecebras contra munitus amoris,
  Ne solum solus me separare queat.
Nec formido Deum, quamvis mortalis, at ille
  Si Baccho adiunget numina magna sibi,
Non hospes contra geminos contendere possum,
  Et spolia ex uno est non grave ferre duos.

## No. 371.

Apud Vincent. p. 141 sq.

*Versus Empedoclis.*

*Φοιτᾷ δ' βροτολοίγος ἔρις κενεὸν λελαχῦναι,*
Vane sonans adfert saevas discordia caedes.

Vel sic:

Incedit passim mala lis et inania garrit.

*Aliud distichon.*

Forte cubos primum posuit cum futilis Abbas,
Tunc sese Monachi ludere iure putant.

Idem Graece:

*ὅτταν πρῶτα κύβους βάλλῃ πότε μάργος ὁ Ἄββας,*
*παίζειν οἴονται οἱ μοναχοὶ νόμιμον.*

---

## No. 372.

Apud Vincent p. 156.

*Versus Oppiani de ardore inter cervum et cervam.*

*Ἀλλὰ ποσὶ κραιπνοῖσι θέων ἐκίχανε θέουσαν,*
*φεύγουσαν μάρπτει δὲ καὶ ἀγκὰς ἔχει περακοίην.*

Ipse quidem cervus pedibus velocibus ipsam
Cum fugit assequitur, sistitque amplexus amatam.

---

## No. 373.

Apud Vinc. p. 156 sq.

*Ex Oppiano de venatione Pardorum.*

Retia nigrantes late cingentia saltus
Acer odoratis venator tendere Pardis
Extimet, et stricto propius contingere ferro.
Tam tristes iras violento in corpore versant,
Infracti ut telis concurrere fortibus ausint.
Saepe etiam superant non aequis viribus hostem,
Dum vafer extremis sese concredidit armis,
Et nimis insano venabula perdidit ictu.
Ergo dolo tantum celeres vincuntur, et ante
Insidiis frenandus erit, qui robore vinci
Nesciat, et vires quem debellare ferocem
Non aliae possunt prudens solertia frangit.
Mirandum Pardis vini fragrantis amorem
Esse senex vario venator comperit usu,
Idcirco observans anima non flante latebras
Illorum, calido perfundit nectare terram
Impiger, et tacito spumantia cymbia gressu
Ordine disponens, hinc atque hinc antra coronat.
Nec mora, laetus odor, vinique nociva cupido
Elicit insanos, et in atra pericula mittit,
Tum vero ingeminant haustus laticemque lyeum
Exorbent, et Bassaridum trieterica vivunt:
Languida quin etiam furioso corpora cursu,
In venerem solvunt, vino faciente soporem:
Mox citus assurgit venator, et opprimit arte,
Robore quos nunquam poterat, praedaque potitur,
Heu mihi quam multos nimia virtute superbos
Invenias Pardis similes, qui nomina factis
Extendunt nitido pulsantes vertice coelum,
Hos tamen infandae vel flamma libidinis urit,
Vel mala luxuries mistoque insania Baccho.
Aspice Pelleum Pardum, quo pulcrior alter
Non fuit in pulchro quem vicerat orbe nec unquam
Res similes gessit quisquam brevioribus annis.
Confectos aetate senes bellique labore
Consiliis vicit cunctos, in flore iuventae.
Ergo illi nocuere nihil nec tela nec hostes,
Sed foeda ebrietas et desidiosa voluptas.
Qui sapis, invictaeque decus servare laboras
Virtutis, semper fuge desidis ocia vitae.
Ac memor esto, DEUM, cum sit castissimus idem,
Plectere pollutos et tandem extollere castos.

---

## No. 374.

Apud Vincent. p. 189.

*Syrii ortus noxios aestus efficit, ex Hom. Iliad. 22.*

Quem senior Priamus primus conspexit in armis
Fulgentem veluti Sidus quod Sole relicto
Anteit Autumnum, nocturnosque eminet inter
Ignes, atque suo vincit splendore tenebras,
Formosique tenet nomen Canis Orionis,
Qui febrim et morbos miseris mortalibus adfert.

**No. 375.**

**Apud Vincent. p. 244.**

***Ex Homeri Odyss. 19.***

*Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,*
*Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶντε θεῶντε.*
Talis mens hominum est qualis fortuna dierum,
Quam variis vicibus divina potentia mutat.

---

**No. 376.**

**Apud Vincent. p. 189.**

***De elementis, ex Empedocle.***

*Ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅπαντα,*
*ἄλλοτε δ' αὖ δίχ' ἕκαστα φορεύμενα νείκεος ἔχθει.*
*τῇ μὲν γίγνονται, καὶ οὔ σφισιν ἔμπεδος αἰών,*
*τῇ δ' ἀλλάσσονται τὰ διάμπερες οὐδ' ἅμα λήγει.*
Iungit amor quandoque elementa et semina rerum,
Dissiliunt odiis eadem certantia rursus,
Sic res gignit amor, sed non durabile quidquam
Nascitur, inque vices mutantur cuncta subinde.

---

**No. 377.**

**Apud Vincent. p. 189.**

***Inscriptio in statua Arato Sicyonio posita.***

*Βουλαὶ μὲν καὶ ἄεθλα καὶ ἡ περὶ ἑλλάδος ἀλκὰ,*
*τοῦδ' ἀνδρὸς στήλος πλάθεται ἡρακλέους.*
*ἡμεῖς δ' εἰκόν' ἄρατε τεὰν νόστοιο τυχόντες,*
*στάσαμεν ἀντ' ἀρετᾶς ἠδὲ δικαιοσύνας.*
*σωτῆρος σωτῆρσι θεοῖς, ὅτι πατρίδι τᾷ σᾷ*
*δαίμονι σῷ, θείαν ὤπασας εὐνομίαν.*

Id est:

Venit ad Herculeas quanquam tua fama columnas,
Dum patriam servas inclyte Arate tuam:
Nos tamen hanc statuam pro libertate recepta,
Virtutis testem fecimus esse tuae.
Communis tibi cum diis servatoribus esto
Hic honor, in patriam nam pia iura refers.

**No. 378.**

**Apud Vincent. p. 141.**

***Oratio Apollinis apud Callimachum.***

Contra hostem fient communia praelia nobis,
Celtica cum contra Graecos gens bella movebit,
Titanum soboles, extremo cardine terrae
Effusa, Hesperias et sedes effera linquet,
Continuas densasque nives ut spargere Bruma
Flante solet Borea, venient sic agmina densa.
Non tamen haec stolidis Galatis via fausta futura est.

---

**No. 379.**

**Apud Vincent. p. 141.**

***Clypeus Titi Flamminii suspensus in templo Delphico cum hac inscriptione:***

Tyndaridae fratres, quorum fuit inclyta virtus,
Custodes inter quos modo Sparta colit.
Leges, Libertas, et Pax sunt optima dona,
Haec Graecae genti dat Titus Aeneades.

---

**No. 380.**

**Apud Vincent. p. 147.**

***Hector apud Homer. Il. 15. adhortatur Troianos, ut pro patria dimicent.***

Conferti naves animis ingentibus inter
Quisque suo pugnate loco, nec vulnere quisquam,
Seu mortis fugiat pavidus formidine victus,
Sed iaceat, si quem fati sors dura peremit,
Pro patria magnum decus est profundere vitam,
Nam reliqui cives nostra virtute teguntur,
Et salvae interea matres, natique manebunt,
Qui sunt aetatis venturae semina, et urbis.
Templa manent, legesque bona, pietasque, pudorque,
Et tunc quisque suis rebus, fundisque fruetur,
Cum pulsi fugient hostes in patria regna.

No. 381.

Apud Vincent. p. 148.

*Poëma Tyrtaei latino carmine redditum.*

In prima pugnantem acie cecidisse decorum est,
Servantem patriae moenia chara suae.
Nam miserum est patria amissa laribusque vagari
Mendicum, et timida voce rogare cibos.
Cum natisque errare suis et coniuge moesta,
Et cum matre pia, cumque parente sene.
Omnibus invisus quoscunque accesserit exul
Semper erit, semper spretus egensque iacet.
Nullus honos generi est, et perdita gratia forma est,
Cunctaque tabescunt membra dolori gravi.
Curat nemo vagos, et laedere nemo veretur,
Non exul curae ducitur esse Deo.
Intrepidi pugnate viri, et profundite vitam,
Quam patriae debet reddere quisque suae.
Nemo aciem linquens aliis sit causa pavoris,
Iunge maniplari corpus, et arma tuo.
Ingentique ira flagrent audacia corda,
Nec vitae nimius pectora frangat amor.
Nec iuvenile agmen tardos aetate relinquat,
Corpora sunt quorum languidiora, senes.
Indignum est aciem ante senilia fusa iacere
Corpora, iam iuvenum diffugiente manu.
Quo magis hoc miserum est in pulvere linquere vitam,
Canicie quod sint iam veneranda sua.
Quam triste est latis spectare iacentia passim
Nudata in campis membra cruenta senum.
Qui quanquam exhalant animas, meminere pudoris.
Quasque decet partes occuluisse, tegunt.
Ac superant formae iuvenilia corpora flore,
In quibus et virtus gratior esse solet.
Inque acie iuvenem prima pugnare decorum est,
Signa etiam decus est si cadat ante sua.
Ergo tuo consiste loco pede firmus utroque
Compressos dentes, et labra morsa tenens.

---

No. 382.

Apud Vincent. p. 149.

*Ex veteri poëmate.*

Οὐδ' ἀγρία γὰρ ὄρνις ἣν πλάσῃ δόμον
ἄλλῃ νεοσσοὺς ἐντεκεῖν ἠξίωσεν.

Hoc est:

Non quem sibi nidum volucris struxerat
Relinquit, atque cedit alteri fugax
Ovis ut alia ibi incubet recentibus.

---

No. 383.

Apud Vincent. p. 155. et in Scriptis publ. T. III. p. 263 b.

*Apud Atheneum γλαὺξ ἐν τάφῳ. De Sophocle sene habente vetulam.*

Noctua ut in gelido cum nidum forte sepulchro
Construit, et coecum foeda cubile tenet:
Talis erit thalamus vetulae mulieris, egenti
Et deliranti quae male nupta seni est.

---

No. 384.

Apud Vincent. p. 78. et in Scriptis publ. T. III. p. 289.

*De lyricis poëtis.*

Discite iustitiam moniti, et non temnere Divos,
Nam sontes punit iudicis ira Dei.
Haec cum regna canunt eversa, ducumque furores,
Scriptores lyrici nos meminisse iubent.
Pindarus haec melius Cygnea voce canebat,
Tu tamen et Flacci carmina saepe legas.

---

No. 385.

Apud Vincent. p. 78. et in Scriptis publ. T. III. p. 259b.

*Impetus poëticos esse dona Dei.*

Humanas superans vires Heroica virtus,
Tales qui motus dat, monet esse Deum.
Sic etiam ubertas fundentis carmina venae
Esse Deum ostendit, motus et ille Dei est.
Ergo agnosce Deum, et iusto venereris honore,
Cum docti vatis scripta sonora legis.

No. 386.

Apud Vincent. p. 165 sq.

*E graeco: Haec est os ex ossibus meis.*

Aspexit iuvenem formosa puella superbum,
  Ipsius in vultu lumina fixa tenens.
Hic ait: in terram potius tu deiice ocellos,
  Non oculos habeat casta puella vagos.
Imo, ait haec, magis in terra tu lumina figas,
  Ex terra primum nam tua facta caro est.
Nostri principium fuit ortus costa virilis,
  Hanc quaero, et iungi me velit illa sibi.

---

No. 387.

Apud Vincent. p. 217.

*Iocus Nasonis in importunum ianuae pulsatorem.*

Forte domi solus quondam dum Naso sederet
  Intentus studiis, carminibusque suis.
Pelignus gelido veniens a rure colonus,
  Ardua divini limina vatis adit.
Utque erat agrestis, strepitu ferit ostia magno,
  Et tacito properans increpat ore moras.
Nescio quid talem vatem sit, et inter asellum,
  Respondit breviter Naso Poëta, fores.

---

No. 388.

Ex Vincent. p. 197 sq.

1) *Ex Phocilide.*

*μήτε δήκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.*
Nec nisi librato dirimat sententia litem,
Parte quid ex utraque queant, examine, causae.

2) *Epitaphium Lacedaemoniorum in Thermopylis, ex Lycurgo.*

Dic hospes Spartae nos te hic vidisse iacentes,
  Dum sanctis patriae legibus obsequimur.

3) *Trophaeum Atheniensium de pugna Marathonia, ibidem.*

Attica delevit Medos Marathonis in agris,
  Pubes, pro Graecis dum pia bella gerit.

---

No. 389.

Apud Vincent. p. 249.

*In Rhesum Euripidis.*

Absolvam Regis Mysorum tristia fata,
  Qui fertur Musa de genetrice satus.
O utinam Musis caros hoc tempore haberet,
  Et Rhesi similes Mysia terra Duces.
Pannonias Rhesus pacavit vindice dextra,
  Et socio praesens tunc tulit Hector opem,
Nunc utinam mittant Rhesum, nunc Hectora Divi,
  Qui saevos Turcas inde fugare queant.
Cum Sol a summo paulum deflexerit axe,
  Primaque cum coelo labitur hora, legam.

---

No. 390.

Apud Vincent. p. 244 sq.

*Nazianzeni versus περὶ στοργῶν.*

*Φίλτρῳ μὲν συνέδησε φύσις τοκέας τε γόνους τε.*
Hunc ita Philipp. mutabat:
*φίλτρῳ μὲν συνέδησε θεὸς τοκέας τε γόνους τε.*

*Ex Plutarcho περὶ εὐθυμίας.*

*ἡδὺ μὲν εἰ τὶ φέρῃς, ὀλίγον δ' ἄχος ἤνδ' ἀποείπῃς.*
Gratum est si dederis, nec succensebo neganti.

*Ex Theocrito duo versus paulum immutati εἰς σωτῆρα.*

*Ἀΐδιον καλέω θεοῦ υἱὸν πάντα κρατοῦντος,*
  *Ἀνδρώπων σωτῆρ' ἐπὶ ξυροῦ ἤδὴ ἐόντων.*

*Versum Stigelii*

Nulla sit in versu cura laborque meo.
mutavit Philippus:
Multa sit in versu cura laborque meo.

No. 29.

Ex Manlii epistolar. Farragine p. 300.

***Epigramma, docens quomodo Romani diem transegerunt, et quos labores seu negotia singulis horis attribuerunt.*** **(Inscriptio ex Manlio.)**

Prima salutantes, atque altera detinet hora:
  Exercet tantos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores:
  Secta quies laxis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palaestris,
  Imperat extructos frangere nona thoros.
Hora libellorum decima est Eupheme meorum,
  Temperat ambrosias cum tua cura dapes.
Et bonus aethereo laxatur nectare Caesar,
  Ingentique tenet pocula parta manu.
Tunc admitte iocos, gressu timet ire licenti
  Ad matutinum nostra Thalia Iovem.

# ORATIONES PHILIPPI MELANTHONIS.

Id est:

I. *Quaestiones academicae*, iuvenibus et pueris in schola Witebergensi praescriptae.

II. *Alloquia ex cathedra*, gratiarum actiones, et conciones breviores maxime aliis, cum Iuvenibus tum Doctoribus praescriptae.

III. *Declamationes*, sive orationes prolixiores, quas Melanthon vel ipse publice recitavit, vel aliis hominibus doctis recitandas tradidit.

# PRAEMONENDA.

Absolutis Melanthonis epistolis et carminibus iam progredimur ad eiusdem *orationes*, quae quidem varii sunt generis.

*Primum* enim habemus *quaestiones academicas*, a Melanthone scholasticis ad recitandum traditas. Mos erat in Academia, ut iis qui gradum doctorum peterent, a scholastico, saepe puero (eo enim tempore pueri quoque in Academia literis operam dabant) quaestio proponeretur, ad quam aut promovendus ipse, aut etiam Praeses disputationis respondebat. Praeterea iam anno 1525. Academia legem tulerat, „ut singulis mensibus declamaretur". Vid. epist. Vol. I. p. 737. Quanta iudicii subtilitate Melanthon argumenta quaestionum elegerit, res ipsa docet, quum quaestiones gravissimas saepe res tractent, nostra quoque aetate omni consideratione dignas.

*Secundo* loco posuimus *breves conciones* ex cathedra habitas, in disputationibus publicis, quae sunt vel alloquia, vel petitiones ad Decanos, vel gratiarum actiones, vel breves Rectoris Academiae conciones habitae vel ante vel post lectionem legum Academiae. Eiusmodi conciones multas scripsit Melanthon et scholasticis et doctoribus, praecipue Principibus, Comitibus et Nobilibus inter scholasticos, quibus ex more illius temporis summus magistratus in Academia honoris causa saepe tradebatur. — Adiunxi his concionibus etiam leges s. statuta Academiae a Melanthone scripta.

*Tertio* loco posui *declamationes* publice recitatas, i. e. orationes prolixiores, quas Melanthon vel ipse recitavit, vel aliis hominibus eruditis, etiam Academiae doctoribus recitandas tradidit, et non solum Theologis et Philosophis, sed etiam Iurisconsultis, Medicis, Mathematicis, non solum in Academia Witebergensi, sed etiam in aliis Academiis. Vera enim sunt, quae *Laurentius Ludovicus* dixit in oratione de Philippo Mel., quae inserta est Ludovici orationibus de Veteris Ecclesiae certaminibus p. 474:

> „Publice recitanda, proponenda, disputanda solus ille scripsit. Collegis multa praescripsit, neque id do-„cti et ipsi viri turpe sibi putarunt. D. Zieglerus, nobilis linguae hebr. professor, Lipsia saepe veniens „Vitebergam, petivit sibi lectiones et orationes praescribi, et musei foribus assedit, ne quis scribentem „interpellaret. D. Crucigero praescripsit Commentarium in Iohannem in lectione ipsius Lutheri, Froesche-„lio diacono in Matthaeum. D. Milichio, viro praestantissimo in secundum Plinii. Chytraeo regulas vitae. „Sabino mythologias in metamorphos. Ovidii. D. Klingio, Iurisconsulto, iuris methodum. Confessionem „Augustanam graecam Dolscio. Orationes multis in academia Lipsica, Francofortiana, Rostochiana, Gryphs-„waldiana. Aliis alia innumerabilia".

Haec verissime dicta esse ex epistolis Melanthonis clare perspicitur. Neque enim Melanthon solum in rebus theologicis doctus erat, sed etiam bene versatus in Iurisprudentia, Medicina, Physica, Mathematica, quanquam a vero non abhorrere videtur, si existimamus, interdum Melanthonem a Medicis, Iurisconsultis, Mathematicis argumenta orationum perscripta accepisse, ut ea uberius elaboraret et forma oratoria indueret.

Neque offendat aliquem magnus numerus eiusmodi orationum. Non solum enim in promotionibus doctorum habebantur, sed lege etiam, ut iam diximus, praescriptum erat, ut singulis mensibus decla-

maretur, et ex iis quae in epistolis Vol. III. p. 188—190. leguntur, videmus, scholasticis, qui in hoc exercitationis genere excellerent, praemia data esse. Cf. quae Melanthon ibidem p. 188. de utilitate eiusmodi exercitationis dixit.

Quod attinet ad pretium Declamationibus Nostri statuendum, homines eruditi seculi XVI. Philippi orationes in summo habebant pretio et in praecipuis animi deliciis. Postea autem, postquam Melanthon per ora hominum traductus erat, quasi puram Lutheri doctrinam corrupisset, alii, odio nominis Melanthonis ducti, etiam de laude orationum eius detrahere studuerunt. Sic, ut exemplo utar, *Lipsius* (Epp. Cent. 3. ad Belgas ep. 28.): „nec ad Ciceronem quidem (inquit) serio nos vocant, sed ad Melanchthonem „suum, virum mihi, nisi a religione, haud adspernabilem, sed nec inter duces aut antesignanos ad elo„quentiam ponendum. De quo verissime (?) Bonamicus in Italia interrogatus dixit: videri eum latine lo„qui incipere et tentare". — Neque verius neque iustius est iudicium *Morhofii*, qui (in Polyhist. L. VI. c. 3. 3. p. 976.) scribit: „Melanthonis orationes iusta laude privandae haudquaquam sunt. Candorem quendam ac simplicitatem in dictione semper sectatus est vir ille, atque id consecutus, ut suo tempore Philippicus stylus inter elogia audiretur; non assurgit unquam, aut vires vel robur aliquod ostendit, sed tamen ita tractat argumenta, ut nihil omittat eorum, quae ad rei summam pertinent." Profecto enim, quod Morhofius de laudibus Melanthonis detrahere non ausus est, videlicet dictionem habere candorem et simplicitatem, et argumenta ita tractata esse, ut nihil ad rem pertinens sit omissum, id profecto boni scriptoris magis est quam oratoris, cuius ars cernitur cum in felici delectu dicendorum, tum vero in elocutione, simplici non tantum sed splendida etiam et vivida. Utrumque conspicuum est in Melanthonis declamationibus. Quanquam enim Melanthon in tanta laborum mole quibus obruebatur, satis otii non semper habebat ad orationes suas perpoliendas, neque potest negari, orationes post annum 1546. scriptas, ubi vires Nostri curis, laboribus, aerumnis et inimicorum cavillationibus exhauriebantur, prioribus eius orationibus inferiores esse: tamen cuique fatendum est, Nostrum non solum eleganter loquutum esse, sed etiam in delectu rerum eximium pulchri et commodi sensum, et in ornandis rebus admirandam copiam et rerum cognitionem ostendisse, ita ut lectorem non solum oblectet, sed etiam doctiorem reddat. Videantur omnino, quae *Camerarius* in vita Melanthonis (§. 18. ed. Strobel.) de Melanthonis orationibus satis copiose itemque verissime dixit.

Omnes fere Melanthonis declamationes, simul ut recitatae fuerant, etiam typis exscriptae sunt et editae, quarum autem exempla, postquam libri declamationum prodierant, neglecta pleraque perierunt, pauca supersunt. Melanthon ipse nunquam has orationes collegit vel in iis colligendis operam posuit, quod fecerunt alii, quos recensuit *Strobelius* (Miscellaneen literärischen Inhalts. 5te Samml. p. 133 sqq.).

Distinguendae autem sunt omnino *quinque editiones* Declamationum Mel.:

1) *Editio Haganoensis*, anno 1533, manca adhuc.
2) *Ed. Argentoratensis* anni 1541, quae ex officina Cratonis Mylii prodiit forma quatarnaria.
3) *Editio princeps*, Argentoratensis, forma octanaria, inde ab anno 1544. in *septem tomis*.
4) *Editio Servestana*, a. 1586.
5) *Editio Richardiana*, a. 1570.

I. *Editio Haganoensis*. Prodiit sic inscripta: „Orationes aliquot lectu dignissimae a Phil. Mel. atque aliis doctissimis quibusdam in publica Viteb. schola pronunciatae. Haganoae ex officina Kobiana. 1533. mense Septb." 8. 16 pl. — Quis hunc librum collegerit nescimus; caret enim praefatione. Insunt, ut Strobelius l. c. tradit (nam equidem librum non vidi), 1) epistola ad Grynaeum; 2) oratio de legibus; 3) de miseriis paedagogorum; 4) de dialectica; 5) de legibus (a Seb. Munstero recitata); 6) de studiis inferiorum (?) artium; 7) de studio linguarum; 8) de capta et direpta urbe Roma; 9) contra affectationem novi vestitus, 10) encomium formicarum; 11) orationem Ciceronis pro Marcello in sua membra distributam.

II. *Editio Argentoratensis anni* 1541. forma quatarnaria sic inscripta prodiit:
„*Liber selectarum Declamationum* Philippi Melanthonis, quas conscripsit et partim ipse in Schola Wite„bergensi recitavit, partim aliis recitandas exhibuit. Adiectae sunt eiusdem *praefationes* in aliquot illu„stres autores. Omnia recens in lucem edita *Crat. Myl.* Cum gratia et privilegio. M.D.XLI. (In fine „libri) Argentorati ex officina *Cratonis Mylii*, mense Martio, anno M.D.XLI." 862 pagg. 4.

Iacobus Milichius, Doctor et Professor artis medicae in Academia Witebergensi, collegerat singulas Melanthonis orationes et collectas miserat Argentoratum ad Nicolaum Gerbelium, qui eas edidit ex officina Cratonis Mylii, iisque praeposuit epistolam nuncupatoriam ad Milichium, quam hic liceat addere *). Insunt

*) *Clarissimo viro Doctori Iacobo Mylichio nobili Medico et Mathematico, Nicolaus Gerbelius S. D.* Artoxerxes Rex Persarum, primi Artoxersis qui a manu altera longiuscula μακρόχειρ dictus est, ex filia nepos, vir fuit facilitate morum, et eximia quadam liberalitate celebris, eadem erga eos quibus daret ipse, et a quibus acciperet, mansueta-

autem huic volumini non tantum orationes, quanquam non omnes, quas Melanthon usque ad a. 1541. habuit, numero LII., sed etiam 24 praefationes, 5 epistolae, et 2 versiones orationum graecarum. — Epistolas et eas praefationes, quae ad genus orationum non pertinent, dedimus in Epistolis Melanthonis.

III. *Editio princeps* forma octanaria, quorum Tomi primi ex eadem officina Cratonis Mylii prodierunt. —

1. et 2. *Tomus primus et secundus.*

„Selectarum Declamationum Philippi Melanthonis, quas conscripsit et partim ipse in schola Wite-„bergensi recitavit, partim aliis recitandas exhibuit. *Tomus primus.* Cum gratia et privilegio. Ar-„gentorati anno M.D.XLIV." (ex Cratonis Mylii officina). 787 pagg. 8.

„Philippi Melanthonis cum praefationum in quosdam illustres autores, tum orationum de clarissi-„morum virorum vitis. *Tomus secundus.* Cum gratia et privilegio. Argentorati anno M.D.XLIV." 785 pagg. 8.

Hos tomos orationum prodiisse primum anno 1544. scripsi quidem ex autoritate Strobelii, qui editionem utriusque Tomi a. 1544. factam esse commemorat, et ex autoritate Gerbelii, cuius praefatio in Tomum II. data est: Argentorati, d. 18. Nov. M.D.XLIII., sed ipse exemplum libri quod habeat annum 1544. non vidi, sed usus sum editione, quae anno 1546. prodiit. Nam recusi sunt hi duo Tomi Argentorati 1546. 1555. 1558 et 1559. 1564 et 1569. — Tomo primo eadem epistola nuncupatoria ad Iacobum Milichium praemissa est, quam dedimus ex „*libro* Declamationum", qui prodiit a. 1541. Sed *Tomo secundo* Nicolaus Gerbelius novam epistolam ad Petrum Heldungum praeposuit, in qua leguntur inter alia haec:

„*Crato Mylius*, amicus noster, homo vero φιλοφίλιππος, proximis annis orationes aliquot Philippi Me-„lanthonis excudit in hominum studiosorum utilitatem: quae quales sint, qualemve fructum lectori adfe-„rant, tunc a nobis scriptum esse memini. Cum autem admoneretur *Mylius* veteris illius et elegantis „Mimi: „comitem facundum in via pro vehiculo esse": et nemini non cognitum exploratumque sit, Phi-„lippo nihil suavius, nihil iucundius, nihil eruditius hodie inveniri, rationem investigavit, qua studiosi „adolescentes, imo etiam et viri religionis amantes Philippo, tanquam facundissimo comite in itineribus, „in profectionibus commodissime uti possent. Itaque *forma portatili* auctas Philippi orationes evulgavit, „inque *Tomos duos* discrevit: quorum prior etsi plenus sit multifaria fruge, tamen posterior omnibus de-„bet esse gratissimus, quod in eo primum in optimos authores praefatiunculae, tum vitae pars omnium „utilissima comprehensa sit."

---

dine atque benevolentia: cui nihil unquam tam pusillum, aut contemptum oblatum est, quod non summo cum gaudio et clementia Rege digna reciperet. Nam cum illi quidam e plebe malum Punicum insigni pulchritudine ac magnitudine dono dedisset, incredibile dictu qua illud laeticia, quam suaviter acceperit, quo praeconio industriam atque ingenium hominis collaudarit, testatus, si commodus ei locus tribueretur, facile ingentem urbem ex pusilla facturum. Alius item αὐτουργὸς cum videret neminem non gratulari Regi, se vero in parato nihil, quod tanta maiestate dignum foret, habere, proximum fluviolum conspicatus, propere accurrit, haustamque ambabus manibus aquam Artoxerxi adorabundus obtulit. Qua hominis urbanitate et beneficentia excitatus, ilico phialam auream atque mille Daricos numos tam iucundo donatori reddi iubet. Quod si, Mylichi doctissime, pro malo Punico, pro tantula aqua tantam gratiam retulit suis Rex magnus, suorumque animum ac voluntatem tam clementer agnovit, quid tibi censes pro tuo munere faciendum esse nobis, quod dona illa Persica, quantivis ea Artoxerxes fecerit, tam superat, quam a gemmis marini calculi vincuntur? Quanquam enim aspectu vix aliud quicquam Punicis malis sit iucundius, et iuxta Pindarum ἄριστον τὸ ὕδωρ, tamen Orationes Philippi, quas tu nobis muneri misisti, aliorumque scholae tuae clarissimorum hominum lucubrationes, longe maiore honore atque gratia dignae sunt, quod in illis multa praeclara ornamenta ingeniorum, atque illud praecipuum τὸ καλὸν καὶ πρέπον, tum etiam singularis illa commendatio virtutum, quibus in omni vita nostra nihil maius, nihil praestabilius, nihil divinius esse videmus, mirifice eluceat Quae enim in his eloquentia, quis succus, quis sanguis, qui Oratorii nervi, nolo prolixius referre, cum ampliora et magis illustria sint haec. Tot exhortationes ad vera studia, ad nobiliores disciplinas, ad formanda iuvenum ingenia, ad Christianam vitam recte instituendam, ad instaurandam pietatem, quae tot iam annis a Sophistis et turpissimis sycophantis misere iacuit dilacerata. Haec inquam, Mylichi, cum elegantissimo muneri tuo insint, atque alia permulta quae se sponte sua studioso lectori offerent, saepe mecum diuque cogitavi, quae dignae tibi pro meritis tuis gratiae referri debeant, aut possint. Cum enim neque aureae phialae, neque Darici numi in facultate nostra sint, et praeclara illa eruditorum hominum monumenta precium omne superent, destitutus omnibus viribus, ad humanitatem tuam atque suavissimos mores confugio, quibus fretus, quicquid vellem licere mihi putavi. Tibi itaque munus tuum dedico, deque alieno liberalis sum, et si aliis multis, potissimum tamen hac ratione permotus, quod sciam Philippum, virum omnibus honoribus praestantem, adeo tibi charum esse, ut nihil eo sit gratius tibi: vicissim te ab illo tantopere diligi et amari, ut piaculum esse ducat, si tui quacunque saltem oblata occasione, non honorifice etiam recordetur. Taceo de aliis harum orationum autoribus, a quibus pari modo officiose observaris et coleris. Quanquam etiam tua in me beneficia et merita illud exigant, ut qualicunque benevolentis animi significatione tester, omnia mihi tua benefacta semper gratissima fuisse. Quoniam autem ut vere dixit Aristoteles, καλαὶ sunt τῶν διδασκάλων παραινέσεις καὶ προτρέψεις, omnino mihi persuadeo, has Illustrium virorum doctissimas Orationes studiosis gratissimas futuras esse. De tuo enim candore, deque perpetua in me benevolentia tua adeo sum certus, ut plane nihil dubitem, quin hoc officio meo tuum erga me atque familiam meam amorem et studium maximopere corroboraverim. Vale Mylichi humanissime, et me, ut facere soles, ama. D. Martinum Lutherum, et Iustum Ionam, viros immortalitate dignos, meis verbis reverenter saluta. Argentorati, Calend. Ianuarii, Anno 1541.

Intelligitur ergo causa, cur Gerbelius Tomo secundo non eandem, quam Tomus I. habet, inscriptionem dederit, sed titulum mutavit. Sequutus est argumentum. Nam Tomo I. insunt orationes s. declamationes, Tomo II. autem praefationes, epistolae, orationes de vitis virorum illustrium, et denique orationes aliquot Demosthenis aliorumque veterum graecorum, quas Melanthon latine reddiderat. In Tomo I. leguntur LI orationes et liber Melanthonis: „responsio ad scriptum quorundam delectorum a Clero secundario Coloniae Agrippinae".

Tomus II. habet XIX orationes de vitis illustrium hominum, XXVIII praefationes (quarum vero quatuor tantum sunt orationes, reliquae epistolae), IV epistolas et X orationes Graecorum latine redditas, quas alio loco dabimus.

3. *Tomus tertius.* Tomis duobus prioribus post novem annos Tomus III. additus est, qui triplici forma, valde diversa, extitit.

a) *Tomus tertius Erfordiensis.* Is prodiit sic inscriptus:

„Selectissimarum orationum clarissimi viri, Dom. Philippi Melanthonis *Tomus tertius.* Erphurdiae, „excussit Gervasius Sturmer. Anno M.D.LI." $2^1/_2$ Alph. 8.

Ex epistola nuncupatoria ad Eduardum Regem Angliae, data die convers. Pauli (d. 29. Ian.) 1551, intelligitur, Ioannem Aurifabrum Wimariensem hunc tomum collegisse et edidisse, qui in rarioribus libris est. Continet XI quaestiones academicas, et XXXIX orationes, quarum una „de cantico angelorum Lucae II." non a Melanthone est scripta, igiturque a nobis non repetita.

b) *Tomus tertius Basileensis.* Prodiit ex officina Hervagii sic inscriptus: „Selectarum Declamationum Philippi Melanchthonis, quas partim ipse recitavit in schola Vitebergensi, partim aliis „recitandas exhibuit hactenus nunquam editarum Tomus III. Basileae per Io. Hervagium. mense „Iunio 1551." 8. 913 pagg.

Hunc librum videre mihi non contigit, et Strobelius l. c. tantum de eo habet, quod prima oratio sit illa de verbo ὀρθοτομεῖν, et ultima illa de legum fontibus et disciplina. (Recusa est eodem anno Francof. 8.)

Neque Erfordiensis neque Basileensis Tomus Melanthoni eiusque amicis satis placuit, quare *Casp. Peucerus*, socer Melanthonis, ipse Tomum tertium collegit et edidit:

c) *Tomus tertius Argentoratensis* prodiit sic inscriptus: „Selectarum Declamationum Philippi „Melan., quas conscripsit et partim ipse in schola Vitebergensi recitavit, partim aliis recitandas „exhibuit. *Tomus tertius.* Cum gratia et privilegio. Argentorati (ex officina Io. Oporini), anno „M.D.LVII." 865 pagg. 8. (Recusus Argentorati 1559. 1562. 1566.)

Editum hunc Tomum *Casp. Peucerus*, qui in epistola nuncupatoria ad Nicolaum Bromium, virum Consularem Francofordiae ad Moenum, data d. 1. Aug. 1557, inter alia haec dixit:

„Editus est, ni fallor, tertius liber orationum recitatarum in Academia Vitebergensi, titulo *Tomi tertii*, in „quo non pauca et nos reperimus quibus offendimur et desiderant alii. Nam et sine ordine confunduntur temere „diversissimorum argumentorum orationes, et intexta sunt cum alia ab operis inscriptione et professione aliena, „tum vero orationes etiam plurimae ignotae scholae nostrae, quae — — — miscendae his, et alieni autoris „nomine publicandae non erant. Aliquae et inepti sermonis deformitate et male cohaerentium ac foede distortarum sententiarum asperitate, et rerum quas exponunt atque argumenti et cogitationum (ut levissime dicam) „tenuitate et toto contextu orationis merentur, ut supprimantur potius, atque hoc exemptae numero et hominum „amotae conspectu sublatae deleantur in perpetuum, quam sub praela denuo revocentur. Ut perveniret itaque „et hic liber ad posteros emendatior atque instructior, mutari totum, et abolitis et detractis iis, quae irrepse„rant forma sermonis ab autoris proprietate ac perspicuitate prorsus discrepantia, quas non probarem: omis„sis reliquis, quas vehementer quidem probarem et admirarer etiam, sed autoribus suis relinquendas censerem: „adiectis denique longe pluribus, quam de prioribus supererant, iisque cum iudicio delectis: omnes ordine „paullo commodiore distribui. — — Cumque et *quartum* librum adiungere decreverim, fui auctor viro integerrimo Oporino, amico meo carissimo, ne posteritatis causa hunc quoque recudere gravetur, cum in eum „multas nunquam proditas antea contulerim."

Nimis pleno ore Peucerus hic alios perstrinxisse videtur, quum eius censura non conveniat Tomo tertio Erfordiensi, neque Basileensi convenire videatur. Continentur autem hoc Tomo LIV orationes, una epistola et IX quaestiones academicae.

Quod Peucerus in praefatione promisit, se editurum esse Tomum quartum Declamationum, id praestitit iam anno sequente.

4. *Tomus quartus* enim Declamationum prodiit sic inscriptus:

„Selectarum Declamationum Ph. Mel., quas conscripsit et partim ipse in schola Vitebergensi recita„vit, partim aliis recitandas exhibuit. *Tomus quartus.* Cum gratia et privilegio. Argentorati anno „M.D.LVIII." 933 pagg. 8. (Recusus Argentorati a. 1560. 1566.)

Peucerus hunc Tomum nuncupavit Ulrico Mordeisen, Consiliario Ducis Sax. Elect. et epistola data est d. 1. Septb. 1558, in qua praecipue hoc monuit, has orationes in Academia Viteb. habitas clare refutare calumniam inimicorum Melanthonis, doctrinam Academiae non esse puram sed erroribus contaminatam. Caeterum hic Tomus habet XLIII orationes, XII praefationes (quas dedimus in epistolis), II epistolas, XX quaestiones academicas, et Melanthonis scriptum: Responsio de controversiis Stankari.

5. *Tomus quintus.* Quas Melanthon ab anno 1557. usque ad mortem scripsit orationes, eas anno 1565. collegit et edidit *Michaël Maius*, Norimbergensis, Academiae Viteb. minister, qui libellum dedicavit Senatui Norimbergensi. Duplicem autem hic liber habet titulum, videlicet:

a) „*Orationes postremae* scriptae a Reverendo viro Philippo Melanthone, proximis annis ante „obitum. His adiunctae sunt aliae orationes ab illius obitu recitatae publice in Academia Viteber-„gensi. Cum gratia et privilegio ad annos quindecim. Witebergae anno M.D.LXV." 1056 pagg. 8. ubi Maius ne verbulo dixit, libellum suum esse Tomum quintum Declamationum Melanthonis. At, quum libellus anno 1572. recuderetur, Maius, ut libellum suum lectoribus magis commendaret, titulum mutavit sic:

b) „*Orationum* quas Reverendus vir Phil. Mel. proximis annis ante obitum scripsit: Et quae post „obitum ipsius in Academia Witebergensi scriptae et publice recitatae sunt, *Tomus Quintus.* Cum „gratia et privilegio. Witebergae Anno M.D.LXXII." (In fine:) „Witebergae excudebant Cle-„mens Schleich et Antonius Schoene, anno M.D.LXXII." 982 pagg. 8. (Recusus a. 1590.) — (Erravit Strobelius, qui in biblioth. Melanth. no. 644. putat, hunc titulum pertinere ad Tom. sextum.)

Insunt huic Tomo X quaestiones academicae, X oratiunculae breviores aliis praescriptae, et XVII orationes maiores sive Declamationes; Caeterum orationes post obitum Melanthonis usque ad an. 1565. in Academia Viteberg. recitatae. In fine addidit Maius Melanthonis adhortationem ad lectionem Tragoediarum, et eiusdem praefationem in libellum de arte poëtica, quae vid. in Epistolis Mel.

6. *Tomus sextus.* Quae post annum 1565. usque ad an. 1571. in schola Witebergensi publice recitatae sunt idem Michaël Maius edidit:

„Orationum, quae magna rerum et argumentorum varietate scriptae et recitatae sunt in Academia „Witeb. ab anno M.D.LXV. usque ad annum M.D.LXXI, *Tomus sextus.* Cum gratia et privilegio. „Witeberg. 1571." 2 Alph. 9½ pl. (Recusus Francof. ad Moen. a. 1583.)

7. *Tomus septimus* a Martino Mylio, Rectore Scholae Gorlitiana, collectus et editus sic est inscriptus:

„Orationum Scholae Melanchthonianae, quae ab anno M.D.LXXI. usque ad annum M.D.LXXIV. „in Academia Witeb. scriptae et recitatae sunt, *Tomus septimus.* Servestae. Excudebat Bonaven-„tura Faber. Anno M.D.LXXXVI." 718 pagg. 8.

Hic Tomus, qui etiam est in libris rarioribus, fuit ultimus, neque postea aliquid orationum post annum 1574. habitarum in Acad. Witeb. prodiit.

IV. *Editio Servestana.* Idem librarius, Bonaventura Faber, qui Tomum VII. Declamationum typis exscripserat, denuo edidit Tomos I. II. III. IV. editionis principis Argentoratensis ne verbulo quidem mutato, estque eius liber quod nos dicimus ein bloßer Nachdruck. Prodiit haec editio sic inscripta:

„*Tomus primus* selectarum Declamationum Ph. Mel., quas conscripsit et partim ipse in schola „Wit. recitavit, partim aliis recitandas exhibuit. Servestae. Excudebat Bonaventura Faber. Anno „M.D.LXXXVII." 688 pagg. 8.

„*Tomus secundus* Philippi Melanthonis cum praefationum in quosdam illustres autores: tum ora-„tionum de clariss. virorum vitis. Servestae. Excudebat Bonav. Faber. M.D.LXXXVII." 769 pagg. 8.

„*Tomus tertius* selectarum Declamationum Ph. Mel., quas conscripsit, et partim ipse in schola „Viteb. recitavit, partim aliis recitandas exhibuit. Ibid. apud eund. Anno M.D.LXXXVII." 818 pagg. 8.

„*Tomus quartus* selectarum Declamationum Ph. Mel., quas conscripsit, et partim — — — ex-„hibuit. Servestae. Excudebat Bonavent. Faber. M.D.LXXXVI." 844 pagg. 8.

V. *Editio Richardiana.* Quum ea, quae Tomis quatuor prioribus editionis principis continentur neque secundum annorum seriem, neque secundum materiarum cognationem dispositae essent, Richardius, discipulus Casp. Peuceri, denuo orationes Melanthonis edidit, et eas secundum argumenti cognationem coniunxit. Prodiit eius liber sic inscriptus:

„Declamationum Philippi Melanthonis, quae ab ipso, et aliis, in Academia Witebergensi recitatae „ac editae sunt, nunc primum in gratiam et communem studiosorum utilitatem, optimo ordine,

„distinctae, opera et studio M. *Ioannis Richardii*, I. C. et Mathematici Argentoratensis. Tomus I. „*Philosophicus*. Cum gratia et privilegio Caesareo. Argentorati, Excudebat Theodosius Rihelius." 788 pagg. 8. — Tomus II. *Medicus ac Iuridicus*, ibid. 874 pagg. 8. — Tomus III. *Theologicus*, Ibid. et apud eundem. 860 pagg. 8.

Annus, quo prodierunt hi tomi, non adscriptus est, sed prodierunt anno 1570. Nam epistola nuncupatoria Tomi I. ad Augustum, Ducem Saxoniae Elect. data est d. 8. Calend. Septb. 1570; epistola nuncupatoria Tomi II. ad Fridericum Palatinum Rheni d. 30. Nov. 1570. et ep. nuncupatoria T. III. ad Ludovicum I. Ducem Wirtembergensem d. 4. Cal. Septb. 1570. — In his epistolis Richardius subscripsit nomen suum sic: „M. *Iohannes Richardius*, alias *Winkelius*, I. C. et Mathematicus Argentoratensis."

Repetivit omnia Melanthonis quae Tomis quinque editionis principis continentur, non solum declamationes, sed etiam oratiunculas breviores, quaestiones, praefationes, epistolas et carmina. Ubique sequutus est textum editionis principis, a qua, praeter ordinem, non differt.

Postea *Davides Chytraeus*, Melanthonis discipulus et Professor in Academia Rostochiana, in consiliis habuit, omnes omnino orationes Melanthonis colligere, omnes eiusdem argumenti coniungere, et occasionem et diem, qua quaequae recitata fuerit addere; sed hoc propositum non exsequutus est, et nihil prodiit nisi praefatio sic inscripta: „Adhortatio ad Orationes Ph. Mel. velut thesaurum sapientiae ac eloquentiae incomparabilem diligenter et attente legendas. Rostoch. 1591." 8. 2 pl.

Nostris denique temporibus Clariss. *Fridemannus* tentavit declamationes Mel. iterum edere:

„Philippi Mel. orationes selectas ad renovandam viri immortalis memoriam, denuo edidit *Frider. Traug.* „*Fridemannus*. Vol. I. Witeb. 1822." 112 pagg. 8. (in quo volumine decem recusae sunt declamationes), sed praeter hoc volumen nihil prodiit.

Quod ad ordinem orationum attinet, ego, ut epistolas et carmina Melanthonis, sic etiam eius orationes dedi secundum seriem annorum, quibus habitae sunt. Non solum enim omnium fere orationum, paucissimis exceptis annus nativus certo definiri potuit, sed interest etiam scire, quo anno quaequae habita sit, et an Melanthonis iuvenis an vero senis orationem legas.

*Haec de orationibus Nostri.* Superest ut paucis dicamus de *quaestionibus* academicis. Earum haud paucae leguntur in Select. Declam. T. I — IV. Sed primus eas collegit, secundum annorum seriem disposuit et edidit *Paulus Eberus*, discipulus et collega Melanthonis, cuius liber sic est inscriptus:

„Quaestiones de rebus cognitione dignissimis, explicatae in publicis congressibus in Academia Witeber- „gensi. Item utiles aliquot commonefactiones de disciplina et legum dignitate, recitatae a Rectoribus „ante lectionem statutorum scriptae pleraeque a Philippo Melanthone. Et excusae in officina haeredum „Georgii Rhaw. Witebergae 1557." 1 Alph. 1 pl. 8.

Praefatus est Eberus in epistola nuncupatoria ad Baronem *Adamum Ungnad*, data d. 31. Iul. 1557, quae vero nihil continet, quod hic repeti mereatur, quum praecipue versetur in refutatione calumniarum, quibus Flaciani illo tempore Melanthonem et Academiam Witeb. contaminabant. Quaestiones post annum 1557. recitatas dedit Maius in Tomo V. Declamationum. Quaestiones argumenti theologici etiam Pezelius, sed praetermissis allocutionibus, in Consiliis Melanthonis latinis repetivit.

# I.

## QUAESTIONES ACADEMICAE

### A MELANTHONE SCHOLASTICIS PRAESCRIPTAE.

---

**No. 1.** (an. 1532. vel 1533.)

In Quaestion. apud Eber. p. 1 sqq.

### *An philosophia pietati officiat?*

Nemo vestrum ignorat, me hoc in loco ad dicendum officio adduci, cum id oneris Scholae consuetudo nobis imponat. Quare a vobis peto, ut pro vestra humanitate veniam mihi detis, si vobis in hac animi imbecillitate, quam mihi natura circumdedit, et auget haec frequentia, non satis fecerit oratio mea. Accedit enim praeter caeteras difficultates haec etiam, quod cum de Philosophiae laudibus hic dicendum sit, in causa toties dicta, novam orationem requiri arbitror, et iuxta proverbium, *Τὰ κοινὰ καινῶς*. Id vero praestare non est mediocris ingenii. Itaque quoniam saepe antea sic est ornata veris laudibus Philosophia in hac Schola, ut nullius aetatis literis aut monumentis honorificentius praedicata sit, ego in praesentia omisso Encomio, tantum unum locum attingere constitui.

Quidam ideo parum aequi sunt Philosophiae, quia putant eam officere pietati. Ego vero propter angustiam temporis hic non exponam, quas utilitates ex singulis Philosophiae partibus decerpere Theologus possit. Praesertim cum Augustinus de doctrina Christiana, sic satis hac de re scripserit. Et commoda illa notiora sint, quam ut dissimulari possint vel ab ingratis. Tantum paucis expostulabo cum illo hominum genere, quod ignaviae suae pietatem praetexit, quo minus attingat haec studia. Nulla ratio bonis viris efficacius commendare Philosophiam potest, quam si intelligant eam Deo probari, si videant ad quos usus humano generi a Deo ostensa sit, si cogitent non esse aspernandum Dei donum, sed singulari pietate conservandum atque ornandum. Haec cum doceant nos sacrae literae, magnopere hortantur nos ad discendum.

Fortasse alii sunt acutiores, Ego fateri meam tarditatem non dubito: Nunquam potui intelligere, quid sit Philosophia, aut quos haberet usus, priusquam hanc sinceram Evangelii doctrinam attigi, quae nuper admodum singulari Dei beneficio renata est. Multos existimo in hoc esse consessu, qui idem ingenue fateantur, dignitatem, vim et usum Philosophiae, primum se cognita Christi doctrina perspexisse. Ac video in scriptis superioris aetatis, multos incommode Philosophatos esse, quia non animadverterunt, quid de Philosophia iudicet scriptura, nec discrimen inter Evangelium et Philosophiam perviderunt. Nunc igitur cum Philosophiae dignitas per Evangelium patefacta atque illustrata sit, ingrati iudicandi sunt, qui hoc beneficio Evangelii uti nolunt, qui haec studia contemnunt, quae magnopere nobis praedicat Spiritus sanctus.

Ac videte quae perversitas sit ingeniorum humanorum, Tunc cum utilitates Philosophiae non nossent Theologi, nemo non putabat sibi in eo studio consenescendum esse. Nunc cum Evangelium nobis harum artium vim ostenderit, et praedicet studium, quid fit? Nulli perinde abhorrent a pulcherrimis disciplinis, atque illi, qui se studiosos sacrarum literarum perhiberi volunt.

Quasi vero hanc unam ob causam repurgatum esset Evangelium, ut artes iusta possessione moveret. Nunc res loquitur ipsa, Evangelii beneficio dignitatem artium patefieri, et augeri. Id acuere industriam hominum, et excitare ad discendum debebat. Olim calebant mirum in modum haec studia, cum deessent, qui tradere possent. Nunc in maxima copia Doctorum optimorum, scholae parum frequentes sunt. Et cum antea obductae situ et squalore iacuerint artes, nunc receperunt nitorem. Dialectica prorsus obruta erat calumniis quibusdam Grammaticis, nec adhibebatur ad eam aliqua dicendi exercitatio, sine qua intelligi non potest. Physica mutila erat, deerant enim Mathemata, ex quibus fere omnes in Physica demonstrationes sumuntur. Moralia invaserant in possessionem Theologiae, ita ut tota ratio vitae Christianae magis iam a Philosophia, quam ab Evangelio peteretur. Ita totus chorus disciplinarum confusus et perturbatus erat. Nunc postquam emendatae sunt, et suo quaeque disposita loco, ille ardor studiorum, qui quondam fuit, restinctus est. Nec causa est alia, meo iudicio, nisi quod sic est natura hominum, praesentia bona solet fastidire. Sed si grati Deo videri cupimus, a quo haec ingentia bona ad nos pervenerunt, profecto danda est opera, ne ea comtempsisse videamur. Quaedam pietatis pars erit, agnoscere coelestia munera, eaque tum excolere, tum conservare. Atque hoc non modo nostra causa faciendum est, sed debemus hanc operam Reipublicae ae universae posteritati. Nam in hac statione collocavit nos Respub. ut artes ad vitam utiles conservemus. Nec putet se in re parva defraudasse Rempublicam, si quis negligenter fecit suum officium. Debet unusquisque Paterfamilias liberis suis, ut magis hoc publicum patrimonium relinquere studeat, quam proprium fundum. Nam privatae res teneri, nisi Republica bene constituta, non possunt.

Haec ideo dixi pluribus verbis, ut illi, qui praetextu Evangelii bonas artes aspernantur, meminerint, si Evangelii gloriam graviter laedere. Hoc multo magis decet Christianos, Dei dona venerari, eisque cum gratiarum actione, ut Paulus inquit, uti. Precor autem Christum, ut studia nostra ad utilitatem publicam gubernet, et bonas artes conservet, quoniam ut ab ipso ostensae sunt humano generi, ita conservari, nisi divinitus non possunt.

No. 2. (an. 1532.)

In Quaestion. apud Eber. p. 8 sqq. — Apographon in cod. Basil. 89. p. 136 b.

## *Iure ne Zoylus in Olympiis a Graecis de saxo sit praecipitatus?*

Cum publica consuetudo mihi necessitatem in hoc ornatissimo consessu dicendi imponat, rogo ne me potius impudentia, quam officio adductum esse existimetis, ut has partes susciperem. Minime autem decet adolescentes garrulitas, praesertim si audiantur a natu maioribus. Quare efficiam, ne vel mores meos vel orationem propter prolixitatem reprehendatis. Et ut veterem scholarum morem sequamur, proponam quaestionem, quae non tam habet difficilem disputationem, quam exemplum utile. Zoylum aiunt, cum scripsisset maledicos libros adversus Homerum, iudicio totius Graeciae in Olympiis de saxo praecipitatum esse. Alii narrant in crucem actum esse. Est igitur Quaestio: *Iure ne supplicio capitali, propter convicia, Zoylus affectus sit?* Ac primum haec acerbitas videri potest iniusta. Leges enim non puniunt convicia, in pares dicta, capitalibus poenis. Cum enim debeat esse proportio Arithmetica damni et poenae, nec convicia damnum vitae afferant, poena etiam non debet esse capitalis.

Deinde ne iniuriae quidem existimantur, cum non mores aut voluntas vituperatur, sed artificis inscitia reprehenditur. Porro Zoylus carmen Homeri taxabat, non eius mores aut vitam. Quare videtur iniuste necatus esse.

Sed non est credibile, Graecam nationem, qua nihil fuit humanius, et quae libertatem in reprehensione artificum facillime tulit, temere hoc exemplum, tam memorabile in Zoylum statuisse. Itaque existimo eos hac ratione motos esse: Ut convicia quibus laeditur maiestas imperii, et Principum, capitali supplicio puniuntur: Ita petulantia in reprehendendis artibus aut excellentibus artificibus, capitalis esse iudicanda est. Nam et artes ad imperii fastigium pertinent, ut leges. Sunt enim legum fontes. Recte igitur iudicaverunt Graeci, Zoylum tanquam reum laesae maiestatis, ultimo supplicio afficiendum esse, praesertim cum id in tanto conventu totius Graeciae ad exemplum pertineret. Erat enim monenda iuventus, ne malediceret artibus, aut excellentibus artifici-

bus, qui optime de universo genere humano merentur.

Adhaec habent heroicas naturas, et peculiaria dona, quae contumelia afficere, quid aliud est, quam pulcherrima Dei dona deformare? Utinam vero nostro tempore in tanta rabie, et petulantia indoctorum, similia exempla statuerentur adversus illos, qui cum summa impudentia vituperant honestas artes, ac praecipue Philosophiam. Neque enim obscurum est, quantum Reipub. haec convicia noceant, serunt enim pravas persuasiones in vulgo, et in animis iuvenum. Hinc cum oritur contemptus bonarum artium, recta studia extinguuntur, et omnia occupat barbaries, hoc est, inscitia *) confusio opinionum, qua nihil est Reipub. et Ecclesiae nocentius. Ideo hoc calumniarum genus severissime puniri decet. Sed et hanc querelam, et hanc disputationem alio in loco copiosius licebit tractare. Dixi.

---

**No. 3.** (an. 1532.)

In Quaestion. apud Eber. p. 4 sqq.

## *De dicto Hippocratis: in alimento medicina optimum*, etc.

Viri clarissimi, et Praeceptores reverenter colendi, cum sciam in hac aetate nostra maiorem esse laudem obedientiae et observantiae erga superiores, quam ingenii, confido vos et veniam mihi daturos, quaestiunculam in hoc publico consessu propositurο, non ex privata aliqua arrogantia, sed autoritate et iussu praeceptorum, et me aequissime audituros esse, praesertim cum multorum annorum consuetudo huc usque diligenter culta ac conservata, hoc ipsum requirat. Sumam autem notissimas sententias, quae extant apud Hippocratem, in libello de alimento: *In alimento medicina optimum*, *In alimento medicina malum.* Hae sententiae ex diametro pugnare inter se videntur, altera alimentum vi medica praeditum, ut optimum, caeterisque praeferendum commendat, altera idem improbat, ac reiicit. Etsi vero in speciem dissentiunt, tamen utraque dextre intellecta alteri consentit, rationique et experientiae congruit, et non simpliciter accipi, sed ad aegra corpora referri debere videtur. Ut enim tres sunt medicinae therapeuticae partes, Diaetetica, Pharmaceutica, et Chirurgica, et ex his prima, quae victus ratione medetur, optima est, sic in aegritudinibus illud alimentum naturae convenientissimum ést, quod non solum attenuatas vires reficit, fovetque, sed et morbum curat, amovetque, vel alienam in membro qualitatem mutando restituendoque naturalem, vel crudos humores coquendo, reducendoque ad benignum, aut eiiciendo ex corpore, vel astrictum alvum solvendo leniendoque, vel fluentem sistendo atque inhibendo. Quatenus enim alimentum est, naturalem membri temperiem alit ac conservat. Quatenus medicamentum, morbum pellit et curat. Pertinet ergo prior sententia ad Diaeteticen, quae alimenta morbis quibuslibet accommodata praescribit, et nutriendo proprie, viresque fovendo, non medicando curat, estque haec ratio ut tutissima, sic naturae convenientissima.

Altera ad Pharmaceuticen partim, partim etiam ad diaeteticen pertinet, et non de alimentis medica vi praeditis, sed de alimentis simpliciter loquitur, iisque pharmaca, praesertim purgantia, miscere prohibet. Cum enim omne, quod assumitur, aut tantum alimentum sit, aut tantum medicamentum, aut habeat vim nutriendi, cum medica facultate coniunctam: sanis alimenta sola conveniunt, aegris vel alimenta, quibus aliqua vis morbo contraria inest, vel pharmaca seorsum, non mixtim exhibenda sunt. Alimenta enim a natura mutantur, et substantiae membrorum aliquot coctionibus praeparata conformantur. Medicamenta contra naturam agunt, naturalemque temperiem alterant. Malum ergo est, alimentis pharmaca miscere, quod natura actionibus contrariis distracta et occupata, dum et nutrimentum immutat, et a medicamento vacuante praesertim afficitur, valde debilitatur. Imo concurrentibus his contrariis actionibus, nec a natura alimentum confici, convertique in membrorum substantiam, impediente Pharmaco, nec vim suam, cibus officientibus, exercere pharmacum potest. Deinde pharmaca attrahunt plures superfluitates undique ex vicinis locis, quae collectae, particulas laesas gravius onerant ac languefaciunt. Ut cum in renum affectionibus a calculo diuretica multa cibis miscentur, plus materiae vi medicaminum, quae alioquin in intestina confluere, et cum fecibus excerni consuevit, ad renes deducitur. Sed praecido de his contrariis sententiis disputationem, ac

*) Pro: *hoc est inscitia*, cod. habet: *et.*

rogo dominum Doctorem, ut quid de hac pugnantia sentiendum sit, diligentius et fusius explicet.

---

No. 4. an. 1532.

In Quaestion. apud Eber. p. 12 sqq. — Etiam in Mel. Consil. lat. P. I. p. 189. ubi a Pezelio refertur ad ann. 1532.

### *Utrum recte Naboth recusaverit vineam Regi vendere?*

Non est meum disputare, quas ob causas hic mos institutus sit, ut pueri quaestiones proponant. Tantum nostri officii est verecunde obtemperare, si praeceptores iubeant nos hic aliquid recitare. Nulla enim virtus magis decet primam aetatem, quam obedientia. Quare etsi scio, quam non sint idonei pueri ad has disputationes, tamen gessi morem superioribus, qui mihi hoc negocium imposuerunt, vosque oro, ut probetis officium, et veniam detis puerili orationi.

Propono autem hanc quaestionem: *An licite recusaverit Naboth vineam Regi vendere, cum textus imponat populo servitutem, et dicat, hoc esse ius Regis, tollere agros?*

Ac primum locus ille *) in historia Samuelis videtur Regibus tribuere dominium facultatum omnium, quas possident subditi, quia diserte dicit: Hoc est ius regis, tollere agros. Item addit de servitute: Eritis servi. Licet autem domino rursus ad se transferre possessiones, quibus servi fruuntur.

Sed contrarium sensit fortissimus Propheta Elias, qui Regem obiurgavit, eique poenam minatus est. Et Deus concionem Eliae confirmavit eventu.

Deinde haec ratio facit contra Regem. Dictum in Samuele non tollit ius naturale, nec Decalogum. Distinctio dominiorum et proprietas iure gentium et in Decalogo instituta est, Ergo non tollitur per dictum Samuelis, nec voluit Samuel populum, qui mandato Dei erat liber, subiicere servituti.

Item Lex ipsa divina distribuit possessiones, et approbavit proprietatem, confirmando haereditates et successiones. Necesse est igitur dictum Samuelis intelligi de stipendiis, Reges posse ex facultatibus subditorum stipendia sumere, ad communem defensionem, non ad privatas cupiditates. Et extra hunc casum ab alieno abstinere debent, Sicut Ioannes concionatus est: Contenti estote stipendiis vestris.

Quare non est laudanda oratio illorum, qui nunc quoque augent Tyrannidem, affirmant Principes esse dominos privatarum facultatum, incitant rapacitatem multorum, ut facilius in aliena involent, tanquam sint domini. At iura divina et humana nobis libertatem et proprietatem attribuunt. Quare privati vere sunt domini suarum facultatum. Nec licet inde Regibus auferre pro ipsorum libidine, quantum et quandocunque volunt. Absit haec Tyrannis a populis, qui iure, legibus, religione, quibus rebus munita est libertas, reguntur.

Peto autem, ut hanc totam quaestionem nobis explicet vir praestanti ingenio et doctrina praeditus, cui iam gradus decretus est. Nam decet viros doctos in primis tueri libertatem, iure, legibus et religione constitutam. Dixi.

*) Hic incipit textus in Consil.

---

No. 5. (an 1533.)

In Quaestion. apud Eber. p. 13 sqq. Item in Mel. Consil. P. I. p. 187.

### *Quae sit sententia descriptionis fidei in Epist. ad Hebraeos?*

Publica consuetudo, quae instituta est propter exercitationem adolescentium, excusat nos, qui in hunc locum iussi ad dicendum prodimus. Ideo mihi quoque veniam dari spero, idque ut pro aequitate et humanitate vestra faciatis, rogo. Cum autem huius nostri gradus studia debeant praecipue eo referri, ut ad doctrinam religionis intelligendam, et explicandam praeparemur, sumam quaestionem ex sacris literis, *Quae sit sententia descriptionis fidei, quae extat in Epistola ad Ebraeos, et an descriptio illa comprobanda sit.* Prima autem cura esse debet in omni enarratione de genere sermonis. Ideo initio vis vocabulorum illustranda est. Quo in loco satis apparet, Grammaticam et Graecae linguae cognitionem multum prodesse ad scripturae tractationem. In vulgata interpretatione sic legitur: Fides est substantia rerum sperandarum, et argumentum non apparentium. Ac de vocabulo substantia mirae sunt

coniecturae. Chrysostomus exposuit substantiam pro summa rerum, et possessione, ut dicimus substantiam pro facultatibus, quasi hoc velit Textus, fidem esse possessionem rerum sperandarum, seu fide accipi res sperandas. Aliqui postea aliter interpretati sunt. Sed Grammatica facile expedit hunc nodum. Significat enim ὑπόστασις usitatissime expectationem, nec dicunt facultates ὑπόστασιν, sed ὕπαρξιν. Est ergo sententia: Fides est expectatio rerum sperandarum. Hoc quam apte quadret, postea ostendam.

In altera parte dicitur, argumentum non apparentium. Graece multo illustrius, ἔλεγχος, id est, certa et firma noticia, qua animus tanquam convincitur. Dixi de Grammatica et vocabulis, nunc an sit apta definitio, videamus.

Quidam aiunt, encomium potius esse, quam definitionem, Quod non improbo: Sed tamen Encomia si sunt apta et propria, sumuntur ex definitionibus, certe ab his dissentire non debent.

Affirmo igitur, esse veram et commodam definitionem. Nam fides, de qua hic fit mentio, duo complectitur, noticiam seu assensum, et fiduciam seu motum cordis, qui comitatur assensum. Primum igitur fides est noticia certa non apparentium, id vocat ἔλεγχον, id est, fide certo statuimus, Deum esse, Christum esse filium Dei, generis humani redemptorem, iudicaturum esse totum genus humanum.

Deinde non solum noticia est, sed etiam expectatio promissionum, id est fiducia, qua statuimus nobis contingere promissa Dei, scilicet, quod propter Christum Deus nobis certo ignoscat, exaudiat, curet, iuvet nos, et sit nos ab aeterna morte liberaturus. Hanc fiduciam, qua statuimus, nobis Deum propitium esse, nosque Deo curae esse, complectitur, cum ait esse expectationem. Cum igitur fidei natura recte declaretur, comprobanda est definitio, et si Dialectice loquendum est, recte locum generis obtinent noticia certa et deinde expectatio. Est enim fides primum noticia. Deinde et motus cordis, quo expectamus promissa, et vere nos Deo curae esse statuimus. Differentiae sumptae sunt ab obiectis. Quia fides versatur circa verbum Dei, quo promittuntur coelestia bona, nondum subiecta sensui, scilicet remissio peccatorum, quod Deus nos exaudiat, curet, et sit donaturus nobis vitam aeternam.

Hactenus de definitione, quam ideo recentiores non potuerunt recte exponere, quia vocabulum fidei male intellexerunt, videlicet tantum de notitia, qualis est etiam in Diabolis, in his certe non est expectatio rerum sperandarum. Haec commemoravi, ut hoc exemplum moneat commilitones nostros, ad enarrationem doctrinae religionis conducere has primas artes, in quibus versamur. Sed ne sim prolixior, breviter addam gratiarum actionem, ut mihi mandatum est. Cum nullum sit maius beneficium communicatione rectae doctrinae, profitemur nos plurimum debere huic toti Academiae, in qua recta doctrina religionis, et aliarum bonarum artium, diligenter traditur. Primum igitur agimus gratias Deo, et Domino nostro Iesu Christo, cuius donum est vera doctrina, et rogamus, ut eam conservet, ne ipsius gloria obscuretur aut extinguatur. Deinde agimus gratias praeceptoribus nostris, et omnibus qui nostris studiis, et nostro honori favent. Dixi.

---

No. 6. (an. 1533.)

In Quaest. p. 15 sqq. Apographon in cod. Bas. 39. p. 181.

### *An iure C. Caesar sit interfectus?*

Cum saepenumero hic de laudibus optimarum artium dictum sit in huiusmodi pompis, visum est doctissimis Praeceptoribus nostris, credo ut levarent taedium, ut ego controversiam aliquam sumptam ex Philosophorum disputationibus agitarem, in qua † studiosi" adolescentes cernerent, in hac Philosophia, quae iuventuti primum traditur, fontes universae doctrinae de virtute, de recte aut [1]) secus factis, existere, et plurimum hinc transferri ad gravissimas causas in Rebuspub. Quid autem honorificentius de artium laude dici aut cogitari potest, quam quod contineant virtutis doctrinam, et praeparent homines et ad humanitatem, et ad diiudicanda omnia honesta officia? Utinam autem, quemadmodum praeceptores taedium novitate argumenti [2]) levari voluerunt, ita ego tanta facultate ad dicendum praeditus essem, ut me sine molestia audire possetis. Sed quoniam honoris nostri causa huc venistis, viri ornatiss. Illud etiam pro humanitate vestra facile a vobis impetrari patiemini, ut aequo animo me dicentem audiatis, non solum ut honori nostro, sed etiam

1) Eber. *ac*, quod mendosum est.
2) Cod. Bas. *argumenti novitate.*

ut his studiis, quorum hodie ornamur titulis, favere vos omnes intelligant. Est autem proposita mihi haec controversia, *Iure ne C. Caesar interfectus sit?* De qua [3]) maximi ac sapientissimi viri olim, cum res illae gererentur, inter se dissenserunt. Nec ego sum tam ineptus, ut me quasi Areopagitam ac iudicem tam gravis controversiae faciam, sed pauca in utranque partem colligam.

Nam ut videatur iniuste occisus esse, hae rationes faciunt, quod magistratus divino atque humano iure sacrosancti atque inviolabiles sunt, qui etiam si quid peccant, tamen seditio est, arma adversus eos sumere, quibus solis arma divinitus tradita sunt. Nullum autem scelus seditione gravius est, quia nihil perinde societatem humani generis dissipat, quam seditio.

Caesar autem etsi reprehendi potest, quod bellum civile moverit, tamen postquam hoc fatali bello Respub. defuncta est, unus fuit Imperator, et quidem lege creatus magistratus.

Quare vis adversus eum suscepta seditio ac parricidium fuisse videtur, praesertim cum sublato eo ἀναρχία futura erat, quae profecto est infinita Tyrannis. Cum autem ἀναρχία eo extincto futura esset, facile intelligi potest, unum Caesarem summum illius imperii magistratum fuisse. Fuit igitur iniusta vis adversus eum suscepta. Atque haec sententia divino iudicio comprobata est. Brevi enim percussores omnes dederunt poenas parricidii, et amici Caesaris iterum repub. potiti sunt. Neque hic dicam, quam clementer ipse sit usus victoria, quanta moderatione animi Rempub. collapsam bello civili restituere conatus sit, quam iure, legibus, iudiciis fundavit atque munivit.

Sed Brutus contrariam partem defendebat hac ratione, quod Tyrannos occidere iure naturae concessum sit. Armat enim nos natura ad iniuriam prohibendam, et ad defensionem societatis humani generis. Quare hoc quidem recte et vere iudicatur, Tyrannos occidi licere. Nam quod obiiciunt, magistratus non esse violandos, non propterea conceditur infinita licentia his, qui imperia tenent, sed natura fines horum officiorum descripsit [4]). Quis enim reprehendat Harpagum, cum ei Astyages comedendum filium proposuisset, quod immanissimum tyranni facinus ultus est? Quantis laudibus ornatur Thrasybulus, quod triginta tyrannos Athenis delevit, qui arrogaverant sibi potestatem cives indicta causa occidendi? Exercitus Romanus abrogavit imperium Decemviris [5]), cum Appius virginem ingenuam, falso iuris praetextu ad stuprum traheret [6]), nec pater filiae pudicitiam, nisi ea interfecta tueri posset. Quis non iudicet, decemviris iure imperium abrogatum esse? Apud Helvetios praefectus Austriacus puero supra caput pomum posuit pro scopo, et pueri patrem iussit telum ad hunc scopum in iaculando dirigere, quod quidem fecit ille foeliciter, et pomum perculit, illaeso filio. Sed hoc fecit sapientius ac iustius, quod alterum telum direxit in tyrannum.

Consulite enim intimos naturae sensus, qui longe plus valent scriptis legibus, hi profecto iubent, non solum a nostro capite, sed etiam ab aliis, quorum nobis tutelam natura commisit, iniuriam depellere. Itaque praeclare Traianus, qui de more porrigens gladium praefecto praetorio, hoc, inquit, gladio pro me utaris, si iusta imperavero, sin autem iniusta imperavero, me ferito.

Tyrannus est autem non solum is, qui cum sit in imperio, contra ius crudeliter saevit in cives, aut qui privatus patriae bellum infert, sed etiam is, qui vi et populari tumultu Reipub. statum ac formam mutat. Iam Caesar patriae bellum intulerat, postea victor etsi clemens erat, et iudiciis ac legibus tranquillitatem imperii munire studebat, tamen veterem Reipub. formam mutabat, et regio more imperabat in ea civitate, quae iurasset, se regnum non esse passuram. Quare sentiebat Brutus iure interfectum esse Caesarem. Cum autem multae graviss. controversiae haereant in hac quaestione, de iure Magistratus, item quatenus concessa sit adversus Magistratum defensio, de Tyrannide, de Anarchia, quarum rerum explicatio plurimum prodest ad recte et honeste vivendum: Peto ut praeceptor meus M. *Milichius*, suscipiat hanc causam diiudicandam. Quod si fecerit, maius beneficium addet ad illum cumulum meritorum erga me, et haud dubie gratam rem auditoribus faciet. Dixi.

---

3) Cod. Bas. *quo.*
4) Cod. Bas. *praescripsit.*
5) *imperiis Decemviros* cod. Bas.
6) Cod. Bas. *raperet.*

No. 7. an. 1533.

In Quaest. p. 17 sqq. Quaestio ipsa legitur etiam in Melanthonis Consil. P. I. p. 174. — Apogr. in Riccii Miscell. cod. Goth. 240. p. 64 sq.

***An soli Episcopi in Synodo habeant vocem decisivam; an vero etiam Principes et alii? Proposita D. Valentino Hartung Onolsbacensi anno 1533.***

Quod in his publicis pompis, inter viros gravissimos locus dicendi datur pueris, existimo singulari consilio, et magna aliqua causa institutum esse, et (ut ego pro meo captu interpretor) voluerunt homines prudentissimi nostram aetatem in tales coetus honestissimos adducere, ut et haec graduum ornamenta, et ipsas artes vitae utiles, mirari disceremus. Quanquam igitur apud Homerum negat Telemachus, iuvenes decere, ut seniores interpellent [1]): tamen cum non sumpserim mihi has partes meo consilio, sed iussus sim huc prodire, rogo ut mihi veniam detis. Nam et ipsum Telemachum Pallas hortatur, ut ad Nestorem pergat, et se ei non defuturam esse pollicetur. Nobis vero adolescentibus, autoritas publici moris pro divina voce habenda est. Nihil enim nostrae aetati utilius aut honestius est, quam de publicis institutis reverenter sentire, eisque summo studio obtemperare.

Duxi autem quaestionem proponendam esse, aptam his temporibus, de Synodo, praesertim cum a Iureconsultis huius negocii explicatio petenda sit, et nos quoque a prima aetate deceat venerari autoritatem Synodorum, et a doctis audire, quale et quam sanctum illud iudicium sit. Nam cum Ecclesiae nomen plenum dignitatis sit: arbitror supremum Ecclesiae iudicium non facile reprehendendum esse.

*Quaero igitur, an in Synodo soli Episcopi habeant suffragationem seu vocem decisivam in diiudicatione doctrinae, an vero etiam Principes prophani?*

Magna et difficilis quaestio est, cuius tamen explicatione opus est, ut retineri doctrinae Ecclesiasticae puritas possit. In Basiliensi Synodo conati sunt nonnulli arcere a suffragatione omnes, qui non erant Episcopi, sed vicit sententia, ut etiam Sacerdotes, Principum legati, haberent ius ferendi suffragii. Vidi nuper graece descriptam Synodum Ephesinam totam. In hac quoque dixerunt sententiam [2]) Presbyteri, qui non fuerunt Episcopi. Sed argumenta sunt in utraque parte non aspernanda, requirimus igitur a vobis explicationem.

Primum enim Christus voluit summum iudicium esse Ecclesiae, cum ait: Dic Ecclesiae. Complectitur autem Ecclesia, in illis ipsis verbis Christi, non tantum Episcopos, sed etiam reliqua membra, atque omnium ordinum homines, ad iudicandum idoneos, id est, pios et eruditos, Principes et alios. Iubet et Paulus, cum quidem iudicia doctrinae ordinat, ut omnes prophetent, et ut prior taceat, si fuerit sedenti revelatum. Ergo in summo iudicio Ecclesiae, quod est Synodus, dicent sententias, et habebunt voces decisivas, non tantum Episcopi, sed etiam Principes, et alii eruditi ac pii.

Ita et Constantinus subscripsit in Synodo Nicaena, et Martianus Imperator ait, census [3]) fidei communes esse, quare et ipse recognitioni doctrinae interfuturus sit.

Sed contra hoc [4]) obiici potest, primum consuetudo, quae solis Episcopis, et fortasse aliquando Sacerdotibus, concedit ius suffragandi, Laicos removet ab his iudiciis.

Deinde potestas Ecclesiae [5]) habet mandatum cognoscendae doctrinae: Ergo haec cognitio nihil ad prophanos Magistratus pertinet. Sunt enim distincta iudicia.

Praeterea in Deuter. scriptum est, ut ad Sacerdotes deferantur quaestiones de rebus ambiguis. Non igitur licet censere Laicis [6]).

Sed quid si errent Episcopi, an necesse est, illorum iudicia sequi Laicos? Non opinor. Quia Paulus tantam voluit esse scripturae Apostolicae autoritatem, ut etiam Angelos diversum docentes, tanquam anathemata execrandos esse censeat. Et universale praeceptum est: Attendite a Pseudoprophetis. Item: Oves meae vocem meam audiunt. Iam si non necesse est Episcopis auscultare, male pronunciantibus: Ergo habent et reliqua membra Ecclesiae aliquam iudicandi potestatem.

1) Ricc. *decere ut iuvenis seniores interpellet.*

2) Ricc. *sententias.*

3) *census*] Ricc. *causas.*

4) Ricc. *haec.*

5) Ricc. *ecclesiastica.*

6) *Non igitur — Laicis* Ricc. non habet.

Hanc quaestionem ad te clarissime Domine Doctor Valentine defero, et a te explicationem peto. Nam ego quidem [7]) Synodos praeclare meritas esse de Ecclesia, et earum autoritatem non temere labefactandam esse, statuo. Nam cum Paulus inter beneficia Christi, quae habet Ecclesia, haec quoque numeret, quod Spiritus sanctus in Ecclesia Pastores et Doctores excitat, res ostendit, talium virorum congressus saepe profuisse. Nec tamen malorum Pontificum Tyrannidem confirmari velim, praetextu autoritatis Synodorum. Quare de Synodorum autoritate ita nos doceas, ut et iudicii summi dignitas retineatur, et tamen quantum fieri potest Tyrannis malorum reprimatur [8]).

---

No. 8. 28. Aug. 1534.

In Quaest. p. 19 sqq. Item in farragine epist. Manlii p. 531. et in Mel. Consil. lat. P. I. p. 176.

### *Quaestio: an probanda sit Stoicorum sententia, omnia necessario fieri? — recitata in renunciatione Magistrorum a Ioanne Marcello, Regiomontano d. 28. Aug. 1534.*

Cum pro eximia humanitate vestra, ornatissimi viri, honoris nostri causa huc conveneritis, peto a vobis, ut ad id beneficium, hoc quoque addatis, ne me ingenii fiducia potius, quam officio adductum, has dicendi partes suscepisse existimetis. Deinde ut iuvenilem orationem boni consulatis. Neque enim tam ridicule ineptus sum, ut confidam, me in hac et ingenii et aetatis imbecillitate quicquam afferre posse, dignum vestris auribus, tantum officium meum probari vobis opto. Nihil enim ab ineunte aetate mihi prius ac potius fuit, quam ut praeceptorum autoritati religiose parerem, eamque laudem non minus quam doctrinae expetendam bonis mentibus existimavi. Nec vero dubito, quin et vos pro excellenti sapientia vestra, magis a nobis diligentiam in officio, quam eloquentiam requiratis, quae ne mediocris quidem in adolescente existere potest. Mihi vero etiamsi has communes literas utcunque degustavi *), tamen aliqua ex parte et natura repugnat.

Itaque cum alii hic encomia artium dixerint, ego quoniam neque pro dignitate ornare Philosophiam, neque novi quicquam invenire potui, quaestionem huc afferendam esse duxi, ut levaret fastidium varietas. Nam id quoque in more est, controversias hoc loco dicere. Quaeso itaque, ut me patienter audiatis. Praestabo enim et brevitate orationis, ut facilitate vestra abusus videar.

Est autem haec controversia: *An probanda sit* [1]) *Stoicorum sententia, quam illi quidem acerrime propugnaverunt, omnia necessario fieri?*

Magna causa est, et difficilis explicatu, sed tamen admodum utile censeo, de re tanta quid sentiendum sit, certo constituere. Neque enim facile [2]) intelligi potest, quomodo retinendae sint religiones, quomodo regendi mores, si illa Stoica necessitas mordicus retinetur. Atqui [3]) hic vel praecipue etiam in Philosophicis studiis scopus nobis propositus esse debet, ut investigemus opiniones moribus utiles. Praeterea ut etiam vestigia divinitatis in natura quaeramus, ac piis opinionibus animos ad religionem excitemus. Verissimum enim illud est, quod Xenophon ait, totum mundi opificium simile esse operi sapientis artificis ac φιλοζώου [4]), hoc est, curantis et amantis homines, ut agnosci autor atque opifex possit. Sed quae fuerit praecipua Stoicorum ratio, dicendum est.

Ea est causarum connexio, ut inferiores causae non agant sine prima. Prima autem impediri non potest: Ergo cum caeterae necessario moveantur movente prima, necessario fiunt omnia.

Id argumentum nescio quomodo pervasit etiam in Theologicas scholas, atque ibi non minores tumultus ciet, quam inter Philosophos.

Reclamant autem Stoicis caeteri, qui dexterius philosophantur, et defendunt, non omnia necessario fieri, non esse tollendam contingentiam, ut vocant. Nec vero in hac parte rationes omnes recensere possum, unam recitabo, quae et prudentibus Philosophis valde probatur, et certe apud Christianos valere plurimum debet.

Deus non est causa mali, seu peccati.

---

7) Ricc. addit: *arbitror.*
8) Ricc. addit: *an.* 1536.
*) Manl. *gustavi.*

1) Hic incipit textus in Consil.
2) Manl. *certe.*
3) Manl. et Cons. *Atque.*
4) Manl. φιλοξένου, mendose.

Esset autem causa peccati, sublata prorsus contingentia et libertate voluntatis [5]).

Quare absurdum ac falsum est, omnia fieri necessario. Ita et Philosophi indignum existimant divinitate, causam flagitiorum ac scelerum humanorum in Deum conferre, et meo quidem iudicio, opinio est auditu crudelis. Citant Philosophi versiculum ex Euripide, ac magnis laudibus vehunt. Estque haec sententia versiculi: Si Dii autores sunt turpitudinis, Dii esse non possunt, εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσιν θεοί.

Iam si omnia immutabilia sunt, quare Deus invocandus et [6]) placandus est? His autem labefactatis, religio funditus tollitur.

Deinde quid legibus ac [7]) disciplinae opus est, si hanc tyrannidem possidet ἀνάγκη, quam ei tribuunt Stoici? Recte servulus Zenonis, cum obiurganti hero se excusaret, se [8]) coactum illa necessitate magistri sui peccasse.

Itaque etsi ego quidem auribus atque animo a Stoicorum opinione abhorreo, tamen quoniam controversia difficilis est, et ratio Stoicorum non sine negotio dissolvi ac dilui potest, defero hanc totam controversiam ad doctissimum virum, Magistrum *Milichium*, eumque rogo, ut pro sua et erga me benevolentia, et singulari fide erga universam Scholam, diiudicandam causam et explicandam suscipiat. Qua in re et mihi pergratum faciet, et de universa Schola bene merebitur, quam profecto plurimum refert quam maxime adversus opiniones parum utiles diligenter munitam esse.

---

## No. 9. (an. 1534.)

† (E cod. Basil. 39. p. 42 b.)

***Quaestio: Licetne ei, qui flagrat Theologiae discendae studio contra parentum voluntatem se dedere Theologiae, eo quidem animo, ut olim ipse possit docere evangelium in Ecclesia?***

***Licet. Ratio***: Vocationi et voluntati obtemperandum est prae parentum obedientia. Ille ardor quo incitamur ad discendam unam aliquam facultatem prae caeteris, est interna vocatio, est voluntas Dei. Ergo illi est obtemperandum prae parentum obedientia. Proba minorem. Cum Deus sit naturae opifex et ipse dederit mihi naturam aptam ad theologiae studium, omnibus animi viribus incumbam. Cum autem subinde subeunt mihi cogitationes de istis periculosissimis temporibus, de periculis Ecclesiae, quod ita laceratur et quassatur ab haereticis, et ego cupiam consultum Ecclesiae, deinde cogitem, quam sit periculosum non ad unguem tenere scripturam, in tantis Satanae insidiis, qui nos impugnat sine intermissione, cum sic, inquam, frequenter cogitem, sentio me ad theologiae studium divinitus vocari. Deinde hoc confirmat exemplum et dictum Christi Lucae 2. Christus contra voluntatem parentum remansit Hierosolymis in turba doctorum, et ait: *nesciebatis, quod in his quae patris mei sunt, oportet me esse?* Sic et nos, cum ille ardor ad discendam theologiam sit a Deo, debemus contra voluntatem parentum in eo manere, etiamsi nos sint exhaereditaturi.

5) *et libertate voluntatis* in Manlio praetermissa sunt.
6) *et*] Manl. *aut.*
7) *ac*] Manl. *aut.*
8) Manl. *ait se.*

***Non licet.***

Expressum Dei mandatum est, ut parentes honoremus, hoc est, tribuamus eis iustitiam et sapientiam, et paremus eorum iudicio et auctoritati. Ergo non licet nobis contra hoc mandatum Dei sequi aliquem ardorem, quem fingimus esse vocationem Dei. Secundo: ubi animum intenderis, ibi valet. Quia enim aliquis audivit cantiones et lectiones sacras et illis est aliquantulum commotus, spiritu putat se divinitus ad Theologiam vocari. Si vero audivisset Medicos et Iurisconsultos fortassis non minus delectaretur illorum libris, quam Theologia, praesertim cum sciret, se in eo obedire parentibus et facere cultum Dei. Tertio: opera secundae tabulae aeque sunt cultus Dei ac opera primae tabulae, vel Christi testimonio Matth. 22. Ergo debemus audire parentes adhortantes nos ad tale studium, quod ad hanc civilem vitam et gubernandam rempublicam pertinet, ubi tamen tantum etiam Theologiae potest tribui, quantum satis est ad suam privatam salutem.

***Responsio Ph. Mel.***

Recte facit [1]) qui se potius conferat studio doctrinae christianae quam alteri quaestuosae professioni,

1) Haec responsio legitur etiam in cod. Gotb. 402. p. 214 b., ubi inscribitur: *Ph. Mel. de obedientia filiorum et quatenus.*

etiamsi parentes vocent eum ad quaestuosas artes. Ratio sumenda est non tantum ex nostro ardore sed ex praecepto Dei. Praeceptum Dei est, ut primum quaeramus regnum Dei, non quaestum. Parentes tantum propter quaestum avocant a studio theologiae. Ergo in hoc casu voluntas parentum non est vocatio, sed obtemperandum est Deo vocanti nos ad studium iuvandae Ecclesiae. In docendo [2]) debet afferre solidam et integram doctrinam, quantum fieri potest. Ergo is, qui vult servire Ecclesiae in docendo, iam mandato Dei tenetur, ut dedat se studio sacrarum literarum. Tertio: tunc voluntas parentum est vocatio, quando non impediunt nec abducunt a ministerio, et in aliis studiis spectant honestos fines. Exemplum: si adolescens dicat, se non posse nec velle suscipere pericula et labores docendi in Ecclesia, hic iam parentes habent libram electionem. Si eligunt studium iuris ut ille tamen [3]) serviat reipublicae et paci publicae, hic est honestis finis. Iam voluntas parentum est vocatio. Sed parentes non habent ius cogendi filii contra ministerii gloriam, non habent ius impediendi ministerii. Sic Christus ait: *sine mortuos sepelire mortuos suos* [4]). Habemus enim omnes generale mandatum Dei et de discenda religione [5]) et de iuvando [6]) ministerio. Ideo [7]) Paulus inquit: *qui episcopatum desiderat, honestum opus desiderat.*

---

## No. 10. an. 1534.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Idem Philippus praescripsit *Gregorio Burmanno* *).

### *Conclusio.*

Recte facit, qui se potius consecrat studio doctrinae christianae quam alteri quaestuosae professioni, etiamsi parentes vocent eum ad quaestuosas artes.

**R.** **) Est non ex nostro ardore, sed ex praecepto Dei. Praeceptum Dei est, ut primum quaeramus regnum Dei, non quaestum. Parentes tantum propter quaestum avocant a studio theologico. Ergo in hoc casu voluntas parentum non est vocatio. Sed obtemperandum est Deo vocanti nos ad studia iuvandae Ecclesiae.

2. Ille qui constituit, servire Ecclesiae in docendo, debet afferre solidam et integram doctrinam, quantum fieri potest. Ergo is, qui vult servire Ecclesiae in docendo, iam mandato Dei tenetur, ut dedat se studio sacrarum literarum.

3. Tunc voluntas parentum est vocatio, quando non impediunt, nec abducunt a ministerio, et tamen in aliis studiis spectant honestos fines. Exemplum: Si adolescens dicat, se non posse aut nolle suscipere pericula et labores docendi in Ecclesia. Hic parentes habent iam liberam electionem. Si eligunt studium iuris, ut iste tamen serviat reipublicae et paci publicae, hic est honestus finis. Iam voluntas parentum est vocatio. Sed parentes non habent ius cogendi filium contra ministerii gloriam. Habemus enim omnes generale mandatum Dei et de discenda relligione et de iuvando ministerio. Ideo Paulus inquit: qui Episcopatum desiderat, bonas opes (?) desiderat. Parentes non habent ius impediendi ministerii. Sicut Christus ait: *sine mortuos sepelire mortuos suos.* Matth. 9.

Ex autogr. Phil. Mel.

2) Cod. Goth. *docendo*; cod. Bas. *dicendo.*

3) Cod. Bas. *non.*

4) *non habent ius impediendi* etc. non leguntur in cod. Goth.

5) Cod. Goth. *theologia.*

6) Cod. Bas. *nunciando.*

7) Cod. Bas. *Idem.*

*) Is literis operam dabat Witebergae anno 1534. Vid. epist. ad Hellerum de Burmanno in Suppl. ad an. 1534.

**) i. e. Responsio.

---

## No. 11. 14. Apr. 1535.

In Quaest. p. 20 b. sqq. et in Sel. Declam. T. I. p. 627. Richard. II. p. 324.

### *Quaestio recitata a Mag. Andrea Winclero, Gubernatore Scholae Vratislaviensis, 14. die April. 1535.*

Cum publica consuetudo mihi necessitatem hoc in loco dicendi imponat, peto a vobis initio orationis meae, viri doctissimi, ne me impudentia, aut ingenii fiducia has mihi partes sumpsisse existimetis. Nam cum ea sit aetas mea, ut magis aliquanto, quam adolescentuli, iudicare possim, quae sit huius amplissimi coetus autoritas, turpissimum mihi esset, si parum vereri vestra iudicia existimarer. Itaque non meo consilio, sed officio me ad dicendum adductum esse statuetis. Semper enim in omni vita mihi non minor laus est visa, publicis

institutis ac legibus parere, quam doctrina excellere. Quod cum arbitrer vos quoque, viros optimos et gravissimos, sentire, spero vos consilium meum probaturos esse, quod laudatissimae scholae consuetudini obtemperandum duxi. Cum autem non possim eloquentia vobis satisfacere, dabo operam, ne cui prolixitas orationis molesta sit. Et ut novitate taedium aliqua ex parte levem, malui quaestionem aliquam agitare, quam artium encomion recitare, Quod eo in genere in hac ingenii imbecillitate, nihil reperire potui, quod non esset vulgatissimum.

Disputabo igitur: *Quare Plato dixerit: eum Reipublicae statum optimum esse, qui sit inter Tyrannidem et Democratian medius, proportione Geometrica.* Perliberalis mihi visa est Platonis sententia, et ad vitam utilissima, quam si sequantur ii, qui praesunt, haud dubie beatissimae erunt civitates. Multum etiam Reipublicae conducit, privatos eam tenere, ut suum locum, suumque munus ita tueantur, ne, quantum in ipsis est, pulcherrima illa harmonia Geometricae proportionis perturbetur. Quantam autem vim habeat Platonis dictum, in exemplo facilius conspici poterit.

In Ecclesia maxime cerni potest, quam perniciosus sit uterque status, Democratia et Tyrannis. Quid enim futurum esset, si vulgo licentia concederetur, dogmata et ritus condendi aut mutandi? Tanta est vulgi stultitia, tam caeci ac varii impetus, ut infinita barbaries, et omnium rerum in Ecclesia confusio futura esset. Vidimus exempla quaedam. Nec alia res initio Anabaptistarum insaniam confirmavit, nisi haec in iis locis, ubi convenerunt, Democratia, in qua vulgo homines nepharii, seditiosi, cupidi, sparserunt varia dogmata, alii per ambitionem, alii incitati aliis cupiditatibus, ut praetextu religionis consequerentur potentiam, diriperent locupletum facultates. Nam in vulgo non solum nulla ratio est, nihil consilii, nulla moderatio, sed etiam plurimi sunt improbi. Et ut quisque pessimus, audacissimus ac furiosissimus est, ita plurimum gratia atque autoritate in vulgo pollet. Haec notiora sunt, quam ut longa oratione opus sit.

Rursus et Tyrannis pestifera est Ecclesiae, cum hi, qui dominantur, non dant operam, ut Christi gloriam ac veritatem reddant illustriorem, non consulunt saluti Ecclesiae, sed suam autoritatem, suas opes defendere aut augere conantur, ut nunc Pontifices horribili servitute Ecclesiam opprimunt, nolunt explicari dogmata, Christi doctrinam patefieri, sanari errantes aut ambigentes conscientias. Relinquitur igitur, ut medius quidam Ecclesiae status optandus sit. Sed haec mediocritas, nisi Geometrica proportione constet, statim degenerat in ὀλιγαρχίαν, vel in vulgi licentiam. Est autem Platonis proportio illa Geometrica, cum non unus aliquis dominatur, sed gradus fiunt, et delecti optimi et doctissimi quique plurimum autoritate valent. Ut, si in Ecclesia praecipuas functiones doctissimi et optimi quique teneant, nec iaceant pari servitute omnes boni oppressi, sed gradus serventur. Indocti gubernatores admittant bonorum et doctorum virorum consilia, non confundantur gradus, sed unusquisque, velut stationem, suum locum tueatur et ornet. Eruditi iudicent de doctrina, indocti auscultent et obtemperent, nec in alienas functiones irrumpant, conturbato ordine, sicut et Paulus gravissime monet, capit. 12. ad Romanos, cum praecipit, ne immodeste de nobis sentiamus, sed unusquisque pro suo dono modeste serviat, suum munus ornet. Haec est illa divina proportio, quae si esset in Ecclesia et in Republica, vere beati essemus.

Hoc medium inter Tyrannidem et Democratian constituendum esse sapientibus gubernatoribus, Plato dicit. Sed quantum ab hac forma distet Ecclesia, non est obscurum. Nam aut iacet oppressa tyrannide, aut horribiliter dissipatur ac laceratur a vulgo. Nec falso dixit Plato, proportionem illam difficulter inveniri, ac iudicium de ea non esse hominum, sed Dei. Sed tamen interdum aliquam eius partem rebus humanis contingere, et si quid boni sit in Republica beneficio huius proportionis existere. Optandum igitur est omnibus, ut Deus aliquando hanc Harmonian in Ecclesia restituat, et nos, qui in studiis versamur, demus operam, ut munus commissum ornemus, ut ad docendum et iudicandum veniamus bene meditati ac parati, ut dextre, proprie, et sine confusione dogmata explicare possimus. Assuefaciamus nos ad modestiam, fugiamus πολυπραγμοσύνην et petulantiam. Hoc modo nostri ordinis seu gradus Harmonia correcta, plurimum boni Ecclesiae afferet.

Haec dixi, ut Platonis sententiam interpretarer, quae ad illustre translata exemplum, fit magis perspicua. Et praestandum nobis est, ut

non solum intelligamus erudite dicta summorum hominum, sed etiam ut ad nostrum usum ac vitam accommodemus, et extra Scholam ex pulvere in Solem, et velut in aciem proferamus. Monet autem nos haec sententia de maximis rebus, videlicet, qui debeant esse gradus in Rebuspublicis, et ne harmonia illa turbetur, suum cuique munus diligenter obeundum esse. Et quoniam unum quoddam σύστημα est, attemperare unusquisque suam harmoniam ad aliarum vocum proportionem, hoc est, ad aliorum utilitatem et mutuam concordiam debet. Quantam haec vim habeant, in Ecclesiae exemplo facile conspici potest. Reliquae sunt multae et graves disputationes hoc in loco Platonis, quas omitto, et totam hanc causam diligentius explicandam doctissimo viro D. Magistro *Alexandro Alesio* commendo. Dixi.

*Responsio M. Alexandri Alesii Scoti.*

Hic locus non est aptus copiosius explicandae eruditissimae Platonis sententiae, neque deplorandis Ecclesiae et Reipublicae calamitatibus. Et oratio tua renovavit mihi acerbissimum dolorem, quo afficior, quoties in mentem venit eius crudelitatis, quae in mea patria adversus Ecclesiam exercetur. Multi docti et boni viri interficiuntur, multi nobiles eiiciuntur ex patria in exilium, cum coniugibus et parvis liberis, et prius adimuntur eis facultates, inuruntur stigmata matronis nobilibus, perforantur linguae candente ferro. Cum educuntur ad rogum destinati igni, praeciduntur eis linguae, ne dicant ad populum. Sic saevitur in homines innocentes, si qui dicuntur aliquem manifestum abusum leviter reprehendisse. Ibi vere apparet, Tyrannidem inimicissimam esse Ecclesiae. Non enim aliud agunt illi Tyranni, nisi ut veritatem prorsus opprimant. At veritatem maxime illustrari oportuit ab his, qui praesunt Ecclesiae.

Adhaec quid minus convenit pastoribus, quam lupos esse gregi? Quid minus convenit Christi ministro, quam membra Christi interficere? Iam hoc magis miserandum est, tantum esse furorem pontificum in ea Insula, quae quondam Galliae atque Germaniae magistra religionis fuit, ex qua velut Coloniae Scholae in Gallias et Germaniam deductae sunt, quae hospitium literis pulsis tota Europa praebuit, easque postea tranquillis temporibus rursus liberaliter aliis impertivit. Legimus enim ad Carolum magnum Parisios venisse duos doctissimos viros ex Scotis, qui interrogati, cum respondissent, se afferre Sapientiam, miratus est sapiens Princeps, viros graves tantum de se polliceri, et cogitans magnam esse causam huius consilii, Quaerit, qui sint, et unde gentium adveniant, ait sibi nullum munus afferri gratius posse, quam Sapientiam, siquid utile rebus humanis profiteantur. Ibi respondent, se Scotos esse, et cum audissent ipsum virtute et potentia excellere omnibus Regibus, et tamen adhuc Scholas ei deesse, se consilium ipsius adeundi cepisse, ut eum adhortarentur ad Scholas constituendas, eaque in re pollicentur operam suam, ut literae rursus in Europam propagarentur, quae ad id tempus in Scotis tantum delituissent. Carolus collaudato eorum consilio honorifice eos excepit. Idque dicunt fuisse initium Academiae Parisiensis, et alter ex his Alcuinus fuit, cuius extant libri, quem apparet Carolo propter doctrinam fuisse familiarissimum. O egregiam virtutem Caroli. Hic enim cum Rex esset, tamen hanc Geometricam proportionem conservavit, delegit viros doctos, quibus cum regni administrationem communicaret. Nunc isti Tyranni nihil oderunt acerbius, quam literas. Porro ad explicandam tuam quaestionem opus erat de proportionibus dicere, qui locus hic non potest exponi totus. Ideo differemus hanc disputationem in aliud tempus commodius. Dixi.

---

No. 12. 17. Apr. 1536.

In Quaest. p. 24b. sqq. Item in Melanth. Consil. P. I. p. 266.

*Quaestio: an leges damnent praedictiones astrologicas? recitata a Georgio Ioachimo Rhetico, d. 17. April. 1536.*

Semper in omnibus rebus quantum potui, dedi operam, ut non solum officia mea, sed etiam mores mei vobis probarentur. Nec quicquam mihi acerbius accidere posset, quam si in me pudorem et modestiam desiderari intelligerem. Quare modo etiam, cum publica consuetudo mihi in hoc loco dicendi necessitatem imposuerit, vos rogo, ut me officio potius, quam ingenii fiducia adductum existimetis, ut in hac pompa has partes reciperem. Cumque ut spero, pro humanitate et prudentia vestra officium meum probabitis, quaeso ut orationem etiam aequo animo audiatis. Agnosco

enim deesse nitorem et splendorem orationi meae, quem hic locus requirit. Partim enim natura repugnat, quae illud floridum dicendi genus non potest assequi, partim impeditus aliis studiis, non perinde me in dicendo exercere potui. Sed conabor brevitate taedium vobis levare. Ut autem consuetudini veteri morem geram, disputabo de quadam quaestione, videlicet, quis sit intellectus legis *) in C. quae Mathematicos non solum damnat, sed etiam civitatibus eiicit, imo et interfici iubet. Nec dubium est, quin Lex loquatur de divinationibus seu praedictionibus. Nam caeteras partes Mathematum, hoc est, Arithmeticen et Geometriam discere approbat. Illud igitur venit in quaestionem: *An lex damnet praedictiones Astrologicas?* Quanquam autem ex aliena professione, hoc est, ex libris Iureconsultorum quaestio sumpta sit, tamen satis constat, eam ad nos et ad omnes Philosophiae studiosos pertinere. Decet enim nos intelligere nostrarum artium dignitatem, et quoniam haec lex ad mores pertinet, praestandum est, ut omnes eam et norint et recte intelligant. Cum autem Iurisconsultos maxime deceat suum cuique tribuere, non arcebunt nos a nostris artibus interdicto aliquo, quo minus contra quorundam interpretum opiniones defendamus possessionem nostram. Aristoteles inquit, beatas fore artes, si de eis artifices iudicarent, et iurisconsulti ipsi docent, de singulis artibus consulendos esse artifices. Quare spero, eos libenter concessuros esse Philosophis, ut de parte Philosophiae non contemnenda pronuncient ipsi. Sic igitur sentio.

His legibus in codice non damnari praedictiones Astrologicas, sed tantum illas, quae non habent causas aut rationes Physicas, quae vocantur a Ptolemaeo ἀναιτιολογηταὶ, quales sunt augurum praedictiones, et quales sunt multae admixtae Astrologicis, ut cum divinant ex interrogationis tempore, cum pollicentur se caedes, aut furtorum autores indicaturos esse, Quemadmodum in decretalibus iure damnatur sacerdos, qui simulabat se ex Astrolabio quaerere, quomodo deprehendi possent furta. Tales igitur supersticiosae praedictiones damnari illis legibus sentio, quas et ipsi Philosophi improbant. Sed quidam inepti in genere damnant praedictiones Astrologicas, hoc est, eas, quae habent Physicas causas, et rationes. Has hac ratione probamus:

Ordinationes Dei in natura observare, pium et utile est, non est superstitiosum. Nam superstitiosa sunt, quae non habent causas Physicas, et ordinationes Dei.

Sed observationes Astrologicae sunt observationes causarum Physicarum, quae sunt ordinationes Dei. Sicut medicorum praedictiones sunt observationes Physicae causarum et effectuum, celeritas pulsuum in arteriis, significat vehementem calorem et motum cordis, Nam motus cordis pellit spiritus in arterias. Ita comperit Astrologus Solem habere vim calefaciendi, Lunam humectandi. Quare praedicit Lunam in aëre et corporibus animantium humidiora temperamenta efficere, et a primis qualitatibus secundae oriuntur. Talis igitur observatio, cum oriatur a causis Physicis, quae sunt divina ordinatio, pia est, et utilis vitae.

Haec ratio satis plane docet, non posse simpliciter reprobari in genere Astrologicas divinationes. Si qui praedictiones simpliciter damnant, negant lucem calidum, frigidum, humidum aut siccum esse, quo quid est absurdius? Iam si concedunt lumen calidum, frigidum, humidum, aut siccum esse, fateri necesse est, quod in aëre, in corporibus animantium similes qualitates pariat. Si qui sunt effectus, cur observatio improbatur, cum ordo causarum, et effectuum sit divina ordinatio? Quemadmodum omnes praedicunt, languescente pulsu, cor languidum esse. Nam ex effectu causa iudicatur. Sic iudicat Hippocrates foetum abortu eiici, cum arescunt ubera, deest enim foetui nutrimentum. Hic ratiocinatur de effectu ex causa. Harum praedictionum ratio, si cui sit ignota, iudicabit has quoque magicas esse. Numero igitur inter Physicas praedictiones etiam Astrologicas. Nam hae quoque sunt observationes causarum et effectuum.

Sed multi reclamant, et quidem satis contumeliose accipiunt Astrologos, commemorant eos saepe falli in praedicendo, monstrant saepe dissentire praecepta et iudicia, afferunt etiam exempla illustrium virorum, qui contempserint hanc doctrinam. Addunt hoc quoque si quid tribuatur Astris, adimi voluntati liberum delectum. Henrico septimo Angliae regi quidam Astrologus mortem praedixerat eo anno impendere, Rex ad se vocat, interrogat, an sit Astrologus? Ille sperans se futurum in maiore gratia, ait se eam artem

*) Hic incipit text. Cons.

profiteri. Rex ergo quaerit, an praedicere possit, ubi in feriis illis Paschatis futurus sit? Cum ille nescire se dixisset, ait Rex: Vides me certius posse divinare? Nam praedico tibi, te in carcere futurum illis diebus. Ita miser coniicitur in carcerem, et postea cum contumelia dimittitur. Sic disputant Tyranni, non Philosophi. Ego autem quaestionem meam ad Philosophos defero, qui eam, cum erit opportunum, explicabunt. Dixi.

---

No. 13. an. 1536.

In Quaest. p. 26 b. sq. Item in Mel. Consil. P. I. p. 268. Denique in Stephani Riccii Miscell. manuscr. in cod. Goth. No. 240. p. 63 b.

*Quaestio: Utrum Astrologia sit adiungenda Medicinae? Proposita a* ***Ioanne Reiffenstein*** *in promotione Doctoris* ***Milichii***, [Ricc. „cum promoverentur Doctores Milichius, Christianus et Fridericus Löck"], *an.* **1536**. *die* **16**. *Novembr.*

Saepe hic dictum est, quo consilio adhibeantur Pueri in his spectaculis promotionum, videlicet, ut mirari hos gradus et suspicere ac venerari artes ipsas incipiant. Cum autem magis intelligat aetas nostra utilitatem Medicinae, quam aliarum artium, et saepe in periculis praesenti Medicorum ope iuvemur, aequum est, nos praecipue honori Medicorum favere et inservire. Quare non invitus suscepi has partes, ut publice meum studium et gratitudinem declararem erga Professores honestissimae artis.

Homerus ait: Vir Medicus multis aliis praestantior unus. Nec leves causae sunt, cur tantopere Medicos laudaverit Homerus. Nam ipsa naturae cognitio, quam ars complectitur, pulcherrima est. Deinde tota ars comparata est ad beneficentiam. Postremo ego hoc nomine magis amo Medicos, quia Philosophiae possessionem magis retinent, in aliis professionibus plerique levius de Philosophia sentiunt. Propter has causas praecipue nobis duco amandos et colendos esse Medicos.

Propono igitur quaestionem: *Utrum Astrologicae observationes prosint Medicis, ad iudicandos morbos, et curandos?*

Primum enim videtur Medicus non iuvari Astrologicis observationibus, quia iudicia ei sumenda sunt a Materia, et a causis particularibus, et propinquis: et non a causis universalibus et remotis. Et certe curatio requirit, ut remedia materialia [1]) adhibeamus ipsi. Ideoque multi sunt, et fuerunt praestantes Medici [2]), et in his etiam multi periti Astrologiae, qui tamen in iudicandis et curandis morbis non adhibuerunt Astrologiam.

Econtra primum Hippocratis sententia moveor, ut observationem astrorum prodesse Medico existimem. Nam et Hippocrates ait, Sub caniculae ortum periculosas esse medicationes. Et fuit magni nominis medicus *Diocles*, qui Astrologiam ad Medicinam accommodavit. Et extat adhuc excerptum ex ipsius scriptis, in quo annotavit, qui adspectus, quales morbos, vel qualia symptomata pariant. Testatur et Galenus, adfici corpora animantium a lumine omnium Planetarum. Iam si constat, aliquam esse vim Astrorum in mutandis corporum dispositionibus, sequitur, observationem positus Astrorum utilem esse Medico. Saepe enim causas universalium mutationum in Aëre, interdum etiam causas particularium mutationum in corpore certo praevidere potest, praesertim cum saepe oriantur morbi praecipue ex causis coelestibus.

Doctissimus vir, *Ioannes Volmarus*, annotavit historiam de Mathematico Regis Hungariae, Matthiae. Cum enim Rex subito et gravi morbo laboraret, nec Medici causam morbi invenire possent, Mathematicus eos admonuit, causam morbi esse Eclipsin, quae fuisset in signo Horoscopo [3]) Regis, nec alium morbum esse, nisi cordis debilitatem, ortam propter Eclipsin. Ideo hortatus est, ne aliis medicinis vexarent corpus, sed tantum darent iuvantia cor. Huic consilio cum Medici obtemperassent, experti sunt, curationem recte et foeliciter procedere, et Rex brevi convaluit.

Existimo itaque saepe posse Medico prodesse observationes Astrologicas. Ptolemaeus cum alia [4]) quaedam praecepta tradit pro compertis, tum hoc quoque [5]): Non esse venam secandam, cum Luna in signo est, quod illi membro dominatur. Vidimus exempla, quae testabantur, parum foelicem

---

1) Quaest. et Cons. *materiae*, ex mendo. Riccius recte: *materialia*.

2) *Ideoque — Medicis* Riccius non habet.

3) Ricc. *Horoscopi*.

4) *alia*] recte Ricc. pro *cum*, quod in textu Eberi legitur et mendum est.

5) Ricc. *quoque addidit*.

esse incisionem[6]) factam eo tempore, cum Luna esset in signo, quod dominabatur illi membro. Possunt alia multa colligi. Sed defero hanc quaestionem ad virum doctissimum, versatum etiam in Astronomia, Praeceptorem meum, Dominum Doctorem *Milichium*, ac rogo, ut aliquando nobis copiose hanc controversiam explicet, ac diiudicet. Dixi.

---

No. 14. 16. Nov. 1536.

In Quaestion. p. 28 sqq.

*Sententia Hippocratis in sexto Epidem.: Labor articulis et carni prodest, cibus vero et somnus visceribus, explicata a Doct.* Iacobo Milichio, *an.* 1536. *d.* 16. *Nov. cum esset ornatus insignibus Doctoris artis Medicae.*

Initio precor, ut Deus optimus maximus faveat auspiciis huius mei honoris ac professionis. Nam cum omnium sapientum testimoniis divinitus monstrata sit ars medendi, petendum est a Deo, ut ipse mentes ac manus artificum gubernet. Deinde quoniam autoritate publici moris in hoc loco decretum aliquod nostrae artis explicandum est, peto ut veniam detis orationi meae, quae non ad ingenii ostentationem instituta est, sed ut laudatissimae consuetudini mos gereretur. Itaque neque materiam sumpsi admodum exilem, in qua admirationem ingenii captare possem, sed adfero sententiam aptam, ut existimo, huic auditorio, in quo iuventus honoris nostri causa, usitata frequentia convenit. Duxi enim praeceptum aliquod ex optimis autoribus nostrae artis recitandum esse, quod et facile intelligere iuventus posset, et quo admonita, valetudinem diligentius tueretur. Qua in re utinam hi, qui in studiis literarum versantur, diligentiores essent, quia in nullo genere vitae magis opus est incolumitate virium et valetudinis, quam in studiis. Nam corpora male adfecta, minime possunt intentionem animorum et caeteros studiorum et negotiorum labores perferre. Et multi sunt morbi, in quibus incitati humores, pariunt errores mentis. Propter has gravissimas causas maxima cura adhibenda erat, ad regendam et conservandam valetudinem. Et vitandae sunt offensiones, non solum quia in praesentia nocent, sed multo magis habenda est ratio venturae aetatis et senectae, quae non potest esse tranquilla, quassato iam corpore, et vexato adsiduis cruditatibus, crapula, insomniis, resolutione nervorum, et similibus pestibus. Quantus autem error sit iuventutis, videtis, non solum ratio nulla adhibetur ad confirmandas vires, sed nullius rei iactura levior ducitur, quam valetudinis. Alii propter inertiam et inscitiam nullam oeconomiam in distribuendis temporibus, cibi, potus, laborum, quietis observant. Alii praediti animis gladiatoriis, fortitudinem quandam esse ducunt, immanitate morum in conviviis, in ludis, vigiliis, vim adferre corporibus, et certa detrimenta valetudinis accersere. Haec vicia et in praesentia nocent, et serunt multos morbos, erupturos in senecta, quae, si vires sint adeo prostratae, nec diuturna, nec utilis Reipublicae esse potest. Itaque ne misera, praeceps et inutilis sit senectus, valetudo ratione et arte regenda et tuenda est.

Ad hanc rem tradidit nobis utilem sententiam Hippocrates, in sexto Epidemiorum: *Labor articulis et carni prodest, cibus vero et somnus visceribus.*

Hanc sententiam magis amabimus illustratam et excussam, cum videbimus, quantum contineat eruditissimarum disputationum, et quam sit ad vitam utilis. Etsi autem in hac temporis angustia non possunt omnes illi loci, quos hic brevis Aphorismus complectitur, explicari, tamen quosdam declarabimus, ut sententia fiat studiosis commendatior.

Primum igitur sciendum est, hoc praeceptum pertinere ad eam partem artis medendi, quae docet de tuenda seu conservanda sanitate. Cumque constitueris genus, rationem tuendae sanitatis, erunt species subiiciendae, sex rerum non naturalium, aptum usum Aëris, Cibi ac Potus, Motus et Quietis, Somni et Vigiliae, Inanitionis et Repletionis, et adfectuum animi. Sed hic noster Aphorismus, omissis aliis speciebus, loquitur de tribus, de exercitio, de cibo ac potu, et de somno. Laborem hic intelligit exercitationem. Nec longe repetam nunc orationem, quam necessaria sit Exercitatio, id enim monet haec ipsa sententia. Illud potius addendum est, de tempore exercitationis, quod ante cibum utendum est exercitatione, sicut et alius Aphorismus inquit: Labor cibos praecedat. Ideoque Galenus magno consilio in secundo

---

6) Ricc. addit *venae.*

de tuenda sanitate, constituit certum tempus, nec anteverti, nec diutius differri vult exercitationem. Docet enim post secundam coctionem utendum esse exercitatione. Primam coctionem intelligit, cum in ventriculo cibus in chylum, id est, in liquorem convertitur. Secundam coctionem vocat, cum in Epate chylus transmutatur in sanguinem. In his duabus coctionibus opus est quiete. Nam motu vehementiore excutitur Chylus ex ventriculo aut ex Epate, et impletur corpus viciosis humoribus, et vires ventriculi et Epatis adfliguntur. Interdum etiam inde existunt Pleuritides. Quare maxime reprehendendus est mos plurimorum, qui statim a cibo contentionem vel corporis vel animi suscipiunt. Idque magis perniciosum est Germanis, qui cum ventriculum magna mole cibi onerarunt, largiter etiam potu diluunt, ut cibus natans in ventriculo, multo difficilius possit concoqui. Itaque certum exitium sibi accersunt illi, qui referti cibo ac potu, statim labores vehementiores suscipiunt. Possem multa exempla commemorare robustissimorum iuvenum, quibus in ludis aut voluptatibus vehementior motus, statim sequutus cibum, exitium attulit. Quare antecedant exercitia cibum. Et quia etiam exhaustis corporibus nocet motus paulo vehementior, ideo Galenus illud tempus tribuit exercitiis, cum postridie ultima fit coctio, videlicet, cum sanguis percoctus in venis vi caloris vitalis, quem Arteriae venis implicitae advehunt, vertitur in nutrimentum membris conveniens. Ut enim caro avidius accipiat hoc nutrimentum, excitandus est calor. Inde intelligi potest, quare hic dixerit Hippocrates: Labor prodest carni. Conducit enim tripliciter, excitat calorem, ut avidius recipiat caro nutrimentum, et fiat glutinatio et conversio in substantiam aliti. Secundo, motus expellit inutiles superfluitates. Tertio, reddit carnem spissiorem et solidiorem. Eiecta enim inutili superfluitate, melius glutinantur partes, et motus desiccans reddit corpora spissiora.

Sed obscurius est, quod ait: Laborem, hoc est, exercitia prodesse Articulis. Cum autem ad articulos plurimae superfluitates expellantur, non secus ac tempestatibus ac pluviis putrefiunt funes in navibus, ita nervi resolvuntur in musculis, obsiti lento et frigido humore. Opus est igitur motu ad eliciendos illos lentos humores, et ad revocandum calorem naturalem, ut nervi fungi suo munere possint. Magna dignitas est, magna vis nervorum. Hi omnium sensuum actiones gubernant, his languescentibus, labefactantur omnes sensus, nec sustineri intentio animorum potest. Quare nos maxime, qui versamur in studiis doctrinam, curare nervos summa diligentia oportet.

Accedo ad reliquas particulas huius Aphorismi. Cibus et Somnus conducunt interioribus. Galenus sic intelligit: Somnus est cibus, id est, conducit interioribus, quasi dicat, sicut calor excitatur motu in exterioribus, ita somnus revocat calorem ad interiora, et interiora recreat. Est igitur mirifica collatio Motus et Quietis. Exteriora magis iuvantur Motu, interiora magis Quiete. Quare et motus et quietis vices distribuit natura, et observari postulat. Ita alio loco inquit Hippocrates: Vigilanti exteriora calidiora, dormienti contra magis calent interiora. Item: Sanguis in somno magis ad interiora abit. Itaque et in inflammationibus interiorum membrorum, non conceditur nisi brevis somnus aegrotis. Ideo autem in somno calor revocatur in interiora, quia vapores intus vi caloris exhalant in cerebrum. Cum autem interiora tunc rigentur et alantur, et calor concurrat, gignit cor plurimum spirituum in ea quiete. Recreantur itaque interiora praecipue cibo et somno. Et ut calor revocatus in interiora, perficiat coctionem, debita somni tempora serventur, qui calorem accersat. Erit igitur conveniens exercitiis tempus ante prandia, et si prandia non fuerunt longiora, ante coenas. Somni tempus aptum, non nimis longo intervallo post coenam, sed postquam iam subsedit cibus in ventriculo, et inchoata est coctio. Tunc enim maxime revocandus est in interiora calor. Haec intervalla si quis mediocriter observaverit, sentiet, sibi hanc diligentiam valde prodesse, Et cum in praesentia valetudine utetur firmiore, et studia et negotia facilius sustinere poterit: Tum vero etiam vitam sibi prorogabit, et senectam habebit validiorem et tranquilliorem. Dixi.

---

**No. 15.** **an. 1538.**

In Quaest. p. 31 b. Item apud Manl. p. 596. et in Tom. III. Declamat. Erford. F. N. 1. Apogr. in cod. Goth. 410. p. 106 b. et in cod. Monac. 88. no. IV. p. 109., ubi satis mendose descripta est.

### *Quaestio recitata a Mag. Laurentio Lindemann mense Ianuario an. 1538.*

Nisi consuetudo scholae vobis nota esset, magnopere vererer, ne me sumpsisse mihi hunc locum, aut has dicendi partes impudentia ac[1]) fiducia ingenii iudicaretis. Sed quia scitis, praeceptorum consilio hic quasi operas suas singulis attribui, quaeso, ne de mea voluntate aut natura secus suspicemini. Est enim necessarium officium, honestae consuetudini, quae disciplinae causa instituta est, morem gerere. Ego autem cum in omni vita, tum vero praecipue hoc loco, magis cupio vobis mores meos et voluntatem probari, quam doctrinam et eloquentiam. Et in hac imbecillitate aetatis, ne quidem requirenda est eruditio aut facultas dicendi eximia, quae etiam foelicissimis ingeniis non potest contingere, priusquam per aetatem licuit immorari studiis, et adiungere rerum usum et iudicium acuere, et confirmare omni genere exercitationis. Etsi enim Poëta tribuit Heroico[2]) adolescenti studium rerum magnarum, et generosam indolem, inquiens: Ante annos animumque gerens curamque virilem, Tamen ante tempus iudicium firmum de magnis rebus, et perfecta doctrina nemini contingit. Sed haec consuetudo dicendi[3]) in his scenis instituta est exercitii causa. Quare vos rogo, ut me patienter audiatis, idque officium ad conservationem publici moris pertinere existimetis.

Et quia aliquid dicendum erat, institui brevem disputationem de hac quaestione: *Quem ad usum Arteriae iunctae*[4]) *sint venis, meantibus per universum corpus?*

Etsi autem huius explicatio tota magis a Medicis petenda est, tamen cum harum materiarum initia et elementa etiam in Physicis tradantur, delegi hoc argumentum, adductus quodam studio paternae artis, et ipsarum rerum suavitate. Quoties enim adspicio et considero opificium humani operis, ipsa me distributio artificiosissima admonet, has ut ita dicam, machinas in humano corpore nequaquam casu, sed ab aliqua aeterna mente extitisse. Sed venio ad quaestionem.

Venae orientes in Epate, sanguinem inde evehunt, ad nutriendum universum corpus. Arteriae vero sunt vehicula spiritus, eoque densiores canales sunt, ne spiritus exhalet. Graeci aiunt, nomen esse Arteriis, ab ἀὴρ et τηρῶ, quod custodiant halitum, hoc est, spiritum vitalem. Hae primum ex corde oriuntur, et caput seu truncus, qui et amplitudine et densitate vincit reliquam propaginem, vocatur Aorta. Huius appellationis primum autorem aiunt fuisse Aristotelem, sumptamque ferunt a vagina, quia ille canalis sit vaginae similis, hoc est, densior et amplior caeteris ramis. Aiunt enim Ἀορτὴν significare vaginam. Dicuntur autem rami utriusque canalis conserti esse, ut passim mutuis orificiis exilibus iungantur, et ad hunc usum, ut Arteriae venis impertiant spiritum, ad calefaciendum sanguinem, et vicissim hauriant sanguinem[5]) ad nutriendum spiritum, qui ut alatur, rapit sanguinem, sicut in lychno flamma rapit alimentum ex oleo et cera. Nam et sanguis sine vitali calore ac spiritu non esset efficax ad nutriendum, Et spiritus sine alimento cito extingueretur ac deflagraret, qua in re subit admirari imaginem divinitus propositam, quae admonet nos de mutua officiorum communicatione. Nam hic etsi nihil nobilius est spiritu, tamen sine beneficio alieno, et quidem sordidioris naturae, non potest durare. Ita Principes[6]) in Republica indigent[7]) infimorum officiis, summae artes ministeriis infimarum. Rursus spiritus in corde ortus, quem vehunt Arteriae, addit vitam sanguini. Sic gubernatores regunt et tuentur populum, sic summae artes tueri debent inferiores, non[8]) opprimere.

Porro illa vicissitudo in Arteriis non fit casu, sed habet gubernationem, videlicet, motum cordis, quo dilatatae Arteriae attrahunt, contractae regerunt. Sed hinc longior disputatio nascitur, quam omitto, Porro contra hanc communicationem obiicitur, quod cum non ubique venis sint additae Arteriae, non videatur haec communicatio vel necessaria, vel perpetua. Quia autem haec quaestio plena est eruditionis, et utilis vitae et moribus, rogo ut eam D. Decanus nobis diligentius et uberius explicet. Dixi.

---

1) *ac*] Manl. *aut.*
2) *heroico* Manl. non habet.
3) *dicendi* abest a Manl.
4) Manl. mendose: *inventae.*
5) *et vicissim haur. sang.* desunt in Manl. textu.
6) Manl. *principibus.*
7) *indigent*] Manl. *opus est.*
8) Manl. addit: *eos.*

No. 16. 19. Sept. 1538.

In Quaest. p. 35. — Apogr. in cod. Basil. 39. p. 78.

*Quaestio recitata a Mag. Nicolao Reinhold Cygneo, die* 19. *Sept.* 1538.

Decet adolescentem longe pluris facere officii laudem, quam eloquentiae, praesertim cum rudis et infirmata aetas non potest[1]) esse exculta doctrina, et usu tanto, quantum vel mediocris dicendi facultas requirit. Ideo cum praeceptores nobis has dicendi partes imponerent, etsi inscitiam nostram non ignorabamus, tamen autoritatem eorem detrectare noluimus. Est et quaedam pars disciplinae, conservare honestos mores, institutos ad exercitationem adolescentum. Rogamus igitur, ut boni consulatis, quod in tali consessu doctorum ad dicendum prodimus, adducti non nostro consilio, sed officio.

Tractabo autem quaestionem, ex iis autoribus sumptam, quos adolescentia praecipue debet in manibus habere, et ex quibus non modo sermonis proprietas, sed etiam praecepta et exempla de moribus in vita, petenda sunt. Sumo igitur quaestionem ex primo Iliados Homeri: *An Achilles iure potuerit vocare populum in concionem, invito et nolente Imperatore Agamemnone?*

Quidam in his fabulosis Poëmatibus nihil putant eruditionis ac sapientiae proponi. Sed nos longe[2]) aliter de summorum ingeniorum scriptis sentire decet. Ideo[3]) non obiter autores illi legendi sunt, sed consilia etiam quaerenda sunt, quorum negotiorum imagines in vita proponere voluerint. Gravissimum hoc loco exemplum proponitur, de causa Maiestatis, quando[4]) liceat contra superiorem potestatem publice aliquid agere. Ut autem causa fiat magis perspicua, argumenta in utranque partem colligam.

Primum enim hoc argumento factum Achillis reprehendi posse videtur: Summum scelus est, in Republica, violare Maiestatem. Est autem violatio Maiestatis, habere concionem invito summo magistratu. Quare videtur Achilles sediciose fecisse, quod contra voluntatem Agamemnonis, quem constabat esse summum Imperatorem illius exercitus, vocavit populum in concionem.

Sed Homerus factum Achillis eo commemorat, ut moneat, Heroici viri virtute servatum esse exercitum, contra voluntatem Ducis. Ideo quaerenda est probabilis et honesta excusatio Achillis.

Sic igitur defendo Achillem: Socius non violat maiestatem, si consulat in commune, iniuste faciente illo, qui praeest societati. Verissimum est enim, quod dicit Iurisconsultus: Rerum inhonestarum nullam esse societatem. Erat autem Achilles socius Agamemnonis, non subditus, etiamsi Agamemnon voluntate sociorum in castris habebat imperium. Ergo Agamemnone iniuste faciente, conveniebat socio consulere in commune, nec deesse Reipublicae. Idque praecipue convenit Heroicis viris, qui non privata ambitione movent Respublicas, sed incitati iusto aliquo dolore in publica calamitate aut iniuria, sicut ipse Achilles interrogatus, quos sustinuisset maximos et asperrimos labores[5]), respondit: Amicorum causa. Rursus interrogatus, quos sustinuisset suavissimos, respondit: eosdem. Nihil enim magnanimis viris iucundius est, quam Reipublicae prodesse, et salutem aliorum tueri in causis iustis.

Deinde Religio anteferenda est maiestati superiorum magistratuum. Violaverat autem religionem Agamemnon, cum nollet sacerdoti filiam reddere. Ergo Achilles habuit ius reprehendendi Agamemnonis.

Ut igitur ille Heros praeclare fecit, et saluti exercitus consuluit, invito superiore magistratu: Ita nunc quoque Heroicum est, tueri veram religionem et Ecclesiam adversus iniustam saevitiam summorum Regum. Et, ut Achilles inquit, susceptos Amicorum labores sibi dulcissimos fuisse: Ita et nostros Heroas decet, libenter gloriam Dei et salutem Ecclesiae defendere. Etsi igitur Achillem recte fecisse statuo, et Heroicis viris exemplum utile proposuisse, tamen hanc disputationem integram ad D. Decanum refero, et rogo, ut pro sua eruditione, ipse tota re diligentius excussa, pronunciet. Dixi.

---

1) Cod. Bas. *nondum possit.*
2) Cod. *multo.*
3) Cod. *igitur.*
4) Cod. *an.*
5) Cod. *dolores.*

No. 17. 23. Iun. 1539.

In Quaest. p. 85. Item in Consil. Mel. P. I. p. 358.

***Quaestio a Chiliano Goldstein, filio Doctoris, proposita Doctori Wolfgango a Bock, 23. Iunii 1539.***

Nostra aetas non debet sibi sumere iudicium de moribus publicis, quos maiores natu instituerunt. Nos parere publicis institutis decet. Sed tamen quod pueris in tali consessu doctissimorum virorum locus datur, arbitror factum esse, seu ut nos discamus spectare et admirari honores studiorum, seu ut admoneantur Doctores, ut aequo animo ferant, se interrogari a rudibus, et placide respondeant, cogitentque se ideo in hoc honoris gradu divinitus collocari, ut imbecillitati aliorum opitulentur, non ut superbe fastidiant infirmiores. Propono igitur quaestionem: *Utrum vir nobilis Nicomedensis commiserit in legem Iuliam Maiestatis, cum spectante populo, concerperet edictum publicum Imperatoris Diocletiani, in quo mandabatur, ut saevitia exerceretur in Christianos?*

Ac primum videtur fuisse crimen laesae Maiestatis, iuxta l. Qui statuas ff. ad legem Iuliam, Maiestatis. Sed Eusebius laudat in eo viro pietatem et magnitudinem animi. Ideo quaeramus, an factum vere defendi possit.

Summa impietas est, non aperte improbare saeviciam Tyrannorum contra Evangelium.

Hic nobilis Nicomedensis aperte testatus est, se improbare iniustam crudelitatem.

Ergo pie et recte fecit. Nec laedit Maiestatem, qui notoriae crudelitati resistit.

Peto autem, ut hanc quaestionem vir nobilis, Dominus *Wolfgangus a Bock* Doctor, nobis explicet. Continet enim res dignas disputatione praestantium virorum in Republica, de dignitate Religionis, et de non ferenda Tyrannide.

---

No. 18. Iun. 1539.

In Quaestion. p. 85 b. Item in Consil. Mel. P. I. p. 366. — Fragmentum autographi Mel. est in cod. Goth. no. 350.

***Quaestio in promotione Doct. Leonhardi Stettneri proposita a Chiliano Goldstein, iuniore, a. 1539.***

Nulla virtus aut magis necessaria est pueris, quam Verecundia, aut in tenera aetate gratior. Est enim nutrix quaedam caeterarum virtutum. De hac cum quotidie audiam honestissima praecepta, profecto eam, quantum possum, colere studeo. Quare vos rogo, ne me impudentia adductum existimetis, ut in caetu gravissimorum virorum ausim proponere quaestionem. Scitis enim me parere autoritati Praeceptorum, qui conservandi publici moris causa, mihi in hac pompa has partes dederunt. Nec meum est, de causis publici moris, aut iudicio praeceptorum disputare. Sed tamen opinor, hunc morem institutum esse, ut nos pueri disceremus mirari et honores studiorum, et ipsa studia, seu ut admonerentur Doctores, ne superbe fastidiant indoctiores, sed hos quoque patienter audiant, et si opus est, erudiant.

Propono igitur quaestionem dignam disputatione: *An, cum Augustinus dixerit, Non crederem Evangelio, nisi Ecclesiae crederem, voluerit anteferri Evangelio opiniones quascunque, haerentes in Ecclesia?*

Ac primum sic argumentor, opiniones Ecclesiae anteferendas esse Evangelio.

Quia certus testis est anteferendus ambiguis et obscuris scriptis.

Ecclesia est certus testis, Evangelium est saepe obscure scriptum.

Ergo opiniones Ecclesiae sunt anteferendae, praesertim confirmatae iudiciis doctorum omnis aetatis.

Minorem probo, quia Paulus vocat Ecclesiam, columnam et sedem veritatis. Quare cum necesse sit, semper esse Ecclesiam, necesse est semper veritatem in ea conservari. Recte igitur sumitur iudicium de dogmatibus, ex opinionibus in Ecclesia receptis. Ideoque semper patres allegant superioris Ecclesiae iudicia et sententias, sicut Ireneus allegat Polycarpum, Basilius ait, sibi adhuc in auribus personare Athanasii, et aliorum, quos audivit, dicta. Et inquit, in Ecclesia dogmata esse proponenda, quae scripturae Apostolicae certo tradunt, et quae non pugnant cum patribus. Et Theodosius Imperator ita repressit eos, qui male sentiebant de Trinitate, postulans, ut testimoniis Patrum, qui ante exortas haereses

fuissent, assentirentur. His cum non auderent contradicere Ariani, coacti sunt abiicere professionem novi dogmatis. Ergo tutius est ex opinionibus receptis in Ecclesia iudicare, quam ex literis Evangelicis, quae pariunt varias interpretationes.

Sed contra oppono.

Horum autoritas, qui errare possunt, et saepe labuntur, non est anteferenda verbo Dei.

In Ecclesia potest esse ingens multitudo errantium, etiam inter eos, qui praesunt.

Ergo horum autoritas non est anteferenda Evangelio.

Minorem probo, quia Christus ipse dicit, Abominationem in loco sancto futuram esse [1]), et multos Pseudoprophetas venturos esse, qui spargent late in Ecclesia horribiles abusus. Ergo iudicium de dogmatibus non est sumendum ex Ecclesiae opinionibus, cum incertum sit, unde sumptae sint, si discedant a regula, hoc est, ab Apostolicis scriptis. Defenduntur publice manifesti abusus; recepti contra Evangelium, ut, Missae pro mortuis; coelibatus, Invocatio Sanctorum. Ergo non tantum debemus niti consuetudine. Temporibus Arianis maior pars Ecclesiae fuit infecta labe Arii. Hic non poterat dici, Ecclesiae, id est, multitudini illi plus credendum esse, quam Evangelio.

Quaero igitur explicationem sententiae Augustini. Non antefert, ut arbitror, autoritatem Ecclesiae, verbo Dei, quia Paulus inquit: Si quis aliud Evangelium tradet, sit anathema. Tantum igitur sentit Augustinus, Ecclesiam Catholicam consentire cum verbo Dei, nec loquitur de omnibus hominibus in Ecclesia, et de omnibus aetatibus. Sed hoc vult, Nullum dogma recipiendum esse, quod nunquam fuit in Ecclesia. Haec regula vera et utilis est [2]). Sed a te cupio audire interpretationem meliorem. Maxime enim pertinet ad Iuris doctorem, intelligere, quid differant autoritas verbi Dei et Ecclesiae, et quatenus Ecclesiae opinionibus tutum sit assentiri. Dixi.

---

**No. 19.** **16. Sept. 1540.**

In Quaestion. p. 37 b. Mel. Consil. P. I. p. 427.

1) Cum verbis *futurum esse* incipit fragmentum autographi.
2) *Haec* — — *est* non leguntur in autogr.

## *Quaestio proposita in Doctoratu Ioachimi Morlini, d. 16. Sept. 1540.*

Non est pueritiae iudicare de publicis institutis, sed inde usque ab incunabulis adsuefaciendi sunt animi ad Legum et publicorum morum reverentiam. Quare causam huius ritus non inquiram, nec me excusabo, cur huc ascenderim. Scitis enim, nos non nostra aliqua temeritate has dicendi partes nobis sumere, sed huc adduci parentum imperio, ut consuetudini serviamus, quae fortassis instituta est, ut nos pueri mirari has pompas, et magnifacere studiorum gradus discamus. Sed minus mirum est, nos interesse his spectaculis, in quibus ornantur ministri Evangelii. Sumus enim non contemnenda pars Ecclesiae Christi. Decet nos in his auspiciis vota facere pro Evangelii doctoribus, Ac vicissim illos, cum nos intuentur, cogitare, de oneris sui magnitudine, ac recordari vocem Christi: Si quis scandalo implicarit unum ex pusillis istis, praestaret eum mergi in imas undas. Haec vox admonet eos, ne doctrinam nobis adulteratam proponant, ne rudes animos a Christo abducant. Haec cura quantam eruditionem, quantam simplicitatem, proprietatem, perspicuitatem requirit? Quis igitur ex vobis tam ferreo est animo, qui intuens in pueros, non simul cogitet de nostris et Ecclesiae periculis, et de tota posteritate? qui non optet, ut nos, qui sumus Ecclesiae seminaria, recte erudiamur? Quare opinor, veteres non sine gravi causa huc adduxisse pueros.

Sed ut serviam consuetudini, propono quaestionem Doctori Ioachimo: *Utrum reditus donati Ecclesiis, ad Evangelii ministros alendos, et ad studia conservanda, eripiendi sint ociosis, impiis, et oppugnantibus Evangelium?*

Ac primum, ne id fiat, grave argumentum est:

Non licet ministris Evangelii, quenquam vi cogere, iuxta illud: Arma nostra non sunt carnalia.

Impii non possunt sine vi excuti ex possessionibus.

Non sunt igitur eis eripiendi Ecclesiarum reditus, quos tenent.

Sed diversum Augustini tempore factum est. Imperator iussit reditus, quos habuerant Ecclesiae Donatistarum, transferri ad Orthodoxos, idque defendit Augustinus recte factum esse. Nam etsi ad ministros Evangelii non pertinet gubernatio opum, tamen magistratus politicus efficere debet,

ut suum quisque teneat. Iam hi reditus non sunt impiorum Canonicorum, sed sunt verae Ecclesiae. Quare Magistratus reddere eos verae Ecclesiae debet, et poenam sumere de impiis, tanquam de praedonibus.

Magna profecto necessitas est, acerrime hanc causam agi. Nisi enim facultates restituantur Ecclesiae, boni pastores et pauperes scholastici fame peribunt, studia extinguentur, deerunt Ecclesiis et Reipublicae literati.

Agite igitur et publicam Ecclesiae causam, et vestram, et fucos illos ab alveolis depellite, qui vastitatem in Ecclesia, quantum in ipsis est, efficere conantur. Circumspicite hunc coetum scholasticorum, quam multa sunt hic ingenia optima, ad virtutem et literas idonea, quae nisi eis Respublica opitulabitur, deserere studia propter inopiam cogentur. His opitulamini, hos ali et iuvari a Magistratibus iussit Deus, et quidem ipsi Canones iubent eis opem ferri ex Ecclesiarum opibus. Sed audiam tuam sententiam. Dixi.

---

**No. 20.** **23. Sept. 1540.**

In Quaestion. p. 89.

***Quaestio de rebus metallicis, recitata a Mag. Iohanne Matthesio, d. 23. Sept. 1540.***

Semper ita sensi, hos coetus et publicos congressus doctissimorum hominum propter honestissimas causas institutos esse, in quibus maxime decet dici aliquid ac audiri ex optimis artibus, quae sunt utiles vitae. Quare etsi mihi ingenii mei imbecillitas nota est, tamen quia consuetudo Scholae nobis has dicendi partes attribuit, duxi obtemperandum esse publico mori, ac malui in me desiderari eruditionem, quam officium, et parendi voluntatem. Scio enim non flagitari a nobis perfectae doctrinae aut eloquentiae specimen, sed instituta est consuetudo exercendorum ingeniorum causa. Quare convenit suo quenque loco operam conferre ad conservandum hunc morem. Vicissim est humanitatis vestrae, ut soletis, nos aequo animo audire.

Et quoniam alius alia de re hic disputat, ego quia diu in locis venarum metallicarum vixi, quaestionem de Metallicis rebus proponere decrevi. Est enim et haec pars Physicae nequaquam contemnenda. Multa naturae miracula Philosophi collegerunt in coelo, aëre, animantibus, plantis animadversa, multa monstrant vestigia divinitatis, sed profecto Metallorum consideratio non cedit illis naturae partibus. Amant haec et mirantur homines utilitatis causa, nec reprehendo hunc affectum, Sic enim et res alias multas suspicimus. Sed tamen est animi bene instituti, non tantum utilitatem cogitare, sed etiam naturas ipsas intueri. Non enim tantum opinione hominum differunt, sed Deus, ut precia discerneret, voluit alia metalla generosiora esse aliis. Mira igitur singulorum est origo, mira sympathia et discordia. Unde testimonium illustre sumi potest, hunc mundum non esse casu ortum. Sunt enim singulorum metallorum certae leges, et certa cum aliis foedera, ut, Argento cum Galena, nam sine hac argentum excoqui non potest. Purgatur optime Aurum argento vivo, cum caetera metalla innatare argento vivo soleant. Aurum ei repugnat, et in eo certamine optime purgatur, ac discedit a purgato argentum vivum, seque ab eo disiungit. Dicas propemodum imaginem esse discordiae inter verbum Dei et humanam sapientiam. Anteferunt Aurum, quia durat in igne, sed opinor, alias etiam multas causas esse, cur sit generosius existimandum. Quia nativum aurum venena prodit, exiliunt enim e poculis aureis Irides, et accedit igneus stridor, quasi auri extrudentis venena. Quam apta similitudo est, significans iis, qui coelesti doctrinae infundunt venena, Deum minari iudicium et ignem? Multa huiusmodi symbola commemorare possem, si liceret huic argumento immorari.

Sed venio ad quaestionem: *Utrum ne sit, quod scribit Plinius, Argentum tantum ex terra seu lapidibus excoquendum esse, nec per sese nasci massas argenteas?*

Verba eius haec sunt, libro 33. Nulla sui spe nascitur, etc. Nullis ut in auro interlucentibus scintillis, terra alia ruffa est, alia cineracea.

Haec verba sic intelligunt nonnulli, quasi Plinius nullas existimet massas argenteas per sese nasci. Addunt amplius, tantum in his Bohemicis montibus reperiri massas argenteas, per sese natas, alibi non reperiri. Quod si ita est, venia danda est Plinio, qui nostras venas non vidit. Sed nos vidimus e Carpato monte allatas candidissimas massas, filis quasi artificis manu distinctis. Narrat Plinius, adeo opulentas fuisse Hispanorum venas, ut Hannibal habuerit ex uno puteo quoti-

die tria millia coronatorum, quae summa in singulos annos efficiebat, ut nostro more loquar, duodecies centum milia coronatorum. Multum hic reditus superat nostrates venas, quarum ubertas nunc celebratissima est. Porro nullas argenteas massas in illis foecundissimis locis natas esse sane mirum esset.

Equidem cum venas huius aetatis confero ad veteres, saepe animum subit admiratio, qui fiat, ut in nulla parte orbis terrarum respondeat haec aetas veterum foecunditati. Olim Phrygia et Lydia immensam vim auri habuerunt, non tantum ex ramentis in Pactolo inventis, sed ex vicinis montibus. Nam quod flumina aurum vehunt, eo fit, quia vicinae sunt venae, e quibus illa arena elabitur, aut certae venae in flumina porriguntur. Quanta autem fuerit ubertas, non tantum ex Regum opibus aestimatur, ut Mydae aut Croesi, sed ex privatis quoque. Scribit enim Herodotus, hominem privatum Pythium donasse Regi Dario Platanum auream, ac vitem auream, ac postea, cum Xerxen hospitio excepisset, interrogatum dixisse, se praeter fundos habere tantum argenti et auri, quod valuit, ut nostro more loquamur, amplius quadringentis tonnis Coronatorum.

Etsi autem mirum est, tantas fuisse opes privati hominis, tamen illud multo magis mirum est, has ei non ademptas esse a Regibus et Satrapis. Nunc enim privatus tantas facultates adversus rapacitatem Regum et Principum tueri non posset. Ergo vicissim terra sua munera nobis denegat, quia Tyranni et alii improbi iustos possessores excutiunt. Postea monetae corruptelis defraudant populum.

Ostendunt veteres libri rationum Metallicarum, etiam Mysnicas venas multo uberiores fuisse, cum videlicet tribus haeredibus Marchionibus trecenta millia aureorum quotannis pendebantur. Nunc velut effoeti montes nequaquam adeo foecundi sunt. Disputent alii, suam quasi senectam esse terrae, et significari huius mundi interitum. Ego magis arbitror, sterilescere terram propter iniustitiam hominum. Sed hac querela omissa redeo ad Plinium, in quo de rebus Metallicis multa obscure scripta sunt. Nam et alia quaestio plurimum negocii facit eruditis, cuius explicatio tamen necessaria est ad cognoscenda vetera pondera, ad Monetae precia. Alibi dicit Plinius, Denarium habere pondus Drachmae Atticae. Libro tricesimo tertio ait, ex Libra tantum octoginta quatuor denarios cudi. At libra continet drachmas centum. Haec non congruunt. Sed si verum est, ex libra 84 denarios cudi, necesse est, drachmae precium minus esse, quam Romani Denarii. Et opinor cum nostris Schreckenbergensibus convenire, si aureus usitatus valebit septem Schreckenbergensibus. Haec audivi erudite disputari a peritis rerum metallicarum. Quanquam autem has quaestiones agitavit vir clarissimus, Georgius Agricola, excellenti eruditione et virtute praeditus, tamen ut mos geratur consuetudini Scholae, defero nunc has utiles quaestiones ad virum doctissimum M. *Paulum Eberum*, ac rogo ut eas explicet. Dixi.

*Responsio M. Pauli Eberi.*

Assentior tibi, mi Mathesi, partem Physices esse non aspernandam, cognitionem originis et naturae Metallorum, eamque doctrinam non solum ad Formicas illas pertinere, quae aurum effodiunt ex montibus, sed etiam ad nos, qui in Scholis naturas rerum inquirimus. Quanquam autem temporis angustia hoc loco non patitur, ut instituamus longam explicationem, tamen et alia re impedior. Haec intelligi non possunt, nisi metallorum officinas etiam videamus, et varietas materiae monstretur. Nemo enim Pyritae et Galenae differentiam imaginari poterit, nisi rebus inspectis.

De posteriore quaestione breviter dicam. Fuit aliquod Atticae drachmae et denarii Romani discrimen, sed perquam exiguum, Ideo Latini pro drachma denarium usitate dicunt.

Testimonia colligere multa possem. Quantum autem lucis accedat historiis et Iuri civili, cognita re nummaria veteri, nemo ignorat. In Lege Lecta, de rebus creditis, quales tenebrae sunt, si quis ignorat veteris rei nummariae computationem? Sed hanc totam disputationem differemus in aliud tempus. Dixi.

---

No. 21. 15. Sept. 1541.

In Quaestion. p. 42. Item in Consil. Mel. P. I. p. 501.

*Quaestio, recitata a Mag. Georgio Burmanno Goldbergensi*, 15. *d. Sept.* 1541.

Quanquam grata est mihi benevolentia praeceptorum, qui mihi hunc locum tribuerunt quadam

reverentia ministerii Evangelici: tamen optarim has partes dicendi aliis in hoc coetu eruditioribus datas esse. Sed ut obtemperem publicae et honestae consuetudini, adfero brevem quaestionem, et vos rogo, ut hanc meam disputationem boni consulatis. Multae et magnae controversiae nunc in Ecclesia motae sunt, in quibus doctissimi homines non eodem modo scripta Apostolica interpretantur, ac in praecipuis materiis dissensio est de scripto et sententia, seu περὶ ῥητοῦ καὶ διανοίας, ut Rhetoricis appellationibus utar. Ut igitur in foro legum interpretatio a Principe vel a Praetore petitur: ita in dissensionibus Ecclesiasticis dicunt a Synodo interpretationem flagitandam esse. Solet igitur quaeri de iudiciis Synodorum, qualis sit potestas interpretandi in Ecclesia, quis habeat eam potestatem, et an errare Synodi possint?

Propono igitur quaestionem: *An, cum sit in Ecclesia potestas interpretandi, praecipue sit haec tribuenda Synodis, et an adfirmandum sit, Synodos legitime coactas, non posse falli?*

Primum autem ostendo, potestatem interpretandae scripturae esse in Ecclesia:

Donum non frustra datur Ecclesiae, sed ut diiudicet et dirimat controversias.
In Ecclesia donum est interpretationes,
Ergo et potestas.

Deinde cum Christus voluerit Ecclesiam sua habere iudicia de doctrina, certe armavit eam potestate aliqua. Quod autem haec potestas praecipue tribuenda sit Synodis, sic ostendo: Promissio facta est non uni aut singulis, sed multis convenientibus, sicut scriptum est: Ubicunque duo aut tres erunt congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Synodus est talis congressus plurium piorum, et praesertim docentium: Ergo potestas illa, quam promissio confirmat, maxime ad Synodum pertinet.

Deinde Christus Ecclesiam voluit esse iudicem, cum ait: Dic Ecclesiae. Et Paulus inquit: Caeteri diiudicent. Quare potestas praecipua est Synodi. Et cum probata consuetudo sit norma et interpres iuris, videamus purioris Ecclesiae morem. In Actis cap. 15. cum dissensio orta esset, de abrogatione legis, mittuntur Legati ad Apostolos. Hi convocant et suum collegium, et exteros seniores, ut inter se de re tanta constituerent. Nec de unius sententia, sed iudicio multorum, re agitata, decretum factum est. Hunc morem postea servarunt illa Ecclesiae lumina, quae represserunt Martionitas, Samosatenum, Arium, et similes. Fatendum est igitur, maiorem esse Synodi autoritatem in interpretatione ambigui, quam unius aut singulorum, Alioqui frustra iussisset Scriptura deferri causas ad multorum iudicia, frustra promissio facta esset pluribus.

Cum autem nominamus Ecclesiam, complectimur non solos Ministros, sed etiam alios pios et doctos: Ita tamen, ut Ministri, qui sunt praecipuus gradus, non excludantur. Absurdum est enim, cogitare Ecclesiam sine ministerio.

Haec cum constituta sunt, in Ecclesia potestatem esse interpretandi ambigua, eamque pertinere ad plures, hoc est, ad Synodos: Sequitur Synodorum sententias amplectendas esse, tanquam certas, et non labefactandas. Frustra enim esset potestas data iudicandi, si liceret perpetuo adversari. Nulla est politia, in qua non sit aliqua vox legum interpres inviolabilis. Si ea maiestas tribuitur imperiis, quia divinitus constituta sunt, et Deus voluit Magistratum hac potestate iudicandi munitum esse: Cur non Ecclesia magis haberet autoritatem inviolabilem, quae longe superat Imperia maiestate? Denique concussa Synodorum autoritate, et refractis his repagulis, quomodo petulantia ingeniorum coërceri poterit? Nullus in Ecclesia seditionum finis erit, si ea, quae vetustas summa gravitate decrevit, cavillari licebit. Multae sunt causae, quae deletis veterum testimoniis magnos possent tumultus excitare, ut quaestio de infantum Baptismo, de Verbo, Ioan. 1. an significet personam, et pleraeque aliae. Valeat igitur in Ecclesia rerum iudicatarum autoritas. Agnoscamus promissiones, quae testantur, piorum congressus et iudicia gubernari divinitus. Discat populus, reverentiam Ecclesiae, et illis piorum doctorum congressibus deberi, qui ingentibus certaminibus defenderunt coelestem doctrinam. Haec sunt utilia tranquillitati communi. Nam ἀναρχία parit aeternas dilacerationes, et vastitatem Ecclesiarum.

Consideremus et exempla Ecclesiarum, quae nunc emendatae sunt. In his iudicia exercentur, quaestiones ad coetus eruditorum deferuntur. Horum sententiis etiam in rebus obscuris auscultant Ecclesiae.

Sed quidam contra disputant. Primum fatentur Ecclesiae mandatum esse, ut iudicia exerceat, sed addunt, traditam esse legem, a qua non

liceat discedere, videlicet scripta Prophetica et Apostolica. Et haec aiunt certa et perspicua esse piis, etiamsi leves et impii cavillari aliqua dicta possint, et soleant. Caeterum negant potestatem interpretandi similem Praetoriae in Ecclesia esse. Donum est in piis, lumen quo cernitur sapientia illa, posita supra conspectum rationis. Id donum non est potestas, praesertim talis, attributa ordinibus, aut certe multitudini. Quia non omnes, qui sunt ex Israël, sunt Israël. Multo minus id donum est Pontificum, qui belligerantur cum Evangelio, Etsi arrogant sibi titulum Ecclesiae, et propter hunc augustum titulum volunt videri ἀναμάρτητοι. Sicut Pontifices et sacerdotes Ieremiae tempore iactabant hanc vocem: Non peribit Lex a Sacerdote. Ita saepe in Ecclesia dominantur impii, ac interim exiguus ac despectus est coetus recte sentientium, Ut inquit Esaias: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, periissemus universi, ut Sodoma et Gomorra. Etsi igitur vera Ecclesia, in qua donum interpretationis et lumen Ecclesiae fulget, recte iudicat, tamen Synodi etiam legitimo more convocatae, non sunt talis Ecclesia. Sed fieri potest, ut plures ibi sint impii, quorum suffragia vincunt. Synodus Syrmiensis rite convocata erat a Constantio, convenerunt Graeci et Latini Episcopi, interfuit disputationi Constantius ipse, refutans Photinum, et aderat vir pius Osias, quaedam etiam pie decreta sunt. Et tamen in praecipua causa flagiciose erratum erat. Symbolum Nicenum fucosa conciliatione depravatum est, cum pro ὁμοουσίῳ insererent ὅμοιον. Vicerant mali, Quare postea pii privatim damnarunt hanc Synodum.

Talia exempla recitari multa possunt, quae ostendunt graves lapsus Synodorum.

Tempore Friderici secundi, Anno Domini 1215., Romae Synodus coacta est ab Innocentio Tertio, quam vocant Generalem. Quia enim Galli tenebant Constantinopolin, facile perfecit Romanus Pontifex, ut Graeci ad Synodum venirent. Aderant igitur et Romani Imperatoris et Constantinopolitani legati. Item quinque Regum legati, Patriarchae duo, Constantinopolitanus et Hierosolymitanus titulo Alexandrini, quem et ipsum Gallum tunc fuisse existimo. Archiepiscopi Graeci et Latini septuaginta. Episcopi quadringenti; et ex Collegiis missi octingenti. Tanta frequentia cum esset, duo Decreta facta sunt, alterum de mutatione panis in Sacramento, alterum de enumeratione delictorum in confessione. Haec cum sine testimoniis scripturae, et contra veterum autoritatem constituta sint, et sint nervi non levium superstitionum, certe res postulat, vocari in quaestionem. Nec propterea vetustis Synodis detrahenda est autoritas. Adsentimur illis propter certa et firma testimonia Apostolicae scripturae, et alia vetera ac probata testimonia.

Cum autem haec quaestio digna sit disputatione Doctorum, et requirat longiorem explicationem, defero eam ad amicum et hospitem meum, M. Christophorum Ionam, et peto, ut diserte singulas partes, tractet, ut simul autoritatem Synodorum muniat, ad cohercendam ingeniorum levitatem, audaciam et petulantiam: Et rursus censuram addat, ne piorum iudicia autoritate iniusta et tyrannica obruantur. Utraque res Ecclesiae exitialis est, Ἀναρχία et Tyrannis. Oremus autem Deum, ut Ecclesiam, quam sanguine Filii sui, liberatoris nostri Iesu Christi, redemit, et sibi tanquam perpetuum templum dedicavit, et regat ipse et excitet idoneos gubernatores, et aliquando pias Synodos restituat. Dixi.

---

No. 22. 6. Feb. 1542.

In Quaestion. p. 45 b sq. Item in Mel. Consil. P. I. p. 525.

*Quaestio, a Vito, Doctoris Viti Winshemii filio, proposita Dom. Doctori Ioanni Machabaeo, Scoto, d. 6. Febr. 1542.*

Nostra aetas obtemperare debet gravissimis iudiciis bonorum et prudentum, et amare publica instituta. Ideo non disputabo de causa, quare in his congressibus Pueri quaestiones proponant. Tantum oro, ut cum ipsi hunc morem probetis, et conservandum ducatis, etiam aequo animo audiatis pueriles naenias. Sed tamen si talibus congressibus adhiberi pueros non est ineptum, magis nobis locus dandus est in coetu Theologico, in quo de religione disseritur, cuius summa et nobis nota esse debet, et Deus infantum mentibus et linguis invocari vult, ac celebrari, ut Psalmus ait: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.

Propono igitur quaestionem: *Quae fuerint initia collegiorum Ecclesiasticorum, an hoc*

*tempore retineant formam primum institutam in Ecclesia?*

Haec quaestio iam agitari solet, cum Episcopi et Canonici, defensuri suum ocium, voluptates, et impios ritus, allegant vetustatis iudicium. Vera igitur antiquitas quaerenda est. Satis constat, Prophetas olim habuisse coetus discipulorum, Eliam, Elisaeum et similes, quibus enarrabant legem Dei, et promissiones divinas, et tradebant historias. Ad haec studia alii alias bonas artes addebant. Hunc morem imitati sunt Iohannes Baptista, et Christus. Ita Duces Ecclesiae semper Scholasticos coetus secum traxerunt. Et consentaneum est, vetustiora esse exempla huius rei. Primos Patres usque ad Moisi aetatem certa sodalitia auditorum habuisse arbitror. Postea institutum est Collegium ad Tabernaculum, haud dubie, ut in ea frequentia traderetur doctrina iunioribus. Ex hac Academia extiterunt magna lumina huius populi, Samuel, Sadoc, et similes. Nec putate tantum propter ceremonias eos coetus coactos esse. Non erat ociosa turba, sed doctrinae studiis dedita. Nec adolescentes tantum aut viri ibi erudiebantur. Erant et mulierum ac Puellarum scholae, ibi Elizabeth, Anna, Maria; una philosophatae sunt. Interdum autem instaurandae doctrinae causa Deus excitavit Prophetas, qui peculiares Scholas habebant. Ita Iohannem et Christum agmina certa discipulorum sequebantur. Cum autem Apostoli constituissent Ecclesias, passim et ipsi tales Scholas adiunxerunt. Fuerunt igitur Alexandriae et alibi frequentes Scholae, quarum duo fuerunt officia. Doctrinam propagare, et exercere iudicia Ecclesiae.

Talia fuisse Collegia initio et in Germanicis civitatibus, non dubium est. Statim enim post Apostolos Deus et hanc nationem ad Evangelium vocavit. Argentinae docuit Maternus, Petri auditor, Lucius Cyrenaeus in Augusta Tiberia, quae nunc est Regensburgk, Crescens Moguntiae, Clemens Meti, Marcus Pauli comes in Passau, Trophimus Arelati. Sed postea Vandalis et Hunnis omnia vastantibus, studia doctrinae extincta sunt. Et peregrinae nationes ignarae religionis deleverunt Ecclesias, quae post Gregorium instauratae sunt, cum iam superstitiones multae in Ecclesiam irrupissent. Quanquam autem haec recentia Collegia constituta a Carolo, Henrico, Otthone, aliquid habebant errorum initio, tamen postea plus viciorum accessit. Ideo nequaquam ad Apostolorum exempla conveniunt, et emendatione opus habent. Sed de hac re audiuam dominum Doctorem *Machabaeum.*

---

No. 23. an. 1543.

In Quaestion p. 47 sq. — Apographon in cod. Mon. 88. no. IV. p. 331.

***Quaestio de Caleno, recitata d. 5. Febr. 1543. cum decerneretur gradus Doctorum in utroque iure Dom. Christiano Pontano.***

Non est nostrae aetatis disputare, quo consilio huc adducantur pueri, ut publice recitent aliquam eruditam quaestionem. Sed in hac infirmitate aetatis praecipua laus est obedientiae. Quare etsi spero vos mihi veniam dare, quod iussus in hunc locum prodii, tamen sicut modesta ingenia decet, id vos orandos esse duxi. Fortassis autem ideo huc adducimur, ut in his spectaculis admirari honores studiorum discamus, et ad literarum amorem accendamur. Et ut quaestio intelligi possit, quam recitabo, prius quaedam narranda sunt.

Cum Antonius et Octavius ad Mutinam certis pactionibus se coniunxissent, ac foedus inter se fecissent, Romam redierunt, ubi rapta dominatione, edicta proscriptionis adversus inimicos suos proposuerunt, suntque statim initio interfecti M. Cicero, L. Caesar, et alii nobiles viri. Fuit autem inter proscriptos et Varro, qui propter nobilitatem, aetatem, eruditionem inter praecipuos Senatores erat. Hunc alius quidam Senator Fusius Calenus Antonii amicus, qui semper in Senatu fuerat hortator, ut mediocribus conditionibus pax inter cives fieret, in aedes suas clam recepit, et aliquot menses abdidit, non deterritus Antonii victoris vel iracundia vel edicto. Hoc tempore cum alii expulsi passim necarentur, saepe Antonius in Caleni domum venit, ut apud amicum convivaretur. Et tamen Varro ibi tuto latebat. Tandem cum videret Calenus, saevitiam proscriptionis mitigatam esse, et factum Antonium placabiliorem, deprecatur pro Varrone, et fatetur a se interim occultatum esse. Laudat Antonius Caleni fidem, etiamsi contra edictum pro-

scriptionis fecerat, et Varroni vitam donat, eumque in pristinam dignitatem restituit.

*Hic disputari potest, an licuerit Calenum poena afficere, quod contra edictum proscriptionis fecit?*

Et Calenum non recte fecisse inde quidam raciocinantur: Receptator puniendus est. Calenus videtur fuisse receptator. Nam edictum proscriptionis erat publicatum, et belli causa in utraque parte, ut saepe fit, aliquid habuerat, quod probabile videri poterat. Certe Calenus non improbabat causam Antonii. Quare non recte fecit, cum hostem Antonii, et quidem amici texit[1]).

Sed contra disseritur[2]): sanguinis necessitudines habent excusationem in tali casu, ac licet cognato hospitio excipere cognatum, praesertim in causa dubia. Par est autem ratio de cognatis et amicis. Quare honeste fecit Calenus, quod suo magno periculi amici vitam servavit, cum eum in aedibus suis abdidit. Multa enim incidunt tempora, ubi contra amici iracundiam amicus alius tegendus est. Et illud astute magis quam vere dicitur: Ne sis inter duos amicos iudex. Praeclare P. Scipio, qui fratri suffragatus est contra Lelium, qui ei benevolentia, et omnibus officiis coniunctior erat quam frater. Dat veniam et Lex in Digestis affini, vel cognato recipienti latronem. Ideo Cimonis asperitas reprehenditur, qui curavit occidi Epicraten, quod Themistocli exulanti misit uxorem et[3]) liberos. Nihil enim fecit contra Rempub. etiamsi damnato ad exilium[4]) coniugem et parvos liberos misit. Sed de his quaestionibus tuum iudicium audire cupio, quas quidem explicatione dignas esse iudico, quia continent disputationem vitae utilem, ubi privata amicitia publicis edictis anteferenda sit, aut contra, ubi propter publica edicta, privatae necessitudines negligendae. Dixi.

---

**No. 24.** **20. Febr. 1543.**

In Quaestion. p. 48 b sq. — Item in Mel. Consil. P. I. p. 527. Apographa in cod. Mehn. II. p. 207. et in cod. Monac. 88. no. IV. p. 332 b.

1) *texit*] Eber. *exit*.
2) Cod. Mon. *disserunt*.
3) Eber. *ex* pro *et*, ex mendo.
4) *damnato ad exil.*] cod. Mon. *exulanti*.

***Quaestio, a Vito, Doct. Viti Winshemii filio, proposita M. Ioanni Marpachio Lindoensi, cum renunciaretur Doctor Theologiae. Anno 1543. die 20. Febr.***

Scio aetatem nostram non esse idoneam ad dicendum in gravissimis congressibus seniorum, nec adhibemur in deliberationibus. Sed quod in his spectaculis aliquas esse nostras partes vetustas voluit, duae fortassis causae sunt: Altera ut ipsi honores studiorum hic imitari[1]) dicamus, altera, ut in templo vobiscum Deum oremus, ut Doctorum ac discentium mentes ac labores gubernet. Hae causae praecipue valere debent, ut in his congressibus Theologicis adhibeamur. Plurimum enim nostra refert, adsuefieri nos a teneris ad Evangelii amorem, sicut inquit Christus: Sinite parvulos ad me venire.

Deinde nos quidem ante omnia quotidie hoc precari decet, ut Deus literarum propagationem, honestas scholas et earum hospitia defendat et servet.

Quare et ego publica voce et toto pectore Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut hanc Ecclesiam nostram et Scholam, quae ei, ut Levitica tribus Tabernaculo, adiuncta est, regat et servet.

Ut autem usitatae consuetudini obtemperem, propono quaestionem, dignam consideratione doctorum, et in Synodo Basiliensi acerrime agitatam: *An in Synodo, in iudiciis dogmatum, soli Episcopi habeant suffragationem decisivam, ut vocant?*

Ac solos Episcopos habere hanc autoritatem, videtur ex hoc argumento, quod in Synodo Chalcedonensi scriptum est: Synodum esse Episcoporum, non Clericorum. Non igitur concedit suffragationem caeteris, praeter Episcopos. Deinde ut maxime concedatur suffragatio non solis Episcopis, sed etiam caeteris Sacerdotibus, tamen Laicos excludendos esse contendunt, Quia receptum est, iudicia non esse confundenda, sed causas prophanas relinquendas esse Magistratibus, qui imperia gubernant, Ecclesiasticas vero definiendas esse per Episcopos et Sacerdotes, quia his cura doctrinae commendata est, sicut scriptum est apud Malachiam: Ex ore Sacerdotis requiram

1) Cod. Mon. *mirari*.

Legem. Ac multa possunt citari in hanc sententiam, de vitanda confusione iudiciorum.

Sed contra argumentantur alii: Summum iudicium est[2]) Ecclesiae, quae constat non tantum ex Doctoribus, sed etiam ex reliquo caetu. Ideoque promissio veritatis ad universam Ecclesiam pertinet, non ad unum ordinem. Sunt igitur legendi iudices, non tantum Episcopi, nec tantum Sacerdotes, sed et Laici, qui propter honestos mores, gravitatem et eruditionem censentur idonei. Ac de Sacerdotibus exempla manifesta sunt. Extat hodie Synodi Ephesinae liber, in quo sunt subscriptiones[3]) Praesbyterorum et Diaconorum. Extat et concilium Toletanum, quod iubet ordine suffragari Episcopos, Praesbyteros et Diaconos. In synodo Antiochena refutatione et suffragio suo condemnavit Samosatenum Diaconus Malchion. In Nicena Arrium Athanasius, nondum Episcopus.

Sed de Laicis exempla quaeruntur. Constantinum narrat historia disputasse, et sua subscriptione damnasse Arrium. Interfuit et Martianus Imperator Synodo Chalcedonensi, et extant eius verba, quae dicunt, in causis fideico gnoscendis etiam Laicos adhibendos esse. Et in Actis Apostoli adhibent Seniores, qui certe erant Laici, imo in Decreto praefigunt Apostoli, Seniores et Fratres. Postremo Paulus inquit de his iudiciis: Si fuerit sedenti revelatum, taceat prior, volo omnes ordine dicere sententias. Denique cum summum sit Ecclesiae iudicium, quae constat ex Doctoribus et reliquo caetu, necesse est, et utroque iudices legi. Cum autem prosit tenere explicatam hanc quaestionem, peto ut de ea copiosius disseras. Dixi.

---

**No. 25.** (an. 1543.)

In Quaestion. p. 50 sq. Item in Select. Declam. T. IV. p. 828. Richard. T. II. p. 600.

2) Cod. Mon. *relinquendum est.*

3) Cod. Mon. *subscr. episcoporum.*

***Quaestio, an iuste absolutus sit Anaxilaus, dedens Bizantium, cum videret cives, mulieres, infantes fame perire?***

*Responsio M. Pauli Eberi.*

Cum vagentur poenae per genus humanum, Ecclesia adsidue petit mitigationem, ut Propheta inquit: In iudicio me castiga, ne in nihilum redigar. Et: Libera me a sanguinibus, id est, a tragicis suppliciis, qualis exitus fuit Saulis aut Iudae. Praecipue vero petit Ecclesia mentes Regi, ne propriis furoribus accersant maiores calamitates, sicut saepe magnitudo dolorum adfert furores. Et sapienter ab Ennio dictum est: Aeger animus semper errat. Ac ut nunc alia multa exempla omittam, tantum de Monasteriensi furore dicam.

Cum Anabaptistae urbem tenerent, et propter obsidionem, quae iam circiter biennium duraverat, multi iam fame morerentur, tamen tanta fuit pertinacia, ut deditionem facere nollent. Ac similia exempla multa leguntur. Polybius scribit, in bello Aphricano seditiosos ad Tunetum, cum eorum castra ab Amilcare obsiderentur, consumptis pecudibus, postea homines captivos et servos mandere ausos esse. Et propter atrocitatem rei addit Polybius Epiphonema de causa, *τοῦ δαιμονίου τὴν οἰκείαν ἀμοιβὴν αὐτοῖς ἐπιφέροντος τῇ πρὸς τοὺς πέλας ἀσεβείᾳ καὶ παρανομίᾳ.*

Quanquam autem talis pertinacia manifestus furor est, tamen laudantur haec exempla a Tyrannis aut aliis natura saevis, et ornantur constantiae nomine, quae est virtus, et est non in scelere, sed in re iusta et necessaria perseverantia. Quod autem dicitur, Fidem in defensione oppidorum necessariam esse, id verum est, donec defensio possibilis est, sine scelere. Sed cum atrocius grassantur defensores quam hostes, et gerunt bella cum miseris pueris et matribus, quibus irati victores etiam parcunt, haec iam non defensio, sed crudelitas et rabies est. Habent officia belli suas metas, lege divina et lege naturae sancitas. Recte Scipio, qui non voluit alterius sponsam attingere, et huius suae virtutis fructum tulit. Deus enim flexit et casto imperatori ultro se dederent. Cum Rex Alfonsus obsideret Caietam, et ex oppido imbellis multitudo mulierum et puerorum emissa esset, quidam suaserunt, ut postularet dedi oppidum, hac conditione, nisi

dederent, se turbam illam mulierum et puerorum interfecturum esse. Ibi sapiens Rex respondit: Mihi vero ne quidem universum regnum Neapolitanum tanti est, ut tali crudelitatis specie vincere velim. Ac mox dedit mandata, ut illi multitudini parceretur, et iussit eam in vicinis oppidis hospitaliter excipi. Vicit haec admiratio iusticiae defensores oppidi, patres, maritos, cognatos illius turbae, cum lacrymantes de moenibus spectarent hoc agmen, et intelligerent Regis iusticiam, ac statim facta est deditio. Haec belli iura consideravit Sparta, cum absolvit Anaxilaum, qui publice accusatus fuit, quod Bizantii deditionem fecisset.

Cum enim iudices audirent, eum non fraude fecisse deditionem, sed motum tristi spectaculo multorum fame morientium, pronunciarunt eum iuste fecisse, quia tantisper defensione utendum sit, donec bellum est cum hostibus, non cum civibus, et cum natura hominum. Etsi igitur Persici Reges *Bogen* laudarunt, et posteris praemia tribuerunt, quod urbem, cui praefuerat, maluisset incendere, et in ea universam multitudinem hominem et sese flammis perdere, quam facere deditionem, tamen Spartani iudicii sententia honestior est. Dixi.

---

No. 26. 31. Ian. 1544.

In Quaestion. p. 51 b sq. et in Consil. Mel. P. I. p. 577.

***Quaestio, recitata a Mag. Sigismundo Geloo, Ungaro, d. 31. Ianuar. 1544.***

Non ingenii aut doctrinae fiducia, has mihi dicendi partes sumo, sed ut honestissimis Academiae legibus obtemperem. Ac prorsus ita sentio, hoc ipsum officium, videlicet, honestis legibus parere, quae prosunt studiis, longe maius decus esse, quam vel Pericleam eloquentiam. Erit igitur humanitatis vestrae, vicissim hoc officium probare, et orationem boni consulere.

Proponam igitur quaestionem veterem, et agitatam a duobus doctissimis viris, Moscopulo et Philelpho, *De particula*: πρὸς τὸν θεὸν. *Et verbum erat apud Deum.* Sunt et alia in illo ipso exordio Ioannis, quae sine erudita Grammatica non possunt explicari, quod eo dico ut adolescentes haec communia linguarum studia magis ament, quarum cognitio certe lucem multis gravissimis materiis adfert. Viderunt Moscopulus et Philelphus, πρὸς cum Accusativo non esse apud, sed cum Dativo, ut πρὸς ταῖς πύλαις, iuxta portas, apud Thucydidem. Et semper ita Graeci loquuntur. Semper etiam cum Accusativo intelligunt *Ad*. Et quidem saepe de colloquio usurpant, ut Xenophon: διαλέγομαι πρός σε. Et Thucydides: λόγους ἐποιοῦντο πρὸς τοὺς στρατηγούς. Moscopulus igitur quaerit, de loco Ioannis, quid sit πρὸς τὸν θεὸν. Et interpretatur, secundum Deum. Ac Iohannem sic loquutum esse, existimat, ut significaret, λόγον esse imaginem aeterni patris. Nam saepe *Πρὸς* cum accusativo significat convenienter, et apud Isocratem, dare praemia πρὸς τὸ προσῆκον. Et apud Aristotelem: Civitas situm habeat πρὸς αὐτὴν, id est, convenientem, pro κατὰ. Non vitupero equidem hanc Moscopuli interpretationem, imo diligentiam laudo, quod cum videret in Syntaxi latere aliquid arcani, quaerendam esse certam significationem censuit.

Philelphum plane reiicio, qui duas corruptelas in hoc textu comminiscitur. Mavult *Λόγον* verti rationem, et πρὸς interpretatur penes. Et verbum erat penes Deum, id est, in potestate Dei, ut dicimus: Liber est penes me, id est, in potestate mea. Non interpretationem hanc admitto, et vitupero audaciam. Constat enim, Iohannem intueri primum caput Moysi, de Deo loquente. Non igitur Rationem, sed Sermonem seu verbum voluit intelligi, cum ait: In principio erat λόγος. Et de Persona magis congruit *Apud*, quam *Penes*. Nec usquam Graecis πρὸς significat idem, quod *penes*, quod per ἐπὶ reddi potest. Sed horum iudicia repetenti in mentem venit, non corrumpi sententiam Iohannis, sed illustrari, si communem Graecae linguae consuetudinem sequamur, ac intelligamus, *καὶ Λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν*, Et sermo erat ad Deum. Haec interpretatio et Personas discernit, et non ociosam sententiam continet, sed deliberationem et colloquium significat. Se adspiciens Pater aeternus, ac sese considerans, ac secum loquens, gignit sui imaginem. Est igitur ad Deum sermo. Haec illustrius significantur particula *Ad*, quam particula *Apud*. Neque tamen in lectione usitata quicquam muto, totamque hanc disputationem, ad eruditorum iudicia et censuram defero. Nec alio consilio haec recensui, nisi ut ostenderem,

prodesse cognitionem linguarum ad quaerendas illas illustres et simplices sententias. Ac saepe in minutis particulis magnam vim esse constat, quod velim cogitare adolescentes, et haec studia linguarum diligentius colere, et se amandam proprietatem in interpretando adsuefacere. Defero autem hanc quaestionem in praesentia ad virum doctissimum, M. *Vitum Winshemium*, amicum meum, et rogo, ut eam seu hoc tempore seu alio explicet. Dixi.

---

No. 27. 4. Sept. 1544.

In Quaestion. p. 53 sq. Item in Select. Decl. T. IV. p. 809. Richard. I. p. 445.

***Quaestio de discrimine annorum apud diversas gentes, et eorum commoditate, proposita a M. Sebastiano Theodorico Winshemio, an. 1544. d. 4. Sept.***

Non ad inanem ostentationem haec dicendi consuetudo instituta est, nec ludi tantum pueriles sunt haec scholastica spectacula, sed exercitia utilia studiis. Ideo et venire gravissimos viros in hunc consessum arbitror, ne mores utiliter instituti aboleantur. Quare et nos adolescentes obtemperare consuetudini decet, quae aliis necessitatem dicendi imponit, alios iubet placide audire. Haec me causa cum aliquid in hoc honestissimo consessu dicere cogat, quaeso ne me impudentia mihi sumpsisse has partes existimetis, sed officio adductum esse ad dicendum, ut autoritati Praeceptorum et consuetudini morem geram. Alias autem de aliis materiis disseritur, et cum haec nostra Philosophica studia servire Ecclesiae debeant, non intempestivum est, hic recitare quaestiones, quae aliquid lucis adferunt scriptis Propheticis.

Passim legitur dissimilia fuisse spacia annorum, apud diversas gentes. Arcadum annos Trimestres fuisse narrant. Romuli anno decem tantum menses tribuunt. Leguntur et alia absurdiora. Haec etsi omnia fabulosa esse arbitror, tamen concedamus sane, aliquas ineruditas gentes oblitas esse doctrinam de anno, traditam a primis Patribus: Tamen illud certum est, Patres, qui Ecclesiae gubernatores fuerunt, annum vocare solitos, cursum Solis ab aequinoctio Verno ad eius aequinoctii metam reversi. Et id spacium distribuisse in duodecim menses Lunares, quibus attribuerunt Epactas. Hoc ita esse historia Nohae testatur, in qua mensium ordo recensetur ita, ut appareat duodecim mensibus exactis, annum completum esse. Nec arbitror sine certo consilio, ita scriptam esse annotationem mensium et dierum, quibus Nohe fuit in Arca, ut duodecim Menses dicantur completi, et insuper addantur dies decem. Significatum est enim, Nohe integrum solis annum complesse in Arca, cum duodecim menses Lunares ibi peregerit, et epactas decem. Sit igitur certa haec sententia, semper apud eruditas gentes anni spacium fuisse duodecim menses Lunares, et epactas aliquas, quas alii magis, alii minus considerate duodecim mensibus addiderunt. Sed illud constat, initia anni de industria variata esse. Certum est, Moisi initium anni esse a verno aequinoctio, hoc est, a novilunio, quod proximum fuit aequinoctio seu praecedens seu sequens, ita tamen, ut plenilunii dies sequeretur aequinoctium. Et eundem morem fuisse Aegyptiorum, ait Simplicius. Asia fortassis studio quodam dissentienti inchoavit annum ab aequinoctio autumnali. Id quoque Iudaei recentes nominant anni initium. Cumque ignorent, se a vicinis, quibus post dispersionem permixti fuerunt, hunc morem accepisse, se putant autores esse, et quaerunt ex lege testimonia, sed secus intellecta. Rursus ab Aegyptiis et Asiaticis variarunt Graeci, quibus anni initium fuit a solstitio aestivo. Unde fuerit studium variandi, nescio, sed tamen Latini a Graeca consuetudine discesserunt, et annum a solstitio hyberno inchoarunt. Haec varietas consideratione digna est, et lucem historiis Ecclesiae, et aliarum gentium adfert. Et diligentia in anni descriptione cognoscenda et retinenda, valde necessaria est. Vult enim Deus nos scire mundum coepisse, vult animis retro legi omnia Ecclesiae tempora, vult seriem historiarum conspici. Horum nihil fieri posset, si anni descriptio certa nulla teneretur. Quare haec studia amanda et colenda sunt. Cum autem multae sint in hac re quaestiones, quomodo congruant duodecim menses Lunares ad Solis cursum? Quid differat annus Iulianus, quo nunc utimur, a vetere Mosaico? Et quae ratio sit expeditior? Quaestionem hanc ad doctissimum virum M. Erasmum Reinhold Salveldensem defero, et peto explicationem, cur utilior et ex-

peditior sit ratio Iuliani anni, quam Mosaici? Iulianus habet certum initii diem in Calendario, Mosaicus certum initii diem non habebat, sed variabatur, ut novilunium proximum aequinoctio. Vagabantur et menses, ita, ut ex aestivis pene hyberni fierent. Caeterum Mosaicus oculos in coelum rapiebat, iubebat attentius aspici non modo Lunam, sed etiam aequinoctii tempus, qua in re mira fuit solertia veterum in observatione umbrarum et lucis, quam diligentiam minuit in populo annus Iulianus. Sed te rogo doctissime praeceptor, ut haec copiosius explices.

*Responsio M. Erasmi Reinholdt, Salveldensis* *).

Est omnino diligentia eruditio homine digna, antiquas, interque sese discrepantes, et usu anni Iuliani obscuratas, anni rationes considerare, quas aliae gentes alias, postquam a primis sanctorum Patrum vestigiis discesserant, abiecta doctrinae divinitus traditae professione, excogitarunt atque usurparunt, vel quod novis delectarentur atque ingeniosis inventis, in ea praesertim naturae parte, quae longius a conspectu seposita nostro atque seclusa, minus perspici a quovis et pervestigari potest. Vel potius cum religioni primae et antiquissimae impellente diabolo, contraria omnia statuerent, ut anni quoque rationem variatam institutis suis accommodarent, ne quid mutuati a populo Dei, et retinuisse ex praescripto Dei et dispensatione viderentur. Nec parum haec ipsa animadversio collatioque et discretio, lucis adfert annotatis historiarum.

Prima citra controversiam et vetustissima est anni descriptio, notatioque quam populo Deus ipse suo magna sapientia in dies festos et profestos ex ordine et lege motuum coelestium distributam tradidit; eaque seriem temporum aequabiliter distingui et numerari voluit. Congruebat autem ad luminis utriusque solis lunaeque circuitus et conversiones. Inchoabat annum populus Dei ab eo interlunio, quod vernum aequinoctium consequebatur, et de Lunae tanquam magistrae indicationibus, de circumvolutionibus eius, congressibus cum Sole, recessibus ab eo, constitutionibus ex diametro, inde continua serie, ceu siventia tempora in septimanas dirimebat, cum exercitiis sacris, ceremoniarum tractationibus, et solennium celebrationi festorum, tum operis domesticis aptissime congruentes. Ea in re sapientia expendatur autoris.

Ut Solem Deus conditor annui spacii gratissimas vices, quas ὥρας Graeci vocant, efficere ac temperare, et diurna nocturnaque variare spacia, collustratis et completis luce sua terrae partibus sibi obversis, reliquis a sese aversis opacatis: Sic de Solis cursu atque circumactu metas annorum constitui et definiri, eaque intervalla, quae quibusvis duabus proximis Solis ad idem punctum aequinoctii verni restitutionibus intercederent, designari observarique tantum veros iusti spacii annui limites voluit. His intervallis, ut quae, quanquam mutarentur, nunquam fallerent tamen, nec tractu progressuque temporis errorem parerent aliquem, aut confusionem, seriem annorum proprie discrevit Deus.

Rursus cum Soli Lunam alligasset ea lege, ut ea solis splendore et lumine ceu recreata, toto Zodiaco, menstruo spacio, obito ac peragrato, hausti luminis usuram terris redderet, repetitis iisdem eadem lege vicibus continuo: de Lunae cursu annua intervalla in certos velut fissa digessit articulos, vitae et actionibus populi convenientes. Cumque septimanarum distributio pulchre ad Lunae φάσεις quadraret, quae primis a coitu diebus curvatur in cornua, septimo dimidium profert orbem, decimoquarto vel circiter, pleno orbe effulget: non ipsum aequinoctii diem, sed illud quod proxime succederet interlunium anno principium praebere voluit, ut illa variatione menstrua effigierum, Luna septimanarum velut articulos intersepiret et designaret.

Veruntamen ne hoc ipsum anni principium incertis oberraret sedibus, et quatuor anni cardines pervagaretur, quod accidisset, si a solo Lunae motu dependisset, ut caeteris gentibus usu venit, inde, quod Lunae duodecim conversiones a Solis periodo deficiunt, dieb. 10. hor. 21. scrupulis primis 11. secundis 16. tertiis 48. tredecim eandem superant: diebus 18. horis 15. scrupulis primis 45. Idcirco metas circumdedit, quibus id ad aequinoctium vernum tanquam certum et conspicuum, minimeque tam subito varians principium astrinxit, quo admonerentur, ut de certis praestitutisque Solis circumvolutionibus spacia periodica distinguerent. Eadem rursus de Lunae circuitibus ad usus publicos convenienter

*) In Declam. *Responsio Caspari Peuceri.*

partirentur, etsi quid deesset a periodi solaris perfectione, quod collatio ostendebat, explerent. Hinc apud gentes reliquas, quibus in usu fuerunt Lunares anni, dierum τῶν ἐπακτῶν καὶ ὑπερβαινουσῶν origo. Omnino igitur rationem anni veteris in populo Dei ex utriusque luminis cursibus deductam fuisse, atque compositam existimo, ita ut quanquam menses de Lunae indicationibus distribuerint, periodos tamen integras solis ad aequinoctii punctum reditu, definierint, et secundum has periodos annos numerarint. Cur enim ceu gemina praefixisset initia? Et quidem cur alterum, quod in diem aequinoctii collocavit, praemisisset alteri Deus, si non ad Solis cursum revocari et redigi annorum periodos voluisset?

Hanc ab aequinoctio verno anni inchoationem et dimensionem, ut antiquissimam, commodissimam, et certissimam Artifices post omnium temporum sequuti sunt, et retinuerunt. Sed cum ea intervalla, quae reductionem Solis ad idem aequinoctii punctum metirentur, variare deprehendissent, inde, quod inaequali motu in praecedentia aequinoctiorum puncta proreptarent antevertendo stellas inerrantes, Solque in motu annuo ἀνομαλίαν prae se ferret non exiguam, et mutarentur tum imarum summarumque absidum Solis, seu apogaei et perigaei sedes, tum ἐκκεντρότης orbis, cuius motu Sol circumveheretur, duo diversa initia aestimationi et dinumerationi annorum praefinierunt, unum punctum aequinoctii verni, alterum inerrantium stellarum aliquam, utpote primam stellam ἀστερισμοῦ Arietis octavae Sphaerae, vocaruntque Annum, Sidereum, spacium temporis, quo Sol ad eandem stellam inerrantem orbis sui conversione revolveretur. Quod spacium compererunt observationibus complecti 365 dies, 15. scrupula prima, 24. secunda, 10. tertia: seu horas aequinoctiales sex, scrupula prima novem, secunda 40. fere: et vix multis annis decursis atque exactis aliquantulum variare, et eam tamen variationem exigui esse momenti. Τροπικὸν vero, vel χρονικὸν ἐνιαυτὸν φαινόμενον, vertentem vel temporalem, vel naturalem annum apparentem nominarunt eum, quem antea diximus Solis per Zodiacum decursu, reversioneque ad idem aequinoctii punctum describi et comprehendi mutationesque non contemnendas propemodum annuatim perpeti, hoc est, prorogari alias, alias decurtari, ad eum tamen modum, ne ultra diei quadrantem supra trecentos sexagintaquinque dies extendatur. Nec dubito, huius anni observationem, usum, adeoque totam rationem a primis primo manasse Patribus, et exemplo Patrum ab artificibus postea magna cura semper conservatam fuisse, ut veris et iustis spaciis series temporum divisa propagaretur ad posteros, Astronomicae doctrinae causa, cui ad observationum collationem, (quarum certitudine veritas doctrinae nititur) exquisita annorum praeteritorum dimensio maxime necessaria est. Caeterae gentes vero antiquam hanc patribus usitatam anni notationem et distributionem pleraeque mutilarunt ac depravarunt. Constituerunt aliae alia initia, Graeci τροπὰς θερινάς. Romani Brumam, autumnale aequinoctium Asiatici anni principium fecerunt. Aegyptii et Babylonii, quanquam principio cum populo Dei convenerunt: tamen reliquam totam rationem mutarunt. Quippe ex solarium tantum motuum periodo annum divariatum conflatumque, et eum quidem aequabilem, ac trecentorum sexagintaquinque dierum integrorum numero comprehensum in usu habuerunt. Eos qui annuatim redundant quadrantes, non illis ad quos pertinent, annis vertentibus accensuerunt, nec quarto quovis anno exacto in unum collegerunt diem, sed post circumactas 1460 tales periodos annuas, in unum coniunxerunt annum totidem diebus definitum. Vocaruntque hanc 1461 periodum Graeci κυνικὸν ἐνιαυτὸν, a Cane, qui exoriebatur cum Sole die Solstitii, quo tempore Olympiades institutae sunt, a quarum initio usque ad anni Iuliani instaurationem dimidium anni κυνικοῦ praeterierat. Et distribuerunt hunc annum aequalem in duodecim aequales menses, in quos singulos triginta retulerunt dies, superfluos quinque anni termino ante mensem Thoth annumeraverunt. Meminit horum mensium in Solonis historia Herodotus. Quanquam autem congruens inter inter se perpetuo dierum anni numerus, ut ingeniose cogitatus, sic notationibus temporum, et in primis condendis motuum coelestium canonibus accommodatus fuit, cuius rei studium apud Aegyptios praecipue viguit: tamen in aequinoctiorum et solstitiorum continua velut migratione et oberratione aliquid fuit incommodi. Omnes enim anni menses haec momenta perreptabant, quarto quovis anno nova migratione ad insequentem traducta diem, post ante definitam periodum pristinas demum sedes recuperabant.

Graeci Lunares tantum annos usurparunt, quos solaribus adaequarunt, alias alia ratione insertis; annumeratisve iis diebus, qui deerant, quo aequinoctiorum puncta, quae illo dierum a periodis solaribus defectu sedibus eiecta suis longius annuatim a principio dimovebantur, (ea inquam) quo retractu restituerent suis locis, a Leostrato Tenedio ὀκτοετήριδα habebant, cuius instituti ea fuit ratio, ut cum ad annos octo, tres menses adiungerentur, praeter eum diem, quem cuivis Olympiadi adiicere consueverant, redirent propemodum ad easdem sedes aequinoctia. Menses ἐμβόλιμοι vocabantur. Annorum vero octo, qui duas constituebant Olympiades, priores quinque, duodecim menses, seu 354 dies, reliqui tres tredecim seu 384 habebant dies.

Post secutus Meton, cum accuratius exploratis et collatis motibus, errorem in octoeteride animadvertisset, et 19 annis solaribus menses Synodicos 235 compleri percepisset, octoeteride abolita, ἐννεαδεκατήριδα proposuit circa 87. Olympiadem, qua ad novemdecim annos Lunares septem mensibus accommodatis, quorum sex triginta constarent diebus, septimus uno minus, praeter eum diem, qui ad quamquam Olympiadem ex instituto veteri accedebat, adeo prope hos ipsos solaribus exaequavit, ut non multo plus hora una et triente deficerent. Etenim 235 Menses, dies continent 6939, horas 18. Post Meronem Calippus quatuor ἐννεαδεκατήριδας complexus, eam periodum a se Calippicam nominavit, quam a sexto ante Alexandri obitum anno inchoavit, quod eo Babylonem Alexander coepisset.

Romanis ante Iulium Lunares anni, Graecorum more, in usu fuerunt. Iulius Aegyptio et Graeco collatis, ex utroque examinato, et adsumptis ex utroque, quae suo convenire instituto visa sunt, annum conflavit Iulianum nuncupatum, quem 365 diebus, et quadrante definitum ad Solis cursum direxit. Eo adhuc hodie utitur Christianus orbis totus.

His de differentiis annorum praemissis, venio ad quaestionem. Utriusque anni, et Iudaici veteris et Iuliani rationem valde probo. Nec fuit incertum Iudaici anni initium, cum ad aequinoctii verni momentum fuerit alligatum, sed excitavit atque erexit animos ad contemplationem et notationem accuratam coelestium motuum, et diligentem verarum anni metarum designationem. Necessaria fuit aequinoctii observatio animadversioque, ut de interlunio sequenti constitui posset, et pertinebat ea cura ad Sacerdotes. Habuit autem hoc commodi annus Iudaicus, quod luminis utriusque motus complexus est periodicos, et ex utriusque conversionibus deducta annua spacia, solaribus, quae ex reditu Solis ad aequinoctium aestimabantur, ut dixi, seriem temporum, lunaribus, menses, operasque sacras, et oeconomicas distribuebant, quas magna sapientia in illo populo Deus digesserat in certa tempora.

Iuliani anni ratio, quod facilis, expedita, et apte constituta ac distributa est, imperitorum medetur insciciae, et curam inspiciendi, perquirendique syderum cursus, atque attentionem in animis reddit segniorem ac frigidiorem. Verum cum naturalis anni magnitudinem, quam Israelitae sollicite scrutabantur et notabant, superet, factum est, ut aequinoctiorum et solsticiorum tempora retroacta longo intervallo pristinas sedes praecurrerint, quae ut revocarentur ac restituerentur, anni ratione emendata, Monarchis exemplo Iulii Caesaris cura esse debebat. Est vero anni Iuliani ratio in hac temporum barbarie, hac morum pravitate, et hominum segnitie atque socordia eo potior et commodior, quod anni metas utcunque, nec usque adeo multum differenti ab observationibus discrimine, circumscribit, quae si novis annuatim notationibus explorandae essent, vix unquam recte constituerentur, sequereturque foeda temporum confusio. Vix unus enim et item alter in tanto reperitur hominum numero, quem tangat aut adficiat cura iuvandi, conservandi, et propagandi veram de Astrorum motibus doctrinam. Plurimi autem ut minime necessariam contemnunt, rident, et explodunt, aut ut difficilem aversantur et refugiunt.

Aegyptiaci anni ratio vetus est, eam (ut opinor) Astronomi primi construendis et propagandis mediorum motuum Canonibus adhibuerunt, ut caeteris aptiorem et commodiorem, propter aequalitatem, tum quod in aequalem dierum numerum aequales motus facilius diduci possint, ac distribui, tum quod alii quilibet anni resolutione dierum facile his expediteque aptentur, ac conformentur. Retinuerunt eum annum summi artifices Ptolemaeus, Copernicus, et artificum institutis rectius convenit, quam usui publico.

Graeca ratio perplexior tota et laboriosior fuit, et minus certa.

Metonis ἐννεαδεκατηρίδα adeo probarunt artifices, ut Romani a Chaldaeis transmissam aureis literis inserendam anno Iuliano, iisque novas Lunas, quae ob immutatam Mensium rationem non amplius Lunae cursui congruebant, populo indicandas censuerint. Unde aurei Numeri tracta appellatio, qui adhuc in Calendario Romano exprimitur et celebratur. Dixi.

---

**No. 28.** **16. Apr. 1545.**

In Quaestion. p. 60. Item in Consil. I. p. 579. et in Select. Decl. T. III. Erford. fol. J. 5. et apud Richard. III. p. 453.

***Quaestio de agone Christi, proposita a Mag. Ioh. Costreveldiano d. 16. Apr. 1545.***

Video hunc morem a maioribus institutum et receptum esse in scholis, ut tali tempore, atque ex hoc loco quaestio aliqua proponatur: cui honestissimo instituto et nos obtemperare decrevimus. Prorsus enim ita sentio, nihil magis decere hominem recte institutum, et doctrinae studiis deditum, quam ut honestissimis maiorum legibus quam maxime parere studeat. Et mihi omnino hoc persuadeo, hunc sanctissimum consessum optimorum et doctissimorum hominum, magis id officium probare, quam si quis afferat vel Pericleam eloquentiam.

Proponam igitur quaestionem gravem ac dignam, quae a quovis homine Christiano per omnem vitam serio ac saepissime consideretur. In historia evangelica traditur, filium Dei dominum nostrum Iesum Christum initio noctis, qua a cohorte Pontificia prehensus est, cum quibusdam ex discipulis suis in hortum orandi causa secessisse, ibique cum morte et peccatis nostris, pro quibus ipse, postquam illuxisset, mortem subiturus erat, acerrimum sustinuisse certamen, adeo ut inter orandum et in illa ingenti lucta guttae sanguinis una cum sudore eruperint. Iam quaeri potest, *Utrum ille sudor secundum naturam fuerit, an non?*

Nam cum nusquam legatur ulla in historia, neque usu compertum sit, ulli mortalium id accidisse: non temere hoc moverit animum hominis, serio de hac re cogitantis. Nec nos de praecipua causa, hoc est, de obiecto, ac terroribus loquimur, qui nec cogitatione humana nec verbis comprehendi possunt, sed de materia, id est humorum commotionibus, qui sua quadam lege aut effunduntur, aut refugiunt, ut diversi cordis motus cient. De hac materiae lege videtur, non effusum esse sanguinem ordine humorum usitato in natura hominis. Nam cum constet, in moerore ac metu, cum quibus animum Christi eo tempore conflictatum satis apparet, spiritum et una cum eo sanguinem ex omnibus corporis partibus ad cor, velut ad arcem vitae, refugere solere, et extrema membra sanguine ac spiritu destitui: inde homines tremunt, neque pedibus consistere, neque vociferari, aut linguae officio uti amplius possunt: et accidit saepe, ut in tali commotione, homines exanimati, nonnunquam etiam extincti sint, in eiusmodi igitur perturbatione nihil minus accidere posse videtur, quam ut omnino sudet aliquis, nedum, ut una cum sudore sanguinem emittat. Videmus enim in magna consternatione mentis, aut pavore, etiam incisis venis, sanguinem teneri ac consistere, nec vel guttam inde profluere aut eiici posse.

Hae inquam rationes aliquem movere possint, ut statuat, sudorem Christi cruentum, non naturali ordine fluxisse: sed ut multa alia in illo, non tantum naturae ordinem ac legem, sed etiam omnem humanae mentis sensum captumque superant, ita hunc quoque sudorem illi, arcana causa, contra omnem naturae ordinem ac modum, accidisse.

Sed non desunt rationes atque argumenta, quibus et altera sententia confirmari potest. Primum enim ita nos de Christo cogitare oportet, ut non hominem ex homine, ut ita dicam, exuamus, hoc est, ne ex Christo spiritum tantum aut Phasma quoddam, quod quidam impie fecerunt, faciamus. Nam cum iuxta sententiam scripturae verum hominem, et non spiritum aut spectrum ipsum esse sciamus, oportet, ut et adfectus et humorum motus, absque tamen peccato, illi tribuamus, quibus homines secundum naturam humanam obnoxii esse solent. Alsit ille, esuriit, sitiit, indoluit etiam ac metuit, quod historia vitae ipsius multis in locis manifeste testatur. Quare et hanc pavitationem, fugamque mortis, atque sudorem illum sanguineum, ut partes et organa corporis et humores veri solent, illa accidisse consentaneum est. Quamvis enim in tali commotione animi ab exterioribus membris ad centrum, ut loquuntur, hoc est, ad cor, spiritus et cum eo sanguis refugere solent: attamen in

heroicis naturis, quae singulari animi magnitudine praeditae sunt, et quali supra quam dici potest, haud dubie Christus fuit, a corde vicissim ingenti impetu tales tempestates reiiciuntur ac repelluntur.

Oppressit pientissimum pectus salvatoris, metus mortis et horribilis conspectus iudicii atque irae paternae adversus peccatum totius generis humani, satanam, ac infernum. Omnes enim hae procellae tunc simul ingenti impetu in eum irruerunt. Nam quamvis in illo per omnem vitam vetus ille serpens altius et maiore saevicia quam ullo in homine, dentem fixerat, attamen sub hanc horam ille morsus et illud virulentum ac lethale vulnus atrocius quam unquam antea recruduit. Solus enim Christus magnitudinem irae divinae et peccati atrocitatem vidit atque cognovit: quam cum ex hominibus aliquis saltem procul ac leviter intuetur, desperare eum, ac nisi divinitus erigatur ac sustentetur, subito extingui necesse est. Harum itaque tantarum, tam tristium tamque atrocium rerum consideratio, haud dubie ingenti, et multo maiore, quam ulla mens humana cogitando consequi potest, dolore animum Christi excruciavit.

Sed restitit ab altera parte reverentia et obedientia erga coelestem Patrem, atque illud inexhaustum et ineffabile incendium amoris erga genus humanum, cuius a tam tristi et horrendo exitio liberandi ardentissima cupiditate incensus erat, quemadmodum ipse de se ait: Paro inquit incendium, et quam angor animo, donec perficiatur. Accedebat vox paterna, per Angelum ipsum erigens ac consolans.

Iam expendite, quantos aestus motusque cor pientissimi Salvatoris in utramque partem illo tempore sustinuerit: quorum ne primam quidem, minimamque congressionem ullius humani animi, quantumvis magnum robur, perferre posset. In mille partes dissilire necesse esset cor humanum, si saltem leviter illos ictus persentisceret. In hac igitur tam vehementi et atroci lucta, in qua describenda etiam scriptura tristissimis verbis, et ingentem dolorem significantibus, usa est, haec tanta commotio, omniumque humorum in corpore resolutio accidisse videtur, ut sudor ac denique sanguis eruperit, neque id omnino contra naturam illi animo et corpori accidisse videri debet; etsi nullus alius animus, nullum corpus perferre ista ac sustinere potuisset. Nam et cor et totum denique corpus cuiuslibet hominis, prorsum colliquefieret ac consumeretur, si, ut dixi, vel minimam partem illius luctae sustinere deberet. Montium concursu obrui, imo toto mundo illabente opprimi se putant hominum corda, cum semel iram divinam adversus peccata sua serio persentiscere incipiunt. Sed cum haec quaestio difficilior sit, quam ut a me commode explicari possit, defero eam uberius tractandam clarissimo et doctissimo viro Doctori *Caspari Crucigero*: et precor, ut ipse hoc beneficium scholae et nobis praestet, atque hanc quaestionem accuratius explicet. Dixi.

*Responsio D. Crucigeri ad quaestionem de agone Christi.*

Etsi hae tantae res, quas legimus in historia mortis Christi, non possunt acie humanae mentis perspici: tamen Deus vult eas sobria ac pia cogitatione aspici, et discernantur prophanae cogitationes ab his Christi pavoribus. Laurentius in medio incendio insultat Tyranno, et nuper honesta matrona, propter confessionem Evangelii in loculo ligneo cremata: cum in medio incendio loculus dissiliit, ipsa brachium exerens, clara voce filium Dei dominum nostrum Iesum Christum invocavit. Cum tanta sit aliorum fortitudo, unde in Christo tantus pavor et consternatio? Recte facis qui nunc de obiectis non disputas.

Nam illa explicatio longius tempus requireret, sed tamen sciamus, Christum non, ut caeteros homines, tantum formidare mortem, ut formidat natura: sed sentit aliud maius onus, scilicet iram Dei adversus mea et tua et omnium hominum peccata: hanc scit in se tanquam victimam effundi. O inenarrabilem humanitatem. Sustinet Christus iram, fit reus, ac si ipse sese meis et tuis et omnium sceleribus polluisset. Hinc sensus irae Dei adversus peccatum, obiectum et causa est horribilium pavorum, quos tulit Christus, ne Laurentius, ne Agnes, ne nos ferremus. Ipse factus est nobis umbraculum, quia creatura iram Dei sustinere non potest.

Utrunque igitur cogitemus, aspicientes Christum: vere irasci Deum peccato, et propter hanc victimam nos recipi. Haec vero in his feriis copiose dicta sunt, et semper sunt repetenda et celebranda.

Quod vero de naturali ordine humorum quaeris, consideratio digna est homine studioso. Moveor autem vocabulo θρομβὸς, ut existimem hunc sudorem resolutionem fuisse totius corporis languefacti, et iam hiantis et dissipantis sanguinem, et omnes vires. Nobis facilius est, de doloribus usitatis et levioribus loqui, in quibus ipsis tamen quam multa accidunt contraria?

Cum autem haec explicatio longius tempus requirat, alias et ego et tu cum amicis, viris doctissimis, Theologicis et Medicis, disseremus. Sed sint hae disputationes, ut dixi, sobriae, verecundae, et piae: et ut ante dictum est, de obiecto etiam cogitemus, et de admiranda humilitate Christi, qui quidem et suo exemplo nos invitat, ut nos abiiciamus. Sinamus Pompeium ardere ambitione, qui delectabatur hoc Homeri versiculo:

*αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.*

Et summum bonum id unum putabat, antecellere omnibus civibus gloria. Nos vero et exemplum Christi imitemur, et vocem eius audiamus, in qua dicit: Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. Dixi.

---

No. 29. 1. Sept. 1545.

In Quaestion. p. 64. et in Declamatt. Tom. III. Erford. fol. A. (Richardius hanc quaest. non habet.)

### *Quaestio de Pausania Rege Lacedaemoniorum, proposita a M. Sebast. Glaser in promotione Magistrorum, 1. Sept. 1545.*

Scio ob hanc causam nobis decerni hos gradus, ut non tantum ingenio et doctrinae Ecclesiae Christi ac Reipublicae inserviamus, verum ut etiam modestiae atque obedientiae exemplo iuventuti prosimus, et ut nostri mores aliis quasi praeluceant. Non enim me fugit, quam perniciose mereantur de Ecclesia et Republica, qui ut Cicero ait, non minus graviter exemplo, quam peccato nocent. Cum igitur mihi et legibus scholae, et voce praeceptorum mandetur, ut in hoc consessu aliquid dicam: iudico non ingenii aut doctrinae ostentationem aliquam mihi propositam esse, quorum utrunque quam in me tenue sit, intelligo: Sed observantiae erga praeceptores atque obedientiae officium a me exigi, cuius laudem longe omnibus commendationibus ingenii praeferendam esse duco. Et hoc exemplum nostrum statuo pertinere ad alios quoque adolescentes invitandos ad obedientiam erga Leges et Praeceptores.

Quia vero tali tempore quaestiones aliquae in hoc loco tractari solent, decrevi et ego ei consuetudini obedire. Ac quaestionem proponam dignam consideratione hominum eruditorum, cum propter exemplum, tum vero propter multa, de quibus nos utiliter haec historia monet.

Cum urbs Athenarum Duce Lysandro capta esset, mutata Reipublicae forma, constituti sunt a Lacedaemoniis victoribus triginta Gubernatores, qui postea facti sunt Tyranni, caedibus et rapinis omnia vastantes, ita ut Atheniensium exulibus tota pene Graecia repleretur. Donec tandem unus ex pulsis civibus, Thrasybulus animum ad liberandam patriam adiecit, qui collecta manu ex miseris reliquiis dissipatae urbis, Tyrannos invasit, eosque semel atque iterum victos, a Spartanis auxilium petere coëgit. Ad hos igitur motus comprimendos Pausanias Rex Spartanus cum exercitu proficiscitur. Is commiseratione erga populum exulem, et tristi adspectu adflictissimae urbis motus, Tyrannis ex urbe pulsis, patriam miseris civibus reddidit. Tyranni vero, praecisa spe auxilii Spartani, cum suis opibus bellum repararent, insidiis circumventi, trucidantur. Pausanias domum reversus, in iudicium vocatus est, propterea quod Tyrannos, socios Lacedaemoniorum deseruisse videretur, Et acta est haec causa magna contentione, ac cognitione facta, absolutus est Pausanias in iudicio, in quo pares calculi fuerunt, eorum qui absolvebant quatuordecim, et itidem qui damnabant, quatuordecim.

Iam disputari potest, utri rectius iudicarint, nam haud dubie utraque pars graves causas suae sententiae habuit.

Primum qui pro Pausania calculum tulerunt, hos haud dubie movit odium iniustae violentiae, ac saeviciae Tyrannorum. Iudicarunt nihil neque detestabilius, neque intolerabilius esse Tyrannide. Occurrit illis, quam indignum Spartana virtute et gravitate foret, si se satellites atque administros alienae crudelitatis praeberent, si propter aliquam speciem utilitatis, manifestam iniustitiam defenderent, Cum, ut praeclare dictum est a Demosthene, et una quaelibet civitas publice et pro se quisque privatim in omnibus consultationibus et tota vita honestatem praecipue spectare

debeat, ac dummodo illam sequatur, ferre, quidquid Deus dederit, Quando cuique homini divinitus proposita sit meta vitae, quam nemo transire possit, ne quidem si in cavea se concludat. Cum tyrannis vero nullum foedus, nullum ius, nihil denique commune esse, ut a quibus omnia iura, leges, et quidquid pium aut sanctum inter homines censetur, profanatum ac sublatum esset, Et ad quos delendos velut ad publicum incendium omnes homines concurrere deberent. Occurrit hoc etiam illis, si crudelitati tyrannicae patrocinentur, quam periculosum ad posteros exemplum suae quoque patriae relicturi sint, quae cum iuxta legem rerum humanarum, iisdem telis fortunae exposita sit, et idem illi accidere possit, quod virtute atque opibus florentissimae Athenarum urbi accidisset: Videbant fore, ut omnium iudicio merito plecti dicerentur, qui ipsi hanc quasi legem sibi statuissent, quia tyrannicae immanitatis adiutores se ac defensores praebuissent. His inquam, et similibus causis moti videntur isti iudices, ut Pausaniam suis calculis absolverent.

Sed non defuerunt et alteri parti argumenta, quibus autoritatem suae sententiae tuerentur. Erant tyranni socii Spartanorum, erant foedere iuncti, erant defensores partium Laconicarum, in urbe inimica videbantur non fuisse deserendi. Et iactata est haud dubie illa vox alterius Spartani Principis, qui dixerat: Honestum esse habendum, quidquid Spartae utile esset. Utile autem videbatur ad retinendum imperium Graeciae, quibuscunque vinculis constrictam tenere urbem Atheniensem, nec permittere, ut illa unquam respirare aut caput erigere posset. Commemorabantur multae clades belli, quibus Sparta ab Atheniensibus affecta erat, et pericula, quae illi impenderent, si urbs Attica unquam vires reciperet. In hoc igitur salutem patriae verti censebant, ut Athenienses quam maxime premerentur, quod per tyrannos commodissime fieri posse videbatur. Non igitur hoc frenum inimicae urbi laxandum fuisse, sed arctius adstringendum iudicabant. Speciose ista et haud dubie cum multorum assensu dicta sunt. Praesertim in urbe superba, et recenti successu rerum elata, in qua animi odio Atheniensium exulcerati erant, et vulneribus belli nondum obducta cicatrix. Haec igitur sententia procul dubio magis visa est esse e Republica, altera vero clementior et honestior. Sed cum ista controversia gravior ac difficilior sit, quam ut a me commode explicari queat, defero eam ad dominum Decanum. Dixi.

---

No. 30. 10. Sept. 1545.

In Quaestion. p. 66 sq. Item in Consil. Mel. P. I. p. 639.

*Quaestio proposita D. Erasmo Flock, cum decerneretur ei titulus Doctorum in arte medica. An.* **1545. 10.** *Septb.*

Aetatem nostram maxime decet verecundia, quae certe impedit pueros, modesta indole praeditos, ne in frequentia seniorum et gravissimorum virorum dicere ausint. Quare miretur aliquis, cur Pueris praecipiatur, ut hoc loco quaestiones recitent. Sed hoc quoque verecundi ingenii est, non disputare de causis legum, sed modeste obedire, etsi causam hanc esse puto, ut a teneris incipiamus considerare hos vestros congressus, et aliquo modo studiorum honores mirari. Vos igitur oro, ut puerilem orationem meam propter consuetudinem honestam patienter audiatis.

Recitabo autem historiam utilem pietati, ex qua oritur quaestio Physica.

Tempore Iuliani Imperatoris praefectus quidam, homo prophanus et audax, qui palam perhiberi volebat hostis filii Dei, Domini nostri Iesu Christi, spoliabat templum Antiochiae in Syria, iussu Imperatoris. Cum autem pii gubernatores Ecclesiae peterent supplices, ne pecunia, qua ministri Evangelii, et multi miseri cives alendi erant, auferretur: Praefectus multa contumeliose adversus Christum loquutus urina conspersit aram. Statim autem exportatis thesauris, morbo oppressus est, in quo intestinis infra effusis, excrementum non deorsum, sed sursum per gulam et os emisit, ut admoneretur, quales sordes antea per os edidisset, cum horrendas blasphemias contra filium Dei dixit.

Exemplum admonet omnes, ne dicant Blasphemias.

Sed de meatibus etiam interrogari potest, quomodo stercus sursum pellatur in gulam? Recitat exemplum et Galenus in causis symptomatum, et nostra aetas meminit aliquos, qui cum fuissent maledici adversus Evangelii doctrinam, simili modo interierunt.

Causam autem hanc esse puto, cum interiora et crassiora intestina effusa sunt, quod fit in ma-

guis doloribus cordis, et propter alias quasdam causas, natura tamen expellere stercus conatur, quod cum non recipitur ab inferioribus intestinis, retro pellitur ex gracilioribus intestinis ad orificium ventriculi, unde ad gulam ascendit.

Huc accedit, ut Galenus dicit, quod ventriculus, manente eius naturali virtute, etiam pellit sursum, eam praesertim illuviem, quae mordet ventriculum, qualis certe est illuvies, cui atra bilis miscetur, quae quidem moveri solet in moesticia. Haec videntur aliquibus probabiliter dici, sed a te, vir eruditissime, D. *Erasme*, copiosiorem explicationem flagitamus.

Iuventus vero hoc singulare genus poenae, qua blasphemi affecti leguntur, meminerint, et se singuli adsuefaciant, ut vera animi reverentia Deum colant, et eius Evangelium amplectantur. Dixi.

---

No. 31. d. 17. Septb. 1545.

In Quaestion. p. 67 b. Item in Consil. Mel. P. I. p. 638. et in Declam. T. III. Erford. fol. 9. 7.

*Quaestio, a Iohanne Luthero proposita Doctori Petro Hegemon, d. 17. Sept. 1545.*

Nostrae aetatis imbecillitas non potest iudicare de causis legum, sed parere nos decet iudiciis et voluntati parentum et gubernatorum, quorum videmus virtutem et integritatem ab honestis hominibus comprobari. Ego igitur non quaeram causam, cur adolescentes, in tali consessu maiorum natu, quaestiones proponant: sed modeste obtemperabo carissimi patris mei voluntati, cuius autoritatem vos quoque venerari scio, et publicae consuetudini, quam a vobis comprobari video, morem geram. Nec indecorum est, nos aliquid interrogare de doctrina Evangelii, cum Christus de nostra aetate dixerit: Sinite parvulos ad me venire, talium est regnum coelorum. Certe necesse est nos ad filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum adduci, hoc est, multa de eo audire et sciscitari, ut eum vere agnoscamus. Ideo quaeso, ut meam interrogationem aequo animo audiatis.

Interrogo autem: *An cum magna virtus fuerit et sit multorum, qui non norunt filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, ut Numae Pompilii, Aristidae, Socratis, Scipionis, et similium, tales etiam placeant Deo, et sint haeredes vitae aeternae?* Hanc quaestionem arbitror ideo dignam esse explicatione, ut discamus, ubi et quae sit Ecclesia Dei, et quae sit vera invocatio, quae propria Ecclesiae doctrina.

Primum enim pro gentibus multa speciose dicuntur. Non ignorant Deum, sed revera sciunt unam esse aeternam mentem opificem mundi. Imo et Plato eruditissime definit Deum inquiens: Deus est mens aeterna, causa boni in natura. Sciunt etiam legem Dei, et multi antecelluerunt sapientia, virtute, magnitudine rerum gestarum, imperiis, successibus, qui sunt beneficia Dei, et testimonia praesentiae Dei. Ergo hi quoque placuerunt Deo: nec videtur consentaneum, tantam multitudinem, solum ad aeternum exitium conditam esse, aut tantis virtutibus frustra eos ornatos fuisse. Et Paulus inquit: Nonne et gentium Deus est?

Quanquam autem haec pro gentibus multi saepe disputaverunt, etiam ante multa secula, tamen nos in Ecclesia talem confusionem nullo modo fieri concedamus. Si pariter possent esse haeredes vitae aeternae ignorantes Christum, et agnoscentes, frustra datum esse Evangelium, nec retineri opus esset, et omnium gentium religiones pariter essent probandae.

Orandus est autem Deus, ne in tales furores incidamus, ut tam tetris erroribus assentiamur. Teneamus igitur dictum Apostolorum, quod in Actis cap. quarto scriptum est. Non est aliud nomen, in quo oportet salvos fieri, nisi nomen Domini nostri Iesu Christi. Agnosci filium Dei necesse est: et discrimen invocationis meminerimus. Etiamsi Plato aut Turci iactitant, se invocare Deum unum conditorem rerum, tamen a vero Deo aberrant, quia hunc non invocant, qui se patefecit misso filio, nec accedunt ad Deum ducente mediatore.

Sit igitur infixa mentibus nostris vox Christi: Qui non honorat Filium, non honorat Patrem, Sic accedamus ad Patrem, ut fiducia mediatoris eum invocemus. Hoc qui non faciunt, nec invocant Deum, nec sunt haeredes vitae aeternae, nec membra Ecclesiae. Sed te Doctor *Petre* de hac quaestione copiosius disserentem audire studiosi vellent. Dixi.

No. 82. 3. Aug. 1546.

In Quaestion. p. 69. et in Sel. Declam. T. III. p. 764. et Tom. III. Erford. fol. F. V. Rich. II. p. 357.

***Quaestio de loco Platonis, de periodis imperiorum, cuius fit mentio lib. VIII. Plat. de Republica et in lib. V. Politic. Aristotelis, recitata a Mag. Matthia Stoio Regiomontano, 3. Aug. 1546.***

Cum vetus et honestissima consuetudo Scholarum vobis nota sit, oro, ne meo consilio me, oblitum aetatis et decori, sumpsisse mihi has partes existimetis: sed necessitati potius et praeceptorum voluntati obtemperasse. Et quanquam in audiendis iuvenibus, ut crescendi copia sit, aequitatem eximiam praestatis: tamen ut me patienter audiatis, meamque orationem boni consulatis, nos etiam atque etiam oro. Faciam enim, etiamsi novitate argumenti placere non potero, ut propter brevitatem minus ingrata sit oratio. Legimus Pompeium, cum victus in praelio Pharsalico in fuga Mytilenen ad coniugem venisset, fugitantem congressus civium, a quibus hospitaliter invitabatur, ad unum divertisse Cratippum Philosophum, ac apud eum contra providentiam multa disputasse, quod in causa iustiore, ut ipse contendebat, a Deo desertus esset, ibi Cratippus ut illius dolorem leniret, contra disseruit, multas esse causas, partim physicas ac fatales, partim morales, et harum alias propiores, alias remotiores, cur imperia mutentur. Etsi autem haec tanta quaestio longe meam aetatem superat: tamen ut in regendis moribus, et in omnibus vitae consiliis, modestiores simus, dici aliquid de mutationum causis utile est. Plato rem tantam involvit aenigmatibus, inquiens, causam esse, cur mutentur imperia, quia sesquitertia radix iuncta quinario, duas efficiat harmonias: ultra quas cum natura postea deteriores gignat, circumactam periodum finire imperia. Hoc dictum multo obscurius est Sibyllae foliis: sed tamen quid mihi videatur, breviter dicam. Vult Plato esse aliquo modo finem a natura ordinatum imperiorum, sicut in Musicis, ubi post διὰ πασῶν alterius natura non progreditur. Fit autem διὰ πασῶν iunctis διὰ τεσσάρων et διὰ πέντε. Hic et coelestem arcanam, et moralem causam coniungit. Aliquantisper sentit gigni bonos et praestantes gubernatores, quorum virtute teneantur imperia, postea ait nasci languidiores, qui ipsi suis furoribus evertunt imperia. Ut cum fuissent boni et salutares principes in regno Persico, Cyrus, Darius, Artaxerxes μακρόχειρ, quem putant fuisse filium piae mulieris Hester: deinde quam tetra portenta secuta sunt? Artaxerxes Nothi filius a fratre Aspasiam concubinam abduxit, eamque postea filio petenti dedit: deinde cum desiderium eius ferre non posset, ereptam filio rursus ad se traduxit, propter quam causam et filius patri insidias struxit: in quo scelere deprehensus filius, interfectus est. Hi mores non diu retinent regna. Stant igitur aliquantisper imperia, donec Dei beneficio dantur gubernatores virtute praestantes. Deinde sequitur interitus, quia posteri seu natura seu disciplinae neglectione sunt deteriores. Fortassis et stellae maturant excidia, ut nunc dicunt, caput Medusae urbi Romae mutationem minitari. Sed cum huius gravissimae quaestionis explicatio requirat longe eruditiorem disputationem, defero eam ad doctissimum virum Doctorem *Casparum Crucigerum*, quem oro, ut quantum nunc quidem fieri potest, de ea disserat. Etsi autem sine magno dolore aspici aut cogitari ruinae regnorum non possunt: tamen nos teneamus hanc consolationem, Ecclesiam Dei mansuram esse, quae aliqua in terris hospitia habebit: quae quidem ut sint tranquilla, faciat Deus aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi. Dixi.

***Responsio D. Caspari Crucigeri.***

Perspicua et illustria testimonia sunt providentiae divinae, certa corporum coelestium et elementorum series, certi siderum motus, ac specierum conservatio, et mentis humanae notitiae, quae sunt artium fontes. Haec omnia cum intuemur, fateri cogimur, esse mentem Architectatricem mundi, quae velit coli iuxta normam ac leges, quas nobis indidit. Postea vero cum confusiones imperiorum, gentium interitus et dissipationes intuentur homines, attoniti admiratione stupent, ac rursus dubitant, an casu imperia nascantur, et rursus casu dilabantur, ut formicarum examina. Nec profecto tristius illum spectaculum est, quam intueri inde usque ab initio ruinas tot florentissimorum regnorum. Quanta virtus fuit civitatis Atticae? Nunc quo in loco fuerit, non satis sciri potest. Propter hanc tantam varietatem eventuum multa de caussis mutationum Philosophi quaesiverunt. Nec explicari res nisi in doctrina Ecclesiae potest. Plato

igitur videns inextricabilem quaestionem esse, Musis eum sermonem attribuit, quas velut vaticinantes fingit, obscure causam recitare. Ideo certas esse politiarum periodos, qua in generatione iungatur sesquitertiae quinarius. Eius dicti etsi multae interpretationes a doctis quaesitae sunt, tamen hanc simplicissimam esse iudico, ut consonantiarum finis natura ordinatus est, cum ad *διαπασῶν* ventum est: ita legibus fatalibus, ait subinde nova imperia exoriri ruentibus prioribus, propterea quod praestantiora deficiant, donec rursus fatali aliqua lege fiat instauratio, quae ipsa sententia tamen adfirmat, divina providentia sic ordinatam esse et rerum et hominum naturam, ut ruentibus imperiis alia constituantur. Sed causam ruinae monstrat doctrina Ecclesiae, quae adfirmat, mutationes imperiorum poenas esse scelerum, quae populi et Reges perpetrarunt. Saepe hoc verum est: Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi. Sed illud etiam saepe accidit, ut Principes propter populi delicta puniantur, ut ait Salomon: Propter peccata populi crebrae sunt mutationes Principum. Hanc moralem causam praecipuam esse sciamus. Studeamus autem et lenire nobis ipsi communes miserias. Nam moderatione, disciplina, pietate, flectemus Deum, ut mitiget poenas, ut propter poenitentiam Regis et populi mutavit decretum de Ninive: Quo exemplo illustre testimonium nobis proposuit, ne stoica necessitate regi res humanas existimemus, cum suum etiam decretum mutaverit propter hominum emendationem. Quia vult hoc agnosci, quod celebratur de ipso, his verbis: Non delectaris Deus perditione nostri, sed post lachrimas reddis laeticiam. Ita nunc poenitentia et vera invocatione flectere eum studeamus, ut has Ecclesias et earum hospitia servet, nec sinat vincere eos, qui conantur Idola stabilire, quae horribili contumelia Deum adficiunt. Ideo propter gloriam et veritatem tuam aeterne Deus nos protege et guberna. Dixi.

### *Explicatio Matthiae Elbingensis.*

Verba Platonis in octavo *πολιτικῶν*: *ὧν ἐπίτριτος πυθμὴν πεμπτάδι συζυγεὶς, δύο ἁρμονίας παρέχεται τρὶς αὐξηθεὶς.* Quae deinde in Platone sequuntur, obscuriora, ut videntur, huic sententiae omnia sunt inclusa, ut et Arist. in ultimo cap. quinti Politicorum iudicavit. Quapropter hac sententia explicata, reliqua omnia facilius patebunt.


Duo autem in hac sententia quaeruntur, Primo, quasnam Harmonias *ὁ πυθμὴν* sesquitertius praebeat in mutatione legum et status imperiorum? Deinde quo tempore illa mutatio fiat? Ad primam quaestionem respondeo, quae triplicatis lateribus *τοῦ πυθμένος* sesquitertii, excrescant super Diatessaron semiditonus cum diapente, et diapason cum semiditono, id est, septima et decima super quartam, ut nunc vulgo loquimur. Etsi enim aliis musicis modulis intervallum $2\frac{10}{21}$ rationis explere possemus, tamen illud minime faciendum esse censemus, quod Platonis sententiae magis conveniunt harmoniae, quas praebent bina media proportionalia, quae inter triplicata latera existunt, alioqui enim plures harmoniae, quam duae accederent sesquitertiae rationi. Appellemus igitur duas harmonias peculiari modo: semiditonum cum diapente, et diapason cum semiditono, quarum posterior, hoc est decima, etsi a cantoribus pro harmonia habetur: tamen Musici praesertim Pythagorici eam reiiciunt tanquam prorsus dissonam, ipsum diapason excedentem. Caeterum semiditonus cum diapente seu septima, uno ore ab omnibus et musicis et cantoribus, inter stridulas symphonias abiicitur. Constat igitur sesquitertiam rationem dulcisoni diatessaron ter compositam praebere duas dissonantias, maxime secundum Pythagoram, a quo Plato plurima numerorum theoremata sumpsit, harmoniis accommodata, idque non iniuria. Pythagoras enim inventor illarum rationum et summus artifex fuit.

Ad secundam quaestionem respondeo verbis Platonis, quae illae mutationes fiant, quando *ὁ πυθμὴν* sesquitertius triplicatur, sive ut Aristot. loquitur, quando numerus diagrammatis sive quadranguli fit solidus, hoc est, 1728 annis. Haec ut explicentur, et appareat, num haec recte ex sententia Platonis protulerimus necesse est nos initio quaedam vocabula explicare. Primo quidem *τὸν πυθμένα* non recte verterunt cubum, ipsum enim vocabulum proprie significat fundamentum seu fundum, sive extremum alicuius corporis, quod revera ex Geometria constat esse superficiem. Quapropter sciamus Platonem hoc vocabulo superficiem designare et quidem quadrangulam, sicut liquet ex Aristotele, qui *τὸν*

*πυθμένα* per vocabulum diagrammatos explicat, quo absolute hic significatur quadrangulum, quamvis et alias species planarum figurarum comprehendat, *συζυγία* autem quinarii fit per diagonalem, habentem quinque partes coniungentes duo latera, quorum alterum tres, alterum quatuor habet partes.

Sequitur in textu:
*δύο ἁρμονίας παρέχεται.*

Quae verba totam Platonis sententiam cimmeriis tenebris videntur involvere, ita ut totum dictum foliis Sibyllae, aut aenigmate Sphyngis videatur obscurius. Quomodo enim id in hac rerum natura possibile est? vel ratione numerorum, vel cuiuscunque quantitatis, sesquitertiam rationem componendo, vel unam praebere harmoniam? Id enim impossibile est ex Pythagorica definitione, et ex doctrina proportionum. Sicut enim Diapente, quotiescunque auctum, non praebet ullam consonantiam, ita nec diatessaron: quia neutrum est in aliqua multiplici ratione, ut est Diapason, quae tantum harmonia aucta constituit harmonias, ideo ei soli, Aristoteles tribuit antiphona, ut est videre in decimanona sectione problematum. Deinde quasnam harmonias efficeret composita sesquitertia, cum in tota rerum natura, tres tantum perfectae harmoniae inventae sunt. Nempe, Diapason, Diapente, et Diatessaron, quibus congruunt compositae, Disdiapason et Diapason cum Diapente. Quae harmoniae nullo modo fiunt ex compositione aut Diatessaron, aut Diapente. Num igitur ignorantiae aut illiberalitatis (quod sua noluerit intelligi) accusandus est Plato, Philosophorum praestantissimus? Neutrum horum ullo modo concedendum est: verum respondendum, eum abusum esse nomine harmoniae pro dissonantia, quae generata est ex concinna et suavi harmonia Diatessaron, sicut vulgo receptaculum cadaveris dicimus sepulchrum hominis, ipsi cadaveri tribuentes priorem habitum. Ita prorsus intelligendum est vocabulum *τῆς ἁρμονίας,* si retinenda est haec lectio, quae etiam in Aristotele extat, si vero satis graece posset dici, *δυσαρμονία* pro *δύο ἁρμονίας*, legerem *δυσαρμονίας,* quasi dicat, sicut sesquitertia ratio diatessaron, quae est imago optimae Reipublicae aucta, secundum ternarii perfectionem, non producit retinentia suae originis iustam harmoniam et suavitatem, sed puras putas dissonantias: Ita et optima respublica cum pervenit ad perfectam sui auctionem, non retinet suum naturalem statum, ab initio constitutum, sed prorsus contraria producit, destruentia harmoniam ipsius, nempe leges et totam imperii formam, per harmoniam enim praecipue Platonem depingere leges Rerumpub. facile constat ex Aristotelis sectione decimanona probl. 28. Caeterum cum omnia exemplaria legant *δύο ἁρμονίας*, nec usitata, imo durissima sit appellatio *δυσαρμονία,* retineamus usitatam lectionem. Et credo hanc veriorem esse, eo quod Plato maximas rerumpub. dissipationes et confusiones voluerit pingere duabus maxime insignibus dissonantiis, quae in hac triplicatione laterum dulcisono diatessaron accedunt, manetque ipsa similitudo illustrior. Pertineret praeterea ad explicationem vocabuli Harmoniae, definitio eius Pythagorica, cum quadam explicatione. Item erudita disputatio de fundamento concordantiarum, quibus utuntur hodie cantores in contrapuncto, ut vocant: quomodoque illae ipsae consentiant cum harmoniis Pythagoricis. Item, an ex concordantiis cantorum, quidam recte concludant, Diatessaron non esse Harmoniam. Sed hoc loco habenda est ratio brevitatis. Ideo hoc labore supersedebo, praesertim cum haec maxima ex parte possint peti ex Musica Boëtii, aut Stapulensis. Postremo igitur in hoc dicto Platonis Triplicatio intelligatur ea, quam vulgo cubicationem vocamus. Sicut infra in Geometrica progressione Platonis, sursolida multiplicatio utriusque numeri 4 et 3 dici potest quintuplicatio. Eo enim modo sesquitertia ratio Diatessaron quinquies additur et constituitur disdiapason, cum semitonio minore, id est, decimasexta, quae complectitur utramque dissonantiam politias destruentem. Ideo Plato tanquam in termino ibi consistit, et colligit annos totius progressionis ab unitate seu principio politiae.




Haec omnia ut intelligantur, sit quadrangulum seu *πυθμὴν* A B sesquitertius, hoc est latera A C et A D, sive D B et B C, eam inter se habeant rationem. Quantitas autem illorum late-

rum sit talis, ut Diagonalis A B, quinque partium existat. Constat vero ex erudita calculatione quod nulli alii numeri per quinarium hoc modo coniungentur, quam 3 et 4. Ergo A C erit 3 et A D 4, qui numeri sunt termini sesquitertiae rationis, a qua hoc quadrangulum denominatur. Ait igitur Plato, quod in universali mutatione legum et statuum imperiorum, in quibus est principium, medium, finis, ratio dulcisoni, Diatessaron, secundum has tres perfectas vicissitudines ter aucta, producat duas diversissimas harmonias, sive potius dissonantias, prioris harmoniae dulcedinem, et naturalem consensum turbantes, simulque eaedem ascendunt ultra totum Diapason, dissonantes, evertuntque sua clamositate omnes harmonias, quae sunt infra Diapasou perfectissimae, et propter sonorum gravitatem molissimae modulationis, ut liquet ex 19. sectione Aristot. Problem. 50. Communi quidem persuasione oporteret Respublicas plurimum austas florere, et in honesta disciplina colenda esse diligentiores, propter diuturnam consuetudinem, sed contrarium fieri asserit Plato etiam in optima Repub. et optime convenienti naturae, idque ait fieri naturali quadam conversione. Nam inter perfectas harmonias naturae valde convenit ea, quae est sesquitertii soni, seu Diatessaron, eo quod semper molles voces, ut Fa, naturales, Re Sol, sonoras, Mi La, coniungat: ita ut voces ipsae nihil inter se discrepent, sed omnes optime conveniant ad dulcem et naturalem sonum, sicut et ipsi agricolae oblectantes equos aratrum trahentes, utuntur aliquo modo hoc soni intervallo natura duce. Sed ut appareat, Diatessaron non modo per se dulcisonans esse intervallum, verum dulcem quoque et suavem, venustamque harmoniam, maxime supra Diapente, ascendamus ex Γ ut in D sol re, ex eoque loco in Ge sol re ut, et audiemus tribus vocibus simul sonantibus, admodum concinnam et perfectam harmoniam, utpote concurrentibus perfectissimis harmoniis, quae symphonia tota est imago heroici Magistratus, cum pulcherrimis legibus optimae Reipublicae consentientis, ut infra dicetur. Caeterum haec mollis et dulcisonans harmonia perfecte secundum ternarii numerum aucta, non assequitur meliorem harmoniam: verum illa naturali auctione transcendit in durissimam, et (secundum Pythagorae doctrinam) dissonantem harmoniam, quae est Diapason cum semiditono, habentis rationem, quae est inter 64 et 27 stridente interim tumultuose semiditono cum Diapente seu septima, sub dulcisono et iucundissimo Diapason. Huius enim septimae maxima est dissonantia et deformitas, ut propter aurium incolumitatem necesse sit hoc intervallum, Pausa interrumpi, si aliquando cantilenae extrudi non potest.

Haec ut in numeris cernantur, ratio sesquitertia, quae est diatessaron, ter componatur, et prodibit dupla superdecem partiens vigesimas septimas, quae consistit inter duos cubos, nempe 64 et 27. Cadant igitur inter eos duo medio loco proportionalia, hoc modo, 64, 48, 36, 27. Conferantur autem primo tres numeri quicunque, medio exempto, et habebimus rationem, quae est semiditoni cum Diapente. Conferantur postea extremi numeri 64 et 27, et habebimus rationem, quae est Diapason cum semiditono. Horum igitur duorum modorum, ut violenta inter ipsos dissonantia consideretur, ascendamus primo per septimam ex Γ ut in F fa ut, postea ex hoc per decimam ascendamus usque ad excellentes in aa la mi re, simul igitur sonantibus horum trium locorum vocibus audiemus dirum ululatum, imo clamores Lapitharum et Centaurorum, inter se dissono, vario et deformi rugitu certantes. Haec tanta dissonantia non tantum a Musicis, sed etiam ab omnibus cantoribus male audit, distat enim a Γ ut decimasexta. Diligenter igitur consideretur, has duas dissonantias, non simpliciter per se esse dissonas, sed etiam inter se tanquam duo pessima mala contraria, acerrime pugnare: qua maxima pugna strepitu et tumultu, omnes totius scalae cum diatessaron optimae harmoniae, non modo non audiuntur, sed prorsus obruuntur et intereunt.

Ita ait Plato, prorsus fieri in optima Repub. quae naturali modo perfecta, secundum ternarium cum aucta est, profert sibi contraria, quae inter se pugnantia violentissime, faciunt turbationes, et totales mutationes legum et imperiorum. Cum autem hi numeri 64 et 27 proferunt eas dissonantias, multiplicantur simul inter se, procreantes numerum annorum, quo ista contraria evertentia leges et status Rerumpub. existunt, nempe 1728 annos, Horum partem subtriplam super tripartientem octavas, tribuunt mutationibus Principatuum, nempe 512 annos, cubum ex octo, ad quae 12 habent sesquialteram rationem. Hoc est, 12 habent se ad 8 ut 3 ad 2, quae est ratio vividi et gestiendis Diapente, Status igitur et leges

constituunt: cum Principibus hanc exhilarantem suavitatem Diapente, dum Principes manent simplices numeri, hoc est, subiecti legibus: ut binarius multis modis est subiectus ternario. Cum vero fiunt solidi, hoc est, negligentes legum, contemptoresque omnis disciplinae, sua tantum quaerentes et augentes, non statum publicum, turbant hanc concinnam et vivificam Diapente harmoniam, qua turbatione sibi interitum accersunt ultro, sicut octonarius repraesentans principes, dum nullum alium numerum, nisi se ter auget, procreat eum numerum, quem Plato constituit eversorem principatuum. Habet autem haec ratio celeriores mutationes, quam ratio sesquitertia legum, ut convenit Diapente, quod vehementius fertur, et est excitatius quam Diatessaron: quod etsi est dulcisonans, tamen aliquanto remissius et languidius sonat. Talis est status legum et Reipublicae, si non accedat heroicus quidam Zelus magistratus, qui est viva vox legum, constituens cum illis vivificam Diapente harmoniam, ita ut hoc modo ex Diapente et diatessaron constituatur una quaedam perfectissima et absolutissima harmonia, omnes alias complectens, nempe suavissimum Diapason, omnis dissonantiae expers, superior vero numerus invenitur quoque, si numerus τοῦ πυθμένος seu diagrammatos fiat solidus, hoc est, si 12 quae numerant aream prioris quadranguli, cubice multiplicentur. Hoc modo simpliciter procedit Aristoteles, et primo quidem ipse Plato, qui tamen postea alium videtur modum subiungere, cum scilicet a numeris laterum, pro ratione quam habent ad unitatem, progreditur, usque in quintum locum hoc modo:

| | 1 | |
|---|---|---|
| 4 | | 5 |
| 16 | | 9 |
| 64 | | 27 |
| 256 | | 81 |
| 1024 | | 243 |

Hi numeri omnes aggregati cum unitate etiam procreant 1728, quem numerum constat Platonem tribuere totalibus legum mutationibus, ex tota illa speculatione, quam habet de duratione mundi. Hanc sententiam dicti Platonis simpliciter elicere conati sumus, salvo cuiusque meliori iudicio. Finis.

No. 83. 7. Febr. 1548.

In Quaest. p. 77 sqq. Item in Mel. Consil. P. II. p. 76. et in Select. Declam. T. III. p. 784. Richard. III. p. 461.

*Quaestio recitata a Mag. Ulrico Sizingero, Wormatiensi, sub Decanatu D. Phil. Melanthonis d. 7. Febr. 1548.*

Etsi consuetudo me publica et honestissima excusat, quod in hoc consessu doctissimorum virorum dicere aliquid institui: Tamen veniam a vobis peto, vosque oro, ne me potius ingenii fiducia, quam officio adductum esse, ut id facerem, existimetis. Cumque dicendi causa sit honesta (virtus est enim in primis digna laude, iis legibus parere, quae doctrinae et disciplinae causa conditae sunt) oro etiam, ut meam orationem boni consulatis. Et quia haec studia colimus praecipue, ut vera Dei noticia in genere humano luceat, dicam de decreto synodi Bononiensis, quod proximo anno Mense Maio post Eclipsin Lunae, quae tunc fuit, factum est, de satisfactione, in quo decreto tristes tenebrae offusae sunt doctrinae coelesti. Nec metuo reprehensionem, quod huic meae aetati non convenire videatur disputatio de Synodi sententiis, quae summum Ecclesiae consilium esse existimatur. Nam errori tam manifesto, qui detrahit horribiliter de gloria filii Dei, reclamare omnes debent, senes et iuniores, ut scriptum est: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. Praecipue obscurata est doctrina de filio Dei, superstitiosis opinionibus, quae de satisfactione in Ecclesiam sparsae sunt. Immensum est beneficium filii Dei, quod factus est λύτρον pro nobis. Id beneficium non est transferendum in ullam creaturam. Eo etiam libentius hac de re dissero, ut nostri συμφοίτηται sciant, qua fide hostes verae doctrinae decreta faciant: et deprehensis erroribus illorum, maiore studio pectora muniant vera doctrina.

Propono igitur quaestionem: *An satisfactio Canonica, ut vocant, sit mandata divinitus, ut Synodus Bononiensis adfirmat?* Ac primum non esse mandatam inde iudicari potest, quia fatentur ipsi, satisfactiones esse opera non mandata divinitus: quod pro adulterio indictum est ieiunium septennii, ritum esse, non institutum lege divina, constat. Cum autem regula dicat: Frustra colunt me mandatis hominum: facile intelligi potest, nec satisfactiones divinitus praecipi. Et Canones ipsi

ostendunt, hominum decreta esse, quia paulatim Episcopi ipsi et cumularunt haec ἐπιτιμία, et relaxarunt, quorum neutrum facere licet, si sunt praecepta diuiuitus.

Etsi autem hos ritus humana authoritate institutos esse constat, tamen initia eorum a divino iure proficisci dicunt, propter hanc rationem:

Manifestum est plurima delicta comitari tristes poenas in hac mortali vita, ut Iob inquit: Verebar omnia opera mea, sciens quod non parcis delinquenti.

Hae poenae mitigari possunt nostris benefactis. Ergo nostra benefacta sunt compensationes seu satisfactiones.

Hoc argumento nunc quoque Synodus ornat usitatas persuasiones de satisfactionibus, ad quas an recte accommodetur, prudenter iudicandum est. Multis enim seculis nomen satisfactionum in Ecclesia fuit, seu umbra, res non fuit, Olim autem fuisse ritus certos, qui discernebant pollutos et excommunicatos ab aliis honestis, manifestum est. Ut cum Orestes vagatus est in Graecia, gerens signa reatus, priusquam expiatus est. Et hunc honestum ritum a primis parentibus humani generis ortum esse, consentaneum est. Quare non temere vetusti moris ritum Ecclesia vetus imitata est. Cum igitur multarum rerum doctrinam hic locus de satisfactionibus contineat, quaestionem hanc ad magnificum D. Rectorem defero: quem oro, ut eam propter scholae utilitatem explicet. Dixi.

*Responsio Doctoris Casparis Crucigeri.*

Et voluntatem tuam et consilium probo, quod ostendis te amare Ecclesiae studia, et hoc loco quaestionem elegisti, quae si recte explicetur, valde illustrat gloriam filii Dei. Etsi autem angustia temporis non permittit, ut nunc integram explicationem instituam, tamen de summa rei meum iudicium ostendam.

Miror impudentiam Synodi, quod audet affirmare, divinitus institutas esse satisfactiones, quarum nomen tantum aut vix umbra multis seculis in Ecclesia fuit: res multo ante obliterata est, et quales ritus fuerint, ne ipsi quidem amphictyones, qui in Synodo fuerunt, dicere possent. Refutationem autem eorum omitto, ac tantum de tuo argumento dicam.

Verum est, horribiles poenas in hac vita mortali comitari delicta omnis generis, ac praecipue punitur Ecclesia, quia ibi praecipue vult Deus conspici at agnosci iram suam adversus peccata, vult nos summissos et humiles fateri culpam, ideoque signa reatus nobis circumdat, qualia circumdedit primis parentibus, cum viderent interfectum Abel, aut qualia circumdedit Davidi pulso in exilium, aut qualia circumdedit toti populo, cum deleta Ierosolyma abduceretur in Chaldeam. Talium poenarum cogitatione moveamur, ut simus modestiores. Ac verum est illud, quod recitasti, mitigari poenas propter nostra benefacta, hoc est, propter nostram conversionem, et veram morum emendationem, sed hoc non pertinet ad illa spectacula satisfactionum, de quibus isti dicunt.

Vera est vox apud Esaiam: Si peccata vestra fuerint, ut coccinum, et ut vermiculus, eritis candidi ut nix, quo dicto illustri imagine ac hypotyposi utrunque pingitur, poena et liberatio. Tunc peccata sunt ut coccinum, et ut vermiculus, cum David sanguine filiorum aspergitur: sed rursus tunc candet ut nix, cum et fide accipit remissionem culpae, et Deus tollit poenas. Quo in loco Esaiae, cur vermiculum nominarit Propheta, non est obscurum. Nam granum quod vocatur κόκκος βαφική, natum in ilice, vertitur in vermiculum, quem cum Graeci σκωλήκιον nominent, vocabulum inde mansit scharlacum, sed placet vermiculi appellatio eo in loco, quia revera filius Dei talis vermiculus pro nobis factus est, cum in cruce suo cruore conspersus penderet, et huius vermiculi similis fieri nos oportere sciamus.

Sed discrimen inter mortem filii Dei et nostras aerumnas teneamus. Illius mors fuit λύτρον, et satisfactio pro nobis. Non tribuatur hic honos nostris benefactis. In illo admirando consilio Dei de redemptione generis humani, hic deprecator fuit pro nobis, hic fuit ἱκέτης, hic constitutus est μεσίτης. Nec iudicandum est, placari iustissimam iram Dei caeterorum hominum ullorum virtutibus aut factis. Hanc etiam sententiam quotidie in omni invocatione cogitemus, et hac nos consolatione sustentemus, non nostra facta, sed Filii Dei sacrificium λύτρον esse, quo vere placatus sit aeternus pater. De nostris autem adflictionibus alia doctrina tenenda est. Sunt enim aerumnae Ecclesiae non λύτρα, sed aut τιμωρίαι, aut δοκιμασίαι, aut μαρτύρια. De quorum generum discrimine explicatio utilissima est, sed hic recitari non potest.

Istos vero Sycophantas in Synodo Bononiensi execremur, quod manifestissimae veritati in multis articulis tenebras inducere, et obscurare beneficia filii Dei conantur. Ut autem post blasphemias, pendente in cruce filio Dei, universa natura rerum Terraemotu et aliis signis testificari de eo coepit: Ita speremus iam illius non Synodi, sed ἀγορᾶς κερκώπων, manifestas blasphemias statim Deum ipsum refutaturum esse, Quem, ut Ecclesiam sibi aeternam inter nos servet, toto pectore oro. Dixi.

---

**No. 34.** **7. Aug. 1543.**

In Quaest. p. 80 sqq. Item in Sel. Decl. T. IV. p. 896. et Tom. III. Erford. fol. c. 4. Richard. II. p. 231.

### *Quaestio proposita a puero Doctori Petro Sibyleno, Torgensi, 7. Aug.* 1548.

Etsi nostra aetas nondum idonea est ad dicendum inter doctos et grandiores natu, tamen credibile est, hanc consuetudinem bono consilio institutam esse, ut haec spectacula cernentes, paulatim mirari artes et artium honores disceremus. Praecipue vero ars Medica a nobis veneranda est, quia inde usque ab initiis vitae, saepe eius ope iuvamur. Quare cum in hunc confessum adductus sim, ut de more quaestionem recitem, parebo reverenter, et vos oro, ut me cum favore et benevolentia audiatis.

Cum autem usitatum sit, quaestionem aliquam proponere, in hoc loco breviter quaero: *Quid clarissimus D. Doctor sentiat de eo, quod disputatur passim, utrum in prandio vel in coena cibo largiore uti conveniat, et utrum sit salubrius?*

Sunt quidem rationes non contemnendae, quae monent, satius esse, ut coena sit uberior, quam prandium, propterea quod post coenam plura sunt, quae concoctionem adiuvant, quam post prandium. Nam post coenam longius spacium tribuitur coctioni ad prandium, quam a prandio ad coenam. Et subsequens somnus duplicat internum calorem, ut efficacius concoquat, cum in somno semper calor ad interiora refugiat. Retrahuntur item spiritus copiosius ad membra destinata nutritioni in nocturno somno, Nocturnusque aër videtur frigore externo augere internum calorem. Quies etiam coctioni aptior est, unde venas, quae serviunt parti Vegetativae, natura quietiores condidt, quam vel Arterias vel Nervos, ut propter has causas longe facilior videatur coctio a coena noctu, quam a prandio interdiu.

Sed tamen periti contrarias rationes, non infirmiores credo, afferre possunt, cur censeant, coenam debere esse frugaliorem, quam prandium. Neque temere in versu dici puto: *Ut sis mane levis, sit tibi coena brevis.* Nam repletio facit somnum gravem, et onerat ventriculum, ut noctu insuavior et difficilior sit somnus. Gignit cruditates, et implet caput fumis, ut mane minus ad labores studiorum et negotiorum idonei simus. Est et praecipuum, quod interdiu calore Solis membra reficiuntur, et quasi vitam accipiunt. Est enim sol autor caloris vitalis. Quare interdiu maiori vi resolvuntur superfluitates, et distributio in vasa facilior est in vigiliis.

Quin et negotiis aptior est talis ratio, ut quum praecipuam partem diei ab ortu Solis ad Meridiem usque laboribus maxime necessariis consumpsimus, postea corpus liberius curetur, ut monent versiculi:

Sex horae tantum rebus tribuantur agendis,
Vivere post illas litera ζῆθι monet.

Post prandium minus fatigantur corpora laboribus, ut natura tenuiore alimento contenta sit, praesertim si tempestivus somnus sequatur.

Sed quid statuendum sit, oro ut D. Doctor explicet. Fortassis enim propter corporum diversitatem alia ratio aliis salubrior est. Omnino igitur eruditiore enarratione opus esse iudico, qua ut pro temporis ratione studiosis serviat D. Doctor, etiam atque etiam rogo. Neque enim nihil pertinet haec quaestio ad alios, qui se Medicinae studiis non dediderunt, ut observent praecepta regendae valetudinis, quam negligere non solum barbaries est, sed et contumelia adversus Deum, cum Paulus praecipiat, honorem habere corpori. Quare ut iudicium tuum clarissime D. Doctor, nobis de hac re aperias, oro. Dixi.

---

**No. 35.** **25. — 28. Aug. 1548.**

† Ex apogr. in cod. Monac. 90. No. VII. p. 306 b. — Melanthonem quum ex conventu Pegaviensi rediret, d. 25—27. Aug. Lipsiae commoratum esse propter publicas in Academia disputationes, testatur epistola Vol. VII. p. 122.

*„Haec est praefatus D. Philippus Melanthon Lipsiae in disputatione, rediens ex oppido et colloquio Pegavo."*

Graecus versiculus prohibet, hospitem in aliena republica πολυπραγμονεῖν. Quare me quoque minus decet hoc in loco doctissimis huius scholae professoribus et alumnis disputandi tempus et locum praeripere. Sed cum id a me exigat clarissimus D. Doctor nomine Doctorandorum, quorum amicitiam et benevolentiam erga me magnifacio, volo ipsorum voluntati morem gerere. Et breviter meum argumentum adferam contra eam positionum partem, quae negat animam rationalem esse ex traduce, h. e. ex parentibus in foetus propagari, sed asserit, eam coelitus infundi. Et sic arguo:

In tota philosophia vitandae sunt opiniones, quae habent absurditates aliquas. Haec opinio, quae statuit, animam rationalem creari, et circa 40 diem coelitus demissam infundi foetui, multa continet absurda. Ergo haec opinio de quotidiana creatione et infusione animarum non erat a vobis defendenda.

Minorem iubebitis declarari? Aliquot igitur absurda ostendam. Primum est absurdum dicere, Deum quotidie creare animas, cum scriptura manifeste dicat, eum post opus sex dierum quievisse. *Et requievit*, inquit textus in Genesi, *Deus die septimo ab omni opere suo quod fecerat*, quievit et benedixit diei.

Secundum absurdum est, dicere hominem gignere imperfectius in suo genere quam quod libet brutum. Tertium absurdum est: si anima non est ex traduce, tunc Deus est autor peccati, quia creat animam ita contaminatam.

---

No. 36. (eod temp.)

† Fragmentum orationis publicae, qua inchoabatur renunciatio doctorum publica; ex autographo Mel. in cod. Monac. II. p. 78. — Videtur fuisse scripta doctori Lips., nam in ultima pagina alia manu adscriptae sunt salutationes, quibus Casp. Bornerus, Bernardus Zieglerus, Ioh. Pfeffinger invitantur ad disputandum de quaestionibus quibusdam. Vide epist. Vol. VII. p. 122.

— — — praecipuum est, quod doctrinae lucem accendit, et excitat subinde doctores ingeniis et eruditione praestantes. Ac magna in Paulo consolatio nobis proposita est, qui testatur hoc munus perpetuum fore, cum inquit ascendisse Christum, ut det dona hominibus, prophetas, Apostolos, Evangelistas, Pastores et doctores. Sic regnare inquit Christum, ut nobis adsit, excitet doctores, et accendat in nobis novam lucem et vitam. Ac profecto mihi nihil in vita gratius ac iucundius contingere potest, quam quod videre licet tales viros, quales nunc deus excitavit praeditos solida doctrina, et veris donis Sp. S. In his etiam vos numero, qui nunc publico testimonio ornandi estis. Neque vero hic ordo seu gradus contemnendus est. Etsi enim non fiunt sine divino motu boni doctores, tamen ex hoc numero discentium, seu ex hoc coetu scholastico qui possessionem verae doctrinae Evangelii retinuit, ad hanc militiam praeparatos sumit. Cum autem consuetudo sit, ut ante hanc renunciationem testimonii aliquid de dogmatibus Ecclesiae dei disputetur, propono vobis has quaestiones.

---

No. 37. 18. Sept. 1548.

In Quaest. p. 81 b. sqq. Item in Sel. Decl. T. III. p. 758. et Tom. III. Erford. fol. O. 4. Richard. II. p. 224.

*Quaestio M. Ioannis Druckenbrot, Eisfeldensis, recitata in renunciatione Magistrorum; d. 18. Septb. 1548.*

Utrunque ad disciplinam pertinet, modeste legibus obtemperare, et cum iubent praeceptores in coetu publico de re aliqua disserere, verecunde sententiam exponere.

Cum autem me et consuetudo et praeceptorum authoritas cogat hoc loco aliquid dicere, et maior in tali re laus sit officii ac obedientiae, quam eruditionis, quaeso vicissim ut me patienter audiatis.

Cum autem sumenda sit materia ex philosophica doctrina, et dulcissima sit consideratio, mirandi opificii in humano corpore, dicam aliquid de duobus canalibus, qui a faucibus orti, descendunt in corpus, alter in pulmonem, alter in ventriculum, quorum illi, qui in pulmonem tendit, nomen est Trachea arteria, huic vero longiori, qui ventriculo adiunctus est, nomen est οἰσοφάγος.

Hos cum sic discernat Plato, ut dicat, oesophago cibum vehi in ventriculum, Tracheam vero canalem esse potus, duriter reprehensus est a multis. Hinc duae quaestiones oriuntur: *Altera*

*de officiis horum canalium, altera, an excusari Plato possit?*

Ac primum mirifica omnino fabricatio est humani corporis, in qua tantum artis adhibuit opifex, ut agnosceremus, non casu extitisse hanc naturam rerum, sed a mente architectatrice conditam esse. Et hoc modo investigari se in hac opificii consideratione, et obedientia nostra praeparari nos ad immortalem vitam voluit. Miretur enim aliquis, si homines conditi sunt non ad hanc mortalem vitam, sed ut in aeterna luce et sapientia vivant, quid fuit opus adiungere in homine culinam parti rationali? Si autem tantum ad mortalem vitam conditus est, quid opus fuit tanta arte?

Etsi autem non dubium est, primis parentibus ipsam naturae considerationem fuisse illustre testimonium de Deo: tamen nobis in hac caligine, hae raciocinationes de Deo sunt obscuriores, Et tamen caussa consilii divini tenenda est.

Tanta est varietas, tanquam machinarum, in humano corpore, ut de artifice nos admoneant. Praeterea non ad mortalem tantum vitam conditi sumus, sed adiuncta est culina parti intelligenti, quia nos praeparari in hac vita ad aeternam consuetudinem voluit, in hac mortali consuetudine voluit initia aeternae lucis accendi. Ideo parti intelligenti adiuncta est culina.

Nunc breviter dicam de officiis illorum canalium. Manifestum est oesophago et cibum et potum vehi in ventriculum. Nam et potu necesse est cibos fieri humidiores, et sanguis in epate non tantum ex cibo, sed etiam ex potu gignitur. Influere igitur potum in ventriculum necesse est.

Trachea vero non culinae causa facta est, sed propter spirationem et vocem, oratorium organum est, quod necessarium fuit naturae conditae ad societatem. Ut autem tota societas ideo praecipue necessaria est, ut alii alios de Deo, et de rebus bonis doceant, ita praecipue necessariae res sunt sermonis communicatio, et oratoria instrumenta, qua in re etiam hoc admirandum est, cordi tanquam regi adiunctum esse oratorem.

Haec de discrimine canalium vera et nota sunt, nec aliud Plato sentit.

Cur igitur potum attribuit tracheae? fortassis partem attribuit, quia certe necesse est rigari pulmonem, cuius arefactio exitialis est vitae. Cum autem haec quaestio digna sit disputatione eruditorum, et profecto necessaria sit homini consideratio huius mirandi theatri, quod in opificio humani corporis Deus nobis proposuit, defero hanc quaestionem ad Magnificum dominum Vicerectorem, M. *Iohannem Marcellum*, conterraneum meum carissimum, quem oro, ut, quanquam amplitudo harum rerum non potest paucis explicari, tamen ad commonefaciendos auditores, aliquid dicat de miranda copulatione diversissimarum machinarum in homine, de instrumentis noticiae, de organis oratoriis, et de nutricatione. Utile est profecto cogitare, quo consilio res tam diversas, in hominis naturam Deus incluserit.

### *Responsio M. Iohannis Marcelli.*

Ego vero carissimi auditores, etsi saepe me ad naturae considerationem utcunque exuscito, tamen mox opprimor ipsa magnitudine, et quasi mole rerum tantarum, ita ut velut attonitus et pene exanimatus obstupescam, ac doleam, cum natura condita sit ad hanc sapientiam, vix exiguam umbram aspici posse, et fortassis haec ipsa in nobis aviditas penitus cognoscendi et naturam et opificem, significatio est insita naturae, testificans, nos ad consuetudinem aeternam Dei conditos esse, ubi architectus ipse et operum suorum ideam, et consilia nobis ostendet. Dicam autem breviter de tuis quaestionibus.

Est omnino miranda copulatio, diversissimarum machinarum in homine. Nam si ad aeternam sapientiam conditi sumus, quare adiuncta est haec tam sordida culina?

Consilii huius verissima causa est, quia voluit Deus naturam aliquam corpoream esse, quae in hac ipsa vita fruente rebus nascentibus, ipsi serviret, et nunc praeparetur ad aeternam consuetudinem coelestium. Nunc igitur discenda sunt initia doctrinae, nunc accendi lucem et iusticiam aeternam oportet. Ne expectato coelestem Dei consuetudinem, nisi in hac vita mortali praeparatus ad Deum accedas, hic ordo institutus est mirando ipsius consilio. Ideo ad nos filium misit, et quidem simili natura copulata, ideo in hac vita vult doceri homines: Ideo datus est sermo, et in corpore oratoria organa condita sunt. Ideo servat et servaturus est in genere humano ministerium Evangelii. Non igitur repugnemus voluntati Dei, sed statim a vitae initio coelestem doctrinam discamus, et toto vitae spacio eam meditemur, et ei obedire incipiamus.

Illud etiam addo tuae orationi, recte dicis, cordi tanquam regi vocis organa addita esse, sed illud quoque addendum est: Eundem esse vocis et spiritus canalem, ut significetur, ex corde aeterni patris, simul et vocem Evangelii edi, et dari Spiritum sanctum per vocem Evangelii. Mirabiles significationes de Deo sparsae sunt in totam rerum naturam, ut non temere dictum sit: Omnia plena Deo.

Sed venio ad quaestionem de potu. Non dissentit Plato a caeteris, sed fatetur ipse quoque, idem esse iter cibi et potus, et eundem canalem oesophangum. Interea tamen obiter ait, potu rigari pulmonem, quod verum est, atque ita veteres docti homines locuti sunt.

Alcaeus enim inquit: *τέγγε πνεύμονας οἴνῳ.* Et Euripides: *οἶνος περάσας πνευμόνων διαῤῥοάς*, Vinum penetrans pulmonum meatus. Instillari igitur aliquid velut rorem in Tracheam, consentaneum est, praesertim cum pulmoni et cordi opus sit rigatione, et in siti constet mox quasi recreari cor potu refrigeratum. Et tamen verum est, distincta esse officia canalium, ut res ostendit, suffocari hominem, cum vel exigua mica in aditum Tracheae illapsa est.

Nec nulla est significatio in hac ipsa distinctione. Sicut horum canalium officia vult Deus distincta esse, ita oratorem in Ecclesia seiungit a politico gubernatore. Multae autem confusiones doctrinarum et vitae inde oriuntur, cum haec officia confunduntur. Sed hanc querelam omitto, ac Deum oro, ut et singulos gradus gubernet, et servet inter nos Ecclesiam, et semen aliquod sanctum. Dixi.

---

**No. 38.** **8. Nov. 1548.**

In Quaest. p. 84b. sqq. Item in Mel. Consil. P. II. p. 79., in Sel. Declamat. T. IV. p. 905. et T. III Erford. fol. P. Richard. III. p. 248.

## *Quaestio D. Melchiori Isindero proposita a puero, d. 8. Nov. 1548.*

Etsi verecundia nostrae aetati maxime congruit, et expavesco ipse in tot senum, gravissimorum virorum, consessum procedens, tamen scio his causis anteferendam esse obedientiam. Cum igitur mihi mandatum sit, ut quaestionem proponam, et obtemperare necesse sit, quaeso veniam meae orationi detis. Et cum filius Dei dicat: Sinite parvulos venire ad me, arbitror minus reprehendi debere iuniores, interrogantes aliquid, vel publice vel privatim de Ecclesiae doctrina, quam si de aliis artibus disputationes moveremus. Aditum ad sese filius Dei nostrae aetati concessit, quare vos quoque patienter me audituros esse spero.

Interrogo autem de loco in Genesi, ubi Iacob dicit: *Meum nomen, et nomina patrum meorum, Abrahae et Isaac, invocentur super hos pueros: An his verbis docuerit senex, invocari mortuos patres, a posteris, hoc est, petere aliquid a mortuis, ut fit in compellatione mortuorum: Ora pro me sancte Petre, aut iuva me?*

Nihil tam necesse est, quam recte doceri homines, de vera invocatione, quae praecipue copulat homines cum Deo, et est praecipuum vitae praesidium, et corruptelas eius severissime prohibet Deus. Quare huius dicti explicatio utilis est, praesertim cum hoc tempore, magna authoritate detorqueantur haec verba ad invocationem mortuorum stabiliendam.

Sed alii contra adfirmant, hanc interpretationem alienam esse a phrasi Hebraica, et dicunt hoc significari: Hi pueri nuncupentur nostro nomine, videlicet filii et haeredes Abrahae, Isaac et Iacob. Hanc esse phrasin nihil dubium est.

Sed illa successionis mentio, est ne ociosa et inanis? An pertinet tantum ad patrimonii distributionem?

Hic opinor de magna re, et de vero patrimonio dici, scilicet, de promissione facta Abrahae. Consolatio filiis Ioseph proponitur omnium dulcissima, esse et ipsos vere haeredes promissionis factae patribus, quae pollicetur et Ecclesiam Dei fore in hac familia, et Deum velle ei certum domicilium attribuere. Haec quanta sint, aliquo modo cogitari potest, cum horum temporum dissipationes considerantur. Quid magis optant omnes sani et pii, quam ut ipsorum posteritas retineat veram Dei agnitionem, et sit pars Ecclesiae Dei? Accedit et hoc votum ardentissimum, ut haec Ecclesia in terris aliqua habeat honesta hospitia, et politias mediocres. Haec tanta bona comprehensa erant in promissione patribus facta, quorum bonorum haereditatem Iacob ad hos pueros etiam pertinere dicit. Hanc dulcissimam consolationem obruit corruptela illa, quae transfert dictum ad invocationem mortuorum.

Nunc tuum iudicium D. Doctor *Melchior*, huic auditorio exponas, et simul ostendas, quomodo haec consolatio ad nos accommodanda sit: quia etsi nobis non est certa sedes promissa, tamen genus ad nos pertinet. Semper enim manet hoc decretum: Generatio rectorum benedicetur, Sumus enim catelli, qui micis patrum immensa misericordia Dei aluntur. Ideoque semper erit Ecclesia in illa posteritate, quae studia Evangelii pie colet. Et dabit alicubi Deus suae Ecclesiae mediocria hospitia. Haec bona ab eo omnes ardentibus votis assidue petamus. Nec talis petitio erit irrita. Dixi.

*Oratio D. Iohan. Bugenhagii Pomerani, qua fecit Isindero potestatem recipiendi insignia Doctorum.*

Christus Dominus noster dicit, Rogate Dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam. Extrudit autem Deus operarios in messem suam, duobus modis. Altero nolentes, ut Ieremiam, qui dixit: Ah Domine Deus, nescio loqui, quia puer ego sum, Et Mosen, etc. Altero volentes, ut Esaiam: Ecce inquit ego, mitte me. Et dixit Dominus ad eum, Vade, etc. In quorum numero sunt isti, qui petunt a Schola nostra nomen et officium Doctoris in sacra Theologia.

Quaerit aliquis, num hoc liceat? quando Christus dicit: Nolite vocari Rabbi, vel Magistri? Respondeo: Licet illis qui unum magistrum Christum sequuntur, et non volunt docere aliud quam verbum sui magistri Christi. Quia Christus addit: Unus est enim magister vester Christus. Non debent in Ecclesia docere alii magistri, alii doctores, alii pastores, extra Christum, aliud quam Christus docet, aut aliud ad salutem hominum, quam solum Christum, qui pro nobis patri victima factus est. Solus Christus est audiendus in Ecclesia, et non alii magistri, qui aliud docent, quemadmodum ipse dicit: Qui vos audit, me audit. Sic praedicant Apostoli, ut non homines magistri audiantur, sed audiatur in eis ille unicus magister Christus. Haec est gloria Ecclesiae Dei super terram, quod ipsum Christum Dominum gloriae, qui sedet ad dexteram Patris, audit Magistrum et Doctorem in sanctis suis praedicatoribus et doctoribus, qui officium et laborem suscipientes, fiunt non domini nostri, sed ministri, quemadmodum Christus addit: Maior inter vos, sit vester minister. Qui enim seipsum exaltat, etc. Sectas ergo et novos magistros prohibuit Christus, non nomen officii et ministerii nostri in Ecclesia.

Sicut igitur omnes nos Christiani in Christum et in mortem eius baptizati, reges sumus et sacerdotes in Christo: ita aliqui ab Ecclesia ad hoc vocati et ordinati sunt magistri et pastores et doctores, in illo unico Magistro Christo, in illo unico pastore Christo, in illo unico doctore Christo, de quo Pater ex coelo clamat: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, ipsum audite. Et in Mose comminatur: qui Prophetam illum non audierit, ego ultor existam, dicit Dominus. Hac ratione Paulus dicit, se magistrum et doctorem gentium. Nihil veritus se dicere aliquid contra verbum Christi: Nolite vocari Rabbi sive Magistri.

Primum audistis exemplum Esaiae, se ultro ingerentis, et Domini eum mittentis. Deinde habetis verba Spiritus sancti in Paulo: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Et Christus ipse dicit: Qui voluerit inter vos esse maior, sit vester minister. Non prohibet Paulus velle fieri Episcopum, sive appetere Episcopatum, modo bonum opus desideres, id est, officium docendi bona conscientia coram Deo, quemadmodum Paulus dicit de se: Non adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur. Nec displicet Christo illa voluntas, qua quis in Ecclesia vult fieri maior, id est, Magister, Doctor, Pastor, sive Praedicator, si bonum opus desiderat, id est, ministerium quaerit, ut Christus dicit, sit vester minister. Haec dixi illis, qui obiiciunt nobis illud: Nolite vocari Rabbi: non attendentes verbum Christi, quod sequitur: Unus est enim magister vester Christus. Neque vident studiosi contentionis, quod praecedit in verbis Christi: Nolite aliquem vobis vocare patrem super terram, Unus est enim Pater vester in coelo. Stultus hic fueris, si ex verbo Christi dixeris, patrem qui te genuit, non esse patrem tuum: quia hoc est manifeste contra praeceptum Dei: Honora patrem tuum, etc.

Quid opus est pluribus verbis in hac re tam manifesta? Deus ipse, ut a principio dixi, extrudit tales operarios in messem suam, sive nolentes, ut Ieremiam: sive volentes et postulantes (quos etiam ad hoc agit Spiritus Domini) ut Esaiam, quemadmodum hic Magister *Melchior* postulat a nobis titulum et gradum Doctoris Theologiae, recte facit: quia non solum nomen quaerit, sed

etiam rem ipsam, hoc est, officium docendi, et laborem confutandi adversarios Evangelii, id quod Paulus vocat bonum opus, et Christus dicit: Sit vester minister. Tales sunt dona Dei, de quibus Paulus ex Psalmo dicit, ut hodie audistis: Ascendens Christus in altum, dedit dona hominibus. Dona sic exponit: Dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, quosdam Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad aedificationem Ecclesiae Christi, etc. Deus honoravit hunc Magistrum *Melchiorem* insigni eruditione et cognitione Christi in sanctis scripturis, ut ipse declaravit nuper in publica disputatione. Quos ergo Deus honoravit, debemus et nos honorare. Postea vero cum hic *Melchior* susceperit suum bonum opus et officium, et factus fuerit aliorum minister, tunc primum sentiet, se non tam nominis honorem quaesiisse, quam laborem et dolorem. Sic enim fecerunt et Prophetis, qui fuerunt ante vos. Experto crede Magistro. Dixi.

---

**No. 89.** **19. Febr. 1549.**

In Quaest. p. 88 sqq. Item in Mel. Consil. P. II. p. 110. et in Sel. Declamat. T. III. p. 798. et T. III. Erford. Lit. P. 1. Richard. T. III. p. 471.

## *Quaestio de Fato Stoico, recitata a Mag. Matthia Lauterwald, Pruteno, d. 19. Febr.* 1549.

Non solum nos excusat consuetudo scholae, qui dicendi partes hoc loco nobis non nostro consilio sumimus, sed a praeceptoribus impositas sustinemus, quibus obedire necesse est: sed vos etiam hortatur, ut patienter nos audiatis, et veniam nostrae orationi detis. Id etsi sponte et vestro iudicio facitis, tamen honestum est, iuniores reverenter petere, ut eorum orationem in publico coetu seniores boni consulant. Quare initio vos oro, ne me fiducia ingenii, sed ut praeceptoribus obtemperarem, orationem hoc loco habere existimetis, deinde ut disputationem, quam proponam, non gravatim audiatis, praesertim cum argumentum utile sit ad illustrandam gloriam Dei, et ad morum gubernationem. Ne sit autem ingrata prolixitas, sine longiore exordio quaestionem propono veterem, et saepe a Theologis et Philosophis agitatam:

*An sit vera sententia stoicorum de fatali necessitate, hoc est, quae adfirmat, non solum in natura et materia omnia fieri necessario, sed etiam voluntatem in hominibus, velut captivam necessario agere, sive honestae sint actiones, sive sceleratae?*

Etsi autem veritas de hac controversia in hac schola Dei beneficio satis patefacta est, tamen repetitio et illustrat causam, et recte sentientes confirmat. Et Epictetus inquit: Non facile mentes dogma aliquod firmiter amplecti, nisi quotidie eadem dicant et audiant, et veras sententias in vita ad usum transferant. Ac nos quidem in Ecclesia praecipue opus est firmas refutationes Stoici Fati tenere, et propter gloriam Dei, et propter veram invocationem. Contumeliosum est enim adversus Deum, detrahere ei libertatem, eumque quasi de catena Homerica vinctum suspendere. Contumeliosius est etiam, facere eum authorem scelerum Paridis, Neronis, et similium. Nec enim falsa et detestanda excusatio audienda est, quam recitant et quidam interpretes Longobardi: Deum non peccare, etiamsi, ut causa, adiuvet homines scelera perpetrantes: quia cum Deus sit supra legem, licere ipsi facere quicquid libet. O tetram vocem, et prorsus ex Ecclesia explodendam, quia Deum similem facit turpissimis et crudelissimis tyrannis, quorum furores nulla lege reguntur. Longe aliter de Deo sentiendum est, quia legem suam ideo patefecit, ut prorsus talem esse ipsius mentem et voluntatem sciamus, qualia praecepit. Nec vult Deus unquam nec approbat, nec adiuvat ulla opera pugnantia cum sua lege. Eadem enim pugnant cum ipsius mente et voluntate, quae est immutabilis norma iusticiae.

Praeterea si necessario eveniunt omnia, quid prodest invocatio? Hic vero etiam impudenter Stoici confessi sunt, nihil eam prodesse, nec faciendum esse χρείας ἕνεκα, ἀλλὰ εὐχαριστίας, id est, non ut opem ferat indigentibus, sed ut gratias agamus conditori rerum, quod ordinem naturae instituerit, ut species servetur.

Ex hac brevi commemoratione satis intelligi potest, in Ecclesia maxime opus esse, ut adversus Stoicos furores animi bene praemuniantur, praesertim cum alioqui mentibus in invocatione obstrepat hoc argumentum: Quid petis liberationem in periculo? vincent morbi, aut aliae pestes ordine naturae, qui non mutatur. Haec cogitatio saepe languefacit invocationem.

Etsi autem magna absurditas est Stoicae necessitatis, tamen excogitatae sunt praestigiae ad

eam non solum defendendam, sed etiam adeo ornandam, ut sapientiae Dei et providentiae eam congruere dixerint. Sic enim ratiocinantur: In materia et generationibus nulli effectus fiunt, nisi prioribus causis omnibus concurrentibus: Ut terra gignit fruges, sed ita, cum rigatur ab aqua, et fovetur ab aëre, nec elementa sunt salutaria, nisi a lumine et motu coelesti vim accipiant. Nec lumen et motus coeli servarent ordinem, nisi a prima causa regerentur et servarentur. Iam si in his necessaria est connexio causarum, erit et necessaria in actionibus humanis, quia alioqui destrueretur species, nisi et ipsa regeretur et servaretur a prima causa. Cum autem necessaria sit connexio causarum, et agente propinqua, agit etiam prima, sequitur omnia necessario fieri, cum inpulsionem priorum causarum proximae sequantur.

Addunt et hoc argumentum: Divina praevisio et determinatio est immutabilis: Omnia fiunt Deo praevidente et determinante: Sunt igitur immutabiles et necessarii eventus. Et multae mutationes publicae et privatae sic accidunt, ut diligentiam humanam vinci arcanis causis manifestum sit. Ideo aliqua certe fatali necessitate evenire concedendum est. Quare et Pindarus dixit: Fatum neque ignis neque ferreus murus arcere potest.

Haec cum splendide dicuntur, multorum animos movent. Sed in iudicando prudentia adhibenda est, et primum constantissime retinendae sunt hae duae sententiae: *Deum esse agens liberrimum. Deinde nec velle Deum, nec approbare nec efficere peccata.* Sequitur ergo, fieri actiones malas electione libera humanae voluntatis, nec volente nec impellente, nec adiuvante Deo. Ideo Psal. inquit: Non Deus impietatem volens tu es.

Etsi autem sunt aliqui fatales eventus, de quibus Pindarus loquitur, ut multae sunt poenae publicae et privatae, quae humana diligentia vitari non possunt, tamen causae antecesserunt, quae vitari poterant. Quanquam autem haec quaestio integre in hac temporis angustia non potest explicari, tamen cum utile sit iuniores commonefieri: Oro virum clarissimum D. Doctorem *Georgium Maiorem*, ut de solutione Stoicorum argumentorum aliquid dicat, et suo testimonio ostendat, hanc scholam a Stoicis deliramentis abhorrere.

*Responsio ad quaestionem propositam de Fato Stoico.*

Ut foetus in alvo sedet involutus suis fasciolis, et alitur materno lacte per cotyledones: ita nos in Ecclesia sedere quietos oportebat, velut involutos verbo Dei, et ali divino lacte per ministerium Evangelicum, nec rumpere has nostras fasciolas, et quaerere peregrinas opiniones.

Haec diligentia retinendae doctrinae coelestis, et officium Deo gratissimum est, et salutaris est vitae nostrae. Ideoque clamat Propheta: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Sed mentes humanae mirabili quadam levitate ludos variarum opinionum amant. Ideo non solum in Ecclesia, sed etiam in Philosophia et communi vita, multae portentosae opiniones semper vagatae sunt, et vagabuntur.

Nec tamen sinit prorsus extingui Deus lucem veritatis in Ecclesia sua, in qua cum aliqui semper custodes veritatis maneant, horum voce Deus vult moneri iuniores, ut feras sententias discant et amplectantur, et in agnita veritate acquiescant, Deo gratias agant, quod immensa bonitate ex celsa arce sua, ad nos miseros quasi descendens, sese patefecit, et nos erudiit, et accommodent veram doctrinam ad invocationem, et ad alios usus salutares, nec applaudant aliis opinionibus pugnantibus cum luce divina.

Sed ingeniorum levitas aut perversitas haec vincula divina non patitur. Ideo velut mare subinde aliis ventis turbatur, ita varietas opinionum subinde horribiles tempestates in Ecclesia excitat.

Et haec ipsa Stoica deliramenta, de quibus iam dixisti, olim quoque perniciosarum dissensionum in Ecclesia causae fuerunt. Hinc enim Marcionis et Manichaeorum hyle orta est, et postea saepius ab aliis, ut a Vallensi, necessitas Stoica in Ecclesiam invecta est.

Etsi autem nunc explicari haec quaestio integre non potest, tamen iuniores et admoneo, et propter gloriam Dei obtestor, ut constanter explodant Stoicos furores, et statuant, Deum vere esse agens liberrimum, nec causam esse malarum actionum in homine.

Statuant etiam, Deum voluisse reliquam esse libertatem aliquam, in hac quanquam misera et depravata hominum natura, ut disciplina regi posset, in qua adeo nostram obedientiam requirit Deus ab omnibus, ut terribilibus exemplis in hac vita disciplinae violationem puniat.

Ruunt imperia, dissipantur homines, distrahuntur coniuges, avelluntur liberi a parentibus, cum frenis disciplinae laxatis, obtemperant membra caecis cupiditatibus. Exempla sunt Sodomorum, Thebarum, Troiae et plurimarum urbium excidia. Denique conspiciuntur omnibus aetatibus multa testimonia huius divini iudicii.

Ut autem prius de homine dicam, qualis reliqua sit libertas, ipsa membrorum nostrorum consideratio ostendit. Universaliter duae sunt gubernationis formae: Altera δεσποτικὴ, cui serviliter obtemperatur. Altera πολιτικὴ, quae suadendo regit. Has duas formas hominum naturae Deus initio impressit. Voluntas imperat locomotivae, velut herus servo, sed cor suadendo regit.

Postquam autem harmonia virium in lapsu primorum parentum amissa est, nunc experientia ostendit, in corde contumaciam esse, et illud pulchrius imperium πολιτικὸν turbatum esse, manere vero δεσποτικόν. Vult enim Deus hanc miseram et depravatam naturam nunc in servitute esse, vult coherceri lege, et ut coherceri posset, reliqua est libertas pene integra, quod ad locomotivam attinet, quod experientia manifeste testatur. Potest admovere poculum ori sitiens, aut non admovere. Et Graeci hunc motum vocant, κίνησιν προαιρετικὴν, quod libera electione fiat.

Refutantur ergo Stoici et experientiae testimonio, et voce divina, quae cum adfirmet, aliquam esse carnis iusticiam, delectum esse, et libertatem in regenda locomotiva, ostendit.

Ac refutatio quidem manifesta est, sed consilium Dei diligenter considerandum est, qui hanc libertatem in nobis reliquit, ut disciplina regatur.

Exuscitemus igitur nos cogitatione voluntatis Dei, et metu poenarum ad regendam disciplinam, cum videamus locomotivam posse imperiis voluntatis regi.

Sed quia cor rapitur aliis motibus, impeditur et haec gubernatio. Fit autem facilior piis et Deum invocantibus, qui corda etiam flectit in talibus ad legem. Miror autem, cum tot saeculis de libero arbitrio disputatum sit, scriptores non deducere discentes ad considerationem potentiarum animae, quae ad diiudicationem huius quaestionis utilissima est.

Altera refutatio Stoicorum brevior est, et facilior de Deo. Summa contumelia Dei est, adimere ei libertatem, ac tribuere ei, quod velit peccatum, et impellat homines ad turpitudinem. Has blasphemas opiniones constanter damnare et execrari decet.

Deinde et hoc invocationi nostrae necessarium est, scire liberrimum agens esse Deum, multos hominum motus liberrime sua bonitate mutare, multa et in materia moderari, propter nostram invocationem.

Ac invocandum esse non modo ut Stoici dicebant εὐχαριστίας ἕνεκα, quod speciem servaret, sed etiam χρείας ἕνεκα. Imo ad gloriam Dei illustrandam pertinet, fateri, nos indigere ope et auxilio Dei, et a Deo ardentibus votis petere, ut iuvemur. Melius igitur dixit Homerus, quam Stoici: Εὔχεσθαι, πάντες δὲ θεοῦ χατέουσ' ἄνθρωποι. Sed nos promissiones ab ipso Deo aeterno, patre Domini nostri Iesu Christi, conditore generis humani, Ecclesiae traditas, intueamur. His excitati, Deo exponamus nostras miserias, et ab ipso auxilium petamus, ut dictum est: Petite et accipietis.

Te igitur aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae, et hominum, et Ecclesiae tuae, una cum filio tuo, Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, sapiens, bone, verax, iuste, misericors, caste, iudex, liberrime, custos Ecclesiae tuae, invocamus, et propter Filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, quem voluisti pro nobis esse victimam, καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην, oramus, ut nostri miserearis, et hunc coetum regas, et inter nos Ecclesiam semper tibi colligas Spiritu tuo sancto, et haec hospitia doctrinae clementer protegas, Amen. Dixi.

---

No. 40. 20. Aug. 1549.

In Quaestion. p. 93 sq. Consil. T. II. p. 120. et in Sel. Declamat. T. III. p. 290. et T. III. Erford. fol. V. 1.

***Responsio ad quaestionem M. Ieremiae Schertle Salisburgensis: Utrum, cum fatendum sit, in Ecclesia Synodorum iudicia esse oportere, obligandi sint homines, ut iudicato obtemperent, sine ulla recusatione, sicut in imperiis necesse est iudicatum facere? d. 20. Aug. sub Decanatu Erasmi Reinholdi 1549.***

(In Declam. a Richardio editis haec quaestio non legitur.)

Nimis verum est dictum Simonidis, τὸ δοκεῖν βιάζεται τὴν ἀλήθειαν, id est, Opiniones vim

afferunt veritati. Saepe enim in vita persuasiones errore conceptae, impediunt conspectum veritatis. Ut, quia multi existimant, veram Ecclesiam esse politiam, similem imperiis, quae corpora gubernant, tribuunt iudiciis Regiam potestatem, cui necesse est obedire, non solum propter rationem probabilem, sed etiam propter autoritatem, quam Deus illi fastigio attribuit.

Cum dissiderent inter se duo fratres, Regis Darii filii, Artabazanes et Xerxes, non de duabus capellis, sed de imperio totius orbis terrarum florentissimo, de regno Persico, postquam sententia iudicum frater natu minor praelatus est, alterum, etsi probabilem causam habuerat, cur anteferendus esset, tamen iam obtemperare iudicato iustum erat.

Sed multum dissimilis est Ecclesia imperiis. Valent sententiae iudicum non Regia aut Praetoria autoritate, sed quia vere congruunt cum doctrina a Deo tradita. Si non vere congruunt, etiamsi in speciem blandiuntur rationi humanae, anteferenda est regula: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Ut, quanquam Synodus Syrmiensis, in qua magna frequentia fuit Episcoporum Asiae et Europae, decretum fecit, quod utile ad sarciendam concordiam videbatur, ut in Symbolo Niceno legerunt, ὅμοιον, non ὁμοούσιον, tamen huic tanto consensui adversari necesse fuit.

Sed obiiciunt viri politici: Quid opus est iudiciis, si postea contradicere licet, nec finiunt controversias, nec tollunt discordias?

Ad hanc obiectionem respondeo: Iudiciis tamen opus esse, quia vera Ecclesia recte sentientes confirmat suo testimonio, et monstratis sententiae causis aliquos errantes in viam revocat, sicut saepe hoc tempore nostris iudiciis revocati sunt aliqui ab erroribus Anabaptistarum.

Non igitur inutilia sunt iudicia, etiamsi multi non obtemperant, quos tandem compescet Deus sicuti compescuit Iudaeos, refragantes iudicio Apostolorum.

Controversiae igitur in Ecclesia magnae vix unquam tolluntur, nisi mirabiliter Deus reprimat hostes veritatis.

Nec quicquam pulchrius est in toto genere humano, quam pia Synodus, quae placide et vero studio sine cupiditatibus inquirit et patefacit veritatem, et suo testimonio gloriam Dei ornat.

Talis coetus vere est chorus Angelicus, canens hunc hymnum: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus.

Itaque pias synodos et pia iudicia veneremur, et quidem diligenter consideremus causas et fontes sententiarum.

Sed discernamus Synodos. Cum impii coetus, qui tenent ordinariam potestatem, decreta faciunt, contumeliosa adversus Deum, qualia recens fecerunt Synodi Tridentina et Bononiensis, adversari necesse est.

Etsi igitur optandum est, ut pia Synodus recte diiudicet controversias: tamen qualecunque iudicium instituetur, non est abiicienda veritatis confessio, nec promittat quisquam, se optemperaturum esse iudicato, nisi antea decretum audiverit. Nec imago iudiciorum civilium et prophanorum ad haec certamina de gloria Dei transferatur. Sed alio tempore hac de re copiosius disseremus. Dixi.

---

No. 41. 11. Febr. 1550.

In Quaestion. p. 94b sq., in Consil. Mel. P. II. p. 126., in Sel. Declam. T. III. Erford. fol. F. 1. et apud Richard. T. III. 129.

***Responsio ad M. Cyriaci Spangenbergii quaestionem de dicto in Genesi: non auferetur sceptrum a Iuda donec venerit Siloh, recitata d. 11. Febr. anno 1550. Iubilaeo.***

Olim nominabantur in Ecclesia ὁμιλίαι, cum plures amanter, una de re, suo quisque loco sententiam dicebat. Nec profecto dulcius quidquam esse potest, talibus colloquiis, in quibus veritas multorum collatione, sine acerbitate animorum quaeritur. Ab eo more Ecclesiae, consuetudo et in Scholas translata est, ut plures eadem de re dicant*). In Ecclesia propter duas causas haec consuetudo fuit, ut plures de una re dicerent. Prior causa non est obscura. Quia cum multi unam rem inquirunt, sine acerbitate animorum, et sine Sophistica, facilius invenitur veritas. Altera causa fuit, ut testimonia multorum de gravissimis rebus nota essent. Nunc vestigium manet vetusti moris. Itaque ut extet meum testi-

*) *Olim nominabantur* etc. Richardius non dedit.

monium de enarratione vaticinii, quam recitasti, primum hoc adfirmo, tuam interpretationem veram esse, et nativam sententiam esse concionis in Genesi: Non auferetur sceptrum a Iuda, nec gubernator a pedibus eius, donec venerit Siloh. Et ei auscultabunt populi.

Etsi autem angustia temporis non concedit nobis, ut longam explicationem nunc instituam, tamen pauca tuae interpretationi addam. Membra totius vaticinii Iacob multa sunt, sed haec verba, quae recitavi, manifeste continent promissionem de venturo Messia, de tempore adventus, de Messiae nativitate et potentia, et de colligenda Ecclesia ex Gentibus. Tempus constituit: Nascetur stante adhuc politia Mosaica, sed non regnante stirpe *Iuda*. Cum autem nominat eum *Siloh*, reddit primae promissionis sententiam, ubi nominatur *Semen mulieris*. Ita hic nominatur Foetus Mulieris. Id enim significat vocabulum Siloh. Nec tantum hoc significat, nasci Messiam sine virili semine, sed etiam vocabulo, quod significat pelliculam seu χόριον in alvo, quod circumdat foetum, recte monet, duas esse naturas. Pellis, id est, infirma humana natura, morti obnoxia, circumdat aliam victricem mortis. Ac ut Dominus ipse infirma pelle circumdatus est, ita cogitemus Ecclesiam fragilem esse coetum, et velut involutum tenerrimae pelli, quam horribiliter lacerant Diabolus et eius organa. Sed tamen intus nobiscum est filius Dei, qui inquit: Nemo rapiet oves meas de manibus meis.

Hac consolatione nos sustentemus, quod scimus, vere nobis adesse filium Dei, et nos tanquam eius manibus comprehensos servari, etsi sumus valde fragilis et squalida pellicula.

Postea vocabulum Siloh etiam significat faustum et foelicem, reddentem videlicet summa bona generi humano, iusticiam et vitam aeternam. Et ipsi auscultabunt populi, seu, ad eum congregabuntur. Etsi enim de vocabulo disputant Grammatici, tamen sententia prorsus eadem est, et congruunt verba promissionum. Antea dictum est: In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Ita hoc loco dicit, non tantum posteritati Abrahae salutarem fore huius Domini adventum, sed universo generi humano. Et quidem significat, imperium eius dissimile fore Mundi imperiis. Voce doctrinae reget mentes et pectora, et hanc vocem Fide accipi vult. Ideo placet mihi interpretatio, quae legit: Ipsi auscultabunt populi, id est, Fide amplectentur vocem Evangelii. Cum autem angustia huius temporis non admittat longiorem orationem, alio loco copiosius de toto vaticinio disseremus. Dixi.

---

No. 42. 24. Febr. 1550.

In Select. Declamat. T. IV. p. 887 sq. Richard. Tom. II. p. 596.

### *Quaestio Hier. Mencelii: An verum sit dictum, quod extat in libro Decretorum: frustra servat Evangelium, qui non servat Canones conciliorum.*

Est omnino maior laus officii ac obedientiae, in hoc nostro coetu, quam eloquentiae, Quare cum mihi de mandato praeceptorum hic dicendum sit, spero vos ita iudicare, me non temeritate aut arrogantia mihi has dicendi partes sumpsisse, sed honestissimae consuetudini scholae morem gerere, dabitis igitur mihi veniam, imo et felicitatem in obtemperando probabitis, et meam orationem boni consuletis, quod ut faciatis, reverenter etiam vos oro.

Cum autem usitatum sit hic de quaestione aliqua disserere, et iam de Synodo rursus inchoanda multorum audiamus sermones, ex ea materia quaestionem sumpsi. Vere ne dictum sit quod in illa farragine scriptum est, quae nominatur liber decretorum. Frustra servat Evangelium, qui non servat Canones conciliorum.

Existimo cohorrescere omnes rudes, cum hanc vocem legunt seu audiunt. Necesse est enim hanc sententiam firmissimo pectore tenere, certo filios Dei, et haeredes esse vitae aeternae eos, qui Deum iuxta Evangelium invocant et colunt, ubicunque vivunt, etiamsi caeteri ritus extra Evangelium dissimiles sunt. Sic enim dictum est. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus.

Hac voce filius Dei nos fieri domicilium divinitatis adfirmat, quam ipse tradidit, non aliis opinionibus, et quidem diserte scriptum est. Nihil addas aut detrahas, Item, Frustra colunt me mandatis hominum. Unde igitur hoc dictum atrox receptum est? quod ait frustra servari Evangelium, si non serventur Canones. Falsum,

impium, et tyrannicum dictum est, si intelligatur de opinionibus aut ritibus extra Evangelium excogitatis. Quare non recte faciunt, qui hoc dicto autoritatem Synodorum augere conantur.

Sed existimo nec veteres nominasse Canones, humanas opiniones aut decreta, excogitata extra Evangelium, ac longe aliud sensisse, quam quod nunc interpretantur hi, qui traditiones humanas et doctrinas Daemoniorum defendunt. Video enim in Synodis vetustis nominari Canones tantum Symbola et sententias de vera doctrina, in quibus reiectae sunt impiae opiniones et blasphemiae, ut Canon est Synodi Nicenae. Anathema sit qui amplectitur Samosateni blasphemiam. Sic Canon est Synodi Gangrensis, Anathema sit, qui coniugio aut esu carnium dicit pollui Christianum.

Tales sententiae sunt confessiones piorum, repetentes et adserentes ipsam Evangelii vocem, non proponentes alia nova dogmata extra Evangelium. Tales sententias prima antiquitas nominabat Canones. Postea vetusti nominis umbra confirmati sunt errores. Quare simus circumspecti, et quomodo antiquitas locuta sit consideremus. Sed cum multa de Synodis recte et graviter dici possint, oro virum clarissimum Doctorem *Georgium Maiorem*, ut propter Scholae consuetudinem de hoc argumento plura dicat.

### *Responsio D. Georgii Maioris.*

Me quoque hic dies admonet de Synodis, quia cum ante viginti annos hoc die Carolus Imperator Bononiae coronatus esset, postridie venit in Senatum Pontificium, in quo ipse Pontifex Clemens et magna frequentia Collegii Cardinalium aderat. Ibi Mercurinus, nomine Imperatoris longa oratione Synodum flagitavit, et causas exposuit, cur Synodo opus sit. Contra Clemens sua voce Imperatorem hortatur, ut dissentientes a Romana sede armis compescat, quia disputatio sit de rebus antea iudicatis. Nunc restare executionem, et fore exemplum perniciosum, si concedatur, ut res antea iudicatae novis disputationibus labefactentur, semper civitatibus bene moratis hoc salutare fuisse, ἐμμένειν τοῖς νόμοις.

Respondit Mercurinus, multas causas motas esse, quae in superiorum seculorum Synodis non sint agitatae. Et paulatim novos morbos in hac senecta mundi in Ecclesiam pervasisse, quibus quaerenda sint remedia. Haec cum ille gravissima oratione exaggeraret, interpellat eum Clemens, satis tyrannice, inquiens. Quare tu mihi sic contradicere audes? Placide Mercurinus, ut erat in eo summa gravitas. Expono, inquit, mandata Domini mei Imperatoris, qui suo consilio, non ex aliorum praescripto haec agit. Et tamen fateor me quoque ipsius sententiam probare, et ei hortatorem esse, ut in sententia maneat, quia maxime necessaria est universae Ecclesiae iusta deliberatione piorum et doctorum de multis maximis causis. Hic surrexit Imperator Carolus, et sua voce sententiam suam ita exposuit, ut satis adpareret eum non tantum alieno consilio regi. Narrat initio se Deum vero pectore venerari, et Ecclesiae semper obtemperaturum esse, multaque de dissidiis, et eorum remediis cogitare, nec ullum invenire remedium conveniens bonitati Pontificiae et Imperatoriae, nisi hoc ipsum, ut antea Synodus cognoscat controversias. Postea se non defuturum esse executioni.

Etsi autem fateatur se uti et Mercurini et aliorum senum consiliis, ut decet, tamen hanc esse suam sententiam et voluntatem, quam Mercurinus exposuisset, eaque in sententia prorsus se mansurum esse donec spiraret, nec se velle obrui res bonas, quarum explicatio et illustratio necessaria sit Ecclesiae. Erat in oratione Caroli gravitas supra aetatem, quam multi sapientes admirati, de ingenio eius et futura magnitudine honorifice locuti sunt. Ipse Clemens post eam orationem diu tanquam attonitus stetit. Tandem laudare Imperatoris pietatem cepit, et hortatus est, ut Sedis Romanae dignitatem tueatur, ac de Synodo dixit, se collegii sententiis obtemperaturum esse. Hic finis fuit eius contentionis eo die.

Hanc historiam recitavi narratam nobis ab iis, qui interfuerunt, quam quidem scire vos quoque volui, quia utile est scire, quae fuerint summorum Principum in re tanta, et iudicia et voluntates. Esset omnino pia Synodus Ecclesiae necessaria. Sed optari potest, sperari in tantis hominum furoribus non potest. Nos autem oremus filium Dei ut ipse sibi inter nos semper Ecclesiam aeternam colligat, et faciat, ut unum sint in ipso multae Ecclesiae vera invocatione consociatae. De tua quaestione vero breviter respondebo, usitatum est vetera dicta male detorquere ad superstitionem et ad tyrannidem. Ad illam

vero Hyperbolem in libro Decretorum quam recitasti, in qua dicitur frustra servari Evangelium, si non serventur Canones Synodorum, simplicissima responsio est. Non esse ludendum ambiguitatibus et cothurnis in Ecclesia, sed explicate dicendum quae doctrina necessaria, quae non sit necessaria, de qua re a nobis alias saepe dictum est. Dixi.

---

**No. 48.** **14. Aug. 1550.**

In Quaestion. p. 96 sq. Item in Mel. Consil. P. II. p. 122. et in Select. Declam. T. III. p. 790. et in Tomo Erfurd. lit. Z. 2. Richard. T. III. p. 465.

## *Quaestio recitata a Mag. Andrea Martino, Rostochiano, d.* 14. *Aug.* 1550.

Nota est vobis consuetudo Scholae, quae cum necessitatem mihi hoc loco dicendi imponat, peto utrunque, et ut veniam mihi detis in tanta frequentia, et in tali seniorum consessu dicenti, et ut meam orationem boni consulatis. Sapienter autem institutum est, ut nos iuniores tantum quaestionem proponamus, ut occasio senioribus detur. Nam horum congressuum ornamentum praecipuum est, vera de rebus bonis, et vitae utilibus oratio. Itaque cum sapiens antiquitas, id quod facilius est, et nostrae aetati convenientius, nobis mandaverit, videlicet ut quaestionem tantum proponamus, libentius obtempero: et hoc meum officium caeteris prodest, qui explicationem quaestionis a Doctore deinde audient.

Cum autem nunc de Synodo multorum sermones audiantur, et digna materia sit homine docto, cogitare, qualia semper fuerint in Ecclesia Synodorum iudicia, et quae sit earum authoritas, inde quaestionem sumpsi: *Utrum cum in Ecclesia necesse sit esse iudicia de doctrina, et interpretationem, et summa iudicia sint Synodi, liceat obligare homines, ut obtemperent Synodi interpretationi, seu iudicato, antequam norint quid decretum sit?*

In huius quaestionis explicatione primum hoc manifestum est, velle Deum, ut sit publicum ministerium Evangelii in Ecclesia, nec sit tyrannis, sed cum incidunt controversiae, deferantur ad totam Ecclesiam, sicut scriptum est: Dic Ecclesiae. Item: si fuerit sedenti revelatum, taceat prior. Synodos igitur in Ecclesia congregari necesse est. Nec aliud pulchrius est spectaculum, quam talis coetus, qualis fuit Apostolorum, et aliorum, qui passim sparserant Evangelium, congregatio, quae recitatur in Actis cap. 15. Nec vult Deus fieri dissipationes infinitas, quales fierent, si singuli suas quasdam opiniones comminiscerentur, nec convenirent doctores, nec collatis sententiis curarent extare unam doctrinae vocem. Cum igitur Synodos esse necesse sit, sic argumentor:

Iudicium, cui non necesse est parere, inutile est.
Cognitio in Synodis est summum iudicium in Ecclesia.
Necesse est igitur parere.

Ut igitur sit finis discordiarum, recte facit potestas obligans homines, ut obtemperent, cum alioqui parere necesse sit. Haec in politicis iudiciis ita fieri manifestum est. Potest cogere potestas litigantes, ut summo iudicio obtemperent, et non obtemperantes iuste punit. Esset enim Nomadum vita, si summorum iudiciorum nulla esset authoritas, ut Euripides inquit: Νομάδες ἀκούει οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενός.

Hoc argumento Pontifices suam potentiam valde stabiliunt. Quod cum falsum sit, explicatione indiget. Nam et ante haec tempora multi docti viri scripserunt, Synodos errare posse, et errata quarundam manifesta sunt. Certe in proxima Tridentina Synodo manifeste impius error confirmatur in decreto, quod iubet semper dubitare, an simus in gratia. Haec dubitatio prorsus abolet Evangelium. Oppono igitur priori argumento aliud firmius:

Si quis aliud Evangelium docet, Anathema sit.
Cum igitur Synodus decretum facit contra Evangelium, refragari Synodo necesse est.
Nemo igitur obligandus est, ut obtemperet decretis nondum auditis.

Hoc argumentum perspicuum et immotum est. Cum autem in hac quaestione contineantur multa, quorum explicatio in Ecclesia necessaria est, defero hanc quaestionem ad virum doctissimum, reverendum D. Doctorem *Georgium Maiorem*: eumque oro, ut propter Scholae utilitatem, quid in hac gravissima quaestione sentiendum sit, statuat.

*Responsio Doctoris Georgii Maioris.*

Verissimum est quod dicis, nullum in vita pulchrius spectaculum esse, quam videre coetum senum eruditorum timentium Deum, et sapientum, qui sunt organa Spiritus sancti, qualis fuit aut Apostolorum congregatio, de qua dixisti, aut conventus in Nicea trecentorum et octodecim Episcoporum, quo in numero erant multi, qui in confessione constantiam et robur fidei declaraverant, et signa suppliciorum adhuc in corpore habebant: Aliis oculi effossi erant, aliis mutilata brachia, aliqui mortuos revocaverant in vitam. Talem consessum videre et audire, quanta foelicitas est? Talis consessus si quando iudicat controversias Ecclesiae, vere hymnum angelorum canit: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, hominibus laeticia.

Ac singulari consilio Deus voluit iudicia Ecclesiae hoc modo exerceri, non ut tyrannis esset, sed ut multi docti et pii sententias placide conferrent, et multi essent veritatis testes, et singuli aliorum testimonio confirmarentur. Ideo scriptum est: Si fuerit sedenti revelatum, taceat prior. Talem conventum verae Ecclesiae aliquando fieri optemus.

Illi vero conventus Pontificiae factionis, ubi homines polluti idolis et libidinibus, aut fascinati tetris erroribus, *καὶ τετυψωμένοι*, conveniunt hanc ipsam ob causam, ut suos furores et suam tyrannidem confirment, qualis fuit congregatio in proxima Tridentina Synodo, aut Bononiensi, nequaquam sunt verae Ecclesiae Synodi, sed sunt conventus cercopum, aut veteres dicebant: *ἀγορὰ κερκώπων*.

De his facilis est refutatio argumenti tui:

Iudicium sine authoritate est inutile:
Cognitio in Synodo est summum iudicium.
Igitur parere necesse est.

Respondeo de minore: Etiamsi iudicium in Synodo vera summum esset, tamen hi conventus Pontificii, non sunt Synodi verae Ecclesiae. Nulla vox libera hominis pii et eruditi auditur. Non servatur lex divina et naturalis, *ἀμφοῖν ὁμοίως ἀκροᾶσθαι*. Et iudicant homines Epicurei de rebus ignotis, quod etiam veteri versu prohibitum est.

*Μήποτε δὲ κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἐάσεις.*

Itaque argumentum illud de iudicii authoritate non patrocinatur his Synodis, quas Pontificia factio instituit. Haec responsio perspicua est.

Sed quid, si sit vera Ecclesia, et legantur idonei iudices, ut in vera Ecclesia tempore Apostolorum, tamen controversiae oriebantur, quae tunc erit authoritas?

Haec quaestio obscurior videri potest, quia imago imperiorum non transferenda erat ad Ecclesiam. Viri politici imaginantur, posse tolli dissidia doctrinarum, sicut civiles controversiae tolluntur: ac postea similem volunt esse potestatem iudiciorum Synodi, et iudiciorum Politicorum, qua in re magnus est error, sed tamen plurimorum animis ita infixus, ut evelli non possit, ac prorsus fit hac in re, quod dixit Simonides: *τὸ δοκεῖν βιάζει τὴν ἀλήθειαν*. Valent iudicia civilia authoritate Regia seu Praetoria. Valet et interpretatio legum, authoritate Regia seu Praetoria. Necesse est igitur parere.

Sed non est similis authoritas iudiciorum in Synodis in Ecclesia, quia Synodi non sunt summi iudices, sed ipsa vox Dei, et interpretatio non est alligata personis iudicantibus. Donum est enim in Ecclesia, non est potestas attributa certis gradibus, ut interpretatio legum civilium certis gradibus attributa est, quia controversiae civiles ratione iudicari possunt, quae communis est omnium sanorum. Et cum nullum sit animae periculum in iactura rerum corporalium, obedire sententiae iudicis etiam errantis licet.

At in doctrina nequaquam obediendum est sententiae iudicis errantis. Ideo nemo obligandus est, ut promittat se obtemperaturum sententiae Synodi, quam nondum audivit. Nam etiam sancti labi possunt, possunt et numero suffragiorum vinci, etiam cum ipsi veras sententias dixerunt. Saepe enim hoc accidit, ut maior pars vincat meliorem. Nec in Ecclesia, ut in imperiis, valere debent sententiae numero.

Ergo inquies, iudicia Synodorum sunt inutilia? Respondeo: Etiam verae Synodi iudicium non penitus tollit controversias, ut politicum: ut nec Apostolorum Synodus, nec Nicena penitus sustulerunt controversias, de quibus pronunciarunt. Imo incendium Arianum, aliquanto post multo maius factum est, ut fit igne paulisper represso, non prorsus restincto. Eatenus igitur fatendum est Synodi iudicium inutile esse, quia non penitus tollit controversias.

Prosunt autem verae Synodi ad confirmandum imbecilles, aut sanandos dociles, ut ad Petrum dictum est: Et tu conversus confirma fratres tuos. Nec sunt horum sententiae aliud, nisi confessiones, quas cum alii audiunt, intelligunt congruere cum voce summi iudicis, scilicet, cum dictis scripturae non ambiguis.

Quod autem homines prophani clamitant, multa in scripto ambigua esse, manifesta perversitas est. Deus immensa misericordia patefecit se, non ut hominibus ambiguos et flexiloquos sermones, tanquam folia Sibyllae aut Sphingis aenigmata aut pomum ἔριδος obiiceret, sed agnosci et vera ac firma fide invocari voluit. Ideo veram, certam, firmam, immotam doctrinam, verbis non dubiis tradidit. Sicut Psalmus inquit: Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Sed multo longior est refutatio contradicentium, quam ut hic tota exponi possit, quae quidem piis nota esse debet, ut sese confirment. Nam adversarii non servant legem disputationum Euripideam, ἔλεγχ' ἐλέγχου. Etiam convicti non desinunt quaerere calumnias. Oremus autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos gubernet, et lucem veritatis suae et veram invocationem inter nos non sinat extingui. Dixi.

---

No. 44. 2. Oct. 1550.

In Quaestion. p. 100. et in Cons. P. II. p. 181. et in Sel. Decl. T. III. p. 781. Richard. III. p. 459.

*Quaestio a puero proposita nobili viro, Georgio Veneto, Pruteno, cum decerneretur ipsi gradus Doctorem Theologiae, d. 2. Oct. 1550.*

Etsi non est nostrae aetatis, quaerere causas, propter quas institutum est, ut pueris dicendi locus in his congressibus tribuatur, sed nos obedientia decet, tamen duae causae videntur esse non leves huius consuetudinis. Voluerunt maiores nostri eos, quorum aetas est grandior, commonefacere de hoc dicto: Debitor sum sapientibus et insipientibus. Voluerunt ut in docendo attemperent se ad infirmorum captum, non ostentent acumen ingeniorum, sed proponant utilia.

Deinde pueros etiam invitare voluerunt ad admirationem et amorem doctrinae de Deo, et cogitari a nobis, hoc loco dictum filii Dei, qui inquit: Sinite parvulos venire ad me. Ut igitur consuetudini veteri obtemperem, quaestionem hanc propono:

*An cum Paulus dicat: Ecclesiam esse columnam et sedem veritatis, possint errores contra fundamentum ita grassari, ut videantur esse universalis consensus?*

De hac quaestione tuam explicationem venerande D. Doctor *Venete* flagito. Nam hoc tempore nervus est maximorum errorum consuetudo, quam dicunt fuisse universalem multis saeculis.

De iusticia fidei fuit silentium, et scriptores plurimi docent, homines iustos esse propter propria opera. Ubique et diu recepta fuit oblatio in missa, et adoratio panis. Ubique recepta fuit invocatio hominum mortuorum.

Hi portentosi errores defenduntur consuetudine, cuius tanta vis est, ut multi ne audire quidem velint aliquid dicentes contra persuasionem, qua olim rudes animi imbuti sunt, et videmus verissimum esse, quod inquit Aristoteles: Sicut adsuefacti sumus, ita volumus dici.

Et hoc argumento nituntur multi: Promissiones Dei necesse est esse ratas.

Ecclesiae est promissus Spiritus sanctus, et agnitio veritatis.

Ergo necesse est Ecclesiam non errare universaliter.

Quid igitur respondebimus his, qui nobis multorum saeculorum consensum opponunt? Arbitror collatis praedictionibus in Evangelio, respondendum esse, Simul enim dicitur in Evangelio, errores late grassaturos esse in magna parte gubernatorum et populi, qui nomen habet Ecclesiae.

Utraque igitur sententia Synecdoche est: Manet in Ecclesia veritas, id est, in paucis, ut cum filius Dei penderet in cruce, mansit veritas in Maria et in sorore Mariae, in Iohanne, in latrone, et fortassis in paucis aliis. Et tamen in plurimis extincta fuit, ut pene universales tenebrae esse existimarentur.

Haec species valde offendit hominum mentes, et videtur durum, dicere, multos sapientia et authoritate praestantes, et sustinentes magnum laborem in ministerio, perniciose errare.

Te autem adhortor ad huius quaestionis explicationem, et filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oro toto pectore, ut nos regat, et lucem veritatis non sinat extingui. Dixi.

---

No. 45. 6. Nov. 1550.

* In Quaestion. p. 101 b.

***Quaestio a Paulo Ebero filio, nondum octo annorum, recitata, cum renunciaretur Doctor artis Medicae Mag. Paulus Vadinus, Salisburgensis, an. 1550. d. 6. Nov.***

Non decet meam aetatem, causas huius moris inquirere, cur Maiores nostri voluerint Pueros, in hos coetus doctissimorum virorum productos verba facere: Sed aequum est, me reverenter obtemperare iis, quorum authoritate huc ascendere iussus sum, quos magnifacere me divini mandati cogit severitas. Quare omissa longiori excusatione huius mei facti, primum tibi clarissime Domine Doctor *Paule*, propter amicitiam, quae meo Patri tecum est, gratulor istum honorem, quem et pietas et eruditio tua meretur: et precor Deum, ut tua studia et medicationes ipse clementer regat ac fortunet, et adiuvet, ut fias organum salutare plurimis, tuam opem medicam implorantibus.

Deinde pro scholarum more quaestionem propono, congruentem cum disputatione tua proxima, in qua diceris causas, utilitates, et impedimenta respirationis docte explicasse, videlicet:

An recte dixerit Galenus et alii, foetum in utero materno non respirare, attracto per nares aut os aëre, sed temperari calorem cordis illo purissimo sanguine et spiritu, qui duabus venis, et totidem arteriis ex materna alvo per umbilicum in venam cavam et aortam infantis invehitur, et inde per meatus quosdam, peculiariter ad id factos, in pulmonem infunditur, atque in dilatatione cordis inde exhauritur in sinistrum ventriculum cordis, atque ita, ut ipsi dicunt, praestat idem cordi infantis in utero, quod adultis externus aër per spirationem attractus.

Haec sententia Medicorum videtur pugnare cum iis, quae dicuntur de officiis et necessitate respirationis, ubi omnes fatentur, omissam exiguo tempore respirationem, certissimam ac subitam mortem afferre animalibus.

Cum igitur infans in utero vivat et moveatur, et inclusus illi ceu furno, calidissimo matris utero, magis etiam refrigeratione indigere videatur, quam editi in hanc lucem, ubi circumfunduntur aëre frigido: quomodo fieri potest, ut cor non stranguletur illa assidua tostione, et dissolvatur si nullam habet ex pulmonis et thoracis ventilatione refrigerationem, et fuliginum ex sinistro ventriculo egestionem?

Hoc certe explicatu difficile est, etiam ipsi Galeno, qui etsi salse deridet eos, qui hanc ipsius sententiam impugnant, similes eos esse dicens cuidam Agasoni, qui, cum asinis suis numeratis, sensisset unum numero abesse, iratus, accusare vicinos furti cepit, oblitus se illi asino insidere, quem amissum credebat: Tamen eiusmodi monstrat meatus, per quos illam mitigationem aestus in corde perfici dicit, ut difficile sit, assequi, quid velit, et vix sit credibile, rem ita se habere.

Sed huic sententiae Galeni suffragantur diligentiores Anatomici, qui certo affirmant, nullum respirationis motum in foetu apparere, quandiu panniculis suis inclusus tenetur, cum tamen pellicularum tanta sit tenuitas et perspicuitas, ut ille motus thoracis, si quis esset, latere aspicientem non queat.

Sed ubi primum lacerata, aut quoquo modo patefacta fuerint involucra, ita ut hunc extremum aërem sentiat foetus: tunc miro et manifesto conatu dicunt infantem contendere ad motum thoracis, et cupide attrahere aërem, tanquam gratum refrigerium, et mox deinde vagitum edere, cum antea in utero iacuerit sine voce, ad cuius formationem adiumentum spirationis, et compressio thoracis requiritur.

Cum igitur difficilis sit haec quaestio, et digna explicatione, oro te clarissime Domine Doctor, ut nobis illustribus rationibus ostendas, utrum sententia Galeni vera sit, et quomodo infans in utero vivere possit sine respiratione, qua alias impedita exiguo tempore, hominem extingui necesse est.

Quod si recte dixit Galenus, haud dubie ingens miraculum est, illa infantis in utero vita, respiratione carens. Et sicut tota infantis in utero formatio, nutritio, et conservatio, est imago pul-

cherrima Ecclesiae in hac vita, quae est inclusa ministerio verbi, non aliter, quam foetus panniculis suis: ita etiam haec cordis refrigeratio et spirituum vitalium generatio, quae fit sine spiratione pulmonis, videtur esse imago donationis Spiritus sancti et vivificationis in sanctis. Sicut enim infans non haurit immediate vitalem illum halitum ex hoc aëre, sed ex matre tantum accipit per longos arteriarum ductus aërem prius temperatum, et tamen efficacem ad mitigandum cordis aestum, et ad tuendam vitam: ita in Ecclesia datur Spiritus sanctus per verbum et per ministerium verbi vocalis. Nam Spiritus sanctus non est efficax extra verbum, et extra coetum vocatorum, in contemnentibus aut negligentibus verbum, sed affert vitam ac consolationem, et accendit novos motus ac novam lucem in iis tantum, qui pie amplectuntur verbum Dei de Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, illud amant, legunt, meditantur, magnifaciunt.

Postea vero sicut infans extractus ex claustris materni uteri, non est contentus, nutrimentum ex uberibus matris accipere, sed ipse iam avide haurit aërem hunc externum, perfusum coelestium corporum radiis: Ita post hanc vitam laeti coram fruemur consuetudine et complexu dulcissimo Dei, et perfundemur et illustrabimur immediate spiritu Dei, per quem in aeternitate vivemus, et qui in hac temporali vita propemodum muti sumus coram Deo, ut infans in utero, aut nihil fere nisi querelas de nostra miseria et indignitate mussitamus: tunc concepto intra pectora nostra illo spiritu Dei, erumpemus in laetas voces, et aeternis laudibus celebrabimus immensam misericordiam Dei. Quem Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut nunc quoque in hac aerumnosa vita regat et illuminet suo vivifico spiritu nos miseros et imbecillos puerulos, ut possimus fieri vasa misericordiae, et organa salutaria nobis et aliis. Tueatur etiam et conservet carissimos parentes et praeceptores nostros, qui sunt dulces illi canales, per quos nobis coelestis sapientia et vita transmittitur, et defendat in his furoribus diaboli, ac foveat politias, scholas et Ecclesias, quae sunt panniculi, quibus involuti suaviter gestamur, nutrimur, rigamur, et vivificamur coelesti rore. Dixi.

***Responsio ad Quaestionem Pueri, D. Pauli Vadini.***

Est omnino ut dicis, carissime puer, quaestio digna explicatione, quam proponis ex Galeno, cui autori ut in alia tota Medica arte merito plurimum tribuimus, ita hic quoque plane assentior, affirmanti infantem in utero materno vivere sine respiratione, quae thoracis ac pulmonis *συστολῇ καὶ διαστολῇ* perficitur, praesertim cum eius rei testes habeat *αὐτόπτας* Anatomicos, qui experientiae allegant testimonium, fide dignissimum. Quomodo autem constare et durare possit vita infantis in utero sine hac respiratione, longa esset explicatione opus, si Galeni sententiam de peculiaribus meatibus, quibus sanguis et spiritus vitalis in pulmonem invehitur, enarrare deberem. Et est profecto ea res miraculo simillima, sicut ipse quoque Galenus exclamat, id esse *θαυμάτων πάντων μέγιστον*, quod illi meatus cavae venae, et Arteriae magnae, ingredientes in vasa pulmonis, in infantibus conspicui et manifesti post partum, cum spirare puer Thoracis motu coepit, ita evanescant, ut ne vestigium quidem amplius ullum eorum appareat.

Sed quia temporis angustia non patitur hoc in loco longiorem de ea re sermonem instituere, ista explicatione omissa transibo ad aliud orationis genus, magis necessarium, quodque ego omnium libentissime hic publice usurpo, videlicet, ut gratias agam praeceptoribus meis, quorum opera et fide ad hunc gradum evectus sum etc.

---

No. 46. 9. Dec. 1550.

In Quaestion p. 104 b. et in Mel. Consil. P. II. p. 132.

***Quaestio a Paulo filio, recitata in renunciatione Dom. Doctoris Iohannis Schurstab, Noribergensis, 9. d. Decembr. an. 1550.***

Credo honestissimo consilio institutum esse, ut nobis pueris in his spectaculis, in quibus gravissimi viri, senecta, sapientia et virtute praestantes conveniunt, dicendi partes etiam tribuantur. Voluit enim sapiens antiquitas nos statim a teneris esse spectatores horum congressuum, et hoc exemplo et similibus invitare ad literarum et doctrinae admirationem. Cum autem fuerit honesta

causa huius instituti, sive haec, sive alia, nostram aetatem decet obedientia. Quare cum non sumpserim mihi has dicendi partes meo arbitrio, sed obediam publicis legibus, et carissimo patri meo, vos oro, ut veniam mihi detis. Usitatum est autem quaestionem proponere novis Doctoribus. Sumam igitur ex huius temporis controversiis quaestionem dignam consideratione eruditorum. Fatendum est, magnas in Ecclesia tenebras fuisse, et Deo gratiae agendae sunt, quod lucem Evangelii subinde restituit, et hoc tempore immensa bonitate tetros errores depulit voce Reverendi viri D. *Martini Lutheri*. Quia vero multi adversantur, et reprimi defensores abusuum authoritate Synodi utile esset, sicut semper in Ecclesia Synodi convocatae sunt, ad tollenda dissidia, quantum fieri posset, nec Episcopi Synodos indicere volunt: Quaestionem tibi propono: *An cum Romanus Pontifex et caeteri Episcopi nolint Synodum indicere, Imperator recte facturus sit, si ipse ad communem et piam diiudicationem controversiarum, Episcopos et alios idoneos homines convocet?*

Negant pertinere ad officium Imperatoris hanc convocationem, quia non sunt miscenda officia potestatum, sicut scriptum est: Hoc studiose agatis, ut propria faciatis. Et versus antiquus dicit: Tu supplex ora, tu protege, tuque labora. Miscentur autem officia, cum Imperator usurpat iurisdictionem pertinentem ad Episcopos. Non igitur licet ei convocare Synodum.

Sed contraria exempla, quae et pia et salutaria fuerunt, leguntur.

Constantinus sua authoritate convocavit Synodum Nicenam, eique interfuit tanquam βραβευτής, rogavit sententias, subscripsit decreto.

Valentinianus Sardicensem convocavit, Arcadius Ephesinam, et hodie extat forma indictionis in totius eius Synodi historia; quae Graeca adhuc servatur in bibliotheca Phorcensi.

Synodum Chalcedonensem indixit Martianus, et disputationi interfuit. Leguntur et alia multa exempla Regum, quorum non tanta fuit authoritas.

Cum autem eventus ostenderit, has Synodos profuisse Ecclesiis, et horum principum fuerit excellens sapientia et pietas: Cur non et hoc tempore in tanta varietate dissensionum Imperator et Reges Synodum indicerent? Et pertinere hoc ad officium eorum, hinc intelligi potest. Manifestissimum est, Reges et omnes Magistratus politicos debere externa idola tollere, et blasphemias prohibere et punire. Nunc Papa et Episcopi et addicti, defendunt manifesta idola et blasphemias. Ergo necessario debent Reges et caeteri Magistratus politici haec mala tollere. Et ut ordo servetur, iuxta illud: *Dic Ecclesiae*, primum ipsi has controversias offerant Ecclesiae. Hoc revera est Synodos convocare, proponere piis et doctis Pastoribus diiudicationem controversiarum, et petere, ut ipsi recte doceant homines. Constituto autem doctrinae consensu, postea reges tollant externa idola, et prohibeant blasphemias. Quia Magistratus custos est totius Legis in externa disciplina, non tantum secundae Tabulae.

Sed de hac quaestione clarissime D. Doctor tuam sententiam nobis exponito; quia nobis maxime optandum est, ut Ecclesiam consentientem, nobis maiores nostri tradant, ne dissipationes maiores ad posteritatem fiant.

Te igitur fili Dei, Domine Iesu Christe, toto pectore oro, ut tu nobis Ecclesiam et hospitia eius serves, et nos luce tuae doctrinae, et Spiritu tuo sancto gubernes. Dixi.

---

No. 47. 30. Dec. 1550.

In Quaestion. p. 106 b. et in Sel. Declam. Tom. IV. p. 893. Richard. P. II. p. 229.

*Quaestio a Iohanne Strubio iuniore recitata, d. 30. Dec. 1550. cum decerneretur gradus Doctorum in arte Medica M. Ioanni Alberto, Cygneo.*

Et nostrae aetatis est, parentum ac legum voci modeste obedire, etiamsi non semper causas eorum, quae praecipiuntur, intelligimus, et vos puerilem orationem patienter audire humanitate vestra dignum est. Mirum quidem videri potest, quod in talibus consessibus honestorum et doctorum virorum, quibus propter virtutem eruditionem et senectutem, reverentiam debemus, nobis tamen dicendi partes aliquae tribuuntur. Sed credo eos, qui fuerunt autores huius moris, probabili causa motos esse. Voluerunt nos specta-

tores esse harum renunciationum, ut mirari honores artium, et ipsas artes inciperemus. Cum autem multa magna beneficia nostra aetas ab arte medica accipiat, decet nos assuefieri, ut et ipsius artis dignitatem considerare incipiamus, et medicos fideliter nostrae vitae servientes veneremur.

Quare, etsi nihil adferre dignum vestris auribus possum, tamen ut meam graditudinem aliqua significatione ostendam erga Deum, et erga medicam artem, patri iubenti, ut in hoc loco quaestionem proponerem, libenter obtempero.

Primum itaque Deo omnipotenti, conditori coeli et terrae et hominum, et aliarum creaturarum, aeterno Patri Domini nostri Iesu Christi, et filio eius Iesu Christo, crucifixo pro nobis et resuscitato, et Spiritui sancto, gratias ago, cum pro omnibus beneficiis, tum vero pro hoc munere, quod vitam nobis largitur, nos mirabiliter alit, et condidit ac monstravit res salubres, et utiles ad conservationem vitae, et ad morborum depulsionem, et ipsum fontem vitae et conditorem rerum bonarum oro, ut nobis adsit, et sua dona nobis servet, quae quidem sunt testimonia providentiae. Deinde et arti et Doctoribus reverentiam perpetuam nos debere profiteor, quam quidem praestabo omni studio.

Nunc quaestionem hanc tibi clarissime domine Doctor *Iohannes Alberte* propono: *An recte dictum sit a Xenophonte, bibendum esse ita, ut sitiens desinas. Sicut inquit Xenophon διψῶν παύεται. An vero rectius dictum sit in veteri comoedia? τρεῖς μόνους κρατῆρας ἐγκεραννύω, τοῖς εὖ φρονοῦσι, τὸν μὲν ὑγείας ἕνα, τὸν δὲ δεύτερον ἡδονῆς, τὸν τρίτον ὕπνου, ὃν ἐκπιόντες οἱ σόφοι κεκλημένοι οἰκάδε βαδίζουσιν.* Tres tantum crateras praebeo prudentibus. Primum sanitatis. Secundum voluptatis. Tertium somni. Quo hausto prudentes eunt domum. Utra sit sententia gratior, non obscurum est. Sed tamen ille durus adolescens Cyrus, apud Xenophontem, videtur nobis legem ferre pugnantem cum natura. Natura enim expetit tantum restitui, quantum absumptum est, et tantisper adpetitio non est viciosa, donec naturae satisfactum est. Iam si minus bibatur, quam quantum absumptum est, non satisfit naturae. Bibendum est igitur tantum, ut sitim restingnas, et expleas. Imo etiam corpori rigatio aliquanto largior prodest, tum iuvenili, tum senili, propter varias causas. Labor enim in iuvenili corpore statim multum absumit. Senilia corpora sunt aridiora, et largius humectanda sunt, et fiunt intestina sicciora, si sitim ferant.

Sed contrarium argumentum est: Sitis plus adpetit, quam naturae opus est. Non igitur siti gratificandum est. Sed videndum, quis modus naturae congruat. Itaque videmus adsuefactos ad modicum potum, et minus sitire, et melius coquere cibos, et rectius naturam reficere, et valetudinem habere firmiorem, ut hic Hubertum Burgundum vidimus parcissime bibentem, optime valere, ac dicebat is, se in Italia saepe in aestate, toto mense a potu abstinuisse, interea tamen lambentem poma Persica rigasse corpus. Nec dubium est, naturam modico potu contentam esse. Sed de hac quaestione tuam responsionem arbitror gratam fore omnibus. Ideo abs te peto, ut exponas, quam moderationem nostris corporibus utiliorem esse statuas. Dixi.

---

**No. 48.** **(an. 1551.)**

In Melanth. Consil. lat. P. II. p. 154 sq. — Pertinent hae quaestiones non ad academicas, igiturque eas, in epistolis simul cum iudiciis dare debebamus. Quod quum ibi non factum sit, hic inserere voluimus.

## *Quaestiones aliquot de Sacramentis et aliis materiis theologicis a D. Ch. (Chiliano?) propositae D. Philippo, et huius Responsiones quaestionibus singulis adiectae.*

Reverenter peto, ut breviter significetis, quomodo simplicissime et rectissime de finibus Sacramentorum loquendum sit.

### I. Quaestio:

*Rectene dicitur de Sacramentis, de baptismo, et de Coena Domini, quod confirment fidem, vel quod propter confirmationem fidei instituta sint? Cumque in articulis fidei nihil sit sine expresso verbo Dei statuendum, quaero, ubi hic finis proponatur in scriptura?*

### Responsio Ph. Melanthonis.

Dico recte dici ad confirmandam fidem, iuxta illud: σφραγίδα δικαιοσύνης. Item, *Hoc facite in mei commemorationem*, videlicet fidelem. Nec tantum sunt symbola professionis, aut congregationis, quanquam et hoc sunt.

II.

*Cum Sacramenta dicantur confirmare fidem, quaero an hoc ita explicandum sit? Sicut fides per verbum excitatur, alitur, et confirmatur: Sic Sacramenta quoque sunt notae incurrentes in oculos, commonefaciunt nos de promissione, Et hac cogitatione excitata, verbo et nota visibili, fides accenditur et augetur?*

Respon.

Prorsus eodem modo, et tollendum est figmentum de opere operato.

III.

*Hinc sequitur: Sacramenta non esse conferentia remissionem peccatorum, et vitam aeternam: Nec verum esse discrimen: Sacramenta veteris legis significabant, haec autem dant salutem. Imo sicut sacrificia veteris testamenti commonefaciebant pios de promissione, et de ventura victima: Sic baptismus et Coena Domini tantum sunt signa commonefacientia nos de promissione filii Dei.*

Respon.

Recte dicis.

IV.

*An vero ita dicendum est? In Sacramentis certius nobis signum praeberi, quam sit ipsa promissio, ut primi parentes miraculosa incensione victimarum convincebantur de certitudine promissionis? Sed magna videtur esse dissimilitudo. Maiore enim fide in accipiendis signis, quam ipsa promissione amplectenda opus est. An vero rectius dicitur? Baptismum esse Sacramentum conferens salutem, ut clare dicitur:* Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. *Item,* Mundavit Ecclesiam lavacro aquae in verbo. *Et usitate dicitur, infantibus in baptismo dari fidem, et inchoari in eis inclinationes ad Deum.*

Respon.

De infantibus prorsus singulare opus est Dei, in adultis necessaria sunt poenitentia et fides, iuxta illud: *Fides ex auditu est: auditus per verbum Dei*: Salvos nos fecit, sed credentes, et fide accipientes. Et vult Deus signa non negligi. Vult hoc modo colligere Ecclesiam per verbum. Item, Sacramenta sunt necessaria, sed sicut signa, cum haberi possunt: Ideo et Cornelius baptizatus est, quia cum prius esset membrum Ecclesiae, voluit etiam hunc baptismum esse confirmationem fidei in ipso. Latro in cruce non est baptizatus usitato ritu, quia ritum habere non potuit. Neque refert.

V.

*Huic sententia adversatur Cornelii et aliorum exempla, qui habuerunt remissionem peccatorum, et Spiritum sanctum acceperunt, priusquam baptizarentur. Sicut Abraham ante circumcisionem iustus fuit.*

Respon.

Responsio antea dicta est.

VI.

*Ostendatur ratio diversitatis: Cur baptismus infanti sit conferens, alii adulto non sit conferens, in quo fidem praelucere necesse est, ut dicitur,* Qui crediderit, etc.

Respon.

Differunt actio Dei in infantibus et adultis.

VII.

*De Coena Domini non potest dici, quod ibi detur, aut quaerenda sit remissio peccatorum, quia pii et impii pariter iuxta vulgarem opinionem accipiunt.*

Respon.

Dicitur valde improprie, sed quaero remissionem peccatorum in verbo, id est, fide per verbum commonefactus in filium Dei. Sic de Sacramentis declaretur.

VIII.

*Fortassis ita rectissime explicabuntur, Deum esse efficacem per verbum, tanquam per instrumentum, et per Sacramenta, tanquam per signa commonefacientia nos de verbo, quae per seipsa nihil conferunt, sed a mente fideli accepta commonefaciunt eam de promissione.*

Respon.

Idem est de verbo, et Sacramentis, nisi quod verbi maior necessitas sit, iuxta dictum, *Evangelium est potentia Dei.*

IX.

*Quaero item, an Sacramenta sint omnibus ad salutem necessaria, cum multi remissionem peccatorum, et Spiritum sanctum ante Sacramentorum usum consecuti sunt.*

Respondeo

Ut supra. Sunt necessaria, sicut signa sunt necessaria, cum haberi possunt, ut in Cornelii historia. Quia Deus hoc modo vult Ecclesiam colligere, non vult signa negligi, cum haberi possunt.

X.

*Cum dicitur in baptismi institutione*: Ite, docete omnes gentes. Et qui crediderit, etc. *Infantes autem nec doceri possunt, nec intelligunt doctrinam, quaero, an baptismus infantibus applicandus sit, et an eis prosit ex opere operato sine bono motu infantum, vel an fides aliena ipsis prosit?*

Respondeo

Ut supra. Certum est, infantes fieri salvos, et de his est certum, qui sunt inferti Ecclesiae, et hoc fit singulari opere Dei, et modo.

XI.

*Usitate dicitur. Deus est efficax per verbum et Sacramenta, quaero, an Deus, sicut nunquam sine verbo, ita etiam sine Sacramentis non sit efficax?*

Respon.

Non est similis necessitas.

**De peccato originis Ζητήματα.**

*Στέρησις est formae, quae potest adesse.*
*Iustitia originis nunc non potest esse in natura.*
*Ergo peccatum non est στέρησις iustitiae originalis.*

Respon.

Definitio τῆς στερήσεως non sic intelligatur, quod semper possit reponi habitus, ut caecitas est στέρησις, etiamsi exoculatus nunquam restituitur, sed hoc significatur: στέρησιν eius formae abiectionem esse, quae erat huic naturae attributa. Et tamen iustitia restituitur.

Aliud argumentum.

Peccatum est reatus.
Sancti non sunt rei.
Ergo sancti non possunt propagare reatum in posteros.

Respon.

Generatio fit secundum naturam, qualis nunc est, ac propagatur similis massa. Reatus vero est relatio, quae in sancto remota est nova Dei ordinatione.

Aliud argumentum.

*Mors est poena peccati, ut dicitur*, Corpus morti destinatum est propter peccatum. *Iam si peccatum est in anima, sequitur, una cum corpore animam morti destinatam esse, et extingui.*

Respon.

Potest simplicissime responderi, Anima in discessu habens iam initia sanctificationis, prorsus liberatur a peccato, sicut Paulus dicit ad Romanos: *Corpus mortuum est propter peccatum: Spiritus autem est vita propter iustitiam.*

Aliud argumentum.

*Peccatum alterius neminem damnat, ut dicitur*, Anima ipsa morietur, quae peccavit.
*Peccatum originis haeret in nobis propter lapsum primorum parentum.*
*Ergo vel non damnat, vel non recte dicitur*: Propter lapsum primorum parentum non sumus rei.

Respon.

Maior est tantum vera de peccatis actualibus: De originali manifeste dicit Paulus Rom. 5.: *Sicut per unius delictum condemnatio pervenit ad omnes.* Et fuit Adae data haec integritas, ut pro tota humana specie eam vel retineret obediens, vel amitteret inobedientia. Et est Adam forma futuri.

Aliud argumentum.

Qualis persona, tales actiones sunt: Qualis arbor, talis fructus, vel iustus iusta facit.
Adam fuit iustus, nulla labe peccati aspersus.
Ergo tales sunt ipsius actiones, et per consequens, non peccavit.

Respon.

Maior, qualis persona, scilicet manens talis in agendo, talis actio. Nunc de Minore. Adam fuit iustus, sed mutabilis. Mutans igitur voluntatem desinit esse iustus. Vides similitudinem de arbore non prorsus congruere, quia arbor non agit libere.

Aliud.

Similia gignuntur ex similibus.
Christiani sunt iusti, non tantum imputatione, sed etiam qualitate, seu iustitia inhaerente.
Ergo tales procreant.

**Respon.**

Ad Minorem, Iustitia tum imputata, tum inchoata ad generationem carnalem nihil pertinet. Sed generationis carnalis causa est natura, qualis ab Adam est accepta.

**Quaestio.**

*Quomodo intelligendum est: Concupiscentiam simul esse peccatum, et poenam peccati, cum Deus non sit causa mali culpae. Sed velit malum poenae. Item, Deus punit peccata peccatis?*

**Respon.**

*Ἀταξία* fit poena per accidens, quia non vult Deus *ἀταξίαν*, sed desertionem. Et quanquam Deus vult poenam in genere, tamen proprie non vult peccatum, sed desertione per accidens fit, ut peccata fiant poenae, sic libidines puniuntur caecitate mentis, et cultu idolorum.

**Aliud argumentum.**

Forma dat esse rei.

Formale peccati tollitur in baptismo.

Ergo ipsum peccatum in baptismo removetur, ut nullae pravae inclinationes, aut appetitionum ἀταξίαι maneant reliquae. An hoc ita explicandum sit? Aliam esse formam substantialem, quae dat esse rei. De hac universaliter verum esse, quod destructionem formae sequatur destructio substantiae rei. Aliam vero esse formam accidentalem, et de hac iterum discrimen esse faciendum inter formam accidentium absolutorum, quae sibiipsis formae sunt, et inter formale relativi, quo sublato, tamen fundamentum reliquum manet, peccatum autem non est absolutum.

**Respon.**

Potest ita responderi, sicut dicis. Quia in peccato multa sunt formalia. Mihi simplicior responsio videtur dari: Reatus in actu est formale peccati regnantis. Et cum hoc formale tollitur, manet defectus. Reatus in potentia est in peccato non regnante.

**Quaestio.**

*Quaero etiam, an recte ex duobus locis Colossens. 3. et Ephes. 4. sumatur definitio iustitiae originalis, seu imaginis Dei, cuius in Genesi mentio fit*, Induistis novum hominem, etc. *Item 2. Corinth. 3.* Nos autem omnes, etc.

**Respon.**

Credo recte inde sumi doctrinam de imagine. Etiamsi enim non displicet dici, secundum corpus nos ad imaginem filii Dei conditos esse: tamen principalia imaginis sunt, sapientia, iustitia, libertas, et filius est imago patris, nos filii. Nihil absurdi hoc modo dicitur.

***De iustitia fidei imputata.***

**I. Quaestio.**

*Rectene dicitur, personam in hac vita iustificari coram Deo, per solam gratuitam imputationem iustitiae, propter Christum fide apprehensum?*

**Respon.**

Sic necesse est sentire, iuxta illud: *Non iustificabatur in conspectu tuo omnis vivens.* Sed propter filium reputamur iusti fide, et tamen verum est, simul inchoari novitatem, sed non habet persona remissionem peccatorum, nisi propter Christum.

**II.**

*Nusquam dicitur expressis verbis in scriptura, quod Christi iustitia nobis imputetur?*

**Respon.**

Imo Roman. 5.: *Sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, sic per obedientiam Christi iusti constituuntur multi.* Item, 1. Corinth. 1. dicitur clare: *Factus est nobis iustitia.* Item, 2. Corinth. 5.: *Fecit eum peccatum pro nobis, ut nos fieremus iustitia in eo.*

**III.**

*Quomodo igitur intelligenda est phrasis Paulina*, Fides imputatur ad iustitiam? *Nam a nativo verborum sensu longius detorta videtur haec interpretatio:* Fide accipitur imputata Christi iustitia.

**Respon.**

Scio cavillatione posse illam phrasin exagitari. Sed manifestum est, Paulum non velle nos iustos esse propter nostras qualitates. Ideo cum ait: *Fides imputatur*, intelligendum est correlative propter Christum, ut ad Ephes. dicitur.

**IV.**

*Iustificare principaliter et propriissime significat, ex iniusto iustum facere, et mortificato*

*peccato, et abolita iniustitia, novam vitam Deo placentem, et grata facientem inducere. Ergo non sumus iusti imputatione sola.*

Respon.

Haec definitio tantum de qualitate loquitur. Igitur est insufficiens. Nego illam verbi definitionem: sed iustificare significat ex iniusto iustum facere, ex reo habentem remissionem peccatorum, et iustitiam primum imputatam, postea et novitatem, quae in hac vita inchoatur.

V.

*Regeneratione ingredimur in regnum coelorum, seu quod idem est, sumus iusti, Iohan. 3.*: Nisi quis renatus est, etc.
*Regeneratio non solum imputationem, sed etiam realem iustitiam complectitur.*
*Ergo non sola imputatione sumus iusti.*

Respon.

Concedo Minorem. Regeneratio utrumque complectitur. Primum remissionem peccatorum, seu imputationem iustitiae. Deinde et inchoationem, et tamen persona iusta est non inchoatione, sed imputatione.

VI.

*Iudicium Dei est secundum veritatem.*
*Imputatio iustitiae, quae non adest, non est secundum veritatem.*
*Ergo Deus non imputat iustitiam, quae non adest.*

Respon.

Neganda est Minor, et ostendenda magnitudo beneficiorum filii Dei. Imputatio fit propter filium Dei, qui est mediator, et umbraculum, propter hunc recipimur. Negans hanc imputationem, negat filium esse umbraculum.

VII.

*Si iustificatio in hac vita de sola imputatione intelligenda est, sequitur nos alio modo in hac vita iustos esse, et alia re iustos fore in vita aeterna, quod dubito an sit concedendum.*

Respon.

Oportet certe concedi, hic tantum esse inchoationem, ut ad Galat. dicitur, *Fide spem iustitiae expectamus.* Deinde et hoc addatur, *Per fidem iusti sumus, et in hac vita, et in aeterna propter filium.* Sed modus differt.



VIII.

*Nullum opus legis iustificat.*
*Fides est opus primi praecepti.*
*Ergo non iustificat.*

Respondeo

Ad Minorem. Non iustificat in quantum opus, sed quia filium Dei non aliter, nisi fide apprehendimus.

IX.

*Quaero, an recte dicatur, fidem esse opus in primo praecepto mandatum, cum lex sit natura nota, fides autem intueatur promissionem in Evangelio patefactam?*

Respon.

Credo recte dici, quia finis legis est Christus. Item, legem per fidem stabilimus. Scio posse opponi cavillationes.

X.

*Iustitia originalis fuit non tantum acceptatio personae, sed etiam omnium virium integritas. Ergo Christi iustitia non tantum est imputatio, sed congruentia omnium virium hominis cum lege Dei.*

Respon.

Concedo totum, quia iustitia consummata conferenda est ad originalem.

XI.

*Ad Tit. 2.* Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti. *Ergo non sola fide imputationem iustitiae nobis applicante salvamur, sed tota regeneratione et renovatione.*

Respon.

Concedo, non solam fidem effici in conversione, sed non sequitur. Ergo non sola fide fit applicatio. Sed manent simul verae propositiones: Sola fide apprehenditur filius Dei, et novitas est effectus, et inchoatio vitae aeternae. Item, Sola non excludit verbum et Sacramenta.

XII.

*Paulus credens et habens inchoatam novitatem placet Deo.*
*Non habens inchoatam novitatem non placet, ut dicitur,* Qui non diligit, manet in morte.
*Ergo inchoata novitas partialis causa est, propter quam persona placet.*

Respon.

Plus est in conclusione, quam in praemissis. Ergo propter novitatem placet partialiter: Opponatur hoc Fides, nititur solo Christo.

XIII.

*Quomodo intelligendum est* 1. *Thess.* 1.: Abundat gratia Domini nostri Iesu Christi, cum fide et dilectione?

Respon.

Gratia significat imputationem primum et principaliter, cum hac deinde coniunctae sunt virtutes.

XIV.

*Item Ephes.* 4. *quid significat iustitia et sanctitas vera?*

Respon.

Vera, id est, non hypocritica, aut simulata. Comprehenditur ergo fides accipiens remissionem peccatorum, et imputationem. Talia coniuncta saepe uno nomine iustitiae comprehenduntur.

XV.

*Medium quo, non est terminus ad quem.*
*Fides est medium, quo accipitur imputata iustitia.*
*Ergo non est vera iustitia. Non igitur vere sumus iusti fide, nisi accedat formalis iustitia in corde, quae est congruentia omnium virium cum voluntate Dei.*

Respon.

Concedo totum argumentum, Non sumus iusti fide, id est, propter fidem, sed propter filium Dei. Hoc recte additur. Illud non recte assuitur. Ergo propter qualitates in nobis. Cur qualitates pluris facis, quam filium Dei?

---

No. 49. 31. Maii 1552.

In Quaestion. p. 108. Item in Mel. Cons. P. II. p. 145.

*Quaestio a Paulo Ebero filio, proposita Doct. Georgio Müllero, Mansfeldensi, ultimo die Maii, a.* **1552.**

Non est aetatis nostrae, iudicare de maiorum institutis, sed reverenter obtemperare parentibus et praeceptoribus, quod cum faciam, oro, ut veniam mihi detis, quod in tam celebri consessu virorum doctissimorum, et sapientia et authoritate praestantium, aliquid propono. Et tamen consentaneum est, maiores ideo nos in haec spectacula adduxisse, ut honores studiorum utcunque admirari incipiamus, et magis amemus nostri tyrocinii labores. Propono autem quaestionem ex Decalogo, quem nunc quotidie disco. Et cum fons legum sit, dicta in libris vestris congruere cum eo debent.

Saepe autem dicunt vestri scriptores, iure naturae usum rerum seu possessiones communes esse, et alicubi dicitis, nec iuris divini esse distinctionem dominiorum. Haec an vere dicta sint, interrogo. Ac primum argumentor, nequaquam vere dicta esse.

Decalogum esse iuris divini et naturalis, non dubium est. Est enim aeterna et immota sapientia Dei, cuius radii in hominum mentes transfusi sunt, ut discernant honesta et turpia, et ut hoc ipsum discrimen ostendat, qualis sit Deus.

Sancita est autem distinctio Dominiorum in praecepto: Non furtum facies.

Igitur distinctio Dominiorum est iuris divini.

Deinde certum est, noticias praeceptorum naturales immutabiles esse. Ut in omni aeternitate verae sunt propositiones: Solus verus Deus est invocandus:

Innocens non est occidendus: Vagae libidines in omni aeternitate displicent Deo.

Ita si noticia naturalis esset, praecipiens communem usum rerum, non esset mutata.

Hae sunt illustres et verae rationes.

Quare in dicto Iurisconsultorum aut error est, aut explicatio addenda est.

Nec Augustinus recte accommodat Psalmum: Domini est terra et plenitudo eius. Nam haec vox non tollit legem Dei, quae inquit: Non furtum facies. Imo quia Domini est terra, quia Deus est rerum omnium summus Dominus, ideo sancit legem, quas res cui attribuat. Et quanquam voce magistratus in iudicio utitur, sicut in iudicio de homicidio, tamen non sequitur, Reges et Principes posse auferre ac largiri quascunque res, quibus velint, sicut nec de vita hominis statuere suo arbitrio possunt. Reguntur haec legibus, quae sunt sapientia Dei, quibus et ipsi Reges et Principes obtemperare debent. Nec sint Principes δημοβόροι, non rapiant ex alienis facultatibus, quantum volunt, sed regulam Iohannis servent: Estote contenti stipendiis vestris.

Cum igitur haec quaestio doctrinam vitae necessariam, et plenam eruditionis contineat, et dulcissima sapientia sit, erudita explicatio legis divinae: Peto a te clarissime D. Doctor, ut coetui Scholastico ostendas, quomodo intelligendae sint hae propositiones: Iure naturae usum rerum communem esse. Et, Naturalia immutabilia esse, Et quid de Augustini dicto sentiendum sit. Haec tua explicatio nobis utilis, et doctis grata erit.

Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut hanc Ecclesiam, et hos coetus Scholasticos, et te, servet et gubernet, ut ipse a nobis quoque in omni aeternitate celebretur. Dixi.

---

No. 50. 28. Iun. 1552.

† Ex apographo in Cod. Paris. D. L. 5[4].

*Quaestio a domino M. Iacobo Cameniceno, Boiemo, in promotione Magistrorum publice poposita in schola Vitebergensi* 28. *die Iunii anno* 1552. *Decano M. Martino Simone, Brandeb.*

Utrumque honestum est, et nos reverenter obtemperare utilibus institutis academiarum et vos pro vestra humanitate boni consulere orationes eorum, qui non arrogantia huc ad dicendum accedunt: sed ut voluntati praeceptorum et consuetudini obediant. Haec cum ita sint, peto a vobis, ut hanc meam orationem patienter audiatis. In qua hoc quoque praestabo, ne prolixitas vobis molesta sit. Ut autem usitatum est, quaestionem hic proponere, cuius explicatio commonefactionem utilem continet, decrevi de hac quaestione disserere. Quae sit sententia dicti Salomonis: *Nescit homo amorem et odium omnium coram ipso.* Et an Synodus Tridentina recte decreverit, semper manendum esse in dubitatione, an placeamus Deo. Notum est sparsam esse ante multa saecula in Ecclesiam et extare in scriptis multorum hanc perniciosam opinionem, quae iubet homines manere in dubitatione, an Deo placeant: quia humanae rationi videtur arrogantia esse, rem tantam adfirmare, quod Deo placeamus, et argumenta non levia turbant homines. Iudicium legis naturale est, quod accusat nos cum fateri cogamur, semper aliquid sordium et vitiosorum affectuum in animis haerere. Praeterea cum sint multa delicta quae ipsi non novimus, quae si possunt in nobis haerere, quomodo affirmare possumus, nos Deo placere etc. Item quomodo scis te placere cum scire non possis causam, an scis electus. Haec argumenta non leviter turbant mentes, nec sine magno certamine eluctari ex dubitatione possumus. Quanquam autem speciosae sunt hae obiectiones, tamen vox divina retinenda est, quae toties iubet credere remissionem peccatorum, sicut in actis dicitur. Huic omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Et Paulus ad Ephesios ostendit fidem esse fiduciam accedentem ad Deum in fiducia per fidem in ipsum. Sicut et ad Rom. inquit: *Iustificati fide pacem habemus et accessum ad Deum.* Denique amittitur discrimen legis et Evangelii cum docentur homines, manendum esse in dubitatione. Ideo enim promissio misericordiae addita est, ut certi simus, etiamsi sumus indigni et immundi recipi nos tamen a Deo propter mediatorem filium. Haec promissio vox est Evangelii propria, quam qui non amplectantur carcere legis captivi teneantur, dubitant, fugiunt Deum, nec curant. Evangelium, cum Salomon hoc ipsum velit, de voluntate Dei et ipsius verbo iudicandum esse, non ex externis spectaculis rerum secundarum et adversarum, quae bonis ac malis similiter accidunt. David non statuat se a Deo abiectum esse propter exilium, sed de voluntate Dei iudicet ex promissione: *Dominus abstulit peccatum.* Ierobeam non statuat se Deo placere propterea quia ad regnum evectus est, et potentia et gloria floret. Sed cum prosit non solum ad erudiendos alios, sed etiam ad nos ipsos confirmandos perspicue refutari argumenta, quae iubent dubitare, peto, ut Reverendus vir et Doctor *Forsterus* de hac ipsa quaestione copiosius me et caeteros auditores erudiat.

---

No. 51. 29. Iun. 1552.

In Quaestion. p. 109 b. sqq. Item in Consil. Mel. P. II. p. 197. et in Sel. Declamat. T. IV. p. 817. — Autographon Melanthonis, ad verbum conveniens cum textu typis exscri-

pto, asservatur in biblioth. regia Hannoverae, cuius tergo manu Pauli Eberi patris haec inscriptio addita est:

**Quaestio a Paulo Ebero filio proposita Doctori Iohanni Nathero Cygnaeo, in renunciatione gradus Doctoralis, die Petri et Pauli 1552.**

Nostrae aetatis nondum est, causas quaerere, propter quas sapiens Antiquitas locum dicendi nobis tribuit, in his publicis congressibus, ubi tam multi senes eruditione et virtute praestantes conveniunt. Sed obedire nos parentum voluntati et legibus decet. Cum autem carissimus pater meus in hoc loco proponere me quaestionem voluerit, usitato more, spero vos meam obedientiam probaturos esse, et reverenter oro, ut puerilem orationem meam boni consulatis.

Et quia hoc tempore de Medica arte dicitur, minus mirandum est, quare et nostrae aetati locus dicendi tribuatur. Rectissimum est enim, nos statim ab infantia adsuefieri, ut cum ope artis Medicae tenera corpuscula foveantur, discamus Deo gratias agere pro remediis, et veneremur Medicos, quorum industria nobis saepe opitulatur.

Ago itaque gratias Deo conditori, quod et caetera bona, et remedia morborum condidit et monstravit, et eum oro, ut vitam nostram tueatur et regat.

Suppeditat autem ipsa naturae varietas doctis hominibus infinitas materias inquisitione dignas. Sed ego iam, ut locus Esaiae illustretur, interrogo: *Quid significet vermiculus, cum ait Esaias: Si peccata vestra erunt ut coccinum, et rubra ut vermiculus, eritis candidi sicut nix.*

Haec concio de poenitentia cum et decriptionem nostrae miseriae et dulcissimam promissionem contineat, dignissima est perspicua enarratione. An vermiculus hic generale nomen est? Aut certam vermiculi speciem significat? Ego quidem existimo, quia Propheta nominat coccinum, intelligi hic certam speciem vermiculi, qui videlicet ex cocco nascitur. Nomen vero coccus et ipsum fruticem significat, et granum figura lentis, aut pisi, quod in eo frutice nascitur. Id granum vertitur in vermiculum, qui est materia purpurei coloris, qualis est Rosarum, quem *Carmesin* vocant, quem in vestitu olim Reges sibi attribuerunt, ut a populo discernerentur. Hic frutex in Gallia Narbonensi nunc quoque copiose nascitur. Ideo in Gallia panni multi fiunt, quibus nomen est *Scharlach*, quia Rustici in ea parte Galliae granum illud nominant *Scarlatum*. Id nomen videtur ex Graeco factum *Scolecion*, id est, Vermiculus. Ait et Pausanias, talem fruticem lentisci specie, in regione Graeciae nasci, quae Phocensis dicitur. Scribunt et in Asia in regione Galatarum copiose nasci. Recens autem audivi et in Polonia nasci, et granum nominari *Tserwicz*, ac magnum quaestum olim habuisse Polonos ex venditione eius vermiculi, adeo ut in vectigalibus circiter sex millia aureorum Regi ex ea re tantum accesserit. Nunc vero minus appetitur, vel quia in Hispania inventa est terra, quae etiamsi minus durabilem colorem efficit, tamen minore precio emitur, vel quia Polonos taedet sumptuum et assiduitatis in adparando. Nam grana collecta, postea in areis collocanda sunt, et per aliquot dies quotidie riganda cerevisia. Post hanc rigationem vertuntur in vermiculos.

De talibus vermiculis loqui Prophetam nihil dubium est. Et cum colorem nominat cruori similem, describit nostras miserias. Ait nos propter scelera magnis et variis suppliciis puniri, ut latro laceratis membris in supplicio cruentus iacet. Talem esse speciem nunc laceratae Ecclesiae videmus. Addit igitur Propheta dulcissimam consolationem, etiam cum tales eritis, polluti sceleribus, et lacerati vulneribus, et squalentes cruore: Tamen si ad Deum conversi fueritis, Deus et peccata remittet, et poenas leniet, et reddet vobis decus, ut velut nivei sitis, ornati omnibus bonis.

Fuit autem et ipse filius Dei pendens in cruce, ac sustinens poenas pro nobis, talis vermiculus, qui postea resuscitatus candore et luce nivem vincit. Hunc filium Dei crucifixum pro nobis et resuscitatum, toto pectore oro, ut nos quoque iam vulneratos et squalentes cruore, sanet et regat.

A te autem clarissime domine Doctor *Nathere* *) peto, ut nobis copiosius exponas, qualis sit frutex ille, quae natura grani, et quidquid de hac tota re dignum cogitatione esse iudicas.

Oro autem Deum, ut te gubernet, et non sinat apud nos extingui doctrinae studia. Dixi.

---

*) *Nathere* scripsit Melanthon, sed alia manus adscripsit *Franciscus*.

No. 52. 19. Maii 1553.

In Quaestion. p. 113 sqq.

***Quaestio Doctori Tilemanno Heshusio proposita a Paulo Ebero filio, d. 19. Maii 1553.***

Quod sapiens antiquitas his doctissimorum virorum congressibus etiam pueros admiscuit, eosque publice aliquid ex natu grandioribus quaerere voluit, haud dubie habuit sui consilii graves causas. Etsi autem nos eas intelligere per aetatem nondum possumus, tamen verisimile est, non nostra tantum causa in hos publicos actus nos produci, ut his ornamentis, quae eruditioni tribuuntur, accensi, maiore impetu ad amanda et colenda doctrinae salutaris studia feramur: Verum etiam natu grandes moneri, ut cogitent, quamvis sint eruditione mediocri instructi, tamen saepe usu venire posse, ut a rudibus, et quasi pueris, de multis magnis rebus moneantur, et doctiorum officium esse, ut eiusmodi parvulos clementer audiant, et placide benigneque instituant. Sed quaecunque causa fuit maioribus nostris hunc morem constituendi, ego a vobis reverenter peto, ut mihi obtemperanti parentis mei iussis, et Scholae consuetudini, veniam detis, et meam puerilem oratiunculam aequo animo audiatis.

Propono autem quaestionem doctissimo viro Domino Doctori *Tilemanno*, ex ea materia, quae nunc nova certamina in Ecclesia gignit, et explicatione indiget: Quare, cum dicamus, Deum esse ubique, non dicamus etiam, Deum habitare ubique. Et cum Paulus dicat de Christo: In eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, An eodem modo intelligi debeat, quo intelligitur id, quod dicit idem Paulus 2. Corinth. 6., Deum inhabitare in Sanctis.

Quod ad primam partem quaestionis attinet, nihil videntur differre hae formulae, Deum esse ubique, et implere omnia, et Deum habitare ubique. Nam et Prophetae sic loquuntur promiscue, ut Ieremias 23. Capite: Nunquid non coelum et terram ego impleo? dicit Dominus. Et Esaias 66.: Coelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Et Psalmus inquit: Qui in coelis habitat, et humilia respicit, etc. Et Paulus eodem verbo *κατοικεῖν* utitur, et de divina natura in Christo, et de Deo habitante in sanctis.

Sed necessario videntur ista distinguenda, cum certum sit, Deum aliter adesse piis et sanctis in hac vita, et aliter beatis Angelis et hominibus in altera vita, et longe aliter impiis et diabolis. Nam et hi redigerentur in nihilum, nisi Dei praesentia sustentarentur ad ostensionem iudicii et irae divinae adversus peccata.

Deinde ingens haud dubie discrimen est inhabitationis Dei in sanctis, et inhabitationis divinae naturae filii in carne, quam assumpsit. Testantur enim scripturae exempla, Deum recedere ab illis, et deserere eos, qui cum antea fuissent templum Dei, ruunt contra conscientiam, et sua contumacia excutiunt inhabitantem in ipsis Deum per verbum et spiritum. Filius vero Dei inseparabiliter unitus est massae, quam assumpsit.

Videntur igitur utiliter docere, qui monent, quadruplicem praesentiae Dei modum in scripturis observari debere.

Primus est praesentia universalis, qua Deus est ubique, conservans res omnes, donec sunt et quales tunc sunt, ut dicit versiculus in Scholis celebratus:

Enter, praesenter, Deus est et ubique potenter.

Hac praesentia arcana etiam diabolos sustentat Deus, ne ad nihilum redigantur, sed in illis conspiciatur iustum et horrendum Dei iudicium adversus peccatum. Et tamen ita adest rebus omnibus Deus, ut agens liberrimum, separabile et aliud a creaturis, et multa in causis secundis moderans.

De hac praesentia loquuntur Prophetarum dicta: Coelum et terram ego impleo. Item: Coelum est sedes mea, et similia.

Secundus modus est praesentia Dei in beatis Angelis et Hominibus, de qua dicit Paulus: Et erit Deus omnia in omnibus.

Differt autem hic modus a priori, quod in illa arcana conservatione non conspicitur Deus. Hic vero conspicitur Deus, ut ad Corinthios dicitur: Tunc facie ad faciem videbimus, et fit non solum conservatio naturarum, sed et communicatio lucis, sapientiae, iustitiae et laeticiae Dei.

Tertius modus est praesentia secundae personae divinitatis in ea massa naturae humanae, quam assumpsit filius Dei, ita ut sint unitae duae naturae unione personali, quae non tantum est copulatio inseparabilis, sed etiam talis, ut duae naturae fiant una persona, et natura humana ita susten-

tetur a divina, ut si ab ea desereretur, prorsus in nihilum redigeretur. Ideo Damascenus dixit: Verbum quod semel assumpsit, non relinquit unquam.

De hac praesentia loquitur Paulus, cum inquit: In ipso habitat plenitudo divinitatis σωματικῶς, hoc est, unione inseparabili et personali, non ut gubernator in navi adest operis.

Quartus modus est praesentia, qua dicitur Deus habitare in sanctis in hac vita, cum videlicet per verbum et Spiritum sanctum convertit corda, consolatur et regit ea, sic Paulus loquitur: Vos templum estis Dei viventis, sicut inquit Deus: Habitabo in eis. Et Christus inquit: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Haec est spiritualis actio Dei in Ecclesia, qua fiunt conversio et sanctificatio, et nullo modo fit unio personalis, sed separabiliter adest Deus, ut Saulem trucidantem Sacerdotes, et quaerentem praesidia inconcessa, deserit Deus, nec consolatur eum in agone, sed finit eum impelli a diabolis.

Sed cum de his summis rebus reverenter cogitandum et loquendum sit, et recte institui iuniores in hac parte utilissimum et necessarium sit, hoc praesertim curioso vel furioso potius saeculo: rogo te Domine Doctor *Tilemanne*, ut veram sententiam de his differentibus modis praesentiae divinae nobis explices.

Deum oro aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut perpetuo nobis infantibus et omnibus piis, et toti suae Ecclesiae clementer adsit, nosque gubernet et doceat, et in altera vita sua praesenti luce, sapientia et laeticia perfundat, ut nos sibi aeterna consuetudine devinciat. Dixi.

---

**No. 53.** 3. Aug. 1553.

In Quaestionibus p. 115 b sqq. Item in Mel. Consil. P. II. p. 178. et in Select. Declam. T. IV. p. 801. Richard. T. III. p. 504.

### *Quaestio a M. Martino Makenrot, Islebiensi, recitata, d. 3. Aug.* 1553.

Ritus Scholastici, qui exercitia utilia continent, et amandi et conservandi sunt. Quare vos oro, ut mihi veniam detis, quod in tanta frequentia doctissimorum hominum aliquid dicere institui. Non enim fiducia ingenii, sed ut honestae consuetudini obediam, hic usitato more aliquid disputabo, et a vobis reverenter et amanter peto, ut me non gravatim audiatis, praesertim cum dulcissima sit consideratio huius quaestionis, quam propono.

Est autem haec quaestio: Quare filius Dei, promissus Patribus in vaticinio Iacob, quod extat in fine primi libri Mosi, nominetur *Siloh*, ubi scriptum est: *Non auferetur sceptrum a Iuda, et dux a pedibus eius, donec veniet Siloh, et ad ipsum fiet congregatio gentium.*

Cum autem non dubium sit, hanc sententiam de Messia concionari, quia dicit futuram esse congregationem gentium ad ipsum, seu obedientiam gentium erga ipsum, tamen praestigiatores Iudaei scelerate corrumpunt totum vaticinium, nec accommodant ad Messiam, nec consolationem retinent. Alii enim Siloh interpretantur Saulem esse, alii Ieroboam, alii Nabogdonosor. Harum interpretationum omnium manifesta est et vanitas et insulsitas. Nec longa refutatione opus est. Nulla est facta gentium salutaris congregatio ad Deum per hos Reges. Nec Hieronymi interpretatio grammatica est, qui sic reddidit Ebraeam lectionem: Donec veniet, qui mittendus est, inserit enim alienam literam in verbum Siloh. Graeci longius recesserunt a fonte, qui enarrant ἀποκείμενα, quasi dicas, reposita bona, de quibus traditae sunt promissiones Patribus.

Cum autem hae interpretationes peregrinae sint, simplex intellectus vocabuli aliam offert, quae non gignit multas disputationes. Siloh significat faustum seu foelicem. Adfirmat ergo Messiam talem fore, qui redditurus sit miserrimo generi humano veram foelicitatem, aeternam vitam, et iusticiam, qui unus foeliciter superaturus sit diabolorum potentiam, et collecturus Deo Ecclesiam, sicut hic dicitur, futuram esse congregationem populorum, scilicet Ecclesiam, cui in omni aeternitate Deus communicabit suam lucem, sapientiam, iusticiam, et laeticiam. Existimo etiam has appellationes latinas, Salus et salve, ab Ebraea origine ortas esse, ut Proverbiorum primo legimus שַׁלְוָה, et passim haec vox obvia est.

Veteres Ebraei ex Etymologia vocabuli aliam interpretationem sumpserunt, ut enim in prima promissione dicitur: Semen mulieris conteret caput serpentis, Ita hic aiunt tecte significari filium foeminae. Nam שיל significat pelliculam, quae ambit foetum in alvo matris, quae pellicula Graecis nominatur χόριον. Additus est autem in fine

articulus generis foeminini, ut foetus intelligatur non ex virili semine ortus, sed ex matre virgine natus, sicut diserte dictum est: Semen mulieris. Haec non a nobis conficta est interpretatio, sed habet autores veteres Ebraeos. Cum autem foetum dicere vellet, usus est verbo significante pellem maxime fragilem, ut significaretur passio huius Redemptoris. Qualis pellicula est filius Dei sudans sanguinem in agone, et deinde pendens in cruce vulneratus et laceratus?

Haec ingens iufirmitas significata est, quae tamen sustentatur, quia unita est divinae naturae, et in ea Deus est σωματικῶς.

Adspicientes autem et hanc laceratam pelliculam, et postea ex hac fragilitate exuscitatam ad aeternam gloriam, de nobis quoque cogitemus. Nos vere et reipsa sumus sordida et cruenta χόρια, contaminata peccato, rei mortis, lacerati horrendis doloribus.

Has miserias ut a nobis auferat filius Dei, similem pelliculam nostrae carni adsumpsit, et pro nobis victima factus est, et quia est λόγος aeterni patris, nos Evangelio suo vivificat, et gestat nos velut de cervice sua pendentes, cum sit os ex ossibus nostris, et caro de carne nostra.

Cum autem haec Etymologia de foetu amplissimam et dulcissimam doctrinam contineat, non aspernanda est, praesertim cum habeat testes veteres. Et cum prosit omnibus notissimam esse sententiam Iacob, et dulcissimum sit, tenere interpretationes concinnas vocabulorum, defero hanc quaestionem ad Reverendum virum Doctorem *Georgium Maiorem*, et peto, ut propter iuniores auditores copiosius de ea dicat. Dixi.

*Responsio Georgii Maioris, Doctoris Theologiae.*

Vera, simplex et nativa sententia huius dicti, quam in Ecclesia notam esse oportet, continet amplissimam doctrinam, et dulcissimas consolationes. Nec vero breviter dici potest de his maximis rebus, quare constituta sit Politia Mosaica, quam dulce beneficium Dei fuerit, habere Ecclesiam certum hospitium in genere humano, et certam doctrinae sedem, ornatam illustribus testimoniis a Deo, victoriis, et mirandis factis Prophetarum, deinde quare haec pulcherrima politia, manifesta Dei voce constituta, cum durasset mille octingentos et duos annos, funditus deleta sit, quid intersit inter paedagogiam legis, et iusticiam aeternam, ut Daniel nominat, quare Redemptor nominetur Siloh?

Harum tantarum rerum explicationi alia tempora tribuenda sunt. Nunc tantum commonefactionem recitabo de depravatione huius dicti, quae horrendos furores apud Iudaeos peperit. Cum tam annos sexaginta ab excidio postremo Ierosolymae, urbium cineres, et rudera καὶ ἐρείπια testimonium dicerent, finem esse politiae Iudaicae, et scirent Iudaei Haggeum praedixisse, Redemptorem in illo ipso templo concionaturum esse, quod post reditum ex Babylone extructum erat, et Iacob ac Danielem praedixisse, postea finem politiae Iudaicae futurum esse, et miranda facta Apostolorum testarentur, Redemptorem exhibitum esse, tamen in magna multitudine Iudaeorum tanta fuit perversitas et pertinacia, ut fingerent politiam Iudaicam perpetuam fore, et eius restituendae causa horribilem seditionem Adriani Imperatoris tempore moverent, collecto exercitu trecentorum millium hominum ex fugitivis, et seditiosis Iudaeis. Dux huius multitudinis fuit homo furiosus, qui praecipue in Christianos magnam crudelitatem exercuit, qui sibi nomen tribuit *Bencochab*, id est, filius stellae. Nam ut autoritatem augeret, detorquebat ad sese vaticinium: Orietur stella ex Iacob. Postquam vero tristis eventus ostendit impostorem fuisse, nominatus est a Scriptoribus *Bencosbe*, id est, filius mendacii.

Cum autem haec sediciosa multitudo Iudaeorum Palestinam et Syriam vicinam popularetur, Adrianus Imperator aliquot praeliis eam dissipavit, in quibus tamen et magna caedes Romanorum militum facta est. Postea reliquiae confugerunt in oppidum Bitheram, ut Scriptores Iudaici nominant, qui quidem et vicinam esse dicunt Ierosolymae, quare ego Bethoron esse existimo, quae fuit in limite sortis Ephraim, et quondam a Salomone munita fuerat. In id oppidum inclusus Dux cum parte copiarum, toto triennio et sex mensibus obsidionem toleravit. Tandem consumpto exercitu, partim in eruptionibus, partim pestilentia et fame, oppidum expugnatum est, et Dux sibi ipse mortem conscivit, et qui reliqui erant, interfecti sunt. Hic fuit exitus crudelissimi Tyranni, qui gloriatus fuerat, se stellam esse, de qua dicit vaticinium: Orietur stella ex Iacob.

Tales furores et poenae, comitantur impietatem eorum, qui falsa dogmata spargunt, et ea defendant, sibi Iudae cohortem adiungunt, et seditiones movent. Nam utraque regula iudicii divini firma est: Non adsumes nomen Dei tui vane, non enim habebit Deus insontem, quicunque vane nomen eius usurpat. Item: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Ac vidit aliquot exempla et nostra aetas, Sertorii seditionem in Suevia, et Monetarii in Turingia, anno 1525. Et deinde furores Anabaptistarum in Westphalia. His moniti tragicis spectaculis, primum recte discamus veram doctrinam, deinde se quisque intra metas suae vocationis contineat, non corrumpamus veras sententias praestigiis Sophismatum, sicut Iudaei scelerate corrumpunt dictum Iacob in Genesi, quod planissimum est. Fingunt Siloh esse Nabugdonosor, et alia tetra mendacia, quae recitare δύσφημον est. Nos sciamus in ea sententia consolationem verae Ecclesiae dulcissimam propositam esse, ut sciret Deum certo conservaturum esse Politiam in Iuda, donec Redemptor promissus ibi conspiceretur, et testimonia doctrinae ostenderet, et pro nobis hostia fieret, deinde et praedictum esse finem eius politiae, et collectionem Ecclesiae ex gentibus. Hanc simplicem et nativam sententiam firmissime retineamus, et discamus, quid intersit inter legem et Evangelium, inter aeternam iusticiam, et politicum ordinem, et recte agnoscamus hunc mediatorem et salvatorem, quem Iacob nominat Siloh, qua voce salvatorem significari iudico. Et placet vetus Etymologia Siloh, id est, foetus matris. Ac foetum sic nominat ab infirma fasciola, quae nominatur χόριον. Voluit enim significare Iacob, filium Dei adsumpturum esse infirmam pelliculam, moriturain, et horribiles dolores et sensum irae Dei toleraturam, quae tamen futura esset victrix.

Agnoscamus autem nos vere reos et cruentam pelliculam esse, sed ideo nos servari, quia fasciolam nostrae naturae filius Dei sibi copulavit, ac propterea nostras pelliculas induit, ut iusticiam et vitam nobis reddat. Sed haec saepe alias copiosius declarantur. Oro autem hunc ipsum filium virginis, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, ut has fragiles fasciolas, id est, nos ipsos, et coetus Ecclesiae et Scholae clementer gubernet et servet. Dixi.

No. 54. m. Aug. 1553.

In Quaest. p. 190 sq. Item in Melanth. Consil. P. II. p. 187. ubi simul responsio Maioris adiuncta est, quae ad quaestionem d. 28. Mart. an. 1554. recitatam pertinet.

### *Quaestio recitata a Paulo Ebero filio, cum decerneretur gradus D. Chiliano, Doctoris Chiliani filio, in Augusto* 1553.

Non ego iam causas quaeram, cur ignosci debeat nobis pueris, quando in his seniorum et doctissimorum virorum congressibus verba facimus, sed veniam precabor, quod tam saepe me in eundem locum produci patior. Videri enim aliquibus possem, audax et nimis mei admirans. Equidem agnosco meam infantiam et ruditatem, sed patris authoritatem defugere non debui, quae divino mandato sancita est. Is autem quod nunc iterum voluit me hoc in loco dicere, causam habuit arctissimam coniunctionem et necessitudinem, quae ipsi cum D. Doctore iam ornato, et patre ipsius viro clarissimo et doctissimo tam diu intercessit, quorum honori et foelicitati, et ipse ex animo favet, et me hoc puerili officio servire voluit. Pro more igitur Scholarum quaestionem proponam, sumptam ex historia Divi Laurentii, cuius memoriam Ecclesia ante paucos dies celebravit. Et quaero ex te clarissime D. Doctor, recte ne fecerit Laurentius, qui iussus tradere pecuniam Ecclesiae praefecto urbis Romanae, maluerit vitam amittere, quam imperata facere. Et primum videtur debuisse suae incolumitati consulere, praesertim cum fuerit talibus donis ornatus, ut potuerit cum fructu Ecclesiae Dei servire. Idque probari potest hoc argumento:

Latroni erepturo vitam, nisi pecunia detur, potius pecunia danda est, quam amittenda vita, quia ex duobus malis eligi debet id quod minus est.

Praefectus Imperatoris petebat, non vitam Laurentii, sed pecuniam:

Ergo Laurentius debuit pecuniam dare potius, quam Tyranno corpus crudelibus modis lacerandum obiicere.

Item:

Ministri Ecclesiae non debent pecuniam pluris facere, quam vitam, iuxta illud: Auferenti pallium, concede et tunicam.

Laurentius conservationem pecuniae praetulit suae vitae.

Ergo non recte fecit.

Sed contra opponitur, Tyrannum non quaesivisse principaliter pecuniam, cuius custos erat Laurentius, sed oppressionem Ecclesiae, et eversionem totius Ministerii, erepta ea pecunia, qua alebantur docentes et caeteri egentes in illa Ecclesia. Fuit igitur in illa Laurentii recusatione etiam casus confessionis. Nam si tradidisset praefecto reconditos thesauros Ecclesiae, praebuisset efficacem causam delendi ministerium Evangelii, et confirmandi cultus idolorum, pulsis aut fame necatis piis doctoribus et ministris Ecclesiae. Ut igitur ostenderet, se cultus idolorum serio detestari, et ministerium verae Ecclesiae pluris facere, quam Tyranni minas, cum custos esset illius publicae pecuniae, maluit vitam profundere, quam postulanti Praefecto pecuniam alienam prodere.

Sed obiiciunt rursus ex libris vestris aliqui, omnia esse Imperatoris. Ergo etiam illam pecuniam Ecclesiae potuisse vendicari a Praefecto Imperatoris. De hac autem tota quaestione, et de dicto illo vulgari quid sentiendum sit, peto clarissime Domine Doctor *Chiliane*, ut tuam sententiam nobis exponas. Dixi.

---

No. 55. 26. Sept. 1553.

In Quaest. p. 121 b. sqq. et in Sel. Declamat. T. IV. p. 823. Richard. T. I. p. 458.

*Quaestio recitata a Paulo Ebero, filio, die* **26.** *Sept., cum decerneretur gradus Doctorum in arte medica M. Iohanni a Bert, Wesaliensi, an.* **1553.**

Non est nostrae aetatis, causam quaerere, propter quam sapiens antiquitas voluerit pueros in consessu tot senum, quorum est eximia eruditio et gravitas, aliquid dicere, sed verecunde nos honestis institutis obtemperare decet. Fortassis autem ideo huc adducimur, ut intuentes haec spectacula, statim a teneris discamus honestas artes et nominare, et venerari, praecipue vero ad medicae artis reverentiam nostra aetas adsuefacienda est, quia multa ab ea beneficia statim postquam in hanc lucem editi sumus, accipimus. Sed omitto causas, tantum vos oro, ut cum sciatis, nos non debere defugere autoritatem parentum et legum, me obtemperantem carissimo patri meo patienter audiatis.

Propono autem quaestionem de Terrae motu, de qua ut cogitarem, rei inusitatae admiratio in causa est. Audio enim hac aestate terribili tremore concussam esse totam oram inde usque ab Harcinia ad Dresdam. Cum autem Medici praecipue in consideratione naturae versentur, et recens sit hoc prodigium, censui interrogandum esse hunc novum Doctorem: *An sufficientes causae terrae motuum ostendi possint, et an aliud significent, praeter effectus Physicos?* Nam de effectu Physico inquit Seneca: Terrae motus adferre diram luem pecudibus et hominibus. Eius effectus etiam difficile est causam ostendere. Nam corpora animantium non mutantur proprie ipso terrae tremore. Etsi autem de causis propinquis coniecturae magis obviae sunt, videlicet de materia movente, tamen de causa priore, quae ciet halitus, seu ventos, seu aquam in terrae visceribus, magna est obscuritas. Democritus dixit, aquam in terra inclusam, cum nimio adfluxu intumescit, concutere terram. Et coniecturam hanc recitat, quia post terrae motum sequi exundationes usitatum sit, ut bis intra paucos annos etiam in Germania comperimus.

Nam ante octodecim annos Terrae motum in Alpibus secutae sunt magnae exundationes, et recens in fossas metallicas Mansfeldenses passim aqua influxit, et crebri sunt Terrae motus in littoribus.

Quodque Siciliam ab Italia terrae motu avulsam esse narrant, mole aquarum factum videtur, ut Virgilius inquit de Sicilia:

Haec loca vi quondam et vasta convulsa ruina,
(Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas)
Dissiliisse ferunt, cum protinus utraque tellus
Una foret, venit medio vi pontus, et undis
Hesperium siculo latus abscidit, arvaque et urbes
Littora diductas angusto interluit aestu.

Talibus coniecturis motus Democritus, causam ait esse aquam.

Sed opponit alia signa Aristoteles, ait rupta terra saepe magnos flatus evolare, et eiici flammas et cinerem. Non igitur aqua est praecipua causa. Nam et quiesceret aqua, si non aliunde agitaretur et inflaretur, nec posset tanta celeritas esse tremoris, si tantum fieret tumescentibus aquis, et saepissime terra rumperetur. At saepe non rumpitur in terrae motibus. Tandem igitur pronunciat, magnam copiam halituum inclusam in terrae cavernis, tanquam ventos, sua vi agitari, et agita-

tione spargi per certa loca, quod cum fit, loca illa impulsa vi halituum tremere. Constat enim halituum plenam esse terram, et mugitus, qui auditur in terrae motu, signum est volitantium flatuum, sicut inquit Virgilius:

Sub pedibus mugire solum, iuga celsa moveri.

Et quia hi halitus terrae meatus patefaciunt, interdum et aqua effunditur, cuius non est tanta copia in magnis montibus, ut potuerit eos concutere.

Haec de causa propinqua recte dici ab Aristotele fateamur. Sed casu ne tanta flatuum copia in unam regionem incumbit, ut concutere terram possit? Verum est quod Seneca dicit: Omnis in fuga ventus est, concedamus sua natura halitus volucres et instabiles esse: sed unde tanta copia est, et tantus impetus, ut alias alia loca concutiantur? Hic haerent Physici, et fatendum est, hos tremores prodigia esse, quae fiunt divinitus ad commonefaciendos homines de venturis poenis. Fortassis et aliqua vi stellarum augentur halitus, et accenditur impetus, ut Aristoteles inquit: Eclipses Solis et Lunae adferre terrae motus. Adiungo et diras aliquas coniunctiones Planetarum. Concurrunt enim haec signa. Et simul denunciant magnas calamitates. Exempla in veteribus historiis ubique obvia sunt. Et quod Virgilius inquit: Insolitis tremuerunt motibus Alpes. Idem accidit ante annos octodecim, priusquam Carolus duceret exercitum in Galliam Narbonensem. Ante annos septem et viginti, antequam Turci Albam graecam ceperunt, toto triduo vicinia illa tremuit, et multa aedificia collapsa sunt. Ante bellum Peloponnesiacum Laconica adeo terribiliter quassata est terrae motu, ut tota oppida corruerint, et multi homines ruinis oppressi sint. Ante pugnam Leuctricam biennio Buris et Helice terrae motu absorptae sunt. Eutropius scribit, proximo anno post Pauli Apostoli necem, terrae motu absorptas esse Laodiceam et Colossas, in quo exemplo et poena conspicitur impiorum, qui Pauli doctrinam aspernati fuerant, et significatio futurarum calamitatum Asiae vicinae, et saeviciae, quam Domitianus in ea ipsa orbis parte exercuit, cum et Iohannem senem Apostolum exulare coëgit. Sed plenae sunt historiae exemplorum.

Nunc clarissime Domine Doctor, iam ornate honorifico testimonio, a te peto, ut latius disputes de hac quaestione, ac auditoribus exponas, quare luem adferant terrae motus. Et quia minitantur poenas, moveamur proximi terrae motus recordatione, qui totam oram ab Harcinia ad Dresdam concussit, ut excitemus nos ad invocationem Dei, et ad omnia pia exercitia, et petamus a filio Dei mitigationem poenarum.

Te maneat semper servante Ecclesia Christe,
Insertosque ipsi nos tua dextra tegat.
Tres velut in flamma testes Babylonide servas,
Rex ubi praesentem te videt esse Deum.

Dixi.

---

No. 56. 29. Ian. 1554.

In Quaest. p. 125 sqq. Item in Consil. P. II. p. 194.

*Quaestio proposita D. Henrico Sthenio, Doctori Theol., 29. Ianuar. 1554. a Paulo Ebero.*

Convenientissima est huic nostrae aetati virtus verecundia, quae est quasi nutricula aliarum virtutum. Neque enim flecti ad moderationem ulla in parte honestatis potest is, qui non reveretur et magnifacit virorum, aetate, sapientia et authoritate praeditorum, monita ac iudicia. Eam virtutem cum quotidie veris laudibus nobis commendari audiam, et colere studeam, nonnihil metuo, ne in suspicionem vicii pugnantis cum hac virtute apud vos incidam, quod huc in consessum gravissimorum et doctissimorum virorum toties prodeo. Sed excusabit me apud vos scholae consuetudo, et eorum, quorum potestati divina lege subiectus sum, authoritas, quam defugere contumaciter, impietas esset. Non autem aetatis nostrae fert imbecillitas, inquirere causas huius publici moris, cur in his seniorum congressibus, etiam pueris ad dicendum locus aliquis sit attributus. Verisimile tamen est, maiores nostros voluisse his spectaculis accendere in nostra aetate admirationem et amorem horum studiorum, quae Ecclesiae Dei necessaria sunt.

Videntur etiam hoc habuisse consilium, ut productis pueris in hos coetus, ubi honores conferuntur doctrina praestantibus viris, seniores et doctiores in Ecclesia de modestia admonerent, et iisdem etiam nostram hanc infirmam aetatem commendarent, quae, sicut est bona pars Ecclesiae Dei, negligi, et prava doctrina et malis exemplis corrumpi nequaquam debet. Sed omissa comme-

moratione causarum, ut consuetudo postulat, quaestionem propono reverendo viro Domino *Henrico Sthenio*, Doctori Theologiae, dignam explicatione, sumptam ex quinto capite Micheae, ubi dicitur: Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël, et egressiones eius ab initio, a diebus aeternitatis.

Quaero, an recte exponant Iudaei hanc sententiam de decreto seu promissione Dei, quasi ideo dicat Propheta: egressum Messiae fuisse ab initio, quia statim primis parentibus sit promissus, ut plus authoritatis accederet misso et exhibito, ex illa tam longi temporis praedictione, sicut merito pluris fit Cyrus, quia eius monarchia ab Esaia et Ieremia est praedicta. An vero reiecta hac Iudaica opinione, existimandum sit, de multo maiori dignitate Messiae concionari Prophetam, sicut omnes fere scriptores in Ecclesia hoc dictum interpretati sunt, quod loquatur de persona Christi, et significet, Messiam non tantum hominem futurum esse, praeditum excellentibus et heroicis virtutibus, et singulari foelicitate in rebus magnis gerendis, qualem semper somniarunt Iudaei, sed quod sit natura Deus, qui ante omnes creaturas fuerit, imo res omnes cum patre et Spiritu sancto condiderit et conservet. Ideo cum antea concionatus esset Propheta de officio Messiae, quod sit ex Bethlehem egressurus Rex seu Dominator super Israël: mox addit de persona, et egressiones eius ante rerum omnium initium, et ante dies saeculi seu mundi conditi. Nam hanc esse vim praepositionis Ebraicae dicunt ii, quibus ea lingua nota est. Et congruit omnino dictum Prophetae cum initio Evangelii Iohannis, vel potius Iohannes huc respexit, cum sic exorsus est descriptionem Christi: In principio erat Verbum, etc.

Sed puto etiam aliquid singularis significationis contineri in dictione: Egressiones, quae cum a me nec intelligi nec explicari possit, peto a te venerande Domine Doctor *Henrice Stheni*, ut hanc dulcissimam concionem Prophetae de Christo accuratius nobis explices, quae Iudaeorum somniis flagiciose est corrupta et obscurata, sicut alia manifestissima de Christi officio et persona vaticinia. Dixi.

No. 57. 28. Mart. 1554.

In Quaest. p. 126b. sqq. Item in Mel. Cons. II. p. 198.

***Quaestio proposita Doctori Leonharto Iostle, Dresdensi, feria quarta post Pascha an. 1554., a Christophoro, filio, Doct. Georg. Maioris.***

Nostram aetatem decet parentibus et praeceptoribus obedire, non iudicare de eorum mandatis. Peto igitur, ut mihi veniam detis, in hoc honestissimo doctorum et seniorum consessu, quaestionem propositurо, cum Patris et Praeceptoris mandato id faciam. Existimo autem maiores nostros locum tribuisse adolescentibus in his spectaculis, ut artium nomina discerent, et horum honorum consideratione ad studia invitarentur. Et quidem de legibus utilissimum est, tenerae aetati instillari earum reverentiam, sicut dulcissime dictum est ad nostram aetatem a Salomone: Audi praecepta patris et matris tuae, quia erunt corona capiti tuo, et torques collo.

Propono igitur quaestionem novo Doctori, An recte dictum sit ab Augustino: *Tolle iura Imperatorum, et nemo poterit dicere, haec villa mea est.*

Recitantur verba a Gratiano Dist. octava. Et sic loquitur Augustinus quasi distinctio dominiorum non sit iuris divini, sed tantum iuris humani. Haec imaginatio nec vera est, nec conscientiis nec paci utilis. Ideo adfirmo, distinctionem dominiorum verissime esse iuris divini. Primum quia vox Dei ipsa dicit: Non furtum facies, distinguit igitur dominia, et hanc distinctionem severissima lege munit. Idem dicit vox divina per Salomonem: Fontes tui deriventur foras, et tu Dominus eorum maneto. Iure divino haereditas est filiorum et filiarum. Et crudelissima tyrannis esset, si reges sine iusta causa vellent haereditatem in peregrinos transferre. Item merces debita pro labore, iure divino debetur. Sicut et Christus inquit: Dignus est operarius mercede. Et Siracides cap. 34.: Qui defraudat mercenarium mercede, fundit eius sanguinem.

Haec expresse pugnant cum illa futili declamatione Augustini, qui citat ex Psalmo: Domini est terra, et plenitudo eius. Id Christi dominium non tollit ordinem politicum.

Iam si quis interroget, cum haereditas seu merces sit mea iure divino, quid igitur Magistratus agit?

Respondendum est: Idem eum in iudiciis de proprietate agere, quod agit in iudicio caedis. Sicut in sententia de latrone, Magistratus sonat vocem Dei, et executor est poenae, declarat latronem a Deo condemnatum esse, et exequitur poenam: Sic de haereditate non tribuit mihi ius, sed declarat me ius a Deo habere, et est defensor depellens praedonem. Dulce est bonae menti scire, se res suas volente Deo, et ordinante divina sapientia et iusticia, tenere, non tantum autoritate aut vi humana.

Deinde paci superstitio periculosa est, cum Anabaptisticae opiniones sparguntur de Platonica communione, a quibus non procul absunt illa dicta, quae fingunt, iure divino res omnes communes esse.

Peto igitur et de Augustini dicto exponi sententiam vestram, et de re ipsa nos copiosius erudiri, quia utilissimum est bonis mentibus, recte tenere iuris divini descriptiones, in quo Deus sapientiam et iusticiam suam nobis patefecit, et vult se agnosci consideratione suarum legum, et ordinis ab ipso sanciti. Oro autem ipsum Deum, conditorem generis humani, ut Ecclesiam in his regionibus, et hospitia Ecclesiae clementer gubernet et protegat.

### *Responsio D. Georgii Maioris, ad quaestionem de divo Laurentio.*

Et casus ac supplicium Laurentii, cuius iam fecisti mentionem, et pericula omnium piorum, omnibus temporibus, nos admonent, de perpetua imagine Ecclesiae, quae cum sit populus Dei, et habeat promissiones amplissimas, corporalium et aeternorum bonorum, et aliorum praemiorum, saepe obstupescunt mentes, quare in hac vita sit subiecta violentiae impiorum, et multis tristissimis casibus et calamitatibus, inter quas non postrema est, persecutio, quae a potentibus, saepe bonis et piis viris expectanda est, ut non solum hic ipsi Laurentio, sed etiam multis aliis Christianis passim in orbe terrarum accidit Romanis temporibus ante et post Decium Imperatorem, qui Laurentium et multos alios pios interfecit. Multi tum pellebantur in exilium, alii eiiciebantur ex possessionibus. Ideo venditis fundis ac praediis, redigebant facultates in pecuniam, unde pauperibus, et piis Doctoribus dabantur sumptus, quos hic Decius intercipere egenti Ecclesiae et eripere cogitat. Postea crudeliter propter confessionem multi trucidantur.

Sed cur haec fiunt? An non Ecclesiae debebat bene esse, cum iusta sit? Sic enim cogitat humana ratio: Cur igitur Abel, Prophetae, Christus et Apostoli, et postea pii interficiuntur, et non solum exilia, inopiam, sed infinitas calamitates experiuntur? Scimus autem Ecclesiae propriam esse doctrinam de cruce, eamque nos erudire de voluntate Dei, qui simul velit et Ecclesiam servare, et tamen in hac vita duriter adfligi. Clamat David: Iustus es Domine, et recta sunt iudicia tua. Et eandem vocem repetit ex Psalmo Imperator Mauritius, cum in tragico malo videret ante oculos sibi interfici, liberos, coniugem, et deinde se quoque ad necem rapi a Foca hoste suo.

Sic igitur statuamus, etiamsi Ecclesia est iusta, id est, accepta, et habet initia novae obedientiae, tamen propter reliquias peccati, et multas alias causas, subiecta est cruci, et premitur tristissimis adflictionibus. Hic igitur cogitemus de causis, cur Ecclesia sit subiecta cruci, videlicet, ut agnoscat peccata, fiat similis imaginis filii Dei, edat testimonia doctrinae, et similes, quae cum saepe inculcentur vobis in hac Schola, nunc non prolixius eas commemorabo. Quotidie vero nos praeparemus ad eas, consideratione divinae voluntatis, quae vult nos cruce admonitos, in perpetua poenitentia vivere, non sic insanire, quasi essemus nati ad ocium et voluptates, ad suavitatem et luxum vitae. Sed ad toleranda omnia adversa, propter Dei gloriam et veritatis confessionem. Sint igitur nota dicta de cruce, ut: Multae tribulationes iustorum, etc. Item: Quem Deus diligit, castigat, et similes sententiae multae, quae nos praemonent de venturis adflictionibus, ne cum accidunt nobis, casu et praeter opinionem accidisse arbitremur.

Haec saepe cogitare nos oportet, ac praesertim nunc in his motibus Ecclesiae et imperiorum, quae modo etiam, quia tua recitatione de S. Laurentio mihi in mentem venerunt, hic breviter exponenda duxi. Quod autem ad quaestionem tuam attinet, probo rationes tuas, quas adduxisti, et tametsi copiosius de iis disputare non recusarem, tamen quia et temporis et auditorum ratio habenda est, differemus reliqua ad commodius dicendi spacium. Dixi.

No. 58. 7. Maii 1554

In Quaest. p. 129 b. sq. et in Mel. Consil. P. II. p. 187.

*Quaestio proposita Doctori Paulo Eusebio Longicampiano, a Paulo Ebero filio, die 7. Maii* 1554.

Non est nostrae aetatis, iudicare de institutis consilio senum et sapientum, sed nos decet obedientia, quam parentes et pii Doctores postulant. Oro igitur, ut mihi veniam detis, quod in tantam frequentiam senum, et doctissimorum hominum ad dicendum prodii, sicut in his congressibus mos est, et nostrae aetati locum dicendi tribuere, quia necesse est me praeceptoribus obtemperare. Fortassis autem ideo vetustas non voluit nos prorsus ociosos spectatores, et mutas personas in his congressibus esse, quia prodest nos admiratione horum spectaculorum invitari ad amorem doctrinarum, prodest nos discere artium nomina, praecipue vero prodest nos hic commonefieri de legum dignitate, ut alatur reverentia erga leges. Ut igitur quaestionem usitato more proponam, prius historiam facti recitabo, ex quo nascitur quaestio.

Ante annos nonaginta, postulavit Papa ab Episcopo Moguntino Isebergio, ut obligaret se, nullum Episcopum Moguntinum deinceps convocaturum esse Electores, nisi assentiente Romano pontifice. Id cum facere recusaret Moguntinus, Papa eum suo fulmine conatus est excutere ex Episcopatu.

Quia vero autoritatem Electorum Fridericus Palatinus labefactari intelligebat, magnum bellum gessit, et foeliciter defendit Episcopum.

Hic quaestionem propono: *An Fridericus iuste fecerit, suscipiens hanc defensionem, cum tamen iudicia de Episcoporum controversiis, pertineant ad gubernatores Ecclesiasticos?*

Papa quidem disputavit, Fridericum iniuste fecisse, et eum excommunicavit, quia satis superbe contendit, Pontificiam iurisdictionem et autoritatem non esse impediendam a Laicis, quare et Carolum Burgundum adversus Fridericum incitare conatus est.

Sed contra existimo, Fridericum recte et honestissime fecisse. Nam controversia non erat Ecclesiastica, sed prorsus politica, et ad statum Imperii pertinebat. Sic igitur argumentor:

Iusta est societas, defendere alium etiam contra suum Dominum, contra notoriam et atrocem iniuriam.

Fuit autem notoria iniuria, cum Pontifex mutare ius electionis ausus est, et pertinuit ea iniuria multo magis ad universae Germaniae statum, quam ad unius Moguntini dignitatem.

Recte igitur fecit Palatinus, quod astutum et tyrannicum consilium Pontificis impedivit, et favit Deus iustae causae. Nam aliquot praeliis Fridericus fuit victor, et recuperavit Moguntinus dignitatem et ditionem suam. Sed a te peto, clarissime D. Doctor *Paule*, longiorem huius quaestionis diiudicationem. Dixi.

---

No. 59. 31. Iul. 1554.

In Quaestion. p. 150 b. et in Mel. Consil. P. II. p. 194. Declam. T. IV. p. 837. Richard. T. III. p. 245.

*Quaestio recitata ab Andrea Fabricio, Kemnicensi, ultima Iulii, an.* 1554.

Scio ritus usitatos, honesto consilio institutos, servandos esse, nec delector illa Cynica sapientia, quae contemnit et turbat ordinem vitae, et putat virtutem esse, nulla vincula et nullas leges pati. Quanquam igitur longe malim tacere in tali frequentia, cum et natura timidior sim, et mihi nota sit imbecillitas mei ingenii, tamen legibus obtemperare decrevi, ac a vobis peto, ut propter legum autoritatem vicissim meam orationem boni consulatis.

Cum autem usitatum sit quaestionem proponere, et nos praecipue discamus literas, ut sermonem sacrorum librorum recte intelligamus, sumam quaestionem grammaticam ex dicto Esaiae, quod cum sit concio poenitentiae, et amplissimam doctrinam, et dulcissimam consolationem contineat, omnibus notissimum esse debet, et saepe cogitandum est, videlicet: *Convertimini, si peccata vestra fuerint ut coccinum, et ut vermiculus, eritis candidi, sicut nix.*

Quae est sententia huius dicti? Cur ait, Reos similes esse coccino et vermiculo? Alludit haud dubie ad cruentos in suppliciis, ut cum David in exilium pellitur, similis est latroni, qui supplicio adficitur. Hic tamen agens poenitentiam, rursus sanatur, et fit candidus, ut nix, quasi deterso

cruore. Hunc cruorem significat adpellatione coloris, qui hic nominatur coccini, et vermiculi color, quia notum est, sanguinei coloris materiam esse *κόκκον βαφικὴν*, id est, granum tinctorium, quod Arabica lingua *Chermes* nominat, unde est adpellatio Chermesini. Est autem *κόκκος βαφικη* granum, quod in Ilice nascitur, non solum in Asia, sed etiam in Narbonensi Gallia, in Lusitania et Graecia, quod copiose colligitur ad hanc utilitatem, ut colore sanguineo pannos tingat.

Sed unde est vermiculi adpellatio? Nam res eadem significatur utraque adpellatione, ut Hieronymus in Levitico coccinum simpliciter interpretatur vermiculum. Ad id respondeo.

Color idem significatur duabus adpellationibus materiae. Sed coccus non est immediata coloris materia, verum vermiculus, qui in cocco, cum maturuit, nascitur, immediata est coloris materia, Graece *σκωλήκιον*, unde fortassis nomen est *Schärlach*. Pausanias prope Parnassum ait copiose nasci fruticem, qui gignit granum, quod nominatur *κόκκος*, simile grano Solani, deinde inquit: *γίνεται δὲ ἐν τῷ καρπῷ τῆς κόκκου βραχὺ ζῶον, καὶ ἐοικὸς κώνωπι φαίνοιτο ἄν.*

Cognita grammatica enarratione in hoc dicto, postea fit illustris sententia. In his miseriis nostris et in ipsa morte sumus cruenti, ut latrones in suppliciis, sed conversis Deus tollit aut mitigat poenas, et facit eos nive candidiores. Ad hanc dulcissimam promissionem divinam de remissione peccatorum et mitigatione poenarum intelligendam, plurimum conducere grammaticam enarrationem manifestum est. Sed multa tecte significat Esaias. Ideo oro reverendum virum Doctorem *Georgium Maiorem*, ut ipse de hoc dulcissimo dicto copiosius disserat. Dixi.

### *Responsio Georgii Maioris D.*

Necessaria diligentia est in Ecclesia quaerere et retinere grammaticam, simplicem et nativam sententiam sermonis divini. Debemus enim auditores esse vocis divinae, non corruptores. Nec ludendum est praestigiis interpretationum, ut multi omnibus temporibus fecerunt, qui limpidos fontes doctrinae turbarunt, velut iniecto coeno. Ipsa vero nativa sententia semper amplissimam doctrinam continet. In hoc ipso dicto Esaiae, quales picturae sunt? Si eritis ut coccinum et ut vermiculus etc.

Iulius Caesar cum sedens in sella aurea, dominatur orbi terrarum, coccinea veste indutus, cocco similis est, qui aliquanto post iacet tribus et viginti vulneribus acceptis, cruentus toto corpore, quid est nisi teter vermiculus, seu *σκωλήκιον*?

Talis est hominum natura, primum cocco similis, sed postea in poenis sumus cruenti vermiculi. Hanc tantam miseriam cogitare nos oportebat, et audire filium Dei, qui nos liberat conversos ad ipsum, sicut hic Esaias inquit: Si convertimini, eritis candidi ut nix. Sed ita nos servat, poena in sese dirivata, sicut inquit: Ego sum vermis. Cum pendet filius Dei cruentus in cruce, pro nobis fit vermiculus, sed ita, ut deleat peccatum et mortem, et reviviscens reddat nobis iusticiam et vitam aeternam, plenam lucis, quae longe candidior est nive.

Haec omnia consideremus in hac concione de poenitentia, et vere ad Deum convertamur, dolore afficiamur propter nostra peccata, non simus ferrei in poenis, sed iram Dei agnoscamus, simul autem confugiamus ad filium Dei, et petamus remissionem peccatorum, et mitigationem poenarum. Ita experiemur, veram esse Esaiae concionem, et eam planius intelligemus. Et quidem ut coccus cum aceto sanat vulnera, ita Christus sauciata pectora sanat, quae iam lege tanquam aceto arroduntur.

Illud autem adiiciendum duxi, in Polonia et non procul a Vratislavia nasci herbam *Tserwitz*, qua aliquot saeculis iam pro cocco *βαφικῇ* Italia usa est. Ea herba collecta, postea maceratur cerevisia, uno atque altero mense, quod cum factum est, vertitur in vermiculum, qui est materia sanguinei coloris. Aiunt ex hac merce Regem vectigal quotannis habuisse circiter sex millia aureorum Hungaricorum. Nunc vel quia propter ignaviam minus colligitur, et macerandi laborem pauciores sustinent, quaestus minor est. Et ex novis Insulis Hispani adferunt terram, qua nunc passim pro cocco utuntur, unde fit color gratior quidem, sed non tam durabilis, ut ex Polonica herba.

Haec de dicto Esaiae recitavi, ut adolescentibus recte intellectum, fiat notius et familiarius. Oro autem filium Dei, qui pro nobis est vermiculus in cruce, ut nos miseros vermiculos servet et gubernet. Dixi.

**No. 60.** **7. Aug. 1554.**

In Quaestion. p. 133. et in Consil. Mel. P. II. p. 185. Declamat. T. IV. p. 881. Richard. T. II. p. 602.

***Quaestio a Doct. Iohannis Bugenhagii Pastoris filio proposita, cum decerneretur gradus in utroque Iure M. Georgio Cracovio, Pomerano, d. 7. mens. Aug. 1554.***

Non est aetatis nostrae, de causis disputare eorum rituum, quos approbari a senibus videmus, quorum est excellens sapientia et virtus. Sed nos obedientia decet.

Quare et ego, ut patri meo carissimo obediam, huc ad dicendum accessi. Ac fortassis consilium illorum, qui hunc morem instituerunt, fuit, adulescentulos hic aliquid dicere, ut admiratione horum spectaculorum excitati, discerent artium et virtutum nomina, et magis delectarentur studio. Existimo etiam voluisse eos adsuefacere nos, quanquam nondum intelligimus vitae pericula, ad communem precationem, quae fit hoc loco, ut studia discentium sint salutaria Reipublicae.

Primum igitur gratias ago filio Dei Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis et resuscitato, et colligenti Ecclesiam in genere humano, quod et inter nos sibi haereditatem colligit, et nos hactenus clementer protexit, et quod meum carissimum patrem servat incolumem, inter tantas procellas, et quod meum affinem Doctorem *Georgium* multis virtutibus ornavit. Deinde oro ipsum filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut regat totum cursum vitae mei affinis, Doctoris *Georgii*, et nos omnes protegat et gubernet.

Nunc quaestionem usitato more proponam, de qua nos tempus commonefacit: *An Laurentius debuerit mortem potius velle, quam tradere Ecclesiae pecuniam Imperatori?* Ac primum argumentor ab exemplo. Rectius erat Iudaeos didrachmon Romanis solvere, quod etiam templi erat, quam velle totam gentem deleri. Ergo Laurentius poterat pecuniam tradere.

Item: Rectum est latroni pecuniam potius quam vitam tradere.

Postremo et hoc disputari potest, omnia esse Imperatoris, quare et pecuniam Ecclesiae auferre potuit.

Sed Spiritus sanctus in Laurentio testimonium contrarium ostendit, aliter Romani, aliter Diocletianus petivit Ecclesiae pecuniam. Romani concedebant Autonomiam genti Iudaicae in cultibus. Diocletianus ideo postulabat pecuniam, ut deleret Ecclesiam. Nec ulla atrocior saevicia fuit omnibus saeculis in genere humano, quam horum tyrannorum, Maximiani, Diocletiani et Maxentii. Secuta est igitur imperii ingens mutatio, et postea Gotthicis bellis Romana Monarchia dilacerata est.

Hoc igitur argumento confirmatus restitit tyranno Laurentius: Quanquam a latrone redimi vita potest privata pecunia, tamen publica non est transferenda. Laurentio fuit commendata publica pecunia. Iustissime igitur fecit, quod mortem perferre maluit, quam tyranno cedere.

Multae hic gravissimae quaestiones continentur. Nam et hoc tempore alii alio consilio reditus Ecclesiarum occupant.

Peto autem, ut tu, clarissime Domine Doctor, et affinis carissime, nobis has quaestiones explices, quomodo omnia sint Imperatoris, et quae debeat esse Ecclesiarum defensio. Maxime enim decet Iuris et Iusticiae Doctores monstrare aliis, quae officia Ecclesiae Dei debeantur. Dixi.

† ***Responsio Cracovii;*** ex apogr. in cod. Basil. 89. p. 139 b. ubi inscribitur: „Controversia de facto divi Laurentii et Gratiarum actio". Est autem responsio Cracovii ad praecedentem quaestionem.

Priusquam praeceptoribus et universae scholae, ut mos est, gratias agam, iussus sum breviter alicuius historiae factum tractare. Itaque cum praeceptorum auctoritati hac in re libenter duxerim obtemperandum esse, spero vos boni consulturos esse officium meum, quod ut faciatis etiam vehementer rogo. Breviter dicam quid mihi videatur *de facto divi Laurentii*, qui, ut scitis, cum Romae praeesset aerario ecclesiastico, noluit thesauros et bona ecclesiae imperatori ea petenti ad usus profanos cedere. Ac mihi praeclare fecisse Laurentius videtur, quod imperatori ista bona negavit. Iniustum enim est cuiusquam rei dominium ad iniustos dominos transferre. Erat autem ista pecunia ecclesiae, quae eam congesserat ad necessarios usus pauperum et ministrorum, qui proponebant piis veram de religione doctrinam. Nulla igitur iusta causa imperator eam pecuniam poposcisse videtur, cum alienum appetiverit, in quo ipse nihil habebat iuris, non magis quam si praedo vi in alienas facultates impetum faceret.

Fuit autem atrocior iniuria; ecclesiam spoliare voluit, quae praecipue opus habet sumptibus ad alendos pauperes et publicos ministros, quorum voce verum et maxime necessarium genus doctrinae de Dei erga nos voluntate et gratuita acceptatione ad nos perfertur. Ac fecit id imperator, cuius praecipua cura esse debebat tuendae et ornandae ecclesiae. Itaque prorsus fuit in eo intolerabilis iniuria, quae bona ecclesiae intercipere voluit. Non iniuria igitur D. *Laurentius* se ei opposuit. Nam in manifestis iniuriis magistratui non est obtemperandum, praesertim si salus ecclesiae et gloria Dei agatur. Quare recte fecisse iudico, quod in hac re imperatori est adversatus. Quod cum ita sit, facile intelligi potest, quo in scelere sint nostris temporibus avari pontifices, Canonici et similes, qui non solum bona ecclesiae ad se rapiunt, sed etiam de iis turpissime helluantur eaque conferunt non ad profanos usus tantum, sed etiam ad delendum et opprimendum evangelium. Et crudeliter faciunt Centauri, qui manus iniiciunt talibus ecclesiae bonis, non ad se pertinentibus, unde pauperes scholastici et pii pastores ad conservationem ministerii ali debebant. Hos cum patiantur esurire, et ipsi luxum suum expleant, procul dubio Deus olim gravissimas poenas huius rapacitatis ab eis exiget.

Sed ut veniam ad gratiarum actionem, libenter hic profiteor una cum meis collegis, nos plurimum debere praeceptoribus nostris, quorum fide ac diligentia religionis et optimarum artium principia hac nostra aetate utcunque percepimus. Agimus itaque Deo optimo maximo gratias, quod eius munere contigit nobis in hac academia primum nostra ingenia formare ad bonos mores et ad studia honesta, ecclesiae ac rei publicae utilia ac necessaria. Deinde agimus gratias praeceptoribus, quod principiis bonarum artium nos ad maximarum rerum cognitionem praeparaverunt. Agimus et gratias aliis doctissimis et clarissimis viris et scholasticis, quod honoris nostri causa nostram promotionem sua praesentia ornare non sunt dedignati, ac vicissim iis observantiam ac officia nostra pollicemur.

---

**No. 61.** **5. Mart. 1555.**

In Quaestion. p. 184 b. et in Mel. Consil. P. II. p. 216. et in Sel. Decl. T. IV. p. 899. Richard. T. III. p. 520.

*Quaestio recitata a M. Andrea Laurentio, Dano, d. 5. Mart. 1555.*

Scio maiorem esse obedientiae laudem in hac nostra aetate, quam eloquentiae aut sapientiae, quae non potest esse eximia in iuvenibus. Quare etsi sciebam, me non esse idoneum ad dicendum, praesertim in tanta frequentia: tamen honestis mandatis legum et praeceptorum obtemperare volui, et vos oro, ut orationem meam boni consulatis.

Usitatum est autem, quaestionem in his congressibus proponere, ut de aliqua materia, digna consideratione, iuniores erudiantur. Ideo et ego quaestionem proponam, de qua necesse est nos omnes saepe cogitare in invocatione Dei.

Quaero autem explicationem et propter me et propter alios: Quare filius Dei nominetur λόγος, et cum in invocatione dicimus: Invoco te omnipotens, aeterne et vive Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, creator coeli et terrae, et hominum, cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis et resuscitato, λόγῳ et icone σου, et Spiritu tuo sancto, casto et veraci, sapiens, bone, iuste, verax, caste, liberrime, iudex, misericors et salvator, quid cogitandum sit, cum nominamus λόγον.

An dicatur λόγος respectu Patris: quia est imago, qua pater sese intuens, eloquitur verbum, in quo ipse lucet integre, sicut in Epistola ad Ebraeos Filius nominatur χαρακτὴρ substantiae patris. An vero dicatur λόγος respectu nostri, quia sit persona missa ab aeterno patre ad proferendum decretum Redemptionis ex arcano consilio divinitatis, et semper loquens in Ecclesia, et patrem ostendens?

Quod autem dicatur λόγος tantum respectu Patris, eo argumento moveor, quia patris causa natus est, et esset, etiamsi mundus nunquam conditus esset.

Deinde sermo in creatione et promulgatione Evangelii non est integra imago aeterni patris. Ideo dicitur et λόγος et imago, quatenus in eo integre lucet pater, sicut in symbolo dicitur: Lumen de lumine. Item: Cum omnia opera Trinitatis ad extra sint communia tribus personis, loqui ad Ecclesiam non magis convenit Filio, quam patri et Spiritui sancto.

Sed altera sententia, quod filius dicatur λόγος, quia nos alloquitur, multa habet testimonia,

et valde dulcis est, quia significat ad nos missum esse, nobis eum familiarem et adsiduum doctorem et gubernatorem esse. Et fit illustrior doctrina hunc Filium proprie regem nobis esse missum, ut immediate per eum divinitas in nobis sit efficax. Testimonia autem sunt perspicua, Iohannis 1.: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Et Iohannes significat, se eum ideo nominare λόγον, quia scriptum est de creatione: Dixit Dominus. Sic igitur patefactus est filius, quia decretum de ordine creationis et reparationis hominum per eum edit pater. Ideo in Iohanne dicitur diserte, διὰ αὐτοῦ, ut duae personae Patris et Filii significentur. Non dicitur ὑπὸ αὐτοῦ, quod de una persona intelligi potuisset.

Praeterea Iohannis 8. dicitur: τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, ubi aperte affirmat, se initio cum Ecclesia locutum esse. Et Iohannis 15. ait: Se simul adesse cum verbo vocali: Si manseritis in me, et verba mea manserint in vobis. Et ad Ebraeos 4. dicitur de Filio: Vivus sermo Dei et efficax, penetrans intra animam, et iudicans cogitationes, et nulla creatura est abscondita coram eo. Sic et Salomon ait: Sapientiam Dei, quae fuit artifex in creatione cum Deo, clamare inter homines, videlicet in ministerio Ecclesiae.

Haec dicta ostendunt, Filium dici λόγον, quia nos alloquitur, et est ἐξαγγελτικὸς, ut Nazianzenus inquit. Et Augustinus inquit: Quotidie mitti sapientiam, scilicet Filium, ut sit nobiscum. Haec cum in invocatione de missione, praesentia, et officio Filii apud nos, cogito, fit dulcior consideratio Filii. Cumque non solum utilis, sed etiam necessaria sit huius disputationis explicatio, oro Reverendum virum Doctorem *Georgium*, ut me et alios de hac tanta re explicate doceat. Dixi.

### *Responsio Doctoris Georgio Maioris.*

Vult Deus placidam collationem esse cogitationum de doctrina, et alios ab aliis commonefieri, de rebus necessariis. Maxime igitur optarim, de hac quaestione, de filio Dei, cur dicatur λόγος, viros doctos colloqui posse. Quanta fuerit in re tanta explicanda negligentia, non sine magno dolore cogito. Nunc colloquendi facultas etiam tollitur ab illis ipsis, qui se vindices libertatis esse gloriantur. Sed hanc tristem querelam omitto, et de tua quaestione respondeo.

Recte utramque causam retineri sentio, quare Filius nominetur λόγος, videlicet, respectu Patris, et respectu nostri, hoc est, et quia Pater sese primum integre intelligens, sui imaginem gignit integram. Nostrae mentes languidiores sunt, non intelligunt sese, et certe non penitus sese perspiciunt. Ideo in Epistola ad Ebraeos nominatur Filius χαρακτὴρ substantiae aeterni patris. Idem autem ille Filius, qui est χαρακτὴρ substantiae patris, est λόγος ὑφιστάμενος, qui decretum de ordine creationis et reparationis hominum profert. Et idem mittitur deinde ad Ecclesiam, et immediate sonat vocem promissionis, et deinde semper servat ministerium Evangelii, et in eo est efficax. Ideo de creatione in Psalmo dicitur: Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris eius, omnis virtus eorum. Quam sententiam *Stigelius* hoc dulcissimo versu reddidit:

Omnia qui Verbo motum spirante creasti.

De missione vero ad Ecclesiam dicitur: Filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Nec obstat argumentum: Opera Trinitatis ad extra sunt communia tribus personis. Sunt enim communia, sed servato ordine personarum. Agit filius per sese, sed non a sese, ut recte Augustinus inquit. Et Paulus ad Colossenses: Omnia per eum sunt condita, et in eum. Cur non dicit: In Patrem? Quia loquitur de causa creationis hominum. Ideo condita est humana natura, et servatur, ut immensa bonitas Dei conspiceretur in copulatione duarum naturarum in Filio. Per hoc mirandum testimonium vult aeternus pater praecipue conspici suam bonitatem erga nos. Hic Filius est caput Ecclesiae, adest semper. Et quandocunque eriguntur corda voce Evangelii in vera consolatione, certum est, ipsum filium Dei, λόγον, in corde efficacem esse. Ideo scriptum est ad Ephesios, quod Filius impleat, hoc est, perficiat omnia in omnibus sanctis. Hanc veram et adsiduam praesentiam semper cogitemus, et nos hac consolatione sustentemus, quam ipse proponit: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

Hunc concionatorem nobis familiarem describit Salomon, cum ait: Sapientiam quae adfuit creanti Patri, nobis adesse, ludere in orbe terrae, id est, mirandis operibus servare Ecclesiam, ut in diluvio, in mari rubro, in fornace Babylonica servat. Item, delectari consuetudine hominum. O admirandam Dei bonitatem, quod Filium mittit. O ingentem vim amoris in Filio erga nos, quod ait, se delectari consuetudine nostra. Sicut

autem ibi nominatur Sapientia, quia patefacit Evangelium: ita et λόγος a Iohanne nominatus est.

Primum autem gratias ago aeterno patri, et filio eius, Domino nostro Iesu Christo, et Spiritui sancto, pro omnibus beneficiis, et nominatim pro misso filio ad Ecclesiam. Deinde oro toto pectore, ut hic filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, nos omnes gubernet et protegat. Dixi.

---

No. 62. 1. Aug. 1555.

In Quaestion. p. 157 b. et in Mel. Consil. P. II. p. 225. et in Select. Declam. T. IV. p. 882. Richard. T. II. p. 380.

*Quaestio: An politica potestas debeat tollere haereticos? recitata a Mag. Andrea Titandro, Brandeburgensi, calend Aug.* 1555.

Scio haec exercitia dicendi bono consilio instituta esse, nec requiri a nobis perfectionem seu doctrinae seu eloquentiae, sed honestam voluntatem, non defugientem has operas, propter communem utilitatem, deinde et mediocrem orationem de rebus recte cogitatis, quarum in vita utilis est consideratio. Quare cum iussus essem hoc loco dicere, nolui meo exemplo cuiusquam contumaciam confirmare, sed ostendi, me reverenter obtemperaturum esse. Nec dubito, vos pro vestra aequitate meam orationem boni consulturos esse, quod tamen ut faciatis, reverenter peto. Affero autem quaestionem: *An potestas Politica debeat Haereticos; controversia rite cognita, et post piam admonitionem pertinaciter blasphemantes, e medio tollere, aut capitali supplicio adficere?*

De hac quaestione audio certamen recens ortum esse, postquam *Servetus*, qui Samosateni venenum renovavit, et alia pestifera dogmata sparsit, capitali supplicio adfectus est, ab honesto Senatu in urbe Geneva. Ac nescio, cur illi in tanto scelere iudicem esse velint clementem, nisi putant pravis ingeniis concedendam esse licentiam infinitam maledicendi Deo. Sed tamen subtiliter disputant, non esse armandos hac potestate Magistratus politicos, quia postea abusuri sint exemplo Tyranni adversus recte sentientes, sicut rex Gallicus Franciscus rogatus, ne interficeret homines honestos, doctrinam Ecclesiarum nostrarum amplectentes, hoc se exemplo excusavit, quod apud nos Anabaptistae quoque plecterentur.

Volunt igitur deterreri Magistratum hoc argumento: Nemo habet executionem in causa, de qua non habet cognitionem.

Magistratus Politicus non habet cognitionem de doctrina, tantum custos est pacis inter cives, et iudicat ea, quae ad corporis defensionem pertinent.

Ergo non habet ius tollendi aliquos propter dogmata.

Speciosum argumentum est, praesertim cum Reges et Principes valde abutantur sua potestate. Sed hi eo graviter peccant, quia interficiunt sine ulla legitima cognitione. Res agitur per crudelissimos Sycophantas, qui sunt furiae Regum, et eorum caecitatem et impietatem confirmant. Constituta autem legitima cognitione verae Ecclesiae, cuius pars esse debet Magistratus Politicus, sic argumentor:

Magistratus custos esse debet primae et secundae tabulae Decalogi, nec tantum est corporis custos, ut Armentarius, sed praecipue debet servire gloriae Dei.

Debet igitur punire blasphemos, periuros, magos. Et inter blasphemos sunt Haeretici, qui dogmata contumaciter propugnant cum symbolis pugnantia, ut Manichaei, qui duo contraria principia pariter aeterna, bonum et malum, φῶς καὶ ὕλην, constituebant, aut Samosateni adplausores, qui negant in Christo nato ex Virgine, duas esse naturas, divinam et humanam. Cum autem Lex manifeste praeceperit, Idola constituentes et blasphemos tolli e medio, Et tales sint hi Haeretici, nihil dubito, Magistratus debere eos e medio tollere.

Cum autem haec quaestio longiorem explicationem postulet, oro reverendum virum Doctorem *Georgium Maiorem*, Praeceptorem meum, qui etiam formator fuit adolescentiae meae in urbe Parthenope, ut pro sua erga me veteri benevolentia copiosius de hac gravissima materia dicat. Dixi.

*Responsio Doctoris Georgii Maioris.*

O detestandam impudentiam volentium Magistratus Politicos concedere infinitam licentiam pravis ingeniis spargendi blasphemias. Nec obscure significant isti, quales ludos ament ipsi, sese volunt impune omnia Academico more disputare posse, ut perfecte Ciceroniani videantur, hoc est, deridere omnes volunt, ut aliis sapientiores vi-

deantur. Haec petulantia in hac Anarchia, et dilaceratione imperiorum et Ecclesiarum, proh dolor, crescet. Quare pii et sapientes gubernatores prudenter cogitare debent de nervis concordiae in Ecclesiis, quae recte Deum invocant.

Fuit laudanda gravitas Ecclesiae Antiochenae, quae cum Samosatenum damnasset, controversia ordine cognita, petivit ab Aureliano Imperatore, quanquam Ethnico, ut pelleret urbe Antiochia Samosatenum. Huic petitioni, quia rem iudicatam esse a plurimis Episcopis virtute praestantibus audierat, adsensit.

Respondeo igitur de tua quaestione breviter.

Turpe est cogitare, Magistratum politicum tantum velut Armentarium, custodem esse corporum. Prius officium est, retinere veram Dei noticiam in genere humano, et disciplinam. Ideo regulam tenemus: Magistratus est custos legis, videlicet primae et secundae tabulae. Necesse est igitur ab eo tolli blasphemos, periuros, magos. Et inter blasphemos sunt, qui Idolorum cultum, aut haereses aperte pugnantes cum Symbolis, pertinaciter defendunt.

Quod autem obiicitur: Christum non sancire supplicia corporum, tantum dicit: sit tibi velut Ethnicus. Ad hoc manifesta responsio est: Christus de iudiciis Ecclesiae loquitur, non de imperiis. Interea tamen adprobat politias. Et certe ipsam legem Dei, quae est sapientia et iusticia Dei, non abolet Christus. Lex bona est, inquit Paulus, legitime utenti; Item: Lex posita est impiis et prophanis, ubi certe blasphemos complectitur Paulus. Illa vero querela de Tyrannis abutentibus imperio, et exercentibus saeviciam hoc praetextu, non abducat pios Principes a cura cognoscendae doctrinae, et rite tuendi consensum in vera doctrina. Peccant Tyranni eo, quia sine legitima cognitione homines interficiunt. Qualis autem instituenda sit cognitio, qui ordo iudicii esse debeat, ostendit Synodus Apostolorum in Actis. Et Christus inquit: Dic Ecclesiae. Nec Tyrannidem, nec Democratiam constituit, sed vult audiri eruditos in Ecclesia, ut vetustas inquit: *οὐ πλήθει, ἀλλὰ ἐπιστήμῃ δεῖ δικάζειν.* Non multitudine, sed scientia iudicandum est. Utinam autem esset talis et nostri temporis foelicitas, ut aliquando pii et eruditi convenire et placide conferre cogitationes possent. Dixi.

No. 63. 27. Febr. 1556.

In Quaest. p. 140 b. sqq. et in Sel. Declam. T. IV. p. 869. Richard. T. III. p. 510.

*Quaestio proposita a Mag. Casparo Crucigero, filio Doctoris Casp. Crucigeri, d. 27. Febr. 1556.*

Nisi me consuetudo Scholae et Praeceptorum autoritas excusaret, verentem, ne cuiusquam meo exemplo contumacia confirmetur, si, dicere iussus in tanta frequentia, tamque veneraudo Seniorum consessu, et imbecillitatis meae mihi conscius, et natura timidior, has operas defugere coner: nulla quantumvis elaborata oratione consequi me posse confiderem, ne de ingenio et voluntate mea plerique vestrum paulo secius suspicarentur. Sed cum constet, a nobis, quibus haec a legibus et voce Praeceptorum necessitatis imponitur, potius observantiae erga superiores atque obedientiae officium exigi (quod quidem sine nefario scelere, tali praesertim et loco et tempore, negligi ac praetermitti vix possit) quam doctrinae perfectionem aut eximiam dicendi facultatem requiri: reverenter oro, ut me honestissimis maiorum institutis modeste obtemperantem, qua consuevistis, humanitate ac comitate toleretis, bonique consulatis mediocrem oratiunculam de rebus consideratione dignis, nec absurde cogitatis.

Cum vero usitatum sit, in his congressibus proponere quaestionem, quae vel commonefactionem necessariam et utilem de communi vita complectatur, vel partem aliquam doctrinae Ecclesiae contineat et explicet: ego quoque eundem morem servabo. Itaque quaestionem propono: *Utrum λόγος in narratione Iohannis Apostoli personam significet?* id est, *ὑφισταμένην* imaginem aeterni Patris, vivam, intelligentem, incommunicabilem, ac distinctam a Patre et Spiritu sancto? An vero evanescentem cogitationem, seu vocem transeuntem, aut propositum non vivum nec intelligens? Quia enim necesse est in omni vera invocatione ita duntaxat Deum intueri et alloqui, sicut sese dato certo verbo patefecit, certe necessarium et utile est, de hac Iohannis eruditissima narratione saepe multumque cogitare. Imo quoties in invocatione tua verum Deum, conditorem coeli et terrae ab omnibus commenticiis numinibus et idolis mentione filii Dei, Domini

nostri Iesu Christi, discernis, praecipue prodest huc mentem atque oculos referre, teque hoc ipso evidentissimo testimonio Apostoli munire ac confirmare. Quanti vero momenti sit, et quam salutaris explicatio huius doctrinae, quantumque necessaria in omni vera invocatione, ostendunt et vetera certamina orta ex interpretationibus alienis verborum Apostoli, et recens Serveti tumultus, quo turbare Catholicae Ecclesiae consensum molitus est. Etenim adhuc superstite Apostolo Iohanne, Hebion et Cherinthus contenderunt, in Christo tantum esse humanam naturam. Quare ab Ecclesiis Asiae rogatus Iohannes, ut refutaret hos furores, voluit Evangelii narratione scripta extare perpetuum ac firmissimum testimonium, de duabus naturis in filio Dei, nato ex virgine Maria. Quod ipsum tamen postea Samosatenus, Photinus, Praxeas, et alii fanatici astute depravare atque eludere conati sunt, impudenter fingentes, λόγον non significare ὑφιστάμενον, seu subsistens vivum ac distinctum a Patre, sed cogitationem evanescentem, seu propositum Patris, non distinctum a Patre, nec per se subsistens, sed velut in Architecti mente lucentem ideam futuri operis condendi ac conservandi. Haec impia corruptela levibus ingeniis et tunc grata fuit, et nunc propter concinnitatem multis blanditur.

Sed est in ipsa serie narrationis apud Iohannem manifestum et evidens testimonium, quo retundi ac refutari istorum deliria perspicue possunt. Addit enim de Christo: In mundo erat, et mundus per ipsum factus est; quod de humana natura assumpta ex virgine proprie accipi non potest.

Necesse est igitur constantissime amplecti sententiam, quod in Christo sit et maneat natura divina, conditrix cum Patre, quasi deliberante cum Filio et statuente, de qua diserte dicit: Et erat λόγος apud Deum. Item: Verbum caro factum est, id est, non Pater aut Spiritus sanctus, sed λόγος ὁμοούσιος et coaeternus aeterno Patri. Huc adiungantur et similia certissima testimonia, ut Colossenses primo: Omnia per ipsum condita sunt, et ipse est ante omnia, omniaque per ipsum consistunt. Et Iohan. 8. inquit Dominus: Antequam Abraham nasceretur, ego sum. Quid? quod toties scriptura hunc unigenitum filium a filiis adoptionis discernit? ut convincat ipsam Christi ὑπόστασιν esse divinam, et integram ac substantialem imaginem Patris ad intra, ut solemus loqui: Haec agnitio filii eo necessaria est, et ut filio tribuatur debitus honos, et ut sciamus eum vere invocandum esse, et exaudire invocantes, et ipsum missum esse, ut immediate per ipsum aeterna Ecclesia colligatur, regatur, servetur, et ad vitam aeternam ex morte revocetur. Hic usus doctrinae huius quotidie in invocatione cogitandus est. Nec vero ulla res cogitatione dignior est, quam huius mirandi foederis, videlicet copulationis divinae et humanae naturae in Christo. Sed de hac tanta re, quaeso ut copiosius dicat Reverendus vir, Dominus Doctor *Georgius Maior*, quem et propter ipsius virtutem, et propter paternam amicitiam, diligo et veneror. Dixi.

### *Responsio Georgii Maioris, Doctoris Theologiae.*

Verissimum est quod dicis, carissime *Caspar*, nullam rem cogitatione digniorem esse, consideratione filii Dei, et hoc mirando consilio Dei, quod filium ad Ecclesiam misit. Nec vero ulla res piis ampliorem et dulciorem consolationem adfert, quam haec ipsa cogitatio de filio Dei, quis sit, cur missus sit, quae sint eius propria beneficia, quae de ipso tradita sint testimonia. Sitque eo nobis gratior haec cogitatio, ut diabolos furentes odio filii repellamus, qui hoc praecipue agunt in maximis confusionibus generis humani, ut Christi noticiam deleant, et contumelias adversus eum cumulent. Ita initio inter Ethnicos extincta est lux promissionis, et in ipso populo Israël, cum Patres et Prophetae et aliqui pii recte agnoscerent, invocarent, et celebrarent Messiam, tamen Pharisaei et alii impii amissa luce promissionis, veros honores Christo detraxerunt. Ita postea illustrantibus Apostolis veram doctrinam, Ebion, Cherinthus, et deinceps multi blasphemias sparserunt, donec diabolicae furiae Mahometi, dogmate et armis doctrinam de filio Dei in magna parte generis humani, deleverunt. Papa, Monachi, et multi scriptores, etiamsi Symbola non deleverunt, tamen de beneficiis filii Dei, et de eius invocatione non recte docuerunt. Sed vivit filius Dei, et serpentis caput conculcat, et conculcabit, ac aliquam Ecclesiam semper in genere humano servat, cui quia nos quoque inseruit, laetemur eius beneficio, et ei gratias agamus. Utinam autem possem de hac quaestione medio-

criter dicere, quam proponis, videlicet de naturis in Christo, et de eius beneficiis, praesertim cum audiamus errones quosdam circumferre Serveticas reliquias, contra quas praemunire Ecclesias, necessarium est. Adfirmo igitur, in Christo nato ex virgine duas esse naturas, λόγον et humanam naturam. Et λόγον initio ad Ecclesiam missum esse, ac ad Adam et Hevam protulisse promissionem ex sinu aeterni patris, ac ὑφιστάμενον esse, et semper adfuisse et adesse Ecclesiae, et immediate per eum conservari ministerium Evangelii, et ipsum voce Evangelii immediate efficacem esse, et colligere aeternam Ecclesiam, et per eum ab aeterno Patre dari Spiritum sanctum. Confirmationes aliquas περὶ λόγου recte accommodatas tua oratio recitavit, quae semper in conspectu sint. Sed ipsa invocatio filii per sese est firmum et illustre testimonium, quod λόγος sit ὑφιστάμενος, et omnipotens. Idque quotidie in invocatione cogitandum est. Expresse autem Prophetae et Apostoli de invocatione Messiae concionantur, ut Paulus in secunda Epistola ad Thessalonicenses inquit: Ipse Dominus noster Iesus Christus et Deus, et pater noster, qui dilexit nos, confirmet corda vestra. Et ipse inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Item: sine me nihil potestis facere. Et Psalmus inquit: Et concupiscet Rex decorem tuam, quia ipse est Deus tuus, et adorabis eum. Expresse Messias hic et nominatur Deus, et praecipitur adoratio, sicut et Ieremias nominat eum Deum, inquiens: Et hoc est nomen, quo nominabunt eum, Iehova, iusticia nostra. Et Esaias nominat eum Emmanuel. Et de invocatione inquit: In die illa stabit radix Iesse, et gentes ad eam confugient. Et Iacob eum invocat: Benedicat Deus pueris istis, et Angelus qui liberavit me ex omnibus malis. Nec dubium est, λόγον nominari Angelum, quia ad Ecclesiam ab initio missus est. Haec in quotidiana invocatione cogitemus, et confirmari veram sententiam in nobis petamus. Audio *Servetum*, cum ad supplicium duceretur, iussum esse invocare filium, Dominum nostrum Iesum Christum, his verbis: O filii Dei Iesu Christe, miserere mei, sed noluisse eum hac compellatione uti. Tanta cum fuerit eius pertinacia in blasphemia, cogitemus de eius morte veterem versum:

ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅστις τοιαῦτα κε ῥέζοι.

Saepe etiam audivi magno cum dolore conquerentem Reverendum virum Doctorem *Martinum Lutherum*, de invocatione hominum mortuorum, ac dicentem, si nulla alia causa esset, cur detestandus sit ille mos, hoc satis esse causae, quod obscuret invocationem Christi, et hoc illustre testimonium divinitatis Christi, quod sumitur ex invocatione. Haec scire et saepe cogitare, utile est. Te autem fili Dei Domine Iesu Christe oro, ut nos gubernes. Dixi.

---

No. 64. 27. Maii 1556.

In Quaestion. p. 144 sqq. Consil. Mel. T. II. p. 242. et in Select. Declam. T. IV. p. 842. Richard. T. III. p. 585.

*Quaestio, an filius Dei Iesus Christus etiam invocandus sit tanquam Mediator, recitata d. 27. Maii 1556., cum decerneretur gradus Doctorum Theologiae M. Paulo ab Eitzen, Hamburgensis Ecclesiae Superintendenti.*

Non est necesse, me disputare de causa, propter quam hic mos institutus est, ut in his honestissimis congressibus inter senes detur locus dicendi rudi adolescentiae, quia nostram aetatem decet obedientia, quam pii parentes et honestae leges flagitant. Sed fortassis voluerunt nos adhiberi in his spectaculis, ut magis consideremus doctrinarum nomina, et invitemur ad discendum. Ac minus mirum est, adhiberi nos, cum disseritur de doctrina Evangelii, quia initia eius doctrinae nos quoque a teneris statim discere debemus. Et Et filius Dei inquit: Sinite parvulos venire ad me, quia talium est regnum coelorum. Praecipue vero necesse est, rectissime notam esse doctrinam de invocatione, et discerni nostram invocationem ab Ethnica. Cum autem Sophistae quidam contendant, Christum nunc post passionem, non invocandum esse, ut Mediatorem seu intercessorem, sed tantum ut Deum, datorem bonorum, et nolunt dici: Fili Dei, Domine Iesu Christe, intercede pro me apud aeternum patrem, propono quaestionem, quid in hac controversia iudicandum sit.

Argumentum est speciosum: Mediatoris et intercessoris officium pertinet ad tempus obedientiae Christi, usque ad resurrectionem. Id tempus praeteriit. Ergo nunc neque intercessor est,

neque invocandus, ut intercessor. Maiorem probo, quia Dominus ipse inquit: Non dico vobis, quod ego rogaturus sim Patrem pro vobis. Passio tantum ad tempus humilitatis pertinet. Est autem coniuncta intercessio cum passione. Quare tantum ad tempus humilitatis referatur.

Haec speciose dicuntur a quibusdam.

Sed manifeste testimonia sunt in Epistola ad Romanos, et in Epistola ad Ebraeos, quod Christus nunc quoque pro nobis intercedat. Quare etsi passio est certi temporis, tamen officium intercedendi fuit ante assumptam naturam humanam, et nunc manet. Nam in Psalmo dicitur: Postula, et dabo tibi gentes haereditatem tuam. Et ad Romanos dicitur: Est ad dextram Dei, qui et interpellat pro nobis. Et ad Ebraeos dicitur: Semper vivens ut intercedat pro eis. Haec testimonia cum sint perspicua, manifestum est, officium intercessoris non desiisse. Nec apud Iohannem inquit Dominus: Non rogabo pro vobis, sed: non hoc dico, me rogaturum esse. Fatetur se rogaturum esse; ut alio loco dicit: Rogabo pro vobis Patrem, et dabit vobis Spiritum paracletum. Sed hic affirmat, se aliud adiuncturum esse, quod non potest fieri ab ullis hominibus, qui non norunt Evangelium. Hoc enim adiungit: Vos orabitis, non me excluso, sed me praeeunte, ut summus Sacerdos est ἔξαρχος, et inchoat precationem, chorus suam vocem adiungit. Verum est igitur, filium utroque modo invocandum esse, et ut Deum datorem bonorum cum Patre et Spiritu sancto, et ut intercessorem. Cum fit compellatio ad Deum, semper mens discernat invocationem Christianam ab Ethnica, et hunc verum Deum alloquatur, qui se patefecit misso Filio et Spiritu sancto, et cum Filio et Spiritu sancto omnia condidit. Deinde simul cogitet mens, exaudiri nostros gemitus propter Mediatorem, et hunc Filium intueatur iam ut fratrem et summum Sacerdotem, adsumpta humana natura. Haec forma precationis usitata est Ecclesiae: Omnipotens Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, creator coeli et terrae et hominum, una cum filio tuo, et Spiritu sancto, sapiens, verax, bone, iuste, caste, iudex, misericors, dator vitae, legis, salvator et resuscitator, miserere nostri propter Iesum Christum filium tuum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, quem voluisti esse pro nobis victimam, *καὶ μεσίτην, καὶ ἱκέτην*. Cyprianus aditurus supplicium, etiam hac forma utitur: Fili Dei Domine Iesu Christe, Te peto, ut petas pro me, ut mihi detur, etc.

Hac tanta de re doceri nos valde refert. Quid enim magis necessarium est, quam recte invocare Deum? Quare te, Reverende Domine Doctor *Paule*, oro, ut hanc controversiam plane et perspicue diiudices. Oro autem Filium Dei, custodem Ecclesiae, ut nos doceat, gubernet, et protegat. Dixi.

---

No. 65. 13. Aug. 1556.

In Quaestion. p. 146 sqq. Mel. Consil. P. II. p. 246. et in Sel. Declam. T. IV. p. 876. Richard. T. III. p. 515. Quaestio et responsio simul edita est cum oratione Decani Bartol. Lasani in promotione Magistrorum a. 1556. Vid. infra Declamat. no. 149.

### *Quaestio recitata a M. Philippo Buchamer, Hallensi, d. 13. Aug. an.* 1556.

Intuenti mihi in hunc doctissimorum virorum coetum, oraque praeceptorum, pietate, eruditione, virtuteque excellentium, profecto oculi terrentur, et animus vehementissime commovetur. Non enim potest verecundus adolescens inter seniores sine metu dicere. Sed cum vetus et honestissima consuetudo scholarum vobis nota sit, oro, ne meo consilio me, oblitum aetatis et decori, sumpsisse mihi has partes dicendi existimetis, sed necessitati potius et praeceptorum voluntati obtemperasse. Nam in omni vita non minor laus est visa, publicis institutis ac legibus parere, quam eruditione excellere. Quod cum sciam vos quoque viros optimos et gravissimos sentire, spero vos consilium meum probaturos esse, quod laudatissimae Scholae consuetudini obtemperandum esse duxi. Et quanquam in audiendis iuvenibus, ut crescendi copia sit, aequitatem maximam praestatis, tamen ut me potissimum, natura timidum, nullaque eloquentia instructum, patienter audiatis, vos etiam atque etiam oro. Faciam enim, etiamsi novitate argumenti placere non potero, ut propter brevitatem minus ingrata sit oratio.

Propono autem quaestionem de dicto Pauli, quod utilem ac necessariam doctrinam continet:

*Nemini quicquam debeatis, nisi mutuam dilectionem.* Hoc insigne dictum, ut plaeraque alia in Epistola Pauli ad Romanos, Monachi flagitiose corruperunt, non considerantes, de qua obligatione Apostolus loquatur, imo ne somniare quidem, quid Paulus tandem velit, potuerunt. Etsi autem hanc Pauli sententiam a Praeceptoribus nostris saepe agitari et explicari audiatis[1]), tamen repetitio et illustrat eam, et recte sentientes confirmat, ut Epictetus inquit: Non facile mentes dogma aliquod firmiter amplecti, nisi quotidie eadem et dicant et audiant, et veras sententias in vita ad usum transferant. Ac nos quidem in vera Ecclesia Dei, errores refutare, verasque sententias tenere praecipue oportet.

Porro ad hoc dictum Pauli: Nemini quicquam debeatis nisi mutuam dilectionem, recte intelligendum, teneatur haec distinctio plena eruditionis de obligationibus: Alia debentur obligatione naturali, non civili, id est, ad quae praestanda Magistratus suis poenis non cogit hominem, ut is, qui affectus est beneficio, vicissim debet animi gratitudinem, non obligatione civili, sed naturali. Hinc etiam Iurisconsulti erudite dixerunt, nos naturaliter obligari ἀντίδωρα. Et quanquam Magistratus non, nisi in paucis gradibus punit ingratos, tamen huius quoque obligationis vel iuris naturae custos et executor esse debebat. Ideo non crudeliter, sed iuste Persae ingratos ἰσχυρῶς puniisse videntur, ut Xenophon ait, ac causas multas gravissimas, cur Persae gravi supplicio in ingratos animadverterint, commemorat. Haec obligatio divina est, iuxta praeceptum: Diligas proximum tuum sicut te ipsum. Periclitanti in aquis debent opitulari alii praesentes, si possunt. Dives praesenti Lazaro debebat opem ferre. Haec multaque alia, liberaliter praestare debemus, tametsi Magistratus non iubet. Sunt enim obligationis et iuris naturae, quae[2]) obligatio non cessat.

Sed alia sunt, quae debentur obligatione civili, ut facere externas operas imperatas, aut dare res externas, pecuniam aut merces debitas, quia hac compensatione sublata, societatem generis humani dissipari necesse est.

Cum igitur Paulus inquit: Nemini quidquam debeatis, vult ea praestari, quae civili obligatione debentur, ut ita liberemur a civili obligatione, postquam debita dedimus aut fecimus. Interea tamen perpetua est obligatio divina et naturalis, quae est perpetua dilectio proximi.

Eruditissime igitur distinxit Paulus obligationem. Praecipit, ut debita civili obligatione praestemus, et his datis cessat obligatio civilis. Ideo dicit: Nemini quidquam debeatis, id est, praestate debita civili obligatione, ita cessat haec obligatio. Sed dilectionem debebitis, id est, manet semper obligatio naturalis et divina ad dilectionem in corde, et ad multa officia non debita civili obligatione, ut Lazaro non debebat Dives civili obligatione, sed tamen debebat naturali et divina obligatione dilectionem in corde, et externa beneficia, quae tunc praestare poterat. Hanc dilectionem deberi proximo Paulus intelligit, quae est effectus, qui in conversis accenditur a Spiritu sancto. Hunc effectum debemus proximo, de quo effectu Paulus ad Romanos loquitur, et 1. Corinth. 13. Ad hanc dilectionem homo semper obligatus est a Deo, iuxta dictum: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, et proximum tuum sicut te ipsum. Sed huius uberrimi amplissimique dicti Paulini: Nemini quidquam debeatis nisi mutuam dilectionem: explicationem largiorem magisque accuratam relinquo Reverendo et doctissimo viro, Doctori *Georgio Maiori*, quem obnixe oro, ut me atque alios docere, et hanc quaestionem explanare velit. Dixi.

### *Responsio Doctoris.*

Nulla est ardentior vox in coelo et in terra unquam audita, hac voce filii Dei, in qua orat aeternum patrem, ut faciat, ut unum simus in ipso. Nec dubium est, hunc nostrum summum Sacerdotem ab aeterno patre, semper hoc petere. Servat igitur aliquem coetum, qui tamen est exiguus, quia multi aspernantur hanc precationem, et delectantur dilaceratione Ecclesiae. Sed in illis coniunctionem tuetur, qui studium etiam habent concordiae, de quo toties praecipit. Sicut et hic vult nos semper debere dilectionem. Est autem elegans Antithesis, cum ait: Nihil debete, et dilectionem debete. Necesse est igitur dupli-

1) Liber: *auditis.*
2) *quae*] liber *quia.*

cem obligationem intelligere, quarum altera tollitur, altera est aeterna. Ac sapienter haec genera discernunt Iurisconsulti, naturalem obligationem, et civilem. Civilis est, cum Magistratus cogit praestare debitum, et punit non praestantem. De hac obligatione inquit: Nihil cuique debeatis, id est, servate leges contractuum, nec sitis fures. Ita sancit vox divina leges contractuum, et vult Christianos in his civilibus officiis iustos, et non vanos, non defraudatores esse. Et res ostendit verum esse, quod dicit Herodotus: Eum qui diu debet, multa mentiri. Et quantum impedimentum sit in gubernatione, obaeratum esse, ostendit exemplum Atticae civitatis, quae cum elegisset Ducem peritum et virtute praestantem, qui nolebat accipere imperium, quia esset obaeratus, civitas publice aes alienum pro eo solvit. Ut autem iusticia bonae conscientiae seu obedientia in operibus a Deo praeceptis necessaria est, de qua dicitur: In praeceptis meis ambulate. Item: Scortatores, adulteri, homicidae, non possidebunt regnum Dei: Sic obedientia in hoc praecepto, non furtum facies, necessaria est. Et cum praestitimus, quod debuimus obligatione civili, iam haec civilis obligatio cessat, et legibus nihil debetur. Sed altera obligatio naturalis aeterna est, qua Deus nos ad perpetuam dilectionem obligat, quae debet praestare multa officia, etiam non debita civili obligatione. Dives debet Lazaro opitulari cum possit, etiamsi magistratus non punit divitem omittentem hoc officium. Nec cessat haec obligatio, etiam cum Lazaro dedit aliquid, sed manet adhuc, quia est obligatio, qua Deus semper vult nos sibi obligatos esse, quia creatura semper debet Deo obedientiam. Nec vero debitum tantum de pecunia intelligatur, sed de multis officiis aliis, de candore in iudicando, de lenitate in admonendo, de sanandis offensionibus, non inflammandis. Sed omitto hanc longiorem explicationem, et oro Filium Dei, ut nos gubernet, et sanet vulnera nostra. Dixi.

---

**No. 66.** **5. Nov. 1556.**

In Quaestion p. 149 sq. Repetita etiam in Quaestionibus a *Maio* editis p. 15., et Sel. Declam. Tom. IV. p. 918. etiam T. V. p. 15., in Orationibus postr. p. 15. et in Richard. T. III. p. 528.

*Quaestio proposita ab adolescente,* ***Paulo Ebero****, Doctori* ***Cunrado Becker****,* ***Brunsvicensi****, d. 5. Novembr. a.* **1556.**

Non utar usitato exordio, in quo excusatio est, cur pueri in coetu seniorum dicamus. Sed mihi peculiari excusatione opus est, cur toties huc redeam. Eius rei causa est multorum morositas, qui gravatim obtemperant. Ego si facilitate pecco, veniam mihi date. Sed tamen sic iudico, obediendum esse piis parentibus et praeceptoribus sine morositate.

Propono autem quaestionem dignam consideratione: *Utrum Pastori Ecclesiae recte sentienti et pio, liceat habere superiorem iurisdictionem in praedio attributo, ut ipse sibi usum fructum habeat?*

De hac quaestione eo disputo, quia nonnulli excusant hoc exemplo Episcopos, retinentes dominationem. Sic igitur sentio. Non probo articulum Wiclevicum in Synodo Basiliensi propositum: Ne Sacerdotes habeant certos reditus, sed vivant ex quotidianis eleemosynis, ut Franciscani: Sed iudico sapienter et pie constitutum esse, ut certi sint reditus Pastorum, et ut sit talis modus, ut nec inopia, nec divitiae impediant ministerium. Concedit enim nobis omnibus Evangelium habere proprium, ut concedit uti aliis legitimis ordinationibus vitae oeconomicae et politicae, ut scriptum est: Fontes tui deriventur foras, et tu Dominus eorum maneto. Si igitur pastor habeat in suo fundo iurisdictionem superiorem, non impedientem ministerium, potest eam retinere, ut alias fundi commoditates. Nec pugnat cum hac sententia dictum: Reges gentium dominantur, vos autem non sic. Nam illa concio proprie hoc docet, non constitui imperia Evangelio.

Quod autem hoc exemplo quidam excusant Episcopos, tenentes imperia, non recte accommodant exemplum. Primum enim etiamsi essent pii, illud onus iurisdictionis tantum est, ut impediat ministerium. Deinde hoc considerandum est, Episcopos dominari non in suo, sed in alieno, quia praedia illa initio Ecclesiis, non Episcopis donata sunt, ut inde docentes et discentes alerentur, et ut aliquorum calamitosorum egestati consuleretur. Nunc Episcopi donata Ecclesiis, velut reges possident tanquam sua, et sunt velut Harpyiae, quae eripiunt victum aliis, qui-

bus debetur. Non igitur transferatur exemplum pii pastoris, recte fruentis suo, ad hos Episcopos, qui alieno fruuntur. Sic ubi principes detrusis Episcopis illa praedia et iurisdictionem occupant, cogitent, quibus illa bona initio data sint, et vel aliquid inde reddant Ecclesiis, quod pauci faciunt. Quare illorum benignitas, quid vel parum inde transferunt ad Ecclesias et Scholas, a nonnullis laudatur citato veteri versu:

ὁ πολλὰ κλέψας, καὶ ὀλίγα δοὺς, ἐκφεύξεται.

Si videlicet Ecclesiis et Scholis aliquid largiantur. Sed tuum iudicium Reverende Domine Doctor *Cunrade* audiam.

---

No. 67. 16. Febr. 1557.

In Quaestion. p. 150 sqq.

*Quaestio Zachariae Praetorii, Mansfeldensis, poëtae Laureati, recitata d. 16. Febr. 1557.*

Cum sciatis nos legum autoritate cogi, ut in hoc loco dicamus, spero vos mihi veniam daturos esse, quod iuvenis in tanto coetu dicere audeo, maior enim laus est obedientiae quam eloquentiae. Sed tamen est verecundiae nostrae, petere etiam, ut quod ultro propter legum conservationem facitis, nos patienter audiatis, et nostram qualemcunque recitationem boni consulatis. Quia autem consuetudo est, de quaestione aliqua disserere, proponam et ego quaestionem dignam consideratione, praesertim cum hoc tempore in Mindensi regione erro quidam et errorum architectus vagetur, *Thammerus*, adversus cuius furores praemunire animos necesse est. Transformat ille Nebulo Evangelium universum in doctrinam Philosophicam, ait in Ecclesia non aliam doctrinam esse, nisi praecepta moralia, et Ethnicos ubique et omnibus temporibus esse et fuisse Ecclesiae membra, qui honesta disciplina mores rexerunt. Corrumpit et dictum: ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, interpretatur doctrinam, et negat intelligendum esse λόγον ὑφιστάμενον. Quaero igitur, *an necesse sit in eo loco Iohannis intelligi λόγον ὑφιστάμενον?* Thammerus sic argumentatur: Retinendam esse vocabulorum propriam significationem Nobis autem λόγος est vox quae prolata est, postea desinit esse, et evanescit. Non igitur necesse est aliud intelligere, quam quod nobis usitate sermo significat, scilicet creatam et evanescentem vocem. Contra vero textus fateri nos cogit, dici non de evanescente sermone, sed de eo, qui adsumpta humana natura manet, cum postea dicatur: Per Christum mundus conditus est. Manifestum est autem, mundum per humanam naturam conditum esse. Est igitur in eo et altera natura, scilicet λόγος, qui ad Ebraeos nominatur ἀπαύγασμα μα δόξης καὶ χαρακτὴρ ὑποστάσεως aeterni Patris. Et Dominus ipse inquit: Antequam Abraham natus est, Ego sum. Et Paulus adfirmat, eum adfuisse Patribus in deserto. Quare et pii Scriptores sic loquuntur. Basilius inquit: Norunt Patres filium Dei, et eum adoraverunt. Et Ireneus multo vetustior scriptor, et Polycarpi auditor, qui Iohannem familiariter audierat, inquit: Semper adfuisse Ecclesiae τὸν λόγον filium Dei, qui deinde assumpsit naturam humanam. Non igitur evanescens sermo intelligatur, sed viva et intelligens imago Dei, sicut et Symbola testantur.

Cum autem Ecclesiae utile sit, discerni filium Dei ab omnibus Prophetis, et Angelis, et immensam bonitatem Dei celebrare, quod hanc fragilem massam induerit non Angelus, sed Filius, qui vere est Deus coaeternus Patri, simus in considerandis testimoniis intenti, et in retinenda vera sententia firmi, ac peto, ut Reverendus vir dominus Doctor *Georgius Maior*, de re tanta nos copiosius doceat. Dixi.

*Responsio Doctoris Georgii.*

Profecto triste et horribile spectaculum est, quod tanta potentia in mundo oppugnat filium Dei. Maxima pars generis humani est Mahometica, quae hoc ipso foedere coniuncta est, quod negat in Christo esse duas naturas, divinam et humanam, sed contra hanc tantam multitudinem nos confirmemus hoc firmo et immoto testimonio: Impossibile est esse Ecclesiam Dei ullos homines, qui palam reiiciunt libros Propheticos et Apostolicos. Id cum faciat universa multitudo Mahometica, sit nobis certissimum, non esse Ecclesiam ullos Mahometistas. Necesse est igitur Ec-

clesiam Dei esse hunc coetum, qui adprobat libros Propheticos et Apostolicos. Idem coetus semper et Symbola adprobavit, quae expresse testantur, in Christo duas esse naturas, *λόγον*, et naturam humanam, et intelligunt *λόγον ὑφιστάμενον*.

Constanter igitur Thammeri et similium furores detestamur, qui Mahometicas blasphemias spargunt. Quia vero tempus non concedit prolixam disputationem institui, tantum Clementis dictum recitabo, qui adfirmat *λόγον* fuisse, qui dederit legem. Et inquit: Ideo diserte scriptum esse *διὰ μωσέως*, non *ὑπὸ μωσέως*. Sicut et Paulus inquit: Christum adfuisse Patribus in deserto. Et vetustas sic intelligit Paulum: Per manum Mediatoris, scilicet Christi, et dicunt congruum fuisse, ut lator legis idem esset is, qui et vere legem impleat. Dulcis haec oratio est, pie eam consideranti.

Quod vero Thammerus horribilem confusionem efficit Ethnicorum, Mahometistarum, et Ecclesiae, non solum refutandus est doctrina, sed etiam a piis Magistratibus capitali supplicio adficiendus erat. Ut autem sciatis, qualibus praestigiis Sophismatum ludat, praecipuum eius argumentum recitabo.

Gentes norunt potentiam Dei. Rom. 1.
Christus est potentia Dei. 1 Corinth. 1.
Ergo Gentes norunt Christum.

Ita male detortis Pauli dictis, stabilire teterrima mendacia conatur. Manifestum est, Paulum ad Romanos loqui de potentia creationis, quae in toto naturae ordine conspicitur. Et quidem lex insita mentibus hominum, demonstratio immota est, ostendens esse Deum, et esse sapientem, veracem, bonum, beneficum, iustum, castum, vindicem scelerum. Sed in Epistola ad Corinthios capite primo, loquitur Paulus de potentia salvationis, quae certe ignota fuit omnium creaturarum sapientiae, antequam a filio ex arcano consilio divinitatis prolata est promissio.

Harum maximarum rerum doctrinam studiose discamus, et contra Sophisticam nos muniamus. Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos doceat, regat et protegat. Amen.

## No. 68.

In Quaestion. p. 152 b sqq.

***Responsio D. Georg. Maioris ad quaestionem: Utrum secundum scriptas leges sit pronuntiandum?***

Omnino verum est, hanc politicam iusticiam umbram esse et significationem de voluntate Dei in multis magnis rebus. Vult Deus in suppliciis praesentibus homicidarum nos commonefieri de venturo iudicio, in quo omnium impias voluntates et actiones iudicaturus est. Ita vult conspici in gubernatione humana discrimen severae iusticiae, et aequitatis, quae usitate nominatur *ἐπιείκεια*, ut discamus Evangelium esse clementissimam *ἐπιείκειαν* severissimae legis divinae. Et pro hac *ἐπιείκεια* ardentibus pectoribus ipsi gratias agamus. Quanta bonitas est, quod haec inchoata obedientia in nobis, quae adhuc plena est sordium, tamen Deo placet, etiamsi procul abest a legis perfectione: Haec nobis cum alias saepe cogitanda sunt, tum vero diligentius etiam consideranda, quoties in foro, in curia, aut in scholis hoc dulce nomen *ἐπιεικείας* audimus. Sed nunc ad quaestionem tuam respondeo.

Prorsus verum est, ubi scriptae leges sunt, pronunciandum esse iuxta scriptum, in casu, de quo lex principaliter loquitur. Sed vicini casus multi incidunt, in quibus probabilis ratio suadet, mitigandam esse legis acerbitatem. Hic commonefactus Iudex hac voce: Misericordia superet iudicium, potest mitigare legem: sed probabili ratione. Sicut et Deus non sine causa mitigat suam legem, sed tristissimas poenas a filio pro nobis poscit. Deinde nos quoque onerat ingentibus aerumnis, ut commonefaciat nos et de sua iusticia, et de clementia, qua has ipsas poenas mitigat, et tandem tollit, ac in ira sua misericordiae recordatur. Quod ut faciat, et publice et privatim poenas leniat, toto eum pectore oro. Longior de quaestione hac disputatio hic recitari non potest. Dixi.

No. 69. 17. Iun. 1557.

In Quaest. p. 158 sqq. Item in Sel. Decl. T. IV. p. 928. et T. V. p. 82. et apud Richard. T. II. p. 259.

***Quaestio proposita a Laurentio Milichio, cum gradus Doctorum in arte medica tribueretur M. Henrico Paxmanno, Burgwerbensi, et M. Iohanni Goebelio, Cygneo, d. 17. Iun. 1557.***

Aetatem nostram decet praecipue amor et studium verecundiae, quae hoc quoque complectitur, ut cum adhibemur certo gravique consilio ad publicorum rituum in schola spectacula, excitatis intus animis ad aliquam considerationem, foris vero sensibus ad seriam intentionem, et reliqui corporis gestibus, ad decentem ac sedatam modestiam compositis, cognoscamus quae fiant et dicantur, nec vel importuna et obstrepera garrulitate turbemus occupatos attentione sensus aliorum, vel audacter sumamus nobis ea, quae sunt maiorum ac praeceptorum.

Haec cogitans cum et natura et sedula parentum cura atque institutione ducar ad studium cultumque modestiae, et abhorream ab indecora aetati nostrae procacitate, difficulter me ad dicendum ex hoc loco et in hoc amplissimo consessu pertrahi fuissem passus, nisi autoritas me praeceptorum, et officii mei atque obedientiae ratio, coëgisset. Et quia requiri a nobis video, non tantum ut de iis, quae erudite et sapienter dicuntur, et ex vivis exemplis, quae ante oculos nostros constituuntur, pulchritudinem virtutis et optimarum artium decus intelligere discamus atque admirari, sed imitari etiam proposita exempla a teneris consuescamus, certis exercitiis aetati nostrae accommodatis: Confido et consilia illa, quae confirmatior aetas rectius intelligit, et autoritatem praeceptorum, cui reverenter nos subiicimus, excusatura esse, quae obiici aetati nostrae poterant. Propono igitur de more atque instituto scholae veteri quaestionem, cuius explicatio conducere poterit hoc anni tempore ad cavendas occasiones multarum aegritudinum, et acuendam diligentiam in appetitu compescendo, et regendis ac cohercendis manibus, ne appetitui obsequantur et indulgeant, scilicet: Cur praecoces et crudi fructus, quos ὀπώρας vocant Graeci, avidius ingesti, exulcerent intestina, commotis alvi cruentis defluxionibus, quas δυσεντερίας nominant, et dolore excitato, cum dysenteria magna ex parte cieatur ab acri et venenata bile arrodente, et ceu abradente intestinorum pelliculas interiores mordacitatis acredine? Et cur crebrius hoc efficiant fructus immaturi, ex genere vero cerasorum, cur, quae vel carne constant copiosa, succulenta ac praepingui, vel rara quidem sed dulci ac sanguineo liquore exuberante, ut Coeciliana, Duracina, Actia, Aproniana, magis quam reliqua, quae colore saturo purpurascentia acorem sapiunt; ex genere prunorum cerea magis et Asinina, quam Iberica vini sapore aemula, idem pariant, cum et fructus crudi et illa cerasorum ac prunorum genera succo affluant frigido, haec acredine sua pungendo vellicandoque teneras intestinorum cuticulas stringere facilius et lacerare possint? Causam hanc esse existimo. Cerasa et pruna largo et aqueo redundare succo, eoque in aliis plus, in aliis minus calore solis percocto, sapor arguit, qui aut dulcis est, aut ex aqueo ad dulcedinem obscuram tendit, et quod decerpta protinus vel putrescunt, vel parte superflui humoris extensa emarcescunt et flaccescendo corrugantur, denique quod levi occasione intra sese vermes procreant, quorum non est origo aliunde, nisi ex putredine humoris excrementitii, quem calor nativus destituit. Dulcedo argumentum est caloris insiti, maior atque evidentior uberioris, remissior et hebetior languidioris. Humida itaque illa esse, et vel frigida vel tenuiter calida ob humiditatem exuberantem ac vincentem, minime obscurum est. Talia vero putredini concipiendae ac fovendae sunt maxime idonea, idque et vermiculi, qui prunis innasci consueverunt, ostendunt. Quare cum avidius et largius devorantur, corpus succis crudis replent, quos quando debilis alioquin et circumfusi aëris aestu evocatus ac dispersus calor nativus vincere nequit, relicti illi a natura, et ab alieno calore circumventi, corrumpuntur ac putrescunt tanto citius, quanto solidius corpus ac compactius obstructionibus facilius corripitur. Calore ergo putrefaciente incenduntur et acuuntur: de putrefactione lentorem acquirunt tenaciorem, cumque et onere et acredine caloris infestent naturam, eiiciuntur tandem ab illa irritata, sed tardius ob lentorem prorepentes insistunt subinde ac haerent, caloreque putrido affligunt hepar, acredinis morsu erodunt intestina. Ad utramque affectionem et retentrice hepatis debilitata et sauciatis intestinis, consequitur fluxus alvi cruentus, qui eo est peri-

culosior, quo et biliosum in corpore excrementum copiosius ante collectum fuerit, et hepatis languor plus creverit, et intestina tenero sensu delicata erosionem gravius tulerint. Caeteri fructus immaturi, in quibus succus aqueus cum sicco terreo nondum probe subactus, et nec calore solis est maturatus, eodem modo crudorum succorum coacervatione materiam praebent, ac fomentum et putredini et fluxui dysenterico. Quandoque si ad collectos antea crudos humores hi accedant, febres incendunt. Quandoque ad cutem sparguntur exclusi per venas naturae impetu et in ἐξανθήματα erumpunt, vel ad unam aliquam depelluntur partem, quam in tumorem attollunt. Quare magna cura vitandum esum crudorem fructuum existimo, et nobis pueris eo magis, quod corpora nostra aetate adhuc mollia et tenera, et ex ἀδδηφαγίᾳ crudis impleta humoribus ac defessa, offenduntur facilius, ac periculosius laeduntur. Sed qua vi inquies succi frigidi et humidi exulcerando tam periculose sauciant intestina, ut et ramenta insignia ac lacinias pelliculis deterant, et caloris febrilis sensum invehant, et provocent tantam sanguinis eruptionem? Respondeo: Non sua vi, nec primo statim occursu hoc efficiunt, sed putredine corrupti. Nam dum largioris et crudioris succi copia calorem nativum prius languidum amplius hebetant, tandem ab eo destituti et conclusi undique calore exardescunt alieno et putrescunt. Sed aetas nostra nec capit nec assequitur explicationem accuratiorem. Quare Clarissimum D. Doctorem reverenter oro, ut eruditius eam et copiosius auditoribus explicet. Dixi.

---

**No. 70.** (an. 1557.?)

In Select. Declam. T. III. p. 841 sqq. Servest. III. p. 794. Richard. T. III. p. 501.

***Quaestio proposita a D. Balthasaro Neandro, docente iuventutem literariam in schola Vratislaviensi.***

Utrunque me senectus docet, et modestiam esse inter alios doctiores tacere, si liceat, et si leges iubeant, iustum officium esse obtemperare. Non igitur iudicetur impudentia esse, quod in hac frequentia eruditorum ad dicendum prodeo, sed legum autoritati parere me cogitate: quod quidem eo facio libentius, ut iuniores senum exempla intuentes, magis ament leges.

Sicut igitur usitatum est, Quaestionem proponam, de qua etsi amplitudo causae longam orationem postulat, tamen ego brevior ero: quia hoc tempore integra explicatio institui non potest: et tamen commonefactio utilis est. In nostra vicinia Stenckefeldiani Enthusiastae vociferantur, electis expectandos esse divinos afflatus, nihil ipsos agere, sed tunc cum se rapi sentiunt invitos, incipiant invocare Deum. Ex hac Manichea imaginatione incidunt multi in perpetuas dubitationes, multi fiunt prophani, indulgent sibi securi, et dicunt se raptus illos expectare; his oppono dictum Nazianzeni: Omnis virtus a Deo est, datur autem invocantibus et annuentibus. Sed graeca verba magis perspicua sunt: *πᾶν τὸ κατορθούμενον παρὰ θεοῦ ἐστὶ, δέδοται δὲ τοῖς καλουμένοις καὶ οὕτω νεύουσι.* Moechus non differat poenitentiam donec senserit illos Enthusiasmos, quibus invitus transformetur in semi Deum; sed omittens adulterium, petat se a Deo iuvari, et dolens non indulgeat diffidentiae, sed voce Evangelii se sustentet. Hic ordo congruit ad doctrinam, quae iubet ordiri Conversionem a verbo Dei, et petere auxilium. Ideo dicitur: Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus; non inquit: repugnantibus, et in Epicurea securitate expectantibus Enthusiasmos. Regula igitur teneatur: Audientes vocem Legis et Evangelii, velimus obedientiam, et petamus auxilium. Sic et in Apocalypsi dicitur: Sto ad hostium et pulso, si quis audit vocem meam, et aperit ianuam, ingrediar ad eum.

Sed contra disputant Enthusiastae, Mortuum nihil agit, voluntas humanà est mortua, nihil igitur agit; et adfertur similitudo de luto, quae in capite 9. ad Romanos recitatur. Fateor me hanc tantam quaestionem non posse explicare, sed tamen illam prophanitatem de raptu expectando probare non possum. Remoratur enim conversionem et extinguit consolationem, et abducit mentes a verbo Dei, ad quaerendam nostram puritatem, cum Fides accedat ad Deum verbo innixa, non nostrae puritati. Usitata est igitur vox universae veteris Ecclesiae, praecedente gratia comitante voluntate. De hac utili quaestione, oro Reverendum virum *Paulum Eberum*, ut me et alios doceat, et iam fundamenta explicationis monstret, ut dubitationi nostrae medeatur. Dixi.

*Responsio.*

Multa mihi cogitanti de hac quaestione, firmissima haec responsio videtur, et quae multas dubitationes tollit. Etiamsi valde multa Deus in omnibus sanctis efficit, in quibus voluntas tantum est subiectum patiens, ut cum servatur Daniel inter leones, tamen regula universaliter nobis tenenda est. Audiens Legem seu Evangelium, velit obedientiam, et petat auxilium. Id congruit ad haec dicta: Praeeunte gratia, comitante voluntate.

Cumque voluntas luctatur, signum est, eam a Deo trahi. Qui vero expectant violentos raptus, ut Enthusiastae, et Stenckfeldiani loquuntur, hi manent hostes Dei, et Deum trahentem repellunt.

Ideo probo dictum Nazianzeni, qui fatetur, Dei opera esse virtutes in nobis, sed tamen haec fiunt ita, ut voluntas luctetur assentiri Deo trahenti, et quam verecunde locutus sit, considerandum est. Non dicit pares causas esse Deum, et voluntatem, ut quum duo equi currum trahunt, sed imbecillem comitem esse voluntatem significat, ut cum volentem puerum ducit Pater robustus; inquit enim, dari virtutes *οὕτω νεύουσι*. Verecundius hoc est, quam si latinorum more diceret, adsentientibus.

Non igitur docendi sunt homines, ut illos violentos raptus prophani expectent: sed verbo Dei velint obedire, et petant auxilium. Stoicas etiam imaginationes deponant, quae fingunt, Deum fatales tabulas scripsisse, in quibus aliquorum amicorum nomina annotaverit. Hinc oritur dubitatio, an et tuum nomen adscriptum sit, hac dubitatione extingui fidem manifestum est. Opponamus igitur promissiones, quae cum sint universales, te quoque in universalem vocem includas, nec fingas, in Deo contradictorias voluntates esse. Verax legatus est filius Dei, qui promissionem ex sinu aeterni Patris protulit, et inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis.

Fides, inquit Paulus, ex auditu est, auditus per verbum Dei. Qui voluntatem Dei non traditam in verbo, quaerunt, quod faciunt Enthusiastae, quonam ruunt? Et cum dicat: Fides ex auditu est, intelligatur eius esse fides, qui vult audire, non qui repugnat.

Similitudinem de luto, ne ipse quidem Paulus adeo duriter interpretatur, ut voluntatem in malis nihil agere existimet, sed tantum fingi, ut lutum.

Haec brevissime nunc respondi de tua quaestione, et hanc explicationem iudico veram, et piis mentibus salutarem esse.

Porrò in dicto Nazianzeni verbum est *χαλουμένοις*, de quo dubitari potest, an voluerit intelligi, vocatis aut invocantibus. Nam his dat Deus Spiritum sanctum, quos vocat dato verbo. Sed utrunque complectamur, vocatos et invocantes.

Cum autem et nos per Evangelium vocati simus, Te oramus fili Dei Domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis, qui dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis, ut miserearis nostri, nos doceas, gubernes, et salves.

---

**No. 71.** **an. 1558.**

In Oration. T. V. p. 64 sqq. et in Orationibus postremis p. 66. Richard. T. II. p. 592.

***An Romanus Pontifex ius habeat transferendae dignitatis Romani Imperatoris ut Principum Electorum?***

Non est nostri officii de causis disputare, propter quas institutum est, ut in hoc loco iuniores in consessu doctorum senum, et in magna frequentia dicant, etsi multas esse causas honestas cogito. Sed nos decet modeste legibus et consuetudini obtemperare, quod ut verecunde me facere intelligatis, primum a vobis peto, ut me patienter audiatis, deinde ut orationem iuvenilem boni consulatis. Est hoc quoque modestiae, cavere ne prolixe dicendo videar mihi inepte placere. Ut igitur usitatum est, quaestionem propono: *An Romanus Pontifex ius habeat transferendae dignitatis Romani Imperatoris et Principum Electorum.* Scio disputationem de re tanta magis pertinere ad summorum Principum consilia, quam ad iuveniles declamationes, tamen cum his diebus Germaniae Principes ad deliberationem de re maxima conveniant, iustum est nos omnes, senes et iuvenes ardentibus votis Deum precari, ut consilia Principum gubernet, et patriae nostrae pacem et salutarem gubernationem tribuat. Id ut faciat, toto pectore eum oro. In hac cogitatione non est intempestivum simul de mutatione veteris Imperii, et de veterum Germanorum virtute, et de horum recentium Pontificum audacia cogitare, qui non nunc primum, sed antea quoque conati sunt Germaniam turbare, mutata forma gubernationis.

Manifestum est verissimum esse dictum Xenophontis, πᾶσαι μεταβολαὶ πολιτειῶν θανατηφόροι. Magnae igitur caedes et vastationes secutae sunt, quoties tentata est mutatio, saepe autem inde usque a quadringentis annis tentata est. Et Pontifices armaverunt se decretis, iubent, ut articulum fidei omnes amplecti hanc sententiam, Romanos Pontifices habere utrunque gladium, hoc est, ius transferendi Regna. Ideo Henricos, Fridericos, Ludovicum Bavarum non solum removere a gubernatione, sed etiam ex Ecclesia eiicere conati sunt. Inde longa bella, multorum Principum caedes et vastationes ortae sunt, quae etiam posteritati nocuerunt, ut dicitur: Alta sedent civilis vulnera dextrae. Sic autem argumentantur. Summus Sacerdos in Lege Mosaica potestatem habuit constituendi et removendi Reges, ut Samuel, Ioiada, et alii. Nunc Romanus Pontifex est summus Sacerdos. Sit igitur similis potestas. Constat etiam hanc Imperii germanici formam ab Othone tertio et Romano Pontifice institutam esse. Potest igitur a Romano Pontifice mutari aut aboleri, praesertim si Principes ab ipso dissentiant, aut non defendant Pontificum potentiam. Haec splendide exaggerari possunt. Et Ludovici Bavari tempore de hac quaestione terribiles disputationes editae sunt. Est autem plausibilis oratio, quae coniungit tanquam divino foedere summum Sacerdotem, et summum Regem, quia profecto pius utriusque potestatis consensus ingens bonum est. Ideo contraria sententia, quae Sacerdotem quasi avellit a Rege, minus splendida est. Ut veritas saepe speciosa opinione quanquam falsa obscuratur, ut dicitur: δόξα βιάζεται τὴν ἀλήθειαν.

Circundat autem Evangelium certas metas Episcopis. Adfirmat non pertinere ad eos constituere Imperia, ut dictum est: Reges gentium dominantur. Vos autem non sic. Non igitur habet Pontifex ius dandi aut eripiendi regna suo arbitrio. Carolus magnus Italiam usque ad Neapolin tenebat, quia rebellantes Longobardos necesse fuit eum reprimere. Hoc iure cum teneret illam Italiae oram, tribuit ei titulum Imperatoris Pontifex, quo titulo tamen non est usus, nisi concedentibus Graecis. Hanc disputationem refero ad virum clarissimum Doctorem *Georgium Maiorem*, et eum oro, ut de ea copiosius dicat.

*Responsio.*

Etsi deliberationes de Imperiis sunt propriae Principum: tamen sollicitudo et vota debent esse communia omnium. Sicut et praeceptum est: Orate pro Regibus. Ac profecto nunc pericula magna sunt, et deliberatio de re maxima instituitur. Haec eo cogitanda sunt, ut pectora ad precationem accendantur. Si qui non adficiuntur cura publicae salutis, et tantum suas voluptates quaerunt, horum vita similis est seu pecudum vitae, seu orgiis Bacchanalium. Non igitur reprehendendi sunt, qui modeste et pio studio seu veteres mutationes in hoc imperio, seu praesentia pericula commemorant. Est omnino pulchrum ἀξίωμα senatus Principum Electorum in Germania. Nec consilium in genere humano sublimius est, et iam annos quingentos saepe profuit toti Europae, quod quidem Romani Pontifices saepe evertere conati sunt. Ac ut bella adversus Henricos et alios accensa omittam, recens nervum electionis hac arte incidere conatus est Pontifex Aeneas Sylvius. Episcopum Moguntinum Isebergensem confirmare noluit, nisi promitteret, nunquam Moguntinum Episcopum convocaturum esse Electores, nisi interrogato et adsentiente Romano Pontifice. Hoc si obtinuisset Romanus Pontifex, Electorum autoritas prorsus extincta fuisset. Repugnat igitur constanter Isebergius, qui cum fulmine Pontificio ictus, pelleretur, suscepit eius defensionem in causa iusta, et ad Electorum dignitatem et Germaniae salutem pertinente Fridericus Palatinus. Cumque bellum inde ortum esset, vicit tandem causa iustior. Senescit autem haec forma germanici Imperii, et iam periodus communis Imperiis fatalis, videlicet quingenti anni a tertio Othone, praeteriit. Ideo non levia pericula impendent. Cum autem verissimum sit imperia et constitui et conservari a Deo, sicut Daniel inquit: Deus est qui transfert et stabilit regna; oro Deum conditorem generis humani et custodem politicae societatis, ut tribuat Germaniae pacem et salutarem gubernationem.

De argumentis tuis breviter respondeo. Est omnino speciosa oratio, quae copulat summum sacerdotem et Regem. Sed tamen falsa sunt Pontificia decreta, quae Petro utrunque gladium tribuerunt. Falsus et ille versus est, qui fuit inscriptus coronae Rodolphi, qui in vicina urbe Mersburg sepultus est. Petra dedit Petro, Petrus

diadema Rodolpho. Causae autem bellorum, quales fuerint longum esset recitare. Crevit Pontificia potentia suo quodam fato, et nunc stabilitur illorum dissidiis, qui eam oppugnant. Fiet tamen quod in Sibyllae versu praedictum est:

ῥώμη μὲν ῥύμη ἔσεται, καὶ δῆλος ἄδηλος.

Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut Ecclesiam suam et nos in ea servet et gubernet.

---

No. 72. an. 1559.

Oration. T. V. p. 102 sqq. et in Orationibus postremis p. 107. Richard T. II. p. 320.

*An virtus sit habitus voluntatis crebris actionibus comparatus?*

Scitis hos publicos ritus ad exercitia doctrinarum pertinere et bono consilio non abolitos esse. Quare ut honestae consuetudini parerem, nolui refragari autoritati praeceptorum, qui me in hoc loco dicere iusserunt. Vos etiam oro, ut tribuatis hoc honestae consuetudini, ut me non gravatim audiatis, cum quidem nec materiam ingratam adferre decreverim, nec prolixitate orationis vos diu detinere velim. Quaestionem usitato more propono: *Recte ne Aristoteles dixerit, virtutem esse habitum in voluntate ex crebris actionibus paratum?* Ut enim dubitem haec causa est. Quia etsi intelligi potest, quomodo noticiae sint habitus, quas scimus esse imagines crebro ac fortiter impressas cerebro, tamen ubi sint, et quid sint illi habitus, quos vult Aristoteles nominari virtutes, monstrare difficile est. Puer discit literas, quas postquam saepe multumque aspexit, imagines impressae sunt cerebro, quae sunt noticiae et habitus. Quid simile de virtute dici potest? Ecclesia planius nos docet, quae virtutem ait esse motum, seu flammam Spiritus sancti iuxta dictum: Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt Filii Dei. Item fructus spiritus sunt, Dilectio, beneficentia et alii boni motus. In Ioseph castitas dici potest, vel ipse Spiritus sanctus gubernans cogitationes et cor ipsius, vel hi effectus in corde. Possum et de heroica virtute dicere, in Scipione fortitudinem et castitatem esse divinos motus, ut recte dixit Seneca: Nulla magna virtus sine Deo est. Video etiam ubi et quid sint στοργαὶ, quae sunt in naturis non monstrosis adfectus seu motus, qui in eis nascuntur, quibus ad amplectendam similem naturam tendunt, ut Parentum amor erga sobolem. Tales συμπάθειαι, non sunt illi Aristotelici et accersiti habitus, sed nascuntur in nobis, ut in Magnete vis attrahens ferrum. Et late hoc patet in rerum naturis ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον, quod Cicero splendidissime dicit: Nihil rapacius est similium, quam natura. Denique ubi et quid sint vitia monstrari et conspici potest. Sunt enim ardentes affectus, qui erumpunt, cum non frenantur cogitatione.

Frenatur ira in Achille, ne Agamemnonem interficiat. Non frenatur in Alexandro interficiente Clytum. Uterque tamen viciosus et turpiter iracundus est. Iam, ex contrario argumentum sumo, cum vicia sint incendia adfectuum errantium, virtus igitur nihil erit, nisi sit adfectus ardens cum ratione congruens. Id si ita est, evanescunt Aristotelici habitus, et agnoscenda est, ingens infirmitas humanae naturae, in qua aut nihil, aut valde parum est virtutis, et reditur ad illam semper agitatam et nunquam explicatam quaestionem apud Philosophos εἰ διδακτὸν ἡ ἀρετή.

Quid igitur, si virtus tantum divinus motus est, estne libertas aliqua voluntatis? Possunt ne homines non renati facere honestas actiones? Et quae res est disciplina? Effici ne illud nostra adsuefactione potest, quod Plato inquit: θυμοειδῆ μὲν δὴ χρὴ πάντα ἄνδρα εἶναι, πρᾷον δὲ ὡς ὅτι μάλιστα. Harum maximarum rerum considerationem in vita et in Ecclesia necessariam esse manifestum est. Quare explicationem peto a Reverendo viro *Paulo Ebero* pastore Ecclesiae nostrae, quem scio de humana infirmitate cogitantem assiduis gemitibus auxilium Dei sibi et aliis petere. Ego quoque de hac nostra infirmitate cogitans, oro filium Dei, ut me gubernet, cum quidem sit nobis factus sapientia, iusticia, sanctificatio, et redemptio. Dixi.

**Responsio.**

Est omnino gloriose dictum a Platone: Lib. 5. νόμων. θυμοειδῆ μὲν δὴ χρὴ πάντα ἄνδρα εἶναι, πρᾷον δὲ ὡς ὅτι μάλιστα. Sed hoc ipsum est quod ipse nominat εὐχαῖς ὅμοια νομοθετεῖν. Rara est virtus, et est aut in sanctis motus accensus a Spiritu sancto, aut in viris heroicis divinitus creata magnitudo animi simul et excelsi et pla-

cidi. Caeterum illa Aristotelica virtus est valde languida. Nam etiamsi quid sunt illi habitus, sunt tenuia vestigia in corde, impressione spirituum facta, ut relinquitur odor in manu, contactu rei bene olentis.

In noticiis facilius est cernere habitus, imprimuntur cerebro imagines, ut cum sigillum cerae imprimitur. Hae imagines sunt expressiores et durabiliores.

Seposita autem disputatione de Aristotelicis habitibus, hoc verum est, honestas actiones fieri posse, quae sunt rectio locomotivae. Potest Alexander abstinere a coniuge et filiabus Darii, id est, regere locomotivam, ne eas attingat, etiamsi intus incaluit, ut fatetur.

Hanc libertatem, vult Deus reliquam esse, et severissime praecipit externa membra lege regi, et hanc disciplinam nominat Paulus opera legis, quod fiant cogitatione legis ciente nervos, etiamsi cor habet contraria incendia. Ac violationem disciplinae Deus severissime punit, ut multa tristia ac tragica spectacula quotidie ostendunt, bella, caedes, vastationes, morbi et aliae multae calamitates. Sic enim inquit vox divina: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit; et de confusione libidinum: Omnis anima quae fecerit has abominationes, eradicabitur.

Has horrendas poenas intueamur, et disciplinae violationem vitemus. Magna est autem naturae infirmitas, et insidiae Diabolorum sunt assiduae. Etsi igitur est aliqua libertas, tamen facile vincuntur homines. Sciant autem renati auxilium a filio Dei petendum esse, qui inquit: Orate ne intretis in tentationem. Iungantur haec: diligentia et invocatio, nec sit homo ut truncus. Quare Iohannes inquit: Natus ex Deo custodit se, et Diabolus non attingit eum, videlicet, intentum καὶ τηροῦντα ἑαυτόν. Haec verba diligentiam praecipiunt.

Haec nunc breviter de hac prolixa quaestione dico, de qua saepe alias refutamus Stoica et Manichaea deliria βλακώδη, vosque adhortor, ut assidua precatione vos confirmetis, et promissionem universalem ad vos pertinere statuatis, in qua Filius Dei verax legatus, omnes ad se vocat laborantes et oneratos. Dixi.

**No. 78.** **an. 1559.**

In Orationum T. V. p. 127., in Orationum postremis p. 185. et apud Richardium T. II. p. 243.

## *Quaestio a puero proposita: de virtutibus adolescentiae secundum Euripidem.*

Euripides trium praecipue virtutum studium praecipit adolescentibus, ut Deum colere, ut parentibus, et quos loco parentum habent, ut publicis legibus et laudata consuetudine receptis moribus obtemperare consuescant. Et addit: ὁ ταῦτα δρῶν κάλλιστον ἕξει στέφανον εὐκλειὰς ἀεί. Cum itaque praecipua sit in aetate nostra laus Pietatis, officii et obedientiae, non existimo expectari a me rationes huius mei facti, quod iussus prodeo huc ad dicendum, confido enim ipsas obedientiae leges excusaturas, si quid inverecundius in eo fieri censebitur, quod ceu puer concionari senibus, filius praeceptoribus et patribus in tam frequenti consessu, non verear.

Et cum causas noveritis omnes instituti moris huius, quo locus dicendi alicui ex nobis tribuitur, scio non tam orationem vel iudicio elaboratam, vel politam ornatu verborum quenquam vestrûm a nobis requirere, quam delectari studio praestandae obedientiae, et his ad excitanda ingenia nostra comparatis exercitiis. Moveo autem quaestionem de usitata temporis nostri et nostrae gentis consuetudine. An recte fiat, quod plurimi post longas multorum dierum helluationes, cum corpus tentari fluxionibus sentiunt, et praecipue catarris, remedia vel a venae apertione, vel a scarificatu cutis, et effusis sudoribus petunt, non semel atque iterum annuatim, sed creberrime. Rationibus videntur moveri illi his potissimum, quod reprimi ac sisti defluxiones, et consumi aut discuti congesti in aliquam partem ex affluxu humores commodius nequeant, nisi vel qui agitati feruntur per membra humores, cum doloris sensu affatim exhauriantur, vel iis, qui sese in aliquem locum infuderunt et ingesserunt humores, patefiat exitus, incisis cuti patentioribus foraminibus scarificatu, et adhibeatur suctio cucurbitarum, qua circumfusa etiam attrahantur et exugantur. Et refrigerari aiunt atque ad temperiem reduci inflammatum vino corpus, si sanguinis pars aliqua auferatur. Sed fallere mihi atque aberrare a vero hae rationes videntur multipliciter. Fere enim, qui ex crapulis ac comessa-

tionibus nati Catarri, a capite in quascunque delabuntur ac desidunt partes, in cerebri sinibus ac plicaturis extra vasorum meatus colliguntur, de densatis in liquores vaporibus crudis, quibus cerebrum imbuitur et opplentur cava intra cerebrum et cranium spacia. At phlebotomia et scarificatus tantum venis inclusos humores educunt: Phlebotomia quidem eos qui amplioribus ramis: scarificatus eos, qui extremis surculis insunt. Quare non medentur fluxionibus extra venas, sed naturam ante languefactam, affligunt gravius. Absumunt enim magnam spirituum et nativi caloris partem, quae praesidia crapulis antea hebetata et conculcata, relinquere naturae, non eripere, quae augere ac fovere subsidio temperati caloris, non dissipare aut diminuere conveniebat, ad illorum succorum cruditatem emendandam, quibus venae fere helluationibus distentae atque inflatae tument. Et quanquam fit interdum, ut et cucurbitarum suctio collectam fluxionem evacuet ac digerat, praesertim si corpus sit minus impurum, et venae sectio allevet corpus iuvenile, praesertim natura robustum atque allevatum parte oneris crudorum succorum, tamen utraque longe plus nocet crebro iterata. Phlebotomia tali conditione aut hydropem aut *ἀτροφίαν* accelerat. Scarificatus aut plus attrahit ad locum affectum, aut eundem reddit obnoxium fluxionibus, aut si nihil horum infert, adimit membris purius et convenientius nutrimentum, cui succedit impurum ac viciosum, hinc *ἀτροφία*. Sed desino plures recitare rationes, et defero quaestionem ad clarissimum Dominum Doctorem *Andream Rosam*, quem oro ut et de quaestione ipsa, et de allatis rationibus, ac pluribus aliis quae in partem utramque adduci possunt, copiosius nos edoceat.

---

No. 74. an. 1559.

In Orationum T. V. p. 173. Richard. T. III. p. 494. et in Orationibus postremis p. 185. Item in Med. Cons. P. II. p. 352.

***Quaestio recitata a Paulo Ebero, D. Pauli filio; quare filius Dei dicatur λόγος?***

Cum iussus essem hoc loco aliquid proponere, etsi mea aetas nondum idonea est ad dicendum in tanta frequentia senum et eruditorum, meque verecundia, quam praecipuam esse in Iunioribus oportet, sicut Homerus inquit, *αἰδὼς δ' αὖ νέον ἐστι γεραίτερον ἐξερέεσθαι*, movebat, ne in hunc locum prodirem: tamen eo libentius obtemperavi Praeceptoribus, me in hunc locum ducentibus, quia volunt me non esse ociosum spectatorem honoris carissimi patris mei. Ego quidem et toto pectore gratias ago Deo aeterno Patri Domini nostri Iesu Christi, creatori generis humani, et aeternam Ecclesiam voce Evangelii propter filium et per eum colligenti, quod hactenus nos clementer et gubernavit et protexit, et patrem mihi talem dedit, et suis donis ornavit: et oro, ut deinceps totam familiam servet et gubernet.

Ingens beneficium Dei est, longo ordine posteros et videre Ecclesiam, et maiorum testimonia audire, ut ea posteris tradant. Talis foelicitas maior fuit ante diluvium, sed tamen et post diluvium vidit et audivit Abraham progenitorem Sem, ex quo nonus ortus erat, cum quidem, a diluvio usque ad circumcisionem sint anni circiter quadringenti, O magna foelicitas, videre et audire certa testimonia maiorum de doctrina tot seculis. Etsi autem in hac misera senecta mundi non sunt tam longa vitae spacia, tamen gaudeo me videre Patrem et collegas, qui norunt historiam Ecclesiae horum quadraginta annorum, et Deo gratias ago, quod hactenus hunc coetum servavit, et oro, ut deinceps nos servet et gubernet.

Cum autem consuetudo sit proponere quaestionem in his congressibus, haud dubie hanc ipsam ob causam instituta, ut nos Iuniores doctrinae summam, quae certis testimoniis a maioribus traditur, meminisse studeamus, propono et ego Reverendis viris Doctori *Erasmo* et Doctori *Iohanni* has quaestiones, dignas consideratione. Quarum prior est: *Cur filius Dei nominetur λόγος*?

Usitata enarratio est, quae et apud Basilium extat, quia cogitatione nascitur, cum sit imago aeterni Patris.

Altera enarratio est Nazianzeni et aliorum, quia sit persona immediate alloquens Patres, et omni tempore in Ecclesia servans ministerium Evangelii, et efficax voce Evangelii, sicut et ipse dicit: *τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν*. Et Esai: quinquagesimo secundo: Ego ipse qui loquor adsum. Et dulcissime inquit Irenaeus: Semper adfuit Ecclesiae *λόγος*.

Haec enarratio dulcior est, quia ostendit et esse *λόγον ὑφιστάμενον,* et semper eum adesse Ecclesiae, et in nobis fidem et invocationem accendere.

Peto igitur a te Reverende Domine D. *Erasme* longiorem explicationem.

Tibi vero Reverende D. Doctor *Iohannes* hanc quaestionem propono: *An toleranda sit vox in Ecclesia* istorum, qui contendunt, hanc propositionem esse veram: Nova obedientia non est necessaria, cum Paulus dicat: *οὐ κατὰ ἐπιταγὴν λέγω.* Harum quaestionum explicatio cum valde utilis sit oro, ut de eis aliquid dicatis.

Vobiscum autem oro Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, qui dixit: Ego sum vitis, vos palmites, ut nos sibi inserat tanquam palmites, et semper nos servet, gubernet et protegat. Dixi.

### *Responsio D. Doctoris Erasmi de priore Quaestione.*

Non dubium est summam omnium quaestionum in genere humano esse, quid sit filius Dei, et an apud Ecclesiam initio fuerit etiam antequam ex virgine natus est. Existimo etiam primum hoc certamen in Ecclesia fuisse, quia diaboli, qui sunt hostes filii Dei, horribiliter impulerunt Cain et alia impia organa, ut negarent adesse hunc custodem Ecclesiae, et multo magis riderent, cum dicebatur adfuturus esse adsumpta humana natura et passurus.

Deinde postquam apparuit adsumpta humana natura, non solum certamina de hoc filio mota sunt, sed etiam horribile Imperium Mahometicum exortum est ad propagandam et defendendam blasphemiam contra eum.

Ideo necesse est pias mentes confirmari illustribus testimoniis, ut et honos filio Dei tribuatur, et nostra invocatio non languefiat.

Cum autem ipse dicat: Nemo novit patrem nisi filius, et cui volet Filius revelare, toto eum pectore oro, ut ipse nos doceat de aeterno Patre, et de sese. Et cum dixerit: Ego sum vitis, vos palmites, oro, ut nos sibi inserat, tanquam surculos et palmites. Haec cum in invocatione cogitamus, his ipsis testimoniis de beneficiis commonefacti agnoscamus, vere hunc Dominum esse omnipotentem, et semper verae Ecclesiae adfuisse. Et quidem universa Prophetica doctrina ita nos de eius divinitate docet, subinde repetens dicta, quae adfirmant, omnipotentem esse, et invocandum esse. Haec duo nequaquam conveniunt ulli naturae, quae non est Deus. Saepe autem mihi propono illustre testimonium, quod in Epistola ad Colossenses extat, ubi expresse dicitur: Per Christum omnia condita esse, et ipsum esse ante omnia. Est igitur in Christo natura coaeterna patri et *ἀπαύγασμα* aeterni Patris. Talibus erecti testimoniis alacres ad eum confugiamus et ab eo petamus et expectemus auxilium, sicut Esaias inquit: Gentes ad eum confugient, et in Psalmo dicitur: Et deprecabuntur coram eo semper, et ipse inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Hunc ei cultum, hunc honorem praestemus, et nos ab omnibus blasphemis seiungamus, qui hunc Filium Dei Dominum nostrum *Iesum Christum*, nolunt invocare. Intueamur etiam segniciem nostrorum pectorum, et doleamus, non esse ardentiorem invocationem nostram, et saepe repetamus hanc exclamationem: Credo Domine, opem fer imbecillitati meae!

Hanc meam confessionem et invocationem hoc praesertim loco prius recitare volui, quam ad tuam quaestionem responderem.

Non dubium est in primo capite narrationis Evangelicae apud Iohannem, *ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος,* nominari Filium *λόγον.* Sic et in Epistola prima Iohannis, capite quarto, scriptum est: Tres sunt testificantes in coelo, Pater, *Λόγος,* et Spiritus sanctus. Et Ignatius ait intelligendum esse *λόγον οὐσιώδη,* ut discernat a sono evanescente. Etsi autem de causa huius appellationis scio Scriptores disputare, tamen haec enarratio minus obscura est caeteris, dici hunc filium *λόγον,* quia sit persona, per quam Pater alloquitur Ecclesiam, et arcanum decretum, videlicet Evangelium profert de reconciliatione, ignotum omnibus Angelis, sicut in Iohanne scriptum est: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis.

Haec interpretatio nominis etiam dulcis commonefactio est de perpetua et assidua praesentia filii Dei apud Ecclesiam, de qua saepe concionatur: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Item: Ubicunque duo aut tres sunt congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Ego sum vitis, vos palmites, sine me nihil potestis facere. Ego in patre meo sum, vos in me, et ego in vobis. Item:

Sedet ad dextram aeterni patris, dans dona hominibus. Hanc praesentiam filii Dei saepe cogitantes, petamus et expectemus ab eo gubernationem, protectionem, et liberationem ab omnibus malis, et hanc consolationem teneamus, semper servaturum esse aliquem coetum, qui sit vera Ecclesia, et domicilium ipsius. Simul etiam cogitemus, quaenam sit haec vera Ecclesia, et ubi sit, nec dubitemus esse hunc ipsum coetum, in quo vox Evangelii sonat, sine corruptelis cum fundamento pugnantibus. Huius Ecclesiae cum cives sumus, certum est nobis adesse Filium Dei, qui servabit Ecclesiam suam, quanquam variis et magnis aerumnis exercetur, et ut servet nos, toto eum pectore oro.

Tantum de tua quaestione in hac brevitate temporis respondere volui, magis, ut confessionem meam ostenderem, quam ut disputationem instituerem. Cum enim vera sententia comprehensa est, acquiescant in ea piae mentes, et sit modus disputationum, et rixatrices naturas vitemus, quae non patiuntur sibi satisfieri, et non hoc agunt, ut doceant et sanent alios, sed ut Academico more labefactent omnia, et mentes in labyrinthos inducant, ubi incertitudine oppressae pereant. Sit igitur modus disputationum, et agnitam veritatem pie retineamus, et nos a filio Dei confirmari petamus. Dixi.

*Responsio Doctoris Iohannis Cogeleri, de altera quaestione.*

Polycarpum sanctum senem aiunt, solitum digitis obstruere aurium meatus, si quando audiebat blasphemas voces. Ego et mihi et populo aures obstructas esse optarim, cum eduntur aut leguntur illae tetrae voces contendentium: Novam obedientiam non esse necessariam, item: bona opera officere saluti. Mirabitur posteritas huius seculi furores, quo conceditur, ut talia defendantur in Templis, et legantur in publicis Scriptis. Etsi autem et mihi placet, non uti hac propositione: Bona opera sunt necessaria ad salutem, tamen constanter adfirmo, et Deo iuvante in tota aeternitate adfirmabo, hanc propositionem veram esse sine ulla peregrina interpretatione, sine ulla Sophistica intellectam: Nova obedientia est necessaria, seu, bona opera sunt necessaria, quia necessarium non significat metu extortum, sed significat ordinem divinum, quo creatura rationalis subiecta est creatori, ut quanquam στοργὴ in parentibus, quo est ardentior, eo magis spontanea est, tamen verissima est propositio: στοργὴ est necessaria, quia natura sic a Deo ordinata est. Praeterea barbarica insulsitas est, quod cum fit mentio bonorum operum, tantum de externis dici volunt. Nos interiorem et exteriorem obedientiam nomine bonorum operum complectimur, sicut vox divina loquitur. Ne quidem populus bonum opus tantum umbram externi operis, seu gestum externum intelligit, sed in mente consilium rectum et προαίρεσιν bonam complectitur. Haec cum perspicua sint, tamen in multis tanta est, non dico inscitia, sed malitia, ut non desinant latrare contra manifestam veritatem.

Ut igitur breviter respondeam, retineo Pauli dictum, qui ait: Debitores sumus. Et Christus inquit: quod debuimus fecimus. Et 1 Iohan. 4. dicitur: Debemus fratres diligere.

Quod vero Sycophanta quidam in vicinia dictum Pauli, quod in Epistola ad Corinthios scriptum est: οὐ κατὰ ἐπιταγὴν, opponit huic propositioni, nova obedientia est necessaria, vel inscitia est, vel impudentia. Discernit enim Paulus mandata a non mandatis, nec valet consequentia a confusione disparatorum, ut sunt disparata non praecepta et praecepta. Non prohibiti sunt certi cibi, ergo non prohibitum est adulterium. Haec esse ἀνακόλουθα omnes intelligunt. Docet autem universam Ecclesiam Paulus, non esse praeceptam Platonicam communicationem rerum, nec ministros Evangelii certum numerum Eleemosynarum indicere posse, ut Reges tributa indicunt. De his tantis rebus, Paulus utilissimam doctrinam ibi tradidit, quae tota obruitur deliramentis, et Sophistica illorum praestigiatorum, qui detorquent verba Pauli ad alia opera, quae expressis mandatis ordinata sunt. Adderem plura, nisi angustia temporis prohiberet. Sed oro filium Dei, ut nos gubernet.

Adhortor etiam publicos Magistratus, ut publicis poenis coherceant petulantiam illorum, qui illas barbaricas voces defendunt, contumeliosas contra Deum, et perniciosas moribus. Discant illi admoniti verberibus ut Thersites, petulantiam linguae turpissimum morbum esse ἀκόλαστος γλῶσσα αἰσχίστη νόσος. Pertinet enim et ad pios magistratus blasphemos et perniciosos sermones punire. Dixi.

**No. 75.** **an. 1560.**

In Oration. T. V. p. 205 sq., in Orationibus postrem. p. 219. et apud Richard. I. p. 503.

### *Quaestio recitata a puero Casparo Peucero, filio.*

Vox Filii Dei Domini nostri Iesu Christi inquit: Sinite parvulos venire ad me, quia talium est regnum coelorum. Pro hac immensa bonitate Deo primum gratias ago, quod me et similes ad se vocat, et nobis salutem in hac vita et post hanc vitam promittit. Et quia nos adfirmat membra esse suae Ecclesiae, toto pectore eum oro, ut me et parentes meos gubernet et protegat. Deinde et pro hoc beneficio gratias ago Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi, quod me voluit spectatorem et oratorem esse in hoc honestissimo coetu. Oro igitur Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, ut et hanc Academiam semper gubernet, et totum cursum charissimi Patris mei regat. Sicut autem consuetudo est, propono quaestionem: *An cognitio motuum coelestium conservanda sit propter Ecclesiam, Politias et medicationem?* De hac quaestione primum hoc argumentum oppono:

Nihil prodest scire motus sublata divinatione,
Divinatio autem lege Dei prohibita est.
Ergo nihil prodest scire motus.

Hoc argumentum praetexunt multi suae ignaviae, ne discant optimas doctrinas de numeris, figuris, et motibus coelestibus, quae tamen eo expetendae sunt, quia clarissime ostendunt, hunc ordinem in natura non casu ortum esse, sed esse mentem Architectatricem. Primum autem neganda est maior, quae dicit, nullam esse utilitatem cognitionis motuum sublata divinatione. Sunt enim aliae utilitates, quarum prima est annorum distinctio, quae necessaria est Ecclesiae et politiis in historia et continua gubernatione. Quales tenebrae in vita essent, si ut boves retro spectantes nullam temporum distinctionem cerneremus?

Cum autem velit Deus annorum distinctionem notam esse, observatio motuum necessaria est, quia sine observatione constitui metae annorum non possunt.

Est autem et hoc signum placere Deo hanc diligentiam discernendi annos, quia ipse annorum seriem, ab initio mundi conservavit, ac magnum decus est Ecclesiae, quod in ea sola conservata sit haec series, et quidem haec conservatio signum est aliquod, solius Ecclesiae doctrinam veram esse. Erat igitur prudentum gubernatorum nunc quoque curare, ut vera Ecclesia possessionem huius pulcherrimae doctrinae retineret, et spero Deum ipsum Ecclesiae custodem deinceps etiam hoc decus in Ecclesia conservaturum esse. Gaudeo etiam meum patrem hac in re studiis serviisse, et Deum oro, ut me ita gubernet, ut vestigia patris sequar.

Deinde respondendum est et ad minorem, quae divinationes prohibitae sunt. Una *Μαντικὴ* omnium summa est, quae certe maxime expetenda est, quod videlicet, et motuum ordo et doctrinae testantur esse Deum sapientiae fontem.

Hanc *μαντικὴν* placere Deo nihil dubium est, quae quidem maxime incitare nos ad has artes discendas debet, de quibus ait Plato: Gratam de Deo famam in artibus sparsam esse: Nunc vero carissime Pater a te peto, ut de hac tota quaestione copiosius disseras, et oro Deum, ut clementer nos gubernet et protegat. Dixi.

### *Brevis Responsio ad quaestionem et gratiarum actio.*

Carissime Fili, quae abs te de quaestione, quam proposuisti, explicationis causa dicta sunt, ea verissima esse assentior. Possent addi alia quaedam ex Medicorum doctrina et observatis, si vel id fieri pateretur angustia temporis, vel opus esset mole argumentorum in re manifesta. Galenus discernens fontes, a quibus *ἐνδείξεις* peti oportet medicationum omnium, quae fiunt, tertium constituit *τὸ περιέχον*, quod ut ipse inquit: *λόγον ἔχει ἐνιότε μὲν ὕλης ἰωμένης*, cum morbo adversatur: *ἐνιότε δὲ ὡς αἰτίου νοσάζοντος*, cum vel affert atque infligit, vel fovet, vel auget morbum. Ad medicationes vero confert id, quod quae habent rationem *ὧν οὐκ ἄνευ*. Causas vero et constitutionum diversarum et mutationum *τοῦ περιέχοντος*, in iisdem et diversis locis, recte refert in regionem, anni tempus, et quam ipse vocat *κατάστασιν*. Regio talis est, quod tum natura terrarum dissimilis est temperie et qualitatibus soli, eorumque quae terra continentur et inclusa latent, itemque aquarum, et figura extantium superficie tenus partium atque enatorum, tum quod talis est eius positus ad mundi medium, habitudoque ad iter Solis, Lunae ac planetarum, et congruentia atque consensio talis cum triangulis et sideribus coeli, id est, *διὰ τὴν θέσιν καὶ συνοικείωσιν*

πρὸς τοὺς ἀστέρας. Anni quadripartitam distinctionem quatuor temporum gratissimis variatam vicibus, praecipue efficit et temperat annuo circuitu Sol. Καταστάσεις, quae et maiores aëris, evidentiores καὶ καθολικωτέρας, et minores ac minus insignes, ut particulares, menstruas, diurnas, horarias, et pene momentaneas variationes complectitur. Illa ergo talis est magna ex parte a varia et vaga planetarum oberratione, congressuque inter se eorundem, et diversa coniectione consertioneque radiorum ex differentibus intervallis dissimiliter inter se collisorum, atque ab inerrantium etiam et coelo adhaerentium stellarum exortu et decubitu, luminum deliquiis, ardoribus flagrantium cometarum et meteororum variante diversitate, quae vi syderum excitantur et discutiuntur. Haec cum sint evidentissima, ut reliqua omittam, convincunt non negligendam esse Medico prorsus hanc, de qua dixisti, μαντικήν. Sed huius loci non est haec prolixius persequi. Quare et rationibus omissis, et autoritatum testimoniis, et longiore explicatione praecisa, ad id me converto, quod ultimum in hoc actu superest.

Praecipuum quod in his congressibus publicis piorum et doctorum hominum et veritatis atque concordiae amantium fieri debet, est precatio ad Deum ardens ac seria, et gratiarum actio, qua celebrentur beneficia, quibus divinitus afficimur et cumulamur. Ingens omnino Dei beneficium est, quod non solum condidit genus humanum, et huic ostendit artes multiplices vitae necessarias, sed quod sese etiam patefecit, ac tradita doctrina ministerium instituit, quo colligit aeternam haereditatem aeterno Filio Domino nostro Iesu Christo. Singulare vero hoc Dei beneficium est, quod in hac schola restituta luce veritatis, nos ex densissima caligine inveteratae superstitionis, et confusissimarum opinionum errabundis latebris, ad illius lucis conspectum cognitionemque reduxit, et excitatis atque instructis idoneis custodibus hanc fovet ac conservat in hac schola et plurimis aliis cum hac coniunctis, et hos nidulos suae Ecclesiae in his terris contra tot adversationes, molitiones et impetitiones, contra tam manifestam rabiem hominum Cainico odio nostri furentium tuetur et protegit. Hoc beneficio nos peculiariter Deo obligamur ad gratiarum actionem sempiternam, et ad acrius atque ardentius studium retinendi ac propagandi ad posteros depositum, quo nobis frui conceditur. Agnoscere ergo haec beneficia, et grata mente cogitare, et celebrare voce et scriptis nos decet.

Ago itaque gratias toto pectore Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi conditori generis humani et Ecclesiae suae, fonti et autori omnium bonorum et felicis ac salutaris medicationis, una cum filio suo Domino nostro Iesu Christo, qui est λόγος καὶ εἰκὼν patris, et μεσίτης καὶ ἱκέτης noster coram patre, et cum Spiritu sancto Paracleto, casto, vivo et verace, quod Ecclesiam sibi inter nos colligit voce et ministerio Evangelii sui, quod ad societatem illius tanquam cives et membra nos vocavit et adiunxit, quod doctrinae coelestis sincerioris et aliarum artium utilium studia in hac Academia non sinit extingui, quod et me et studia mea, et conatus in docendo ac medicando hactenus rexit atque adiuvit. Eumque oro veris et ardentibus gemitibus, ut deinceps etiam et hoc doctrinarum domicilium tueatur, et conservet haec sua dona, vocem Evangelii incorruptam, et totius purioris Philosophiae studia, et totum vitae meae, studiorum ac medicationum cursum gubernet, dirigat et fortunet, meque velit esse vas misericordiae et organum salutare, ut et ipsi grata faciam, et prosim multis in genere humano utilia docendo, et artem medicam foeliciter faciendo.

Deinde gratias ago Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Augusto Electori Saxoniae, Domino nostro Clementissimo, quod in hanc curam praecipue incumbit, quae praecipua in omni gubernatione esse debet, ut Deus recte agnoscatur, et recte colatur vera obedientia et vera invocatione cum fiducia aeterni filii Mediatoris et Redemptoris nostri, et Dei gloria illustretur, et homines doctrina, disciplina et legibus exculti et mansuefacti adducantur ad Deum, et assuefiant ad fidei et invocationis, sanctae ac Deo placentis honestatis, et omnium piarum virtutum studia atque exercitia, et ut haec Schola atque in ea optimarum artium studia, et quae semel constituta est docentium consensu, norma veritatis, vigeat ac propagetur. Pro quibus beneficiis tanto Principe dignissimis, et pro singulari erga me clementia gratitudinem Illustrissimae Celsitudini eius perpetuam me debere profiteor et praestiturum polliceor. Et Deum oro, ut et ipsum Illustrissimum Principem Electorem et συμβουλεύτας eius, ac socios consiliorum et in gubernatione Parastatas regat ac custodiat, et tribuat his terris salutarem pacem et salutarem gubernationem.

Ago etiam gratias Reverendissimo et Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Sigismundo Archiepiscopo Magdeburgensi, Primati Germaniae etc. quod festivitatem hanc renunciationis meae celebrari a se voluerit per Virum clarissimum D. *Paulum Praetorium.* Pro qua tam clementi voluntate erga me, Celsitudini ipsius memoriam et gratitudinem sempiternam promitto. Ipsi etiam Viro clarissimo D. Paulo Praetorio, et gratiam me debere profiteor et declaraturum recipio, quod pro veteri necessitudine nostra inter summas occupationes honori et existimationi meae hanc operam dare, et hoc officio adventus sui efficere non sit gravatus, ut haec festivitas et haec doctorum hominum corona ab ipso etiam auctior, ornatior et illustrior redderetur.

Debitas etiam gratias ago Magnifico D. Rectori, et Inclytis ac Generosis Dominis Comitibus et Baronibus, et Nobilitate ac virtute praestantibus hospitibus caeteris, qui cum ad hos congressus scholasticos accedunt, testantur se et dignitatem literarum intelligere, et has magnifacere ac venerari, et favere Scholae et Ecclesiae nostrae, quae humanitas dignissima est omnibus iis, qui illustri loco nati sunt, et ad aliqua summarum dignitatum fastigia virtute et rebus bene foeliciterque gestis, ascenderunt.

Vobis vero Reverendi et clarissimi Viri, pietate, dignitate et doctrina praestantes, Doctores et Professores Academiae Lipsicae, et caeteri Doctores atque amici et maiores mei cum observantia colendi, et tibi inprimis *Ioachime Camerarie*, quem et ego, ut fieri debuit, patris loco summa semper veneratione colui, et cum patria communi Germania, omnes exterae nationes vero gravique iudicio suspiciunt atque admirantur: Vobis ergo omnibus gratias ago, quantas capere potest animus meus, quod honori meo favere vos ostenditis, et testamini vera ac sincera benevolentia vos nobiscum coniunctos esse, et delectari amicitia, colloquiis et consuetudine nostra. Vos circumspiciens de illo Platonis dicto cogito: *οὐ χρυσὸς ἄγλαος οὔδ᾽ ἄδαμας, οὐδ᾽ ἀγρύρου κλίναι πρὸς ἄνθρωπον δοκιμαζόμεναι οὕτως ἀστράπτει πρὸς ὄψεις, ὡς ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὁμοφράδμων νόησις.* Nihil est omnino aut praestantius aut dulcius coniunctione non fucata bonorum et piorum consentientium de praecipuis rebus, et hoc consensu laetantium, de quibus dicit filius Dei: Ubicunque duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Haec vero ut sit inter nos benevolentia perpetua et crescat atque confirmetur, sitque initium illius aeterni et laetissimi complexus, quo fruemur in altera vita, veri perfectique et divini et mutui amoris flammis ardentes, in conspectu filii Dei et consuetudine Ecclesiae coelestis, faciat Deus, qui est dilectio et fons concordiae.

Easdem gratias vobis ago Reverendi et clarissimi viri Domini Doctores et Professores huius nostrae Academiae universi, Praeceptores et collegae perpetua observantia colendi, et viri Nobiles atque amici caeteri, qui honoris mei causa convenistis, cum de aliis beneficiis vestris, tum de eximia et constanti benevolentia, quam singulari humanitate declarastis et praestititis mihi multis annis. Hanc ut retineatis erga me, qua possum contentione peto. Ego ut semel collectam atque adeptam non temere effundam, sed alam atque augeam omni erga vos officiorum et observantiae genere, enitar sedulo. Et precor Deum, ut hanc coniunctionem animorum inter nos et concordiam, et hanc de vera doctrina filii Dei consensionem, qua nixa et fulta haec Schola Dei providentia et procuratione hactenus constitit et floruit, nunquam sinat turbari aut dissolvi.

Tibi vero omni cultu reverentiae dignissime Domine Patrone, Praeceptor, Parens et Socer, quibus verbis agam gratias, qui tibi debeo omnia? Cuius pietas, sapientia, virtus et doctrina ita me instruxit, ut affinitatem nostram postea non refugeris. Haec institutio et consuetudo tua, quam affinitas postea consequuta est, causa mihi est omnium beneficiorum, quae a Deo vitae meae concessa sunt, et sunt maxima, et a me, ut par est, pro maximis agnoscuntur et celebrantur. Tua etiam causa, quae nunc fiunt, fiunt omnia. Nam etsi multum mihi polliceor de caeterorum erga me studiis, et multa mihi ab his etiam dari non dubito, neque ipsi me dubitare volunt aut sinunt; sit igitur ut mihi aliqua: Tibi tamen ut dixi dantur omnia, quod si non intelligam atque praedicem, nimis sim imperitus atque ingratus. In me vero si quid tibi gratum est, pro quo Deo gratias ago et tibi, eius nomine ideo gaudeo, quia tibi gratum est. Nam etsi de his ornamentis, quae mihi iam collata sunt, ita sentio ut debeo, non tamen illis ipsis tam gaudeo ullo respectu meo aut meorum omnium, quam te et honestissimam familiam tuam, a me non deformari. Quod ut semper

fiat deinceps, et nostra opera utiliter inserviat Ecclesiae et gloriae filii Dei, et tua senectus acquiescere possit in nostris, et familiae tuae universae et amicorum tuorum constantibus studiis et officiis domesticis et externis, oro aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi. Eundem oro ut te diu Ecclesiae suae et nobis universis conservet, qui unus hac aetate et his viribus cohibes multorum improbitatem, quorum si qui sunt impotentiores, eorum furor erumpens et ipse sese retundit, et per te ab Ecclesia Christi, si vita suppeditarit, facile profligabitur. Reliqua precibus tuis ardentissimis a nobis arcentur, quae pro Ecclesia, Republica et privata salute nostra excubant. Commendo autem et tuam et omnium nostrûm salutem filio Dei Domino nostro Iesu Christo, custodi Ecclesiae suae, qui se certo affuturum nobis et defensurum nos promisit adversus furores, insidias et Tyrannidem Diaboli, sicut dixit: Ero vobiscum usque ad consummationem seculi. Item: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Dixi.

---

**No. 76.** **an. 1560.**

In Oration. T. V. p. 225 sq. Richard. T. III. p. 844. et in Orationibus postremis p. 242.

## *Quaestio proposita a Mag. Francisco Raphaële.*

Scitis nos non fiducia ingenii aut eruditionis, huc ad dicendum prodire, sed legum autoritati, quarum honestae et probabiles causae sunt, obtemperare, qua in re officii laus est, quae sine ulla dubitatione maior est in iunioribus, quam laus sapientiae.

Cum igitur iusta sit dicendi causa, peto ut orationem meam boni consulatis, praesertim cum perfecturus sim, ne prolixitas vobis molesta sit.

Quia vero nunc in Oratione Decani dictum est, Ecclesiam in terris visibilem esse et oportere in ea Iudicia esse, proximae quaestiones sunt de norma iudicii, et quare valeant Iudicum sententiae, An valeant ut in prophanis iudiciis autoritate Regia seu praetoria?

De his quaestionibus eo nunc dicendum est, quia recens Viennae *Esauita* propositiones edidit, in quibus expresse haec asseveratio scripta est:

Ineptum et ridiculum esse, petere a scriptura tanquam supremo iudice controversiarum religionis definitam sententiam. Sic enim Viennensis ille expresse loquitur.

Doleamus talibus blasphemiis augeri iram Dei, et ostendamus eas nobis displicere, ac precemur Deum, ut poenas a nobis avertat.

Quid enim aliud agunt isti? quam ut deleta voce divina concedatur potentibus, ut in Ecclesia collocent Idola, et fingant dogmata ut libet, sicut fecerunt Nabochdonosor, Antiochus, Mahometus et alii. Sic defendunt hoc tempore Pontificia Idola plurima, quia autoritatem Pontificiam anteferunt expressis Dei mandatis.

Quaero igitur: *An norma iudicii sit verbum Dei, an vero Pontificum autoritas?* Deinde et de Synodis: *Valeantne earum sententiae autoritate Regia seu praetoria?*

Ac primum argumentor, Normam iudiciorum oportere esse scripta Prophetica et Apostolica et Symbola, quia expresse scriptum est: Si quis aliud Evangelium praedicaverit, anathema sit. Item: Si quis non manet in doctrina *Christi*, Deum non habet.

Loquimur autem de scripto sine Sophistica intellecto, ac nativam sententiam retineri volumus, non affingi barbaricas aut Sophisticas interpretationes pugnantes cum perspicuis testimoniis, quae extant in scriptis Propheticis et Apostolicis.

Nam Anabaptistae et similes, non retinent scripta, etiamsi verba calumniose ad suas portentosas opiniones accommodant; nam haec verba: *Da omni petenti,* non evertunt distinctionem dominiorum, quae alibi perspicuis verbis expresse comprobata est. Volumus igitur accedere ad lectionem, dexteritatem in conferendis locis et ordine distribuendis.

Sed contrarium argumentum opponunt Pontificii.

In qualibet gubernatione oportet vivam vocem iudicis habere summam autoritatem, quia semper nata lege desideratur interpretatio. Plurimum est dubiorum in scriptis Propheticis et Apostolicis.

Ergo necessaria est viva vox iudicis, et ut finiantur controversiae, necesse est hanc valere autoritate Regia seu praetoria.

Haec plausibiliter dicuntur apud Reges et Principes, sed quatenus probanda sint, considerandum est. Ideo hanc gravissimam quaestionem defero ad reverendum virum Pastorem Ecclesiae nostrae Doctorem *Paulum Eberum*, quem propter

domesticam institutionem singulari pietate et debeo venerari, et semper venerabor. Dixi.

*Responsio ad Quaestionem.*

Carissime *Francisce*, Volo et ego meam confessionem extare contra praestigiatorem Viennensem et similes, qui volunt normam Iudicii in Ecclesia esse, non scripta Prophetica et Apostolica et Symbola, sed Pontificum et Synodorum sententias, et has volunt valere autoritate Regia seu Praetoria. Hac falsa persuasione elati Pontifices, audacissime in Ecclesia collocarunt et stabiliunt multa Idola. Ideo taxari eam necesse est.

Adfirmo me retinere hanc veram sententiam, Normam iudicii de doctrina in Ecclesia esse scripta Prophetica et Apostolica et Symbola, quae quidem ipsa tantum sunt brevis collectio articulorum, qui comprehensi sunt in scriptis Propheticis et Apostolicis.

Quod vero Pontificii obiiciunt, scripta incerta esse: falsum est, et contumeliosum contra Deum. Vult Deus et audiri et intelligi suam vocem. Quae est enim insania, dicere, Decalogum, promissionem gratiae et aeternae salutis, articulos Symbolorum, esse incertos sonos, et similes foliis Sibyllae.

Quod vero haeretici dicta quaedam detorquent ad sua deliramenta, id fit ipsorum scelere, quia non conferunt dicta Prophetica et Apostolica. Scimus opus esse doctrina et collatione locorum et iudiciorum, sicut recte dixit Epiphanius: Non transformanda sunt omnia dicta in Allegorias, sed retinenda est nativa verborum significatio in lege, promissione gratiae, et articulis fidei. Addit autem Epiphanius, opus esse sensu et speculatione. Sensu opus est ad intelligenda singula vocabula: Speculatione opus est, ad locorum et dogmatum collationem et ordinem constituendum. Ideo in Ecclesia vult Deus esse vocem docentium, quae non gignat nova dogmata, sed sermonem Propheticum et Apostolicum dextre reddat, et membrorum ordinem in docendo ostendat, quae ab ineruditis fieri non possunt.

Absit ab Ecclesia audacia, quam sibi multi Pontifices et Haeretici sumpserunt, et sumunt omnibus temporibus, sculpendi Idola, fingendi opiniones seu peregrinas seu contrarias voci divinae.

Sed de hac quaestione hoc tempore integre dici non potest, de qua tamen saepe aliis temporibus et dicimus Deo iuvante, et dicturi sumus. Oro autem filium Dei sedentem ad dexteram Patris, ac dona largientem Ecclesiae, ut studia gubernet, et nos protegat. Dixi.

---

No. 77. an. 1560.

In Oration. T. V. p. 249 sqq., in Orat. postrem. p. 268. et apud Richard. T. III. p. 841.

*Quaestio Doctori Davidi (Voigt) proposita a Casp. Peucero, Doctoris Caspari filio.*

Vult Deus aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi, creator generis humani cum filio suo coaeterno, Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis, et resuscitato, et cum Spiritu suo sancto, erudiri primam aetatem, et vult se a nobis invocari, sicut scriptum est: Sinite parvulos ad me venire; talium est enim regnum coelorum. Vult igitur nos assuefieri in Ecclesia ad recitandam suam doctrinam, ut et nos et alii adolescentes commonefiant de voluntate Dei, ut cogitemus, discendam esse doctrinam, sicut praeceptum est: Hic est filius meus dilectus, hunc audite.

Sicut autem usitatum est, propono quaestionem: *An recte dictum sit, in definitione Legis moralis, Lex moralis est aeterna et immota sapientia, et norma iusticiae in Deo, cuius radios immensa bonitate, in rationales creaturas Deus in creatione, transfudit, discernens recta et non recta, et ostendens quod sit Deus, et quod velit recta, et praecipiat, ut simus ipsi conformes, et quod velit destruere pugnantes cum illa norma.*

Hanc definitionem bono consilio et pio studio traditam, arrodit quidam virulentus Sycophanta, hoc argumento:

Homines non sunt aeterni.
Lex est data hominibus.
Ergo Lex non est aeterna.

Nunc quaero, An proter hanc futilem cavillationem falsa sit propositio, Legem esse aeternam sapientiam in Deo, et sic argumentor, recte sic dici. Expresse scriptum est: Ego Deus et non mutor. Item: Non Deus volens impietatem tu es. Item: Non veni solvere legem, sed implere. Et quanquam remittit Deus peccata, tamen non vult ea, sed vult ea quae congruunt cum lege morali, et restituit homines, ut fiant conformes cum illa sua sapientia. Item: Si illa sapientia esset muta-

bilis, quomodo sciremus, qualis sit Deus? Ideo autem dicitur similitudo Dei in nobis fulgere, quia haec noticia in nobis lucet, quae, si Deus non semper talis esset, non referret Deum. Nec natura humana retinet maius decus post lapsum, quam hanc lucem, quae etiam in Ethnicis adeo fulsit, ut gens Saxonica adhuc ignara Christi; tantopere detestata sit stupra et adulteria, ut stupratas et adulteras strangulatas cremaverint, et stupratores et moechos, supra rogos suspensos interfecerint.

Hoc scripsit Bonifacius Pipini tempore ad regem Anglicum, quod libenter recitavi, quia utile est omnes hoc pulchrum exemplum gentis Saxonicae nosse. De quaestione vero, peto, ut reverendus vir D. *David* respondeat, et oro filium Dei, ut nos omnes gubernet et protegat. Amen.

### *Responsio D. Davidis.*

Utilis est explicatio quaestionis tuae, an recte dicatur, Lex est aeterna et immota sapientia in Deo, et norma iusticiae discernens recta et non recta, cuius radii transfusi sunt in creaturas rationales, ut sint testimonia, quod sit Deus, et ostendant qualis sit; et discernant cum a malis naturis, et postulat perfectam obedientiam, et denunciat destructionem omnibus non obedientibus. Respondeo autem, Recte sic dici, ac detestanda est impudentia Sycophantarum, qui hanc manifestam veritatem cavillationibus obruere conantur. Haec propositio est vera in tota aeternitate, et necessaria absoluta necessitate: Deus est bonus. Et haec est impossibilis: Deus est malus. Ergo necessarium et immotum est discrimen boni et mali. Docet autem Deus hoc esse bonum, quod ordinat lex moralis, sicut Micheae 6. dictum est: Indicabo tibi quid sit bonum. Ac sublato discrimine boni et mali, nescitur quid sit Deus, et sequuntur Pyrrhonii et Manichaei furores.

Esse autem hanc normam in Deo transfusam in homines in creatione, confirmatur hoc illustri testimonio, quod dicitur, homines conditos esse ad similitudinem Dei. Eadem est igitur Noticia boni in Deo, quae impressa est hominibus. Et in Deo et in hominibus immota est, alioqui non discerni posset Deus a malis naturis.

Quod autem obiicitur, Homines non esse aeternos, legem vero datam esse hominibus, quare non sit aeterna. Facilis est explicatio. Promulgatio non peperit sententiam legis, quia haec ante creationem fuit, sed promulgatio seu transfusio in homines nobis eam ostendit.

Haec breviter in hac angustia temporis respondeo, et adhortor Scholasticos, ut totum illum exercitum Antinomorum vitent, in quo multae gentes sunt, ut in Troiano exercitu, Polyphemi filii, Musculus, Stenckefeldiani et alia monstra, quae Deus reprimat. Dixi.

---

## No. 78.

anno?

In Select. Declam. T. IV. p. 906. Servest. IV. p. 822. Richard. T. III. p. 524.

### *Quaestio proposita a Valentino Wagnero, Coroniensi, de duobus dictis, quae in speciem pugnare videntur, altera Syracidis, altera Pauli.*

Ego ut ostenderem coniunctionem et mei animi, et Ecclesiae nostrae cum vestra Ecclesia, tam longum iter feci, inde usque a veteri sede Iazygum, quos fuisse Ionum coloniam existimo. Et quia studia huius Academiae amo, libenter etiam hos scholasticos ritus observo. Quare cum iussus sim hoc loco dicere, non volui meum officium desiderari, vicissim vestrae humanitatis erit nos patienter audire, cum quidem ideo conveneritis, ut ostendatis vos haec scholastica exercitia probare. Ut igitur usitatum est, quaestionem proponam, de qua et ego et caeteri erudiamur.

Nam in his congressibus haec fieri decet, invocationem Dei, et utiles commonefactiones de aliqua doctrinae parte, ut in bonis agnitio Dei, et pietas crescant. Sit igitur haec quaestio: *Quomodo haec congruant, quod in libro Syracide capite quadragesimo scriptum est: Fides in aeternum stabit.* Paulus autem inquit: Dilectio non excidit, cognitio autem cessabit. Nam haec dicta in speciem dissidere videntur. Etsi autem Theophylactus qui fuit Episcopus gentis nobis vicinae, verbum *ἐκπίπτει* interpretatur verbo, non frustratur, quasi hoc dicatur, Dilectio non est frustra, id est, non est infructuosa seu sterilis, quia volebat hortator esse, ut dilectio multis piis officiis ostendatur, tamen non existimo hanc esse nativam vocabuli significationem, sed simpliciter hoc vult Paulus, non amitti dilectionem. In tota aeternitate laetabuntur corda Dei conspectu, et in hac laeticia eum diligent, et vera gratitudine eum

celebrabunt, et universam Ecclesiam amabunt. Huius dilectionis scintillas autem in hac mortali vita inchoari necesse est sicut scriptum est ad Timotheum: Accepistis spiritum non timiditatis, sed fortitudinis, dilectionis et castificationis. Et in Ioanne dicitur: Qui non diligit, manet in morte. Interpretor ergo, οὐκ ἐκπίπτει, non amittitur. Sicut usitatum est dicere Graecis, ἐξέπεσε, eiectus est ex regno, ex civitate. Sed cur inquit Paulus, cognitio cessabit, cum quidem dicat Filius Dei: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum esse verum Deum, et quem misisti, Iesum esse Christum. Et in Ieremia scriptum est: Dabo legem meam in corda eorum, omnes cognoscent etc. Quare beati in vita aeterna laetissimo et perpetuo contuitu Deum aspicient, et eius sapientia fruentur. Cur igitur dicit Paulus cessaturam esse cognitionem? Etsi videtur loqui de cognitione quae in hac vita necessaria est, de rebus aliis, non de Deo, videlicet de artium cognitione, hanc dicit cessaturam esse, quo ad usum, videlicet, ut nihil opus erit literis in illa coelesti consuetudine. Nam καταργηθήσεται non significat aboleri, sed ociosum esse, tamen fateamur sane loqui eum etiam de fide agnoscente Deum: Haec cessabit quo ad modum cognitionis, quia nunc nondum est noticia intuitiva, quae est multo illustrior, sed alia obscurior cogitatio rei, quae non coram conspicitur. Hic imperfectus modus cessabit, et succedet noticia intuitiva.

Quod autem Syracides inquit: Fides in aeternum stabit, de propositionibus fidei loquitur. Harum veritatem adfirmat ratam et immotam esse. Ac non solum propositiones ratae sunt, sed assensu eas amplectimur, quae est fides, statuens quod nobis illae ipsae res quae significatae sunt, certo tribuuntur. Promissio vera est et rata, dari remissionem peccatorum et vitam aeternam. Sed ita tibi fit rata cum credis, cum assensu ipse promissionem amplecteris. Sicut alibi scriptum: Fides est expectatio rerum sperandarum, et ἔλεγχος non apparentium, Fide convincitur mens, ut tam certo statuat, nos recipi et exaudiri a Deo, quam certum est, bis quatuor esse octo. Hanc conciliationem horum dictorum existimo concinnam et veram esse, Paulus de modo cognitionis, Syracides de propositionibus fidei loquitur. Sed ut Ecclesiae consuetudo olim fuit, ut iisdem de rebus plures dicerent, ita video in hac schola audiri plures de eadem re. Quare oro reverendum virum Doctorem *Georgium Maiorem*, ut de hac quaestione copiosius dicat.

*Responsio.*

Est omnino dulcis consolatio in dicto Syracidae, et saepe repetita in concionibus divinis, videlicet et vocem divinam ratam esse, et Ecclesiam genitam verbo Dei, non interituram esse. In hanc nos includamus, et filium Dei invocemus, qui cum promiserit, se gemitus nostros et preces exauditurum esse, haud dubie nobis opitulabitur. Quia Fides in aeternum stabit, ut hoc loco Syracides inquit. Quod autem interrogas, quomodo haec dicta congruant, quorum alterum est Pauli, cognitio desinet. Alterum Syracidae: Fides in aeternum stabit. Etsi tuam explicationem probo, tamen pauca addam. Paulus diserte inquit: Cognitio cessabit, seu erit ociosa. Non inquit fidem cessaturam esse. Continet enim fides non solum cognitionem, sed fiduciam quoque, qua acquiescimus in Deo propter mediatorem, quanquam nunc quidem Deum et mediatorem non cernimus oculis coram.

Non extinguitur fiducia, etiamsi modus cognitionis mutabitur. Paulus igitur diserte inquit: cognitio cessabit. Notum est enim discrimen inter Noticiam rei non visae coram, quae nominatur Abstractiva, et noticiam intuitivam, quae coram rem aspicit. Succedet autem in vita aeterna huic obscurae noticiae, quam in hac vita circumferimus. Intuitiva, de qua dulcissime dictum est a Iob: Scio quod Redemptor meus vivit, et postea me de pulvere resuscitabit, et rursus pellis mea concrescet, et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse coram me, et oculi mei videbunt, et non alius. Quid dulcius est illa prophetia, in qua expresse nominat venturum Dominum Redemptorem, qui dato precio alium liberat, et hunc ait iam vivere. Sed tempus non patitur nunc longiorem explicationem. Haec de Pauli dicto satis sit monuisse, qui modum cognitionis cessaturum esse inquit, desinet ministerium, et haec abstractiva noticia, studia doctrinarum. Nam haec omnia nominat cognitionem, quae tamen cum in hac vita necessaria sit, magis amemus ministerium et studia doctrinarum. Syracides autem loquitur de propositionibus Fidei, quarum aeterna et immota veritas est, et bona quae promittunt, ita nobis adplicantur, cum eis adsentimur. Ideo nominat Fidem, quia non satis est promulgatas

esse promissiones, sed fide eas amplecti nos necesse est, Sicut Paulus inquit: Ideo ex fide, ut non sit irrita promissio. Quare caecitas Tridentinae Synodi execranda est, quae iubet dubitare de reconciliatione. Nos autem oremus Filium, ut non sinat extingui lucem suae doctrinae inter nos, Et cum dicat, Habenti dabitur, postulat diligentiam in nobis quoque discendi et retinendi dona, quae nobis clementer tribuit.

---

**No. 79.** anno ?

In Select. Decl. T. IV. p. 916. Servest. T. IV. p. 829. Richard. T. III. p. 552.

***Quaestio: Sequaturne vocem Ministerii non esse medium, quia unus Christus sit mediator?***

Cum honesta consuetudo bono consilio instituta, nos in his congressibus aliquid dicere cogat, iustum est vos et veniam nobis dare, quod dicere non recusamus, et patienter nos audire, sed tamen haec ut faciatis, decet etiam nos reverenter petere. Oro igitur, ne me fiducia ingenii prodire ad dicendum existimetis, sed legum reverentia moveri, meque anteferre leges meae timiditati. Deinde etiam oro, ut meam orationem boni consulatis. Ut autem usitatum est, quaestionem proponam. Scitis alicubi latere Stenckfeldium, ut Cacum in antro, et latrocinium exercere, id est, subinde novis libris turbare Ecclesias, et ad eam rem habet satellites, non solum in antro suo, sed etiam passim in mediis urbibus. Vociferatur autem atrociter, Deum non esse efficacem per ministerium Evangelii, sed immediate se communicare.

Usitatum est autem falsas opiniones praestigiis sophismatum tueri. Quare inter alia argumenta eius, nuper et hoc editum est, a quodam ipsius satellite.

Unus est mediator Christus.

Non igitur medium est, quo Deus agit, ipsa vox ministerii.

Hinc sumo quaestionem:

*Sequaturne vocem ministerii non esse medium, quia unus Christus sit mediator?*

Quod autem sequatur, sic ratiocinantur. Deus eligit et convertit suo consilio, quos vult, et sicut figulus lutum format, ita format nostram voluntatem ipse, quae habet se ut lutum. Non igitur agit ullo medio. Et Cyrilli dictum citatur. Deus sese immediate communicat. Multos haec imaginatio fascinatos tenet, ut velut Enthusiastae expectent novos afflatus, nec repugnent dubitationi, nec se erigant et consolentur voce Evangelii.

Contra igitur quaeri necesse est firmam consolationem.

Si vox Evangelii non est medium, quo Deus sese communicat, quomodo certi erimus in veris doloribus, de remissione peccatorum, et de misericordia. Deducit autem nos Paulus ad Evangelium, dicens: Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei est. Sit igitur regula. Nos verbo et non aliter erigi a Deo, et hoc modo quaerendam esse consolationem, quare et Esaias inquit: Noticia servi mei iusti iustificabit multos. Cum noticiam nominat, vult certe agnosci filium per verbum. Sed quid ad illa Enthusiastica respondendum sit, difficilis et longa est explicatio, de qua doctiores et seniores potius audiendi sunt, quam ego, Defero igitur hanc quaestionem ad Reverendum virum M. *Paulum Eberum* Vicerectorem, ut hanc tanta de re nos planius doceat.

***Explicatio Quaestionis a D. M. Paulo Ebero Vicerectore.***

Amplissima causa est quam vis exponi. Sed cum in praelectionibus hae materiae saepe repetantur, non ero iam prolixior, praesertim cum nec satis temporis ad explicationem concessum sit.

Stenckfeldiana deliria prorsus oriuntur ex Stoicis imaginationibus de electione. Cum Deus eligat suo consilio quos vult, rapiet igitur mentes quorum volet sive cogitent aliquid, sive non cogitent, ut figulus lutum rapit. Sed huic imaginationi opponenda sunt illustria testimonia, quae iubent nos audire vocem Evangelii, et repugnare diffidentiae, ut aeternus Pater inquit de filio: Hunc audite.

Quod autem dicunt Enthusiastae, Sentiri oportere novam laeticiam in cordibus. Hic sciant pii dissimile iter esse in Philosophia, et in consolatione, quae fit fide; in Philosophia procedimus ab experientia ad adsensionem, prius experimento cognoscimus, vino calefieri corpora, postea sequitur adsensio. At cum accedimus ad Deum, primum verbo adsentiendum est, hoc cum fit, sequitur laeticia, ut Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus.

Hoc discrimen si consideretur, planius intelligi poterit, qui sint fontes Enthusiasticarum hallucinationum, deerrant et certitudinem quaerunt, ut in physicis et abducunt mentes a verbo Dei, et fidem reipsa extinguunt.

Quod autem dicit Euripides ad malam causam persuadendam adhibenda esse *σοφὰ φάρμακα*, id isti non faciunt. Etsi enim multa Sophismata coacervant, tamen illae monstrosae ratiocinationes non sunt *σοφὰ φάρμακα*, sed hallucinationes ceu morbo furentium *καὶ τετυφομένων*, quid enim monstrosius est illo argumento.

Unus est mediator Christus: Ergo non est medium vox Evangelii. Haec sunt prorsus *ἀνακόλουθα*, Paulus loquitur de Mediatore propiciationis et intercessionis, videlicet, de persona, cum vero de medio dicimus, non personam, sed medium nominamus, quo illam ipsam personam agnoscimus. Nam agnosci Filium oportet. Quare Esaias inquit: Noticia servi mei iusti iustificabit multos. Cyrilli vero dictum Magos damnat, qui media non ordinata a Deo quaerunt.

Sed spero haec copiosius declaraturos esse eos, qui refutationes Stenckfeldii edent. Nunc oro filium Dei, qui est *λόγος* aeterni patris, et protulit vocem Evangelii, ut inter nos semper voce Evangelii colligat Ecclesiam, et nos gubernet.

# II.

# ALLOQUIA, GRATIARUM ACTIONES, ALIAEQUE BREVES CONCIONES

## IN RITIBUS SOLEMNIBUS ACADEMIAE RECITATAE; SIMUL CUM LEGIBUS ACADEMIAE, A MELANTHONE SCRIPTIS.

---

**No. 1.** (anno?)

In Quaest. ab Ebero editis p. 5 b. sqq.

***De laudibus physices, in promotione Magistrorum.***

Cum publica consuetudo nobis hoc loco dicendi necessitatem imponat, peto a vobis ornatissimi viri, ne me ingenii fiducia has mihi sumpsisse partes, sed adductum officio eas suscepisse existimetis. Ego enim nullum magis necessarium officium esse iudico, quam legibus et institutis scholae parere. Deinde etsi mihi imbecillitas ingenii mei non ignota est, tamen cum scirem, vos non solum excellenti doctrina, sed etiam summa virtute atque humanitate praeditos, magis officium quam eloquentiam, quae existere in adolescentia non potest, requirere: Speravi vos infantiae veniam daturos esse, idque ut faciatis, vos etiam atque etiam oro. Nam ego quoque operam dabo, ut brevitate orationis taedium nobis levetur.

Et quoniam hoc loco solet aliquid de Philosophia dici, non tam ut specimen doctrinae nostrae exhibeamus, quam ut publice iudicium nostrum de artium dignitate, quas indocti contemnunt, declaremus, ac testemur, nos cum hoc gradu honoris earum patrocinium ac defensionem optima voluntate suscipere: Institui et ipse, quantum haec temporis angustia sinit, aliquid de Philosophiae laudibus dicere.

Porro neque totam complecti nunc possumus, neque de ulla parte satis dicere. Ideo breviter eam partem, quae est haud dubie longe omnium pulcherrima ac suavissima, videlicet Physicen laudabimus, quae universam rerum naturam scrutatur, syderum motus ac vires, plantas, animantia, mirabile opificium humani corporis, causas generationum et corruptionum. Ac sapientissimi viri multa colligunt, quare harum tantarum rerum cognitio maxime homini expetenda sit. Sed nos uno Virgilio contenti erimus, qui honorificentissimo praeconio hanc doctrinam ornavit, cum inquit:

> Foelix qui potuit rerum cognoscere causas.

Quae enim potuit laus amplior excogitari, quam quod hac doctrina beatos effici homines testatur? Sed animi vulgi ita oppressi sunt stultissimis opinionibus ac flagiciosissimis cupiditatibus, ut veram beatitudinem neque intelligant neque expetant. Quare iacent etiam hae maximae ac pulcherrimae artes spretae atque contemptae. Qua in re illud est praecipue dolendum, quod non tantum illiterati hanc doctrinam aspernantur, sed vel maxime oderunt eam ii, qui doctrinae fama ac titulis se ad populum venditant, cum quidem eas ipsas artes, quas profitentur, sine hac parte Philosophiae tueri nullo modo possint. Sed non libet de monstris illis ac pestibus rerum humanarum plura dicere. Tantum eos adhortabor, qui sanioribus ingeniis praediti, vera ac durabilia bona inquirunt, et expetunt. Iis hanc ad ea ducem monstrare et commendare cupio.

Primum enim cum haec cognitio maxime sit secundum naturam, nihil ea neque honestius

neque suavius est in animo non monstroso. Quod enim spectaculum mirabilius ac iucundius existere potest, quam tenere ratas aeternasque motuum coelestium leges ac vicissitudines: Videre, quomodo haec inferiora, a superioribus regantur, quam miro artificio constet humani corporis textura. Quantis praesidiis natura nos instruxerit ad vitam prorogandam. Iam infinitum esset, utilitates recensere, praesertim si etiam de Medicina dicendum esset, cuius beneficia nemini sunt ignota: Aut de Astrologia, quae multas magnas res in vita privata et publica providere potest.

Sed ego nunc tantum de his elementis dico, quae adolescentiae tradi solent, quae ipsa tamen magnas utilitates adferunt, etiamsi ad alias artes, ad Theologiam, et iuris doctrinam properandum sit. Fontes enim moralis Philosophiae continet Physice, et quam multa Theologi disputant de rerum causis, de partibus, de fine hominis, et aliis multis locis, quae explicari sine his nostris elementis nullo modo possunt. Haec facile persuaderi possunt iis, quos, ut inquit poëta: Ardens evexit ad aethera virtus, qui vident et hanc doctrinam homine dignissimam esse, et cum ad mores, tum ad plerasque vitae partes magnopere conducere.

Sed sicut apud Homerum Cyclops ridet Ulyssem, quaedam de Religione Deorum, et iusticia commemorantem: Ita nos quoque derident homines furiosi, qui ventris commoda pluris faciunt, quam virtutem. Et haud scio, an Homerus ideo finxerit Cyclopes unoculos, ut significaret, eos non uti acie atque oculis mentis ad aspiciendas res divinas longius positas, sed tantum corporis oculis uti ad beluinas voluptates comparandas. Quod si ita sensit, profecto isti contemptores optimarum artium, qui tantum quaestu et iudicio vulgi metiuntur artes, non absimiles sunt Cyclopum.

Ut autem apud Homerum Polyphemus tandem stultitiae poenas dat, ita non raro videmus, et istos doctrinarum hostes insigniter plecti. Nam cum artes ipsae divinitus ad homines pervenerint, non secus earum, atque rerum aliarum sacrarum, contemptum Deus ulciscitur.

Vos igitur ut reverenter de sacris ceremoniis, ita et de his optimis Dei donis, honorifice sentire debetis, et existimare, illos, qui ea contemnunt, nequaquam sana mente esse, sed Furiis quibusdam agitari, ut cum sibi ipsis tum Reipub. perniciem accersant. Si parum movet animos artium suavitas, aut utilitas privata, at Deo cogitate hoc officium praestandum esse, ut ipsius dona amemus, amplectamur et excolamus. Haec pietas Deo grata erit, et ab eo haud dubie magnis praemiis ornabitur. Dixi.

---

No. 2. (anno ?)

In Quaest. ab Ebero editis p. 7 b. sqq.

## De Dialectica.

Cum pro more aliquid hoc loco dicendum sit de laudibus harum artium, in quibus hactenus versati sumus, Quanquam vires meas non ignorabam, tamen malui desiderari in me vel eruditionem vel eloquentiam, quam diligentiam obtemperandi publicis legibus. Quare rogo vos, et ut magis officii, quam impudentiae causa orationem me habere existimetis, et ut pro humanitate vestra, aequo animo me audiatis. Ego quantum potero conabor brevitate orationis taedium levare. Itaque cum et longum opus esset futurum supra meas vires, totam complecti Philosophiam, duxi mihi omissis aliis, de una tantum Dialectica dicendum esse. De qua ne prolixiores simus, plane Dialecticorum more loquemur, hoc est, brevi et simplici genere orationis utemur.

Quanquam autem haec ars quotidianis encomiis in hac schola praedicatur, et ab his quidem, qui aliquid ad eam rem autoritatis afferre possum, tamen sperabam vos consilium meum non improbaturos esse. Etsi enim novi nihil afferre possunt, tamen prodest notis et pervulgatis encomiis personare omnium Scholasticorum aures, et nos magnitudinem vimque artis propius inspicimus, cum illos locos ipsi tractandos et explicandos sumimus.

Sic igitur statuo, omnium artium humanarum Dialecticam maxime necessariam esse, non solum ad artes alias tractandas, sed etiam ad controversias forenses, et pleraque alia negotia in vita iudicanda. Nihil enim ordine doceri, nihil perfecte disci potest, nisi adhibita Dialectica, quae in unaquaque causa methodum informat, ostendit initia, progressiones, et exitus rerum, quid sit in causa, quid extra causam positum. Confusa et ambigua retexit et partitur, membra enumerat ac disponit, indicat argumentorum fontes, si quid

est probandum. Monstrat apte cohaerentia, violenter coniuncta divellit. Horum nihil potest quamvis ingeniosus homo apte facere in difficili controversia sine arte. Itaque Plato gravissime dixit, unam hanc docendi ac discendi viam, quae in Dialectica traditur, a Diis immortalibus donatam esse generi humano, propter hanc summam utilitatem, ut docere homines inter se ac discere possent, quod in omni vita maxime necessarium est. Sunt enim docendi homines de religionibus, de iure, de legibus, de controversiis forensibus, deque aliis multis rebus. In his omnibus res iacent dissipatae et confusae, nisi Dialectica colligat eas, ac distribuat. Una igitur est haec pars, quae omnibus negociis, omnibus artibus lumen adfert, sicut Plato inquit, a Prometheo aliquo divinitus ad homines perlatam esse, ἅμα φανοτάτῳ τινὶ πυρὶ, id est, cum lucidissimo quodam igni; quia obscuras causas omnes patefacit et illuminat. Facile igitur intelligi potest, hanc artem maxime omnium necessariam esse, siquidem usus eius latissime patet in omnibus negociis, et artes aliae tradi aut percipi sine ista non possunt. Graecis proverbio dicitur: Communis Mercurius, quod homines oratione patefaciant, et communicent inter se omnes res obscuras, et cognitione dignas. Id autem vel maxime competit in Dialecticam, quae ad omnes artes, ad omnes difficiles controversias, ad omnia obscura negocia adhibetur. Est igitur Dialectica veluti, κοινὸς ἑρμῆς interpres Deorum atque hominum, in templis, in foro, in scholis, in iudiciis, in Senatu. Denique nusquam non accersitur.

Quo magis reprehendendi sunt hoc tempore, qui sine Dialectica properant ad superiores artes, in quibus quoniam sine Dialectica methodum reperire nullam possunt, ita errabunt, ut si in ignotissimis regionibus nocte iter facerent. Et hac in re minus sustinent periculi, qui Medicinae dant operam. Nam hi Dialectica tantum in scholis utuntur. Theologi et Iurisconsulti proferunt Dialecticam ex umbra in aciem. Nec suas personas sine hoc instrumento tueri possunt. Paulus praecipit verbum Dei ὀρθοτομεῖν. Id quomodo faciet, qui nullam sciet apte distinguendi et partiendi rationem? Quid erit monstrosius, doctrina religionis, si diversi loci miscebuntur, et confundentur? quales sunt, doctrina legis et Evangelii, Vitae spiritualis officia, et vitae civilis officia, sacramenta et sacrificia? Neque quisquam satis cautus erit in talibus locis, nisi multum ac diu exercitatus in Dialectica.

Quid Iurisconsultus in altercatione forensi faciet, si neque partiri, neque definire, neque male cohaerentia diiudicare sciet? Nonne videbitur Camelus, ut aiunt, saltans? Quare si qui perfectam doctrinam expetunt, hi dent in primis operam, ut Dialecticam non obiter tanquam fugientes attingant, sed complecti totam studeant, et ἕξιν artis sibi faciant, ut vere iuxta proverbium sit communis Mercurius, hoc est, ut ubique sit in promptu Dialectica, et res obscuras explicet, et expediat.

In hac adhortatione magnam partem librorum suorum ubique consumit Plato, exagitans sophistas illius temporis, a quibus iuventus nullius rei perfectam scientiam discebat, cum Dialectica non traderetur. Et profecto periculum est, fore, ut posteritas magnas poenas det spretae hoc tempore Dialectices. Nam cum sine methodo Theologiam et alias magnas artes profitebuntur, meri histriones erunt, nulla perfecta doctrina praediti.

Nos igitur et doctissimorum hominum autoritate, et utilitate publica moveri decet, ut quam plurimum studii atque operae in hanc artem collocemus, ut hoc instrumentum ad superiores artes, ad rempublicam afferamus. Decet enim bonos viros praestare, qui ad publica negocia, ad docendas religiones, aut exercenda iudicia accedunt, ut quam paratissimi, ad res maximas, difficillimas, et plenas periculi accedant. Nam improbi hominis est, polliceri consilium atque opem Reipub. si sciat infirmitatem suam et inscitiam reipublicae periculosam fore. Dixi.

---

No. 3. (anno ?)

In Quaest. ab Ebero edit. p. 9 b. sqq.

*Fabula ex Theocrito.*

Nemo vestrûm ignorat, me in hoc loco ad dicendum officio adduci. Scholae enim consuetudo, quae legum instar habenda est, hoc oneris mihi imponit, ut de laudibus istarum artium dicam, in quibus hactenus versati sumus. Quanquam imbecillitas ingenii mei, et haec ornatissimorum virorum frequentia, me a dicendo deterrent, tamen

quia hanc necessitatem leges scholae nostrae mihi imponunt, malui desiderari in me eruditionem, quam studium obtemperandi publicis legibus. Quare peto a vobis, ut pro vestra humanitate veniam mihi detis, si vestrae expectationi non satisfecerit mea oratio, et dabo operam, ut brevitate orationis, taedium levare videar.

Quia vero ex hoc loco saepe antea honestissimis laudibus ornata est Philosophia, a viris, quorum eruditio et autoritas apud vos summa esse debet, neque ego in argumento toties agitato novam orationem invenire potuit: Itaque unum tantum locum in praesentia mihi delegi, quem iudicavi istis moribus et temporibus valde convenire, quando omnes adolescentes religiose abstinent a Philosophiae studiis, quia negant illa esse quaestuosa, et ut vulgo dicunt, non esse de pane lucrando. Ego vero propter angustiam temporis in hoc loco non exponere possum, quas utilitates cognitio Philosophiae studiosis adferat, sed tantum paucis indicabo, nec illos egere, qui ad haec studia cognoscenda operam suam collocarunt, et Philosophiam quoque suos sectatores alere. Quanquam autem harum artium cognitio propter se, non fructu aliquo expetenda erat, cum nihil sit honestum, quod non magnam etiam utilitatem in se contineat: Tamen recitabo vobis fabulam, prudenter a Poëtis confictam, qua animos discentium confirmare voluerunt, ne absterriti ineptis istis vociferationibus hominum imperitorum, studia Philosophiae desererent.

Poëta Theocritus scribit, fuisse pastorem in Sicilia, divitem atque avarum, cui fuerit servus, gregis custos, Pan quispiam, homo pius et Musarum cultor. Et propter huius pietatem Deus gregem tuebatur adversus pestes omnis generis exitiales pecudibus. Solebat autem Pan de grege singulis mensibus oviculam Musis sacrificare, ut placatae et propitiae gregem tuerentur.

Id vero ubi rescivit herus impius atque avarus, tot mactari oves, non dissimulandam tantam iacturam existimans, expostulat cum servo. Hic exponit sui consilii causam, docet bene collocari hoc officium in Deos, qui gregem hactenus foeliciter custodierint, ostendit praemia maxima pietati proposita esse.

Ille secure ridens Deos ac divina omnia, negat sibi tanti esse religiones ullas, ut propterea egere et esurire velit. Ac de servo ait se sumpturum esse supplicium, quia damnum sarcire non posset. Itaque demittit eum in excavatam quercum, et iubet eum ibi esurire, atque a Musis victum petere, gregem committit aliis servis, qui domino applauserant, saevienti in illum Musarum cultorem. Aliquandiu triumphat Herus ocioso animo, cum poenae, ut fieri solet, differrentur.

Postea exacto anno, gregem pestilentia universum perdidit. Haec calamitas admonet hominem sceleris sui. Itaque moestus redit ad illam quercum, ad placandos servi manes; sed cum aperit arborem, ut cadaver inde exemptum rite sepeliat, ecce praeter spem atque opinionem, videt servum vivere superstitem. Hunc interrogat, unde vixerit interim? Servus monstrat in arbore favos ac mella, et narrat, Musas reddentes praemia pietati, Apes eo misisse ad ipsum alendum.

Haec est fabula, quae extat apud Theocritum suavissimis versibus scripta. An vero ulli dubium esse potest, quid significaverit Poëta hoc commento? Admonet honestas artes propter virtutem colendas esse, quae etsi parum fructuosae videantur avaris et improbis, tamen hoc divinitus fieri, ne desint illi labori mediocria et honesta praemia.

Sint sane quaedam aliae artes magis quaestuosae, quas tamen non vitupero, cum sint necessariae Reipub. Sed habent interim sua etiam incommoda. At ex his veris artibus, quae nunc vobis commendantur, geminus fructus percipitur. Nulla ex re maiorem voluptatem animus capere potest, quam ex cognitione veritatis, Et hoc studio ad humanitatem et virtutem excitatur. Haec bona non afferunt illae quaestuosae artes, sed proprie ex alio genere doctrinae atque artium petenda sunt. Quas autem opes, quae regna animus bene institutus magis expetet, quam illa bona, quae dixi, humanitatem et virtutem, quibus nihil est suavius, nihil gratius, si noris? Neque tamen carent externis commodis haec studia. Habebunt etiam mediocria praemia, et modestiae suffectura. Nam si erit aliqua Respub. intelligetur eas teneri non posse, sine his nostris artibus. Quare praemia proponi necesse erit. Errant enim nonnulli, qui uni tantum arti locum in civitate concedunt, reliquas omnes, Theologiam et Philosophiam, non aliter civitate pellunt, ac Plato Poëtas eiicit. Sed Aristoteles sapientissime dixit, Non fieri civitatem ex Medico et Medico, sed ex Medico et Agricola, hoc est, diversis ac pluribus artibus opus esse. Hoc tempore sane dura fortuna conflictamur studiosi omnes, ac velut ille servus,

videmur in quercum inclusi, et esurire atque egere. Sed spero aliquando fore Dei beneficio, ut restitutis in tranquillum Rebuspub. haec nostra studia sint gratiora. Quare optimi commilitones hac spe confirmate animos, et optimas artes cum propter suam dignitatem, tum vero propter gloriam Dei colite, ad quam pertinet conservatio vestrorum studiorum. Itaque non dubitabitis, quin etiam honesta praemia Deus vobis pro ista pietate vestra redditurus sit. Dixi.

---

**No. 4.** **an. 1532.**

In Quaest. ab Ebero editis p. 161 b. sq.

***Oratio recitata ab Ulrico Schilling a Canstat, pincerna Ducatus Sueviae, Rectore anno 1532. ante lectionem legum.***

Cum in more sit, ut Magistratus Academiae, quolibet semestri recitari statuta cureut, ut semper habeant in conspectu scholastici leges recte vivendi: Ego, ne deessem officio, ideo nunc convocavi vos, ut leges de more publicarentur. Cum autem quotidie gravissime dicentes audiatis praeceptores vestros, de legum vi ac dignitate, non utar hic longa oratione, tantum duxi vos commonefaciendos esse, ut cogitetis, quemadmodum nihil est pulchrius in natura corporum, quam hic ordo coelestium motuum: ita in hominum vita nihil venustius aut convenientius esse, quam leges, quae pulcherrimo quodam ordine homines inter se coniungunt atque consociant. Ac perturbato hoc ordine hominum inter se, non minus interire universam rerum naturam oporteret, quam illa coelestium motuum harmonia perturbata. Et cum tanta sit huius ordinis inter homines venustas, profecto mirum est, reperiri homines tam feros, ut ea pulchritudine nihil moveantur. Vos autem optimi adolescentes, qui in studiis literarum versamini, meminisse debetis, huc praecipue spectare omnia studia vestra, ut huius ordinis pulchritudinem intelligere discatis. Quare assuefacite vos ad parendum legibus. Nihil enim homini adolescenti melius, nihil divinius contingere potest, quam si fuerit assuefactus ad intelligendam dignitatem legum, et ad reverentiam erga leges. Haec una consuetudo viros bonos, sapientes, utiles Reipublicae, denique beatos efficit.



***Oratio dicta post lectionem statutorum.***

Audistis plena humanitatis praecepta, cum natura hominum, cumque divinis legibus consentientia. Quare date operam, ut eis diligenter obtemperetis. Atque eam ad rem sciatis vos non tantum humana autoritate, sed etiam divinae cogi. Scriptum est enim: Non solum propter metum, sed etiam propter conscientiam obediendum esse. Deus enim et vindex atque ultor est contempti imperii, et rursus maximis praemiis ornat obedientiam, quam quidem ita praedicat, ut inter gratissima sacrificia nominet, ut scriptum est: Melior est obedientia quam sacrificium. Haec qui cogitabunt, et sibi saepe subiicient, haud dubie summo studio legibus obedient. Si quis autem neque Dei metu, neque autoritate nostra coherceri se patietur, ille sentiet nobis et Reipublicae non defuturum esse consilium ad publicae tranquillitatis defensionem. Dixi.

---

**No. 5.** **(an. 1533.)**

† Ex Miscellaneis manu scriptis *Steph. Riccii* in bibl. Goth. codd. in fol. No. 240. p. 74 b.

***Adhortatio ad frequentandas disputationes ad lectores facta per Decanum collegii facultatis artium Vitebergae. Φ. M. *)***

Utilitatis publicae causa in fundatione academiae mandavit Illustrissimus princeps, ut frequentius haberentur disputationes, adiecit praemia danda singulis, qui operam conferunt ad disputationes, quia profecto nullum est genus exercitii magis necessarium discentibus. Haec collatio assuefacit ingenia ad methodum, ut discant ordine, proprie et diserte res magnas proponere et explicare, acuit iudicia, multa monet, quae alioqui non venirent in mentem. Adolescentes in hac exercitatione consequuntur ἕξιν, ut suas cogitationes, item aliorum confusas argumentationes citius possint includere in formas syllogismorum, quod ad iudicandum et explicandum est utilissimum, et sine hac exercitatione nemo discet ulla in causa constituere status. Hoc praesidio si quis destitutus est, nunquam erit usui reipublicae. Affert et celeritatem

---

*) Non est oratio Philippi elaborata, sed prima argumenti orationis descriptio.

ingeniis et alit extemporalem facundiam. Disputatio conducit et moribus. Nam assuefacti quando postea cum aliis necessario congrediuntur, minus perturbantur, et sedatis animis colloqui possunt; possunt cohiberi inepti motus animorum. Ad haec quaedam humanitas est ἐντευκτικόν esse, hoc est erudite et comiter invitare alios tum ad colloquendum tum ad disputandum. Postremo schola sine disputatione prorsus friget, nec meretur nomen Academiae. Tam multae et graves causae sunt, quare hanc exercitationem Princeps cupiat esse frequentiorem. Ideo hortor scholasticos, ne desint suae utilitati. Deinde etiam ipsi hoc officium reipublicae, ut conferant operam ad conservandum morem utilem Ecclesiae et toti generi humano. Invitat eos et hoc, quod multas gravissimas materias fecimus illustriores agitando. Nunc etiam sciunt constituta esse praemia et respondentibus et illis, qui argumenta afferunt.

---

No. 6. (an. 1533.)

† Ex Miscellaneis manu scriptis *Steph. Riccii* in biblioth. Gothana, codd. in fol. No. 240. p. 74.

### *Alia praefatio in disputationem de poenitentia. Φ. M.*

Non opus esse putabam, ut impudentiam meam apud vos longa oratione excusarem, cum neminem vestrum fugiat, officio praeceptorum nos cogi, ut in hunc publicum locum prodeamus. Hoc autem vos oro, quod aequissimum est, ut boni consulatis, si personam mihi impositam parum commode agere videbor. Satis enim omnibus vobis constat, me, meique similes huic negotio minime satisfacere posse, sed requirat perfecta doctrina praeditos, quam in adolescentia existere non videmus. Has autem disputationes nostra causa esse institutas existimo, non ut his satisfaceremus nos adolescentes, quod plane nequimus, (Quis enim nostrum posset has pro dignitate explicare, quae iam diu a multis doctissimis prudentissimisque viris in utramque partem convertuntur!) sed ut in materiis copiosis occasionem dialecticae exercendae habeamus, cuius vis atque usus in exilibus controversiis, quales alibi in scholis dialecticorum agitantur, non perinde cerni potest. Et tamen auferre ex hoc genere disputationum aliquid possumus, quod ad vitam et iudicandum de religione prodest, quam profecto oportet a teneris et a prima adolescentia discere. Laudat Paulus Timotheum, qui inde usque a pueritia inmutritus sit sacris literis. Nam ὀψιμαθεία in omni genere artium ac studiorum vituperatur, nec fere fieri potest, ut perfectam cognitionem ullius rei consequamur, ad quam non sumus a teneris assuefacti. Quare studiose tractemus has materias non solum ut in eis usum dialecticae cernamus, sed etiam ut praecipuos locos doctrinae christianae, quorum cognitio non tantum uni aetati, sed prorsus omnibus hominibus necessaria est, penitus introspiciamus, ad excitandam atque alendam in animis pietatem. Dixi.

---

No. 7. an. 1533.

Ex Miscellaneis manu scriptis *Steph. Riccii* in biblioth. Goth. codd. No. 240. p. 60. Apographon in cod. Monac. 89. No. VI. p. 33.

### *Gratiarum actio D. Valentini Anspach, auctore Phil. Mel.*

Magnopere gaudeo, aliquando mihi occasionem oblatam esse, publice testificandi ac declarandi gratitudinem animi mei erga illos, quorum ingentibus in hac Academia beneficiis usi sumus [1]). Nulla enim maiora beneficia homines impertire hominibus possunt, quam doctrinae communicationem, praesertim de his summis rebus, de iure ac iustitia, quarum non solum summa est utilitas, sed etiam dignitas tanta, ut non alia sit in mente hominis imago Dei. Quare huius pulcherrimae virtutis doctrinam merito facimus plurimi, et summo studio colendam atque ornandam esse ducimus. Deinde cum summi viri in hac Academia non solum studia mea adiuverint, sed etiam me [2]) optaverint in superiorem ordinem et decreverint [3]) mihi amplissimum honorem, agnosco, me multiplicem gratiam eis debere [4]). Etsi enim doctrinae communicatio magnum per sese [5]) beneficium est,

---

1) *usus sum*] cod. Mon. 89.

2) *me*] abest a cod. Mon. 89.

3) *in superiorem ordinem et decreverint*] cod. Mon. 89. non habet.

4) *agnosco — debere*] apud Ricc. desiderantur.

5) *sese*] cod. Mon. 89. *se.*

tamen id cumulatum collatione honoris multo fit illustrius, propterea quod in hoc ordine doctorum magna sit dignitas, et hic honos aditus sit ad rempublicam. Quare merito boni et prudentes viri de hoc gradu honorifice sentire debent.

Proinde clarissimis viris praeceptoribus [6]) meis gratiam habeo quantam maximam [7]) animo concipere possum. Et quanquam haec commemoratio videtur esse leve officium, tamen quoniam fit in publico consessu et in his auspiciis nostri honoris, plurimum debet habere ponderis. Ut enim haec nostra auspicia opto fausta ac felicia esse, ita polliceor, me gratitudinem et pietatem debitam meis praeceptoribus [8]) per omnem vitam praestare velle. Huius promissionis vim maximam esse debere, satis intelligunt omnes boni viri. Quare non dicam prolixius vel de magnitudine beneficiorum, vel de meo officio. Nam et iudicium meum et voluntas in hac gravissima sponsione facile conspici [9]) possunt.

Ago itaque gratias toto pectore, primum Deo omnipotenti, et domino nostro Iesu Christo, et rogo, ut sancto Spiritu studia mea ad gloriam suam, ad Ecclesiae et reipublicae utilitatem et meam salutem gubernet. Deinde ago gratias illustrissimo principi, Duci Saxoniae, cuius virtute ad publicam utilitatem haec schola defenditur, et precor Deum, ut optimum [10]) principem ad communem utilitatem servet [11]). Ago etiam gratias illustri principi *Iohanni Ernesto*, Duci Saxoniae [12]). Postremo gratias ago Magnifico domino Rectori Academiae, generosi *Comiti in Gleichen*, omnium facultatum doctoribus ac praecipue viris ornatissimis, Doctoribus, viris praeceptoribus meis, quorum singulari fide et diligentia studia nostra adiuta sunt. Ago etiam gratias venerabilibus hospitibus et Magistris et Nobilibus, ac caeteris Scholasticis, qui sua frequentia testati sunt, se honori nostro favere, et vicissim omnibus mea officia defero. Dixi.

---

6) *praeceptoribus*] edidi pro *temporibus*, quod mendum est.
7) Cod. Mon. 89. *gratias habeo quantas*.
8) *praeceptoribus*] Ricc. *temporibus*.
9) Cod. Mon. 89. *perspici*.
10) *optimum*] Ricc. *ipsum*, ex mendo.
11) Cod. Mon. 89. *conservet*.
12) *Ago etiam — Saxoniae*] cod. Mon. 89. non habet.

## No. 8. (an. 1533.)

In Quaest. ab Ebero editis p. 162 b. sqq.

### *Oratio Rectoris Academiae Witeb. ante lectionem statutorum.*

Quotannis solent publice recitari leges Academiae nostrae, ut hi, qui eas antea non audierunt, discant, quibus legibus in hac nostra Republica vivere debeant. Nulli enim coetus hominum sine legibus congregari, teneri, aut gubernari possunt. Quare et ego pro officio vos modo ad audienda Statuta convocavi, vosque adhortor, non solum ut audiatis publicas leges, sed etiam ut eis obtemperare summa cura et diligentia studeatis. Qua in re hoc considerabitis, leges in Imperiis et rebuspublicis non humana autoritate existere, sed esse vere Dei vocem, sonantem in civitatibus, et continentem ac gubernantem hominum coetus. Quare cum Deo debeamus obedientiam, profecto oportet nos etiam legibus ab ipso traditis obtemperare. Huius officii quanta vis sit, quanta dignitas, maxime nos intelligere decet, qui ideo in literis versamur, ut virtutum fontes et causas inquiramus, et ad illam normam mores et vitam dirigamus. Nam adolescentia natura aegre patitur legum vincula, licentiam cupiditatibus suis permitti cupit. Et quorundam tanta est ferocitas, ut contemptum disciplinae et legum, fortitudinem quandam esse putent. Sed haec Cyclopica vita indignissima est scholasticis. Nos enim eruditi optima doctrina, intelligere debemus, Dei voluntatem esse, ut omnes homines certo iure regantur, ut adolescentia coherceatur, et alieno iudicio gubernetur, ut frenum cupiditatibus iniiciatur. Ad haec persuasissimum nobis esse debet, has ipsas leges, et haec vincula honestorum officiorum non solum tradita esse divinitus hominibus, sed etiam ope Dei in civitatibus conservari et retineri, ac divinitus ad poenas retrahi omnes, qui autoritatem legum et magistratuum contemnunt. Quam multos vidimus his proximis annis haesisse in poenis, qui se effugisse antea arbitrati sunt, qui septi exercitibus vim humanam nullam pertimescebant. Sed Deus est custos civilis disciplinae, is ad poenam retrahit sontes, huius numen vereri et metuere debemus. Etsi autem natura est amans libertatis, tamen nos, qui in optima doctrina versamur, intelligamus libertatem non esse scelerum licentiam, sed iuris aequabilitatem. Ita amemus

libertatem, ut meminerimus, eam astrictam esse divinitus certis vinculis. Haec propter voluntatem Dei amemus, et libenter patiamur. Tyrannis est sumere sibi libertatem non concessam legibus. Furor est, non fortitudo, disciplinam et publica iura contemnere. Est enim contemptus Dei. Cum has causas obedientiae, cum autoritatem Legum, cum Dei praesentiam in Imperiis considerabitis, intelligetis, quam non deceat nos illa Cyclopicae libertatis cupiditas, ac statuetis, pietatem esse, honorifice et reverenter sentire de legibus, easque amare, tanquam coeleste donum, in quo Deus lucere suam sapientiam voluit, eisque libenter et magno studio parere. Atque haec ipsa de dignitate legum, de Imperiorum ordinationibus quotidie auditis in Scholis. Quare non existimavi mihi iam longiore oratione opus esse. Ut enim ille pulcherrimae vices temporum, et cursus siderum, ortus, occasus, congressus errantium stellarum et discessus, maximarum utilitatum causa divinitus ordinatae sunt: ita scitote et politicos mores magnarum utilitatum causa divinitus ordinatos esse, videlicet quod certo iure connubia iunguntur, quod educatur et instituitur soboles, quod coluntur religiones, quod iudicia exercentur, ut argumentis et oratione disceptetur, possessiones discernantur, prohibeantur iniuriae, ut poenae constituantur in improbos, quod in scholis artes utiles vitae propagantur. Ac veluti mira pulchritudo est in illo ordine motuum coelestium, ita in hoc ordine politico, si recte considerabitis, mirificam pulchritudinem esse animadvertetis. Nec vero ulla harmonia est suavior ac vitae utilior. Quare hunc ordinem, et hanc harmoniam conturbare, immanitas quaedam est indignissima homine. Haec eo sum praefatus, tantum ut commonefacerem vos, ut quemadmodum decet homines literatos, huius officii causam, quare leges amandae et colendae sint, diligenter consideretis. Deinde hoc scitote, primam esse virtutem, assuefieri ad disciplinam et ad obedientiam. Haec consuetudo non eo tantum prodest, quia confirmata ferocia aetate, postea nullas patitur leges: Sed ideo etiam necessaria est, quia nullus in his honestorum officiorum intellectus esse potest, qui non sunt assuefacti. Doctrina per se non satis valet ad formandos animos, sed necesse est accedere disciplinam ad hanc assuefactionem, sicut et Aristoteles inquit: Ut terra non fovet accepta semina, nisi sit subacta et mollita aratione: ita ad doctrinam percipiendam opus est, ab adolescentia animos assuefieri et molliri, ut amare honesta, et fugere turpitudinem discant. Itaque iure deplorant omnes boni viri hoc tempore nimis laxatam esse disciplinam. Sed cum querelae non multum proficiant, illud est reliquum nobis, ut bona ingenia, quantum possumus, nostris cohortationibus iterum in viam revocemus, et invitemus, ut moderari impetus animi, et haec communia officia civilis consuetudinis colere discant. Et quantum animadvertere possum, in mediocribus naturis hae cohortationes hactenus aliquid profecerunt. Quare nunc etiam vos adhortor, ut ad obtemperandum, et ad disciplinam vos assuefaciatis. Aristoteles ait: summam esse tyrannidem, immoderatam vulgi licentiam. Et profecto quid aliud sunt quam tyranni, isti, qui nullos gubernatores, nullas leges pati, nullo iure teneri volunt, qui suis cupiditatibus omnia concedi postulant. Est autem inimicissima generi humano tyrannis. Quare et licentiam illam existimate inimicam esse societati humanae. Cyrus apud Xenophontem narrat, se puerum plagas accepisse, propterea quod cum iudex esset gregis puerorum, more Persico, sententiam tulisset iniquam. Cum enim duo essent pueri, quorum alter grandiusculus et procerior, brevem habebat tunicam, alter viribus et statura minor, qui habebat longiorem tunicam, maior longiorem tunicam sodali minori eripit. Is cum esset affectus iniuria, defert rem ad Cyrum iudicem. Cyrus cognita causa, pronunciat aequum esse, ut longiorem tunicam habeat procerior. Postea cum provocaretur ad senem, qui praeerat pueris, damnata Cyri sententia, suum cuique redditur, et senex Cyrum virgis caedi iubet. Cumque Cyrus disputaret, sibi aequum esse visum, ut longior haberet longiorem vestem, respondit senex: Iusta esse, non quae nobis viderentur aequa, sed quae legibus constituta sunt. Hac narratione significat, nos legum arbitrio, non nostro, vivere debere. Atque ea demum honesta et praeclara esse, quae legibus probantur, non quae privatis vel cupiditatibus vel iudiciis geruntur. Ideo in omni vita vobis proponite leges, tanquam duces et gubernatrices omnium consiliorum atque actionum, eaque in re vos Deo gratum facere scitote. Hanc obedientiam Deus multis magnis praemiis ornabit. Econtra dubitare non debetis, quin contumaciam gravibus poenis puniturus sit. Sic enim inquit scriptura: Calamitas et confusio accidet his, qui nolunt pati

disciplinam, et qui obtemperat correctioni, honore afficietur.

Lege Statuta.

*Post lectionem Statutorum.*

Non addam longiorem declamationem. Nullius enim oratio plus autoritatis habere debet, quam ipsa vox legis, quam scitis, ut antea dixi, ipsissimam Dei vocem esse, sonantem in imperiis, et gubernantem hominum coetus, sicut ait sapientia Dei: Per me reges regnant, et iudices iustas leges ferunt. Et quam necessarium officium sit vereri leges, et eis obtemperare, iam dictum est. Illud autem ut adiiciam, magnae et graves causae sunt. Crebrae dicuntur esse nocturnae in plateis discursationes et vociferationes. Interdum etiam aliqui ex nostris gerunt arma. Audivistis autem edictum gravissimum, et optimo consilio propositum a laudatissimo Principe Duce Friderico, quo et nocturnae illae discursationes et arma prohibentur. Quare autoritate Magistratus quem gero, mando, ut huic edicto obtemperetis, quod ad communem urbis tranquillitatem et defensionem vestram maxime necessarium est. Quantum enim periculi esset, si irritati aliquando, quod Deus prohibeat, paucorum culpa, cives arma caperent. Primum igitur in hac re, et communis, et vestri periculi rationem habete. Deinde etiam cogitate, aegrotis has vociferationes admodum molestas esse. Interdum etiam perterrefieri gravidas mulieres his ululatibus. Cogitate etiam quantum hi mores, et haec exempla graves et honestos viros offendant, quorum iudicia contemnere plusquam barbaries est. Postremo mementote vos in schola vivere, et cogitate quantum revera dignitatis habeat vita scholastica, et quanta vicissim moderatio in omni officio requiratur. In nullis castris tanta licentia militibus conceditur, quantum nunc in omnibus rebus sibi sumunt scholastici. Atque in scholis decuit esse sanctissimam disciplinam. Quaeso enim considerate vitae genus. Quanquam enim alii ordines hominum in speciem titulos habeant splendidiores, tamen revera magnitudine professionis antecellit vita scholastica omnibus ordinibus. Non plus dignitatis est, si res aestimentur, non tituli, in regum, principum, pontificum, Episcoporum functionibus, quam in scholastica. Nos enim veritatis et iusticiae inquisitionem profitemur, quibus bonis nihil divinius habet humanum genus. Et harum rerum ope regitur et continetur vita, verius quam armis aut ullis aliis munimentis. Et harum tantarum rerum studium et explicationem flagitat a nobis Respub. et quidem in hac Schola praecipue floret doctrina Religionis, et aliarum artium, quae vos ad virtutem hortantur. Cum igitur in tam sublimi gradu collocati simus, in quo studia veritatis, iusticiae, et caeterarum virtutum vigere debent, cogitate quaeso, quam indignum sit hoc ordine velut furiosos omnia disciplinae repagula perrumpere, nullas moderari cupiditates, certare Antonianis heluationibus, grassari latronum more in locis publicis. Haec si facerent aliqui destinati vitae monasticae, aut sacerdotes, nonne omnes clamitarent, indignissima esse illis professionibus? Nunc a vobis haec fiunt, qui multo augustiori generi vitae consecrati estis, videlicet professioni veritatis et iusticiae. An non respicitis vos? non venit in mentem aliquando, quo in gradu vos Respub. collocaverit? quae officia Deus in hac vocatione a vobis requirat? quantum scelus sit vos istis scandalis infamare honesta studia? Nam, ut sciatis, honestissimi homines aliquot civitatum nobis questi sunt, remitti domum scholasticos talibus assuefactos moribus, ut nemo eos ferre possit, et literae ipsae in odium veniunt. Nec vero dubitandum est, quin tales propter haec scandala Deo poenas daturi sint. Multa nunciata sunt his annis prodigia. Conspecti intra triennium tres Cometae, concussae Alpes terraemotu, quassatae sunt terraemotu et ripae Rheni. Omitto alia multa. Haec prodigia existimantur magnas calamitates et mutationes Reipublicae portendere. Sed certissimum praesagium est impendentium calamitatum haec horribilis dissipatio disciplinae. Omnium enim aetatum historiae testantur, soluta disciplina, et palam confirmata licentia, statim secuta esse excidia civitatum, et imperiorum interitus. Quemadmodum enim tempestates certo venturas denunciant nubes: ita disciplinae perturbatio et contemptus certo significant impendere rebuspublicis ingentes calamitates. Nemesis enim castigat petulantiam, et Deus his poenis domitos homines revocat ad moderationem, ut disciplina restituatur. Quare vos adhortor adolescentes, ut sitis modestiores, ne irritetis Deum, ut publicis calamitatibus puniat hanc effrenem contumaciam. Prohibeo itaque autoritate Magistratus, quem gero, et de sententia senatus Academiae, nocturnas vociferationes, et tumul-

tus. Prohibeo item geri arma. Et si qui hoc edictum contemnent, illos cum Academia severe puniet, tum vero, si opus erit, etiam cohercebit Illustrissimus Princeps. Postremo monendos vos duxi de vestitu, in quo quotidie excogitantur novae ineptiae, quod significat magis magisque crescere levitatem animorum. Pontanus in dialogo quodam interrogat alium, quid sentiat de Rege Gallico Carolo gibboso, qui tunc occuparat Neapolin, an iudicet eum esse sapientem? Ille respondens inquit: Quomodo esset sapiens, cum tam curta veste utatur? Quo consilio hoc a Pontano dictum est? Etsi vestis non affert sapientiam, tamen affectatio indecori vestitus significat stultitiam, et levitatem. Offendit honestos et graves viros hic histrionum habitus, et horum iudicia decet vos vereri. Praeclare inquit Seneca in Tragoedia: Levis est, nec illum stimulat gloriae decus. Monet enim, vere levitatem esse, non vereri prudentum et honestorum iudicia, non habere rationem existimationis. Quid? quod hae ineptiae magna vicia alunt? Sed desino. Tantum enim volui vos monere. Hortor autem, ut in omnibus vitae partibus officium vestrum diligenter faciatis, et modesti sitis, et scholas cogitetis non tantum doctrinae, sed etiam virtutis officinas esse debere. Cumque in gradu vitae summo et laudatissimo collocati sitis, praestate et in studiis et in componendis moribus diligentiam dignam illo honestissimo vitae gradu, ut olim ad Rempub. afferatis et doctrinam utilem vitae, et mores probatos, et ut vestra eruditio et moderatio in moribus ornet gloriam Dei. Sapientia Dei in scripturis inquit: Ludo in orbe terrae, et deliciae meae sunt versari cum hominibus. Quam suaviter hic Deus testatur, se nobis impertire suam sapientiam. Et quidem voluptati ei esse ut nobiscum versetur, ut nobis suum munus impertiat. Idque extat in scholis, hi coetus sunt, quos vocat suas delicias. Quare gratulemur nobis hanc Dei familiaritatem, nosque ita comparemus, ut libenter nobiscum versetur, et studia nostra ad utilitatem communem provehat. Dixi.

---

**No. 9.** (an. 1534.)

Ex *Riccii* Miscell. editis No. LXXVI. et ex apogr. in cod. Basil. 39. p. 54.

### *Gratiarum actio in promotione Magistrorum, authore P. M.*

Cum Praeceptores nostri mandarint mihi, ut in hoc honestissimo coetu de more agam gratias, gaudeo mihi eas partes datas esse, in quibus officium magis, quam Eloquentia spectatur. Spero enim vos pro vestra summa humanitate voluntatem meam probaturos esse, etiamsi in oratione multum desiderabitis. Quanquam cui [1]) est tantum flumen ingenii, tanta eloquentia, ut ea beneficia, quae studiosi a bonis doctoribus accipiunt pro dignitate praedicare atque ornare possit. Quae enim beneficia maiora ac meliora conferre homines hominibus possunt, quam hanc rectae doctrinae communicationem, qua tota vita continetur ac regitur, quam habemus ducem ad virtutem et ad immortalitatem. Itaque semper optavi aliquam mihi occasionem dari significandae meae gratitudinis erga praeceptores nostros, praesertim cum viderem praecipue in hac schola summa fide, summaque prudentia nobis optimas artes tradi atque inculcari. Cumque hi mei collegae testentur, se ad eundem modum affectos esse, non solum de me, sed etiam de sua voluntate a me dici voluerunt. Etsi autem haec commemoratio huius est officium, quam ut magnitudini meritorum vestrorum respondeat, tamen quoniam in ipsis auspiciis nostri honoris, et in hoc publico conventu Deo et vobis testibus obligamus nos religione quadam ad habendam gratiam perpetuo, plurimum habere ponderis haec commemoratio iudicanda est. Agnoscimus itaque nos iis beneficiis affectos esse, quibus cogitari nulla meliora possunt. Nullum enim maius est beneficium, quam recte de maximis rebus, de religione, deque omnibus vitae officiis alios docere. Cumque haec bona vere Dei munera in terris esse statuamus, sentimus [2]) Deum vindicem ingratitudinis fore, siquis ingratus fuerit adversus eos, quorum opera aditus ipsi patefactus est ad has optimas ac divinas artes. Quare pollicemur nos perpetuo vobis gratiam habituros esse, ac daturos operam, ut quocunque officii genere poterimus, cumulate per occasionem referamus. Dixi.

---

1) Ricc. *cuius.*
2) *sentimus*] excidit e textu Riccii.

No. 10. an. 1534.

† Ex *Steph. Riccii* Miscellaneis editis No. LXXI.

## *Philippus Melanthon ad scholasticos in renunciatione novi Rectoris.*

Nuper audivistis, quod faustum foelixque sit, renunciari Rectorem Illustrem principem *Ioannem Ernestum*, Saxoniae Ducem, Landgravium Turingiae et Marchionem Misniae. Quare ut intelligerunt omnes summam esse voluntatem ipsius erga literas, nunc publice delatum honorem Illustris princeps accipere decrevit. Ut quisque optimus princeps fuit et maxime salutaris humano generi, ita hanc curam inter praecipuas duxit excitandi et ornandi studia literarum. Intelligebant enim quantum praesidium et ornamentum sit doctrina vitae humanae. Nam neque religiones, neque iusticia in Imperiis, neque humanitas in privatis moribus sine literis retineri possunt. Sed depulsis his studiis, necesse est contaminari religiones, existere Tyrannides in potentibus et infinitam barbariem in privatis. Itaque magnam laudem merentur Duces Saxoniae, quorum hactenus fuit excellens in literis tuendis atque iuvandis studium. Haec domestica exempla hortantur et hunc Ducem *Ioannem Ernestum*, ut iam a teneris discat et intelligere, quod necessariae sint Reipub. literae, et eas honore afficere. Atque optandum erat rebus humanis, hanc opinionem instillatam et infixam esse omnibus principibus ab ineunte aetate.

*Ad Principem.*] Tibi itaque Illustris princeps primum opto, ut Deus Opt. Max. te servet et concedat tibi, ut patrium Ducatum foeliciter teneas et regas. Idque mea voce totus hic coetus Doctissimorum atque optimorum virorum Illustrissimo principi fratri tuo, et tibi precatur. Deinde tibi gratias ago, quod suscepto hoc scholastico honore benevolentiam tuam erga studia declaras, teque iterum, quod faustum, foelixque sit, Rectorem huius Academiae renuncio, ac tibi signa magistratus trado et haec nostra studia commendo. Erit enim tibi honorificum te quoque sequentem laudatissima exempla maiorum tuorum amare et venerari literarum studia. Meministi, quam fuerim optimo principi patri tuo familiaris. Itaque non dubito te paterni exempli admonere. Erant in eo cum aliae virtutes bono et moderato principe dignae, tum eximia quaedam reverentia erga literas. Hunc ut foeliciter imiteris, tibi ex animo opto. Nam quo magis illum propter eximiam ipsius bonitatem amavi, eo et te magis amo, ac precor omnibus votis, ut Christus te servet et defendat. Postremo opto, ut auspiciis tuis haec schola foeliciter gubernetur.

*Ad Scholasticos.*] Vos quoque scholasticos adhortor, ut cum videtis principes viros honorifice de studiis sentire, cogitetis vobis quoque Reipub. causa magis amandas et colendas esse literas; plurimum enim Reipub. interest, qualis ad eam gubernandam doctrina afferatur. Et quoniam Princeps ipse scholasticum magistratum gerit, ut testetur se honore afficere literas, vos quoque diligentius obtemperate, ne et principem et literas contemnere videamini. Vestra modestia etiam augebit in Principibus amorem erga honestas disciplinas.

---

No. 11. (an. 1534.)

† Ex Miscellaneis manu scriptis *Stephani Riccii* in biblioth. Goth. cod. No. 240. p. 72 b.

## *Praefatio ante disputationem Witebergae habita. Φ. M.*

Etsi nemo ignorat, nos authoritate praeceptorum cogi, ut in hunc locum prodeamus, tamen hoc verecundi ingenii est, petere a vobis, ne secus de nostro consilio iudicetis. Rogo igitur initio, ne me ingenii fiducia sed officio adductum existimetis ad hanc personam suscipiendam. Nam ego hanc ob causam facilius etiam morem gessi praeceptoribus, ut intelligerent, me lubenter conferre quasi symbolam ad consuetudinem disputandi conservandam, quod utinam facerent etiam reliqui scholastici! Saepius enim audiremus eos disserentes de rebus maximis et ad vitam utilissimis, nos in hac fabula nostras partes non tam fastidiose susciperemus. Errant, inquit muliercula in comoedia, qui invitos canes ad venandum ducunt. Ita etiam praeceptores gravatim disputant, postquam vident nos aegre perpelli posse, ut nostrum officium faciamus. Ego itaque meam in hac re facilitatem eis magnopere volui probari. Interest enim reipublicae conservari disputandi morem, praesertim cum in his certaminibus res optimae atque utilissimae et agitatae et explicatae sint. Inofficiosum autem est, cum maximas utilitates hinc auferamus plerique omnes, non conferre vicissim operam, ut

mos publicus, cui plurimum debemus, conservetur. Nunc afferimus philosophicam disputationem, quae etiam formare et acuere iudicia de rebus non contemnendis poterit. Nam indocti quidam falso religionis praetextu passim vituperant philosophiam. Adversus tales fanaticas opiniones magnopere prodest munire animos veris et firmis rationibus. Nam vulgaria argumenta, quae non monstrant rerum fontes, facile excutiuntur hominibus. Quid autem de dignitate philosophiae aptius et gravius dici potest, quam quod in his propositionibus breviter posuimus? Addidimus et sectarum controversias, quarum explicatio multiplices habet utilitates et certe cognitio liberalis est. Peto igitur, ut cum ad hanc disputationem, tum ad alias pro vestra humanitate benigne conferatis operam; deinde ut boni consulatis, si nos, qui hoc loco respondemus, personam nostram non satis dextre tueri videbimur. Totus enim hic ludus non ad ingenii ostentationem, sed ad exercitium, quo maxime opus est studiosis, institutus est. Dixi.

---

No. 12. (an. 1534.)

† Ex Miscellaneis manu scriptis *Stephani Riccii* in biblioth. Goth. codd. No. 240. p. 73.

### *Praefatio ante disputationem Wittenbergae. Φ. M.*

Cum omnis exercitatio dicendi magnos affert utilitates, tum haec ratio disputandi inprimis acuit adolescentes, in qua diserte ostendantur argumentorum partes, et monstratur, in qua parte vitia sint. Quantum autem lucis accipiant magnae, obscurae et intricatae causae ex hac subtili partium analysi atque explicatione, facile iudicari potest. *Plato* vere et graviter dixit, hanc viam atque rationem lumen atque flammam esse divinitus ad homines translatam. Quare libenter in his disputationibus exercere se studiosi debent et illam coelestem flammam exsuscitare. Vidi ego quassatas mota face crescere flammas, et rursus nullo concutiente mori. Id profecto accidit et in hac re. Extinguitur hoc coeleste numen, nisi agitetur et quaerendo ac disputando exerceatur. Itaque spero vos istorum studia, qui hic disputant, non esse reprensuros, sed multo magis probaturos. Dixi.

No. 13. an. 1534.

† Ex Miscellaneis manu scriptis *Steph. Riccii* in bibl. Goth. cod. fol. no. 240. p. 73 b.

### *Alia praefatio in disputationem de causis per accidens. Φ. M.*

Principio peto a vobis, commilitones, ut boni consulatis, si non satis dextre videbor hanc provinciam, quam suscepi, administrare. Nos enim, qui hic producimur, magis obedientiam nostram et studium probari volumus praeceptoribus, quam acumen et doctrinam. Videtis autem hic proponi causam amplissimam, quae omnibus seculis exercuit non solum nostros homines peritos doctrinae christianae, sed etiam veteres philosophos. Maxima enim controversia est Stoicis cum aliis sectis de fato et de necessitate. Quanquam autem hoc loco res tanta non satis explicari potest, tamen prodest audire tantarum rerum capita, ne prorsus rudes simus harum disputationum. Et profecto conducit, admonere studiosos, ut in summa, quid sentiendum sit, teneant, ut praemuniantur adversus ineptos quorundam opiniones, quae religioni et publicis moribus periculosae sunt. Cum autem maximas utilitates auferre soleatis his materiis, quae hic proponuntur, conveniebat, vos ad disputandum conferre aliquanto plus operae, ne vobis ipsi deesse videremini. Neque enim explicari materiae possunt, nisi in contentione. Et vestra assiduitas excitaret praeceptores et levaret eis molestiam huius laboris. Dixi.

---

No. 14. (an. 1534.)

† Ex *Stephani Riccii* Miscellaneis mst. in bibl. Goth. no. 240. Fol. p. 59 b.

### *Gratiarum actio auctore Philippo Mel.* *)

Cum praeceptores nostri mandarint mihi, ut in hoc honestissimo coetu de more agam gratias, gaudeo, mihi eas partes datas esse, in quibus officium magis quam eloquentia spectatur. Spero

*) Scripta est oratio in usum studiosi, ut nomine Magistrorum liberalium artium, ut videtur, gratias ageret doctoribus Academiae.

enim, vos pro vestra summa humanitate voluntatem meam probaturos esse, etiamsi in oratione multum desiderabitis. Quanquam cuius est tantum lumen ingenii, tanta eloquentia, ut ea beneficia, quae studiosi a bonis doctóribus accipiunt, pro dignitate praedicare atque ornare possit? Quae enim beneficia maiora ac meliora conferre homines hominibus possunt, quam hanc rectae doctrinae adnunciationem, qua tota vita continetur ac regitur, quam habemus ducem ad virtutem et ad immortalitatem? Itaque semper optavi aliquam mihi occasionem dari, significandae meae gratitudinis erga praeceptores nostros, praesertim cum viderem, praecipue in hac schola summa fide summaque prudentia nobis optimas artes tradi atque inculcari. Cumque hi mei collegae testentur, se ad eundem modum affectos esse, non solum de me, sed etiam de sua voluntate a me dici voluerunt. Etsi autem haec commemoratio levius est officium, quam ut magnitudini meritorum vestrorum respondeat, tamen quoniam in ipsis auspiciis nostri honoris et in hoc publico conventu, Deo et vobis testibus, obligamus nos religione quadam ad habendam gratiam perpetuo, plurimum habere ponderis haec commemoratio iudicanda est. Agnoscimur igitur, nos iis beneficiis affectos esse, quibus cogitari nulla meliora possunt. Nullum enim maius est beneficium, quam recte de maximis rebus, de religione, deque omnibus vitae officiis alios docere. Cumque haec bona vere Dei munera in terris esse statuamus, Deum vindicem ingratitudinis fore *), si quis ingratus fuerit adversus vos, quorum opera aditus ipsi patefactus est ad has optimas ac divinas artes. Quare pollicemur, nos perpetuo vobis gratiam habituros esse, ac daturos operam, ut, quocunque officii genere poterimus, cumulate per occasionem referamus. Dixi.

---

No. 15. (an. 1534.)

In Quaest. ab Ebero editis p. 155 b. sq., ubi male ad ann. 1557. refertur.

### *Gratiarum actio in doctoratu.*

Cum amplissimo honore aucti simus, convetni, [ut vicissim significationem aliquam gratitudinis nostrae omnibus, quorum beneficio usi sumus, ostendamus. Qua in re primum venia mihi petenda est, quod non possim orationem parem magnitudini beneficii invenire. Quid enim in omni vita potest ulli accidere optabilius, quam ut doctissimorum et ornatissimorum hominum iudicio probatus, in hunc ordinem dignitatis plenum, honestissimis suffragiis traducatur? Quis enim non pluris faciat iudicium de se talium virorum, quam maximas opes, propterea quod illae casu contingere putantur: hic autem honos certo consilio virtuti tributus esse iudicatur. Quare fatemur plurimum nos omnibus debere, qui nos in huius honoris petitione adiuverunt. Et quanquam leve videatur officium esse, hoc in loco merita vestra praedicare, tamen hanc commemorationem praetermittere nobis non licet. Primum itaque gratias agimus Deo, qui hunc cursum studiorum atque honoris nostri hactenus summa diligentia gubernavit, eumque rogamus, ut favere nobis exercentibus artem velit. Nam irriti sunt conatus omnium hominum et infelicia studia, nisi Deus ea iuvet et fortunet. Deinde gratias agimus Illustrissimo Principi Ioanni Friderico Saxoniae Electori. Quia enim ipse suppeditat sumptus et ocium huic Scholae ad optima studia colenda, et ad alios docendos, debemus ipsi acceptum ferre, quicquid in hac Schola beneficiorum in nos collocatur. Agimus et gratias Illustrissimo Principi Ioanni Ernesto, Duci Saxoniae, qui sua praesentia animum clementissimum erga literarum Professores et haec studia declarare voluit. Agimus et gratias Magnifico Rectori, generosis ac nobilibus Dominis Comitibus ac Baronibus, viro nobili praesidi Saxoniae, doctissimis viris, cum aliarum facultatum Doctoribus, tum praecipue domino Doctori Medicinae promotori nostro, cuius officiis et opera plurimum usi sumus. Gratum etiam nobis Magistrorum et Scholasticorum officium est, qui nostri honoris causa ad hanc pompam convenerunt. Nos hoc tempore gratiam nullam praeter hanc commemorationem nostrae voluntatis reddere vobis possumus. Sed si quo alio officii genere declarare gratitudinem nostram unquam poterimus, dabimus operam, ut non desideraturi sitis in nobis humanitatem. Dixi.

*) Desideratur *putamus*, vel simile.

No. 16. 14. Sept. 1535.

† Ex apographo in cod. *Obenandri* p. 97. — Margini adscripta leguntur eadem manu, qua apographon factum est, haec verba:
„Philippi Melanchtonis chirographum, quod ipse ultro mihi obtulit, ex quo erga me sua benevolentia mihi perspecta est, et suae scriptionis stylus cognoscitur. Anno 1535. Wittenbergae."

(*Gratiarum actio in promotione Hieron. Welleri d.* 14. *Sept.* 1535.)

Cum mihi iniunxerint reverendi et doctissimi praeceptores nostri, ut hic de more agam gratias, etsi intelligo tantam esse magnitudinem horum beneficiorum, de quibus dicendum est, ut nulla humana voce pro dignitate explicari et ornari possint, tamen erit vestrae sapientiae atque humanitatis officium meum probare. Valde autem gaudeo mihi aliquam oblatam esse occasionem publice testificandae meae voluntatis erga hanc Academiam, et quanquam leve videtur officium, honori verborum gratiam reddere, tamen vos rogo cum id fiat in auspiciis nostri gradus et honoris, in ipso templo inter aras, cum quod in hoc ipso gradu aliqua insit religio, (est enim aditus ad sanctissimum ministerium Evangelii), ne hanc commemorationem levem esse ducatis, sed existimetis, eam ab optimo et candidissimo animo proficisci.

Et quidem hoc publico testimonio nos serio obligamus primum Ecclesiae Christi, deinde his praeceptoribus nostris, quorum ministerio ad agnitionem Christi pervenimus et ad hunc gradum sanctissimae functionis vocati sumus, nos omnia studia nostra ad Ecclesiae salutem collaturos esse, et reverentiam et animi gratitudinem ipsis praeceptoribus summa fide praestituros esse, ac sequuturos in omnibus doctrinae controversiis eorum auctoritatem et iudicia, nec sine consilio ipsorum de rebus ambiguis pronuntiaturos, Deumque precamur, ut nos Spiritu sancto gubernet et confirmet, ne a puritate Evangelii, quam didicimus, unquam discedamus. Basilius inquit, sibi patrum superiorum doctrinam adhuc ἔναυλον esse, hoc est, aures adhuc personare voce patrum. Ita nobis etiam perpetuo personabunt aures hac doctrina Evangelii, quam huius Ecclesiae gubernatores nobis tradiderunt. Hoc initio exponere volui. Non enim aliunde verius intelligi potest, maximi fieri a nobis huius scholae beneficia, quam si significemus, nos ea summo studio conservaturos esse.

Primum igitur agimus gratias Deo et domino nostro Iesu Christo, qui nos vocavit ad agnitionem Evangelii sui in hac schola; nam hoc margarithum vere scimus anteferendum esse omnibus aliis rebus coelestibus et humanis. Cum autem magnitudo huius beneficii exponi verbis non possit, oramus Deum, ut in nobis perpetuo augeat animi gratitudinem, deinde ut iuvet nos, ut re ipsa aliquam gratiam referamus, videlicet ut nostris studiis Evangelium foeliciter propagetur ad gloriam Christi et ad salutem Ecclesiae. Hanc enim gratiam ipse reposcit cum ait Christus: in hoc glorificatur pater meus, ut fructum multum feratis, et fiatis mei discipuli. Nec vero quicquam ardentius optamus, quam ut hanc gratiam Deo reddere possimus.

Deinde agnoscimus, nos debere reverentiam et gratitudinem summam, velut angelis Dei, doctoribus, per quos nobis Deus coeleste munus impartiit. Scimus homines ab hominibus nullum maius beneficium accipere posse, quam communicationem praesertim coelestis doctrinae. Ac vere hoc munus[1]) debemus his optimis viris, quod non solum fideliter nos docent, sed etiam quia ingentibus certaminibus ac periculis student repurgare doctrinam, ornare Christi gloriam et consulere saluti Ecclesiae. Hanc virtutem intelligere nos ac venerari et ex animo amare convenit, quemadmodum monet nos vox prophetae: quam speciosi pedes Evangelizantium pacem. Etsi enim impii non intelligant, quantam decus sit in vera pietate, magnitudine animi, studio illustrandi Evangelii, tamen nos meminerimus, has tantas virtutes et Deo gratissimas et pulcherrimas maximeque a nobis amandas et colendas esse. Ad haec Paulus eorum pericula qui docent inquit gloriam esse nostram, hoc est audientium. Nam propter gloriam, hoc est salutem nostram hoc tolerant et perpetiuntur. Esset autem crudelitas, non vicissim amare eos, qui, ut de nobis bene mereantur, acerrimas dimicationes suscipiunt et gravissimas aerumnas sustinent.

Hoc dixi non quod arbitrer hanc orationem tantae virtutis mercedem esse, sed ut voluntatis ac iudicii nostri significationem aliquam ostenderem, quod quidem ad exemplum pertinere indicavi.

1) Cod. Ob. habet *magis*, quod mendum est.

Agimus igitur gratias etiam illustriss. Principi, Duci Saxoniae Ioanni Friderico Electori, quod cum singulari pietate doctrinam religionis tueatur et velut hospitium exulanti[2]) Ecclesiae praebeat. Rogamus Deum, ut vicissim Principem ipsum et hanc ditionem defendat ac servet tranquillam. Agimus item gratias ornatissimo viro domino *Antonio*, legato nobilissimi Regis Angliae, cupienti propagare et ornare Evangelium. Deinde agimus gratias et magnifico domino Vicerectori, doctoribus theologicae facultatis nostris praeceptoribus, deinde ceterarum facultatum omnium professoribus, auditoribus et magistris, hospitibus ac scholasticis, et singulis nostra officia, si qua in re gratum fieri eis a nobis poterit, deferimus. Dixi.

14. Septembris anno 1535. habita Wittembergae in mei et *Ieronymi Welleri* promotione Doctoratus Theologiae[3]).

---

No. 17. an. 1537.

In Quaestion. ab Ebero editis p. 167 b sqq.

*Oratio Rectoris Acad. Witeb. ante lectionem statutorum*, 1537.

Non est obscura causa, quare institutum sit, ut saepius recitentur Academiae leges. Curandum est enim, ut his, qui antea non audiverunt eas, notae fiant, ne qui labantur ignorantia. Et in universum prodest, saepe etiam voce Magistratus admoneri omnes de legum dignitate, et necessitate, de disciplina, et de obedientia, quam iuventus debet legibus propter Deum. Est enim prima virtus, et haud dubie nutrix aliarum virtutum, reverentia erga leges. Quare haec praecipua cura omnium Magistratuum, maximeque eruditorum esse debet, ut assuefiat iuventus honorifice sentire de legibus, de imperio, de autoritate magistratuum. Nam iuventus naturaliter odit legum vincula, et quorundam tanta est ferocia, ut quandam fortitudinis laudem esse ducant contemptum legum et imperii. Haec immanitas opinionum ac morum, et indigna est natura hominis, et Deo displicet, et parit ingentes calamitates. Quare magistratus, praesertim eruditus, summa cura, singulari consilio atque arte flectere animos debet ad legum amorem atque admirationem. Haec cum cogito, et cum considero, quanta sit in scholis hoc tempore perturbatio disciplinae, quanta licentia, ingenti dolore afficior. Ac mihi iam horribiles poenas prospicere animo videor, quibus Deus hanc contumaciam puniet. Semper enim dissolutionem publicam disciplinae in omnibus Rebuspub. secutae sunt exitiales mutationes. Itaque etsi malebam hic de legum dignitate et laude dicere: tamen quadam vi doloris adducor, ut magis deplorare tantam morum corruptionem cogar. Deus vult suo verbo regi homines, ideo leges dedit, et hominum coetus consociavit, praefecit magistratus legum custodes, addidit et Evangelium suum, ac praecipue iuventutem vult alieno iudicio atque arbitrio gubernari. Instituit scholas, ubi adolescentia excolatur doctrina, ubi studiosi discant propter voluntatem Dei, ut et sese et alios erudire possint, et conservent in terris verbum Dei, leges, et omnes artes vitae utiles. Quid hoc ordine melius ac pulchrius cogitari potest? Sed ad hanc imaginem comparate quaeso scholas huius aetatis. Nunquam iuventus tam impatiens legum et disciplinae fuit, prorsus suo arbitrio, non alieno, vult vivere. Verbum Dei et leges surdis auribus audiunt. Non cogitant magistratum divinitus ipsis impositum esse. Solidam et integram doctrinam quotusquisque expetit? Quidam decerpunt aliquid ex artibus, quod ad quaestum postea conferant, alii prorsus nihil discunt. Vix ulli cogitant, sua studia pertinere ad gloriam Dei, ad Ecclesiam, ad posteritatem. Haec negligentia cum per sese sit grave flagitium, tamen gignit alia peccata plura, quia ocium parit vicia. Schola debebat imago esse coelestis Ecclesiae, quia ibi sonant praecipue verbum Dei et leges. In schola sunt seminaria Ecclesiae et Imperiorum. Quare optima doctrina, optimis moribus assuefieri iuventutem oportuit, ut in Ecclesia illustrare gloriam Dei, et in Republica tueri ornamenta humanae societatis posset, iudicia, honestos mores, pacem, educationem atque institutionem adolescentiae. Ad has tantas res praeparari vos Deus in scholis voluit. Non degitis privato consilio in Academiis, sed divina vocatione, et Reipublicae ordinatione, quia stu-

2) Cod. Ob. habet *exultanti*, ex mendo.

3) Margini adscriptum est: *in die exaltationis crucis*. Caeterum simul cum Wellero honore Doctoris Theologiae ornatus est Medlerus, Sup. Naumburgensis.

dia ad gloriam Dei, Reipublicae salutem, et totam posteritatem pertinent. Quare negligentia in discendo laedit gloriam Dei, perturbat Rempublicam, et nocet omni posteritati. Ideo adhortor vos propter Deum, ut mores emendetis, et consideretis, quid postulet ratio officii vestri, cogitetis scholam esse praecipuam partem Ecclesiae Christi. Est autem magna impietas, malis moribus et scandalis deformare Ecclesiam. Ista ex praeceptoribus vestris quotidie auditis, Leges esse Dei vocem, easque nobis traditas esse, quia Deus velit nos suo verbo regi, non velit nos laxare frenum nostris cupiditatibus. Promittit Deus etiam praemia obedientibus, sicut haec ipsa vox testatur: Honora patrem et matrem, ut sis longaevus super terram. Foeliciora erunt in omni vita consilia vestra, et vobis et Reipublicae, si haec initia vitae, et quasi primum actum recte agetis. Contra improbi et negligentes dabunt Deo olim graves poenas. Deus enim non favebit eorum consiliis atque actionibus. Quare caeci ruent, corruent, et accersent sibi perniciem. Saepe etiam propter paucorum furorem evertuntur totae Respublicae. *Nulla est enim sapientia sine Deo fortunata. Ideo in Salomone scriptum est: Deus dat sapientiam et successum. Proponite igitur oculis et praemia et poenas, et cogitate, Deum veracem esse, praestabit haud dubie obedientibus praemia, et puniet contumaces. Hoc animo iam audite statuta, et cogitate, vos Deo obedientiam debere, et hunc cultum Deo esse gratissimum. Nostrae enim leges nihil continent tyrannicum, sed praecepta complectuntur utilia studiis, moribus, et communi tranquillitati. Nec aliud de moribus, et cura tuendae tranquillitatis praecipimus, quam quod Deus e coelo sonuit clara voce, quodque Dominus noster Iesus Christus praecepit, qui certe postulat, ut bonis moribus Evangelium nobis donatum ornemus, ut nostra exempla aliis prosint. Et quanquam hae nostrae leges tantum de externa conversatione praecipiunt: tamen scitis hanc paedagogiam necessariam esse, quam quidem Paulus honorifice ornavit, cum ait: esse paedagogiam in Christum, hoc est, disciplinam, quae assuefacit rudes, ut discant intelligere Evangelium. Non est efficax Evangelium in illis, qui contempta paedagogia indulgent viciosis cupiditatibus. Quare haec paedagogia nequaquam negligenda aut parvifacienda est.

Recita igitur Statuta.

*Post lectionem statutorum.*

Audivistis Statuta, quibus postulo, ut obediatis, propter mandatum Dei, qui praecipit, ut omnes legi divinae, et magistratibus suis obediant. Scitis enim dictum Pauli: Necesse est obedire, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Hoc dictum vobis proponite adolescentes, ut vos coherceat, quia de utroque vos admonet, de poena et iudicio Dei. Nam et Deus retrahit ad poenam contumaces. Et illud est tristius, quod Paulus ait, conscientias *pollui*. Quare hi qui timent Deum, isto dicto admoniti, regant mores diligentius, ne quid faciant contra publicas leges.

Nuper contra farctores temere audio in foro tumultum esse ortum, de quo pauca quaedam dicam: Omnis concursus multitudinis, si accedunt vociferatio, iactatio lapidum, aut similes impetus, habet speciem seditionis. Scitis autem esse summam turpitudinem, seditioni interesse. Deinde quantum sit periculi in tali concursu, expendite. Nam si vicissim arma cives cepissent, et orta fuisset aliqua caedes, quam late vagatum esset id malum? Quare vobis mando, ne quis sit autor vel adiutor talium concursuum.

Audio quosdam fuisse dehortatores, horum modestia digna est laude. Imperitos autem admoneo, ut periculi magnitudinem considerent. Si enim, quod Deus prohibeat, caedis initium fieret, quid futurum esset? Nostrae fidei, tot honesti homines, parentes vestri suos liberos, quos habent carissimos, commendant, volunt ut apud nos sint in tuto, acsi domi essent intra parentum tecta et penates. Nos quoque tegere eos vel cum vitae nostrae periculo cupimus.

Sed vicissim ipsi non debent esse seditionum autores, non debent turbare communem tranquillitatem. Ideo admoniti sitis modestiores.

Praeterea nocturnae vociferationes valde offendunt graves viros, et profecto sunt indecora scholasticis, et interdum praebent occasiones tumultibus. Ideo vociferationes illas iterum prohibemus. Ululatus illi nocturni proprii sunt luporum. Minime autem decet vos imitari lupos. Sit nox quieti et tranquillitati destinata, ut interdiu magis idonei ad studia.

De vestitu etiam dicere cupio. Sed in tanta licentia parum proficiunt verba. Hortor tamen modestiora ingenia, ut in vestitu non imitentur

illas novas ineptias, et quas virorum gravium iudiciis improbari sciunt. Videtur esse parva res, forma vestitus. Sed significat levem animum, et contemnentem iudicia gravium virorum. Et ubi in his minutis discessum est a disciplina, postea confirmatur contumacia. Semper a talibus initiis orta est disciplinae dissolutio. Cum Legatis David essent praecisae tunicae ad nates, vetuit David, ne in publicum prodirent. Nunc scholastici, qui debebant singularem verecundiam et modestiam prae se ferre, incedunt in his curtis penulis, quae non possunt ea tegere, quae natura voluit occultari.

Commemorabo historiam principis Palatini Friderici senioris illius, qui res bello magnas gessit. Ad hunc venerat Carolus Dux Burgundiae in arcem Heidelbergensem, eique inter caetera Xenia, ut fit, dono dedit pallium ex purpura factum, et ornatum preciosis gemmis, sed breve, ut tunc erat Gallicae gentis vestitus. Palatinus Fridericus in gratiam hospitis pallio uti cogebatur, etiamsi illa brevitas illi displicuit. Ut autem melius tegeret priorem corporis partem, curavit sibi marsupium latum ex purpura fieri, quo incedebat tanquam Rhenone tectus. Tanta erat tunc in Germanis gravitas, tantus amor verecundiae. Nunc vestitus impudentiam animorum ostendit. Ideo rogo vos, ut figura vestitus utamini, quam probent viri graves, praesertim cum plurimi vestrûm sciant, hanc monstrosam figuram parentibus displicere. Est autem inhumani animi non vereri parentum iudicia. Deinde exempla inepta nocent aliis adolescentibus, et offendunt hospites. Christianos autem cavere decet, ne sint scandalo aliis. Haec in praesentia breviter vobis exponenda esse duxi. Vosque rogo et obtestor, ut sitis modesti propter gloriam Dei, qui favebit studiis et actionibus vestris, si ipsum timebitis, sicut scriptum est: Timor Domini initium sapientiae. Dominus noster Iesus Christus gubernet mores et studia vestra ad gloriam Dei illustrandam, et ad utilitatem Ecclesiae, et ad vestram salutem. Dixi.

---

No. 18. an. 1541.

In Quaestion. apud Eber. p. 171 b. sqq.

*Oratio Rectoris Acad. Witeb. ante lectionem statutorum.* **1541.**

Quoties ad hos publicos congressus in scholis aut templis accedimus, toties nobis in mentem venire debet, hos coetus non esse humano consilio institutos, nec defendi tantum humana ope: sed Deum praecipue ad hoc munus condidisse totum genus humanum, ut ipse innotescat, et celebretur, et tradita sua voce conventus hominum instituisse, in quibus de Dei voluntate, de rebus aeternis, et multis aliis vitae praesidiis alii alios doceant. Cumque in hoc mundo magni sint Imperiorum tumultus, magnae ruinae, quae sunt fatales poenae mundi, defendere eum tales aliquos conventus, ne prorsus extinguatur lux doctrinae coelestis. Hac confirmati sententia, cogitemus scholas Dei politias esse, et a Deo servari, sed alias aliis locis, alias in aliis domiciliis. Nam cum doctrina depravatur, et in moribus barbarica ferocitas solutis disciplinae nervis oritur, coetus ille desertus a Deo dissipatur, aut suis furoribus ruit in poenas et exitium. Non hos parietes casu stare, non casu tot lumina doctorum virorum, tot praeclara ingenia, in uno loco esse, in tanta temporum, difficultate putetis. Sed Dei bonitate haec tota Schola hactenus servata est. Simus igitur grati omnibus veris officiis, et curemus, ne a custode Deo deseramur. Ipse testatus est, ubi adesse velit, cum ait: Ubicunque duo aut tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum. Meminerimus et nos in nomine Christi congregatos esse, hoc est, et iuvante Christo, et ad conservandam ipsius doctrinam. Si sic sentiemus, et mediocrem in studiis diligentiam et modestiam in moribus praestabimus, haud dubie hic custos nobis aderit. Ad hunc finem de studiis et moribus proponuntur vobis leges, et quantum possumus tueri disciplinam studemus, ut adsit nobis Deus, et hanc scholam servet, ut multae Ecclesiae et Respub. habeant seminaria bonae et salutaris doctrinae. Scitis in qualibet politia cives debere obedientiam suis legibus, non solum propter praesentes poenas, sed, ut Paulus inquit, etiam propter conscientiam. Severissima sententia est. Nam pollutae conscientiae Deus irascitur. Cum igitur contumacia polluat conscientias, cogitent contumaces, quam sit miserum, vivere in odio Dei, nec protegi nec regi divinitus. Ita collocati sumus homines in hunc mundum, tan-

quam hospites in ignotam domum, ubi multi insidiatores sunt. Multos saevos hostes habet natura hominis. Nec sine Deo potest esse incolumis. Ut igitur adsit vobis Deus, et protegat vos, videte ne contumacia vestra eum alienetis. Quoties late vagari contemptus disciplinae coepit, toties secutae sunt Imperiorum ruinae. Semper prius leges urbium, quam muri delentur. Sed deletis legibus, non diu stare moenia, et manere imperia possunt. Haec igitur causa est, cur tantos successus habeat tyrannis Turcica, quia legum reverentia extincta est, potentes licentiam sibi nimis magnam sumunt, et gubernationem morum populi prorsus negligunt. Petulantia iuventutis ita crescit, ut moderati senes non sine summo dolore aspicere adolescentium mores possint. Opprimitur ergo reliqua Europa crudelitate Turcica. Sed si vultis has tantas calamitates mitigari, regite mores modestius, et excitate vos vel mediocriter ad doctrinae et virtutis amorem. Certum est, Deum vobis saltem publicas poenas leniturum esse. Non frustra scriptum est, servatos esse multos, ut Danielem, Ieremiam, et alios, cum Babylonii everterent Ierosolymam. Sic cum Titus delevit eam postea, Christiani praemoniti ab Apostolis, discesserunt in Pellam urbem ultra Iordanem. Ita in mediis excidiis, tamen piorum non obliviscitur Deus. Haec iam in tantis tumultibus orbis terrarum saepe multumque cogitare praesertim eruditos decet, qui causas humanarum calamitatum diligentius considerare debent, quam caeteri, et vera remedia quaerere. Nec inanis est haec diligentia, ut fortassis aliqui nimis feroces existimant. Sed salutaris erit vobis et aliis. Ut enim Deus propter Ecclesiam servat Imperia, ita saepe propter paucorum pietatem totis civitatibus parcit. Magnum igitur fructum capietis vestrae modestiae: ac praecipue vos scholasticos ad haec praecepta vitam et mores dirigere oportet. Non enim putate, scholas esse conventus ociosorum iuvenum, institutos, ut ibi delicias, et ludos discant. Longe alio consilio Deus hos coetus instituit, ut sint custodes coelestis doctrinae, et aliarum bonarum artium, ac impertiant aliis vivendi normam, et praeluceant sapientia, et exemplis virtutis. Non vult vos convenire, ut ebriam multitudinem ad Bacchi sacra, aut velut Centauros ad convivium. Quare genus vitae, in quod a Deo collocati estis, considerate, et vos huius militiae vestrae rationem Deo reddituros esse mementote. Dixi.

Recita Statuta.

*Post lectionem statutorum.*

Audivistis pauca praecepta, sed quae tamen in summa vobis curam regendorum morum, et retinendae tranquillitatis commendant, et simul iubent audire Deum sonantem suam legem, inter tonitrua et fulgura ex rupe Sinai. In ea lege continentur omnia honesta officia, quae est aeterna et immutabilis Dei voluntas, patefacta nobis, ut sciamus, vere et horribiliter Deum irasci suae vocis contemptoribus. Et ut prorsus impossibile est, Deum non esse iustum et veracem: ita impossibile est, eum non irasci sceleribus nostris. Quod enim confugientibus ad filium parcit, non suae naturae mutatione, ac oblivione irae suae parcit, sed quia effudit iram in filium. Propter tantum placatorem genus humanum recipit. Haec cogitemus de ira Dei, et eam vere timeamus, praesertim cum nos tempora admoneant. Videtis signa irae Dei, atrocissima bella in Pannoniis et Galliis. Ut igitur Deus mitiget poenas, et parcat nobis, serio ab ipso petamus, et eum flectere ad misericordiam nostra modestia et pietate studeamus, sicut scriptum est: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Oro autem toto pectore Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem omnium rerum et conservatorem, cum filio suo coaeterno, Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, ut hanc Scholam et politiam servet et regat. Dixi.

---

No. 19. an. 1542.

In Quaest. ab Ebero editis p. 174 sqq.

## *Oratio Rectoris Acad. Witeb. ante lectionem statutorum*, 1542.

Publice quolibet semestri a Magistratu huius Academiae leges et statuta recitari solent, ut hi, qui antea non audiverunt, discant, quibus legibus in hac schola vivere debeant. Reliqui autem, qui aliquoties iam audiverunt, iterum sui officii admoneantur. Itaque et ego, cum fungar nunc hoc Magistratu, convocavi vos, ut audiretis leges recitari.

Cum autem quotidie praeceptores vestros ed dignitate ac vi legum docentes ac praecipientes audiatis, non utar longiore praefatione. Tantum vos Adolescentes, qui in studiis literarum versamini, hortor, ne vestro officio deesse velitis, et ut non tantum audiatis hanc legum publicationem, sed etiam summa cura studeatis vita et moribus illis parere. Scitis enim Deum hanc obedientiam non minus requirere a vobis, quam si ipse suo digito has leges conscripsisset. Itaque et pulcherrima praemia proposuit illis, qui obtemperant, et vicissim horribiles poenas illis, quae contumaciter repugnant, sicut inquit scriptura: Calamitas et confusio accidet his, qui nolunt pati disciplinam, et qui obtemperant correctioni, honore afficientur.

Lege Statuta.

*Post Statuta.*

Audivistis leges, quae ad regendos mores vestros, et ad pacis defensionem, vobis propositae sunt. Scitis autem, nec posse humanos coetus sine legibus, sine ordine aliquo, sine disciplina retinere tranquillitatem. Et velle Deum, huius pulcherrimae et dulcissimae societatis autorem, singulos suis magistratibus, legibus, et imperiis parere. De his vinculis civilis vitae et societatis cum quotidie gravissimae habeantur in templis et in scholis conciones, non dicam nunc prolixius. Spero autem modesta ingenia, et a natura ad virtutem incitata, et amare hunc vitae ordinem, ac disciplinam, et legum vocem libenter audire, et sponte obedire, ut venustissime a Plauto dictum est: Facile est imperium in bonis. Sed alii sunt partim imbecilliores, qui malorum consuetudine interdum abducuntur ab officio, sed tamen sanabiles: partim vero vel superbia vel naturae immanitate ita feri, ut flecti ad virtutem nolint. Etsi utrisque legum poena timendae sunt, tamen nunc de Cyclopibus istis nihil dicam, qui ut Polyphemus apud Homerum, gloriosum sibi ducunt, Deum et omnia divina et humana iura ferocissime contemnere, et ruere, qua coeci impetus cupiditatum rapiunt. Sed haec rerum natura, vices aestatis et hyemis, ac reliquus ordo rerum testatur, esse mentem aeternam architectatricem, probantem iusta, et punientem iniusta, et execratur furores illos Cyclopicos contemnentium Deum, quos quidem certa et fatali lege tandem poenae oppriment. Sed de caeteris dicam, quorum mores sunt apti legibus, hos adhortor, ut se ad legum amorem et reverentiam assuefaciant. Tale tyrocinium postea in reliqua vita plurimum prodest. Nam haec diligentia commonefacit rudia ingenia de causis legum, quas cogitari et meditari, sapientia est homine dignissima, et utilis moribus, et flectit animos ad virtutem, et rapidos impetus coheret. Nulla vox humana, nulla eloquentia, satis explicare potest, quantum adferat utilitatis mediocris tantum cura disciplinae: Primum Deo grata est, tuetur multa Dei beneficia, impetrat Reipublicae magna commoda a Deo, tuetur corpora et valetudinem, radix est et inchoatio omnium virtutum, instruit ingenia, ut possint esse usui Ecclesiae et Reipublicae. His utilitatibus moveri homines a natura recte institutos arbitror. Sed e regione etiam incommoda expendite. Absit a nostro ordine, et a toto nomine Christiano amentia, seu furor potius Epicureorum, qui non putant irasci Deum sceleribus humanis, cum dicat vox coelestis: Propter haec venit ira Dei super contumaces. Punit igitur Deus disciplinae contemptum publicis cladibus, et privatis calamitatibus. Miramur Turcicos successus, et alias Ecclesiae aerumnas, quarum causae multae sunt et magnae. Sed scholasticorum modestia toti Ecclesiae mitigationem publicorum malorum impetrare posset. Nam propter studia praecipue Deus conservat politias, ut saepe promittit. Et hanc causam allegat Propheta: Ne tradas bestiis animas confitentes tibi. Cur iam putatis in hoc horrendo tumultu, qui in vicina ortus fuit, Deum pepercisse his regionibus? Piis studiis, et doctrinae pepercit. Ita non dubito, etiam in irruptionibus Turcicis Deum servaturum esse studiosos et pios. Ut servavit Danielem, et multos similes in exilio Babylonico. Quare et publici et vestri periculi metu, in hoc publico luctu et maesticia temporum, modestius vivite, et statuite, et universae Reipublicae, et vobis vestram modestiam profuturam esse. Quidam generis, quidam privilegiorum praetextu peccant licentius. Refutari hae iniustae persuasiones multis modis possunt. Sed nunc unam tantum historiam recitabo, in qua gravi iudicio populi Romani, insulsus praetextus delicti damnatus est. Fuit Aedilis Hostilius Mancinus, qui noctu ebrius adiit aedes Maniliae meretricis, postulat se intromitti, familia videt ebriam turbam esse, iubetque

discedere Mancinum. Hic seu amore furens, seu vino, aedes oppugnat. Tandem cum deiecta tegula, vulnus in capite accepisset aedilis, abducitur domum. Postridie accersit mulierem, et accusat, quod vulneraverit Aedilem populi Romani. Illa ad Tribunos plebis provocat, qui cum audissent, ebrium ad aedes alienas suae libidinis causa nocte tumultuatum esse, negant aedilitiae potestati factam contumeliam, et mulierem absolvunt, ac omni periculo liberant, quae suam domum noctu defenderat. Tribunorum sententia adeo prudentum iudiciis comprobata est, ut historici dignam memoria posteritatis iudicarint. Hanc historiam et vos meminisse volo, ne quis excusatione generis aut ordinis utatur, si mores indigni sunt genere aut ordine. Dixi.

---

No. 20. 9. Febr. 1542.

† Ex apographo in cod. Goth. no. 25. in 4. p. 9.

*Communis forma agendi gratias pro collatione Magisterii philosophici, praescripta M. Hieronymo Schreiber*) 1542. 9. Febr.*

Etsi nullius est tanta eloquentia, ut magnitudinem beneficiorum, quae in scholis recte institutis iuventus accipit, satis praedicari possit, tamen has partes significandae gratitudinis nostrae mihi datas esse, facile patior, quod in hoc genere maior est officii laus quam eloquentiae. Et vos pro vestra gravitate non tam oratione quam perpetua benevolentia et veris officiis declarari gratitudinem vultis. Verum quoniam haec publica testificatio voluntatis nostrae exempli causa flagitatur, optarim tamen me posse copiosius de his beneficiis literariis dicere. Nihil maius aut melius homo homini impertire potest, quam veram et salutarem doctrinam primum de religione, deinde et de caeteris artibus vitae necessariis. Nam sine his bonis hominum vita nihil distat a beluina. Ideo condidit Deus genus humanum, ut ipsius noticia in mentibus nostris luceat, ut eius bonitas celebretur, denique ut simus imagines Dei et participes, ut Petrus inquit, divinae naturae. Ad hunc finem et ad hoc tantum decus cum praecipue conditi simus, Deus Ecclesias et scolas, quae sunt praecipua Ecclesiae pars, instituit, ut assequi finem propositum divinitus possimus. Neque enim pervenire ad hanc metam possemus, nisi Ecclesia et scolae iter monstrarent. Deinde nervi sunt totius societatis hominum inter sese, et huius civilis consuetudinis caeterae bonae artes, quae in scolis traduntur. Tanta beneficia cum in scolis accipiamus primum decet eruditos eorum magnitudinem ardentius considerare et propius adspicere quam indoctos. Decet et Deum praedicare autorem tantorum munerum, qui e sinu suo depromptum Evangelium per filium suum nobis patefieri voluit, qui ministerium docendi Evangelii, Ecclesias et scolas instituit, qui hanc vitam artibus instruxit et ornavit. Deinde iustissimum est, nos et docentibus habere gratiam ex animo, eosque tanquam parentes amare et venerari, sicut praecipit divina vox: Honora patrem et matrem, quorum appellatione sciamus et gubernatores et doctores contineri. Et alio loco dicit vox coelestis: Non recedet malum ei domus ingrati. Ideo pollicemur perpetuam gratitudinem et pietatem nostris Ecclesiis, scolis et formatoribus ingeniorum nostrorum, qui nobis optimas disciplinas singulari industria, diligentia et fide tradiderunt. Quod primum autem, agimus gratias Deo aeterno, patri domini nostri I. C., qui pro nobis factus est victima, et precamur, ut propter filium suum omnia studia nostra gubernet. Deinde agimus gratias Illustrissimo Principi Electori, Duci Saxoniae, qui hanc scolam ad publicam utilitatem tuetur, ut maxime decet bonos et salutares principes. Agimus etiam gratias magnifico domino Rectori et illustrissimo Principi, domino *Ottoni*, Duci Luneburgensi, et generosis comitibus et clarissimis dominis doctoribus et praeceptoribus nostris, et honestissimo coetui Magistrorum, nobilium et Scholasticorum, qui honoris nostri causa convenerunt, et nostra officia eis deferimus. Dixi.

*) Hier. Schreiber, Norimbergensis, Melanthonis discipulus, comes itineris quod Melanthon a. 1543. Coloniam fecit. Vid. epp. Mel.

---

No. 21. an. 1546.

In Quaest. ab Ebero editis p. 176 sqq.

### *Oratio Rectoris Acad. Wit. ante recitationem statutorum*, 1546.

In omni oratione de legibus, et de vitae gubernatione, initium faciendum est ab invocatione Dei. Quia lex est vox divina, et ut gubernatio sit fausta et foelix, profecto necesse est eam adiuvari divinitus, sicut scriptum est: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Ideo ante legum recitationem vota facienda sunt, a me, et a vobis.

Oramus igitur Deum, aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem omnium rerum, et legis et disciplinae autorem et custodem, ut cum scholas esse propter Ecclesiam necesse sit, ipse nos gubernet, et flectat multorum mentes ad virtutem, nec sinat diabolum et eius organa abolere disciplinam, et barbaricam vastitatem efficere: sed sint scholae tanquam vernantes horti, in quibus seminaria crescant Ecclesiae Dei, et vera doctrina, et bonis moribus Deum celebrent.

Deinde vobis iuvenibus paterno animo, et autoritate divina praecipio, ut certo statuatis, Dei voluntatem esse, ut homines frenentur legibus et disciplina, et Deum ipsum vindicem esse contemptae disciplinae. Sicut filius Dei inquit: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Et videtis, quam tristes poenae secutae sint delictum primorum parentum Adae et Evae, cum diabolis eis hanc imaginationem offudisset, dulcius esse vivere sine carcere legis, et libere vagari mentibus et affectibus. Hic error postea depravata natura hominum, haeret in intimis pectoribus omnium. Omnes cupimus sine freno vivere, et licentiam cupiditatibus, quocunque ruunt, concedi. Sed Deus vult hunc errorem tolli ex animis. Vult se agnosci, et hoc vult intelligi, legem esse suam voluntatem, et nostram voluntatem debere non vagari, ut vagantur diaboli, sed prorsus congruere cum divina voluntate. Intra has metas vult nos inclusos manere, imo sicut foetum in alvo matris certo tempore manere oportet, et excussus abortus ante iustum tempus, miserabiliter extinguitur: ita singulos homines oportet intra legum metas manere. Excussi vero ruunt in exitium, ut accidit primis parentibus. Et postea exempla manifesta sunt infinita, in quibus cernitur ira Dei, contra violationem disciplinae, ut tragici exitus plurimorum, Cain, Pompeii, Iulii, Neronis, et aliorum innumerabilium, ostendunt.

Haec de ira Dei cogitantes, frenate impetus, et propter Deum intra legum metas vos continete. Quod si facietis, Deus vos amplissimis praemiis ornabit, sicut promisit: Glorificantes me glorificabo.

Recita Statuta.

#### *Post recitationem.*

Audivistis leges, non Laconicas, aut Cretenses, sed quia homines regi oportet, praecipue voce divina, et non imaginationibus humanis, praecipuae leges in his nostris pagellis, sunt ipsa decalogi divini praecepta, quae Deus aeternus, non tantum ex rupe Sinaide semel, sed antea et postea saepe illustribus testimoniis promulgavit, et exemplis horribilium poenarum ostendit, serio se obedientiam flagitare. Non enim dissentit a seipso Deus. Quare cum decalogi mandata sint aeterna, immota, et non mutabilis Dei voluntas, non possunt ei furores contrarii huic voluntati placere. Non Deus volens iniquitatem tu es, inquit Psalmus. Ideo vere horribiliter irascitur contumaciae hominum, contemnentium legem divinam. Et iram suam declarat horribilius poenis.

Moveamur igitur cogitatione voluntatis Dei, et poenarum metu, ut simus modesti, nec nobis, nec aliis cumulemus miserias.

Dolendum est autem, quod tantae, tam necessariae causae recte faciendi non omnium animos movent. Sed in multis plus valent diaboli impulsus, et proprii furores, ut in Cain, Nerone, et aliis multis, quam aut voluntas Dei, aut poenarum cogitatio. Tales autem Deus non diu grassari sinit, sed ipse sua potentia opprimit et perdit eos. Adiuvat etiam Magistratus, ut multorum petulantiam et furores coherceant. Quare et nos freti auxilio Dei, non defuturi sumus officio nostro.

Caeteros vero, quorum natura non tam fera et immanis est, sed disciplinae patiens, adhortor, et propter Deum et Ecclesiam obtestor, ut propter illas causas, quas dixi, modesti sint, et cum velint esse membra Ecclesiae, cogitent non propterea filium Dei crucifixum, et horribiliter laceratum esse, ut furenter polluamus nos omni scelerum genere.

Tu ipse tot vulnera filio Dei pendenti in cruce facis, quoties contumaciter violas legem Dei, postquam agnovisti beneficium filii Dei, qui vult nos pro redemptione gratos esse, et hanc gratitudinem hoc officio declarare, videlicet diligentia pie regendorum morum, quam ut praestetis, et vestra voluntas anniti debet, et Deus aeternus pater domini nostri Iesu Christ orandus est, qui vult dare Spiritum sanctum, non contumacibus, qui laxant frenos omnibus cupiditatibus, sed, ut Christus inquit, iis, qui petunt, modestis, cogitantibus de Dei voluntate, et petentibus divina beneficia.

Haec et alii saepe monent, et ad officium Rectoris pertinet, tales commonefactiones vobis proponere, quas spero sanis et mediocriter moratis gratas esse. Deum autem aeternum oro, ut ipse propter Ecclesiam nos omnes gubernet, et nos vasa misericordiae faciat. Dixi.

---

No. 22. 1. Maii 1546.

In Quaestion. ab Ebero editis p. 178 b sq.

### *Oratio in renunciatione Rectoris.*

Quod faustum et foelix sit, electus est Rector Academiae, vir doctus et honestus, et de multis, quos fideliter erudivit, bene meritus, Magister *Iohannes Marcellus Regiomontanus* *). Huius electionem vobis publice renuncio. Multae sunt enim causae, cur talem renunciationem fieri publice deceat. Vos necesse est scire, cui mandetur Magistratus, et utile est, me et Senatum Academiae palam profiteri, nos communi consensu huic Magistratum mandasse, et studium et autoritatem ad eum iuvandum, et tuendam disciplinam, collaturos esse. Praecipimus autem vobis, ut reverenter huic Rectori Academiae nostrae deinceps obtemperetis, propter mandatum divinum, quod Paulus Apostolus his verbis recitat: Necesse est obedire, non solum propter iram, id est, propter poenas, sed etiam propter conscientiam. Haec verba infigite intimis sensibus pectorum. Nihil enim dici gravius potest ad sanciendam disciplinam, et ad muniendum ordinem politicum, quam quod Paulus inquit, conscientias a Deo avelli, et fieri hostes Dei, si sint contumaces magistratibus. Quid est autem tristius, quam a Deo avulsum et damnatum esse? Ideo propter Deum flectite animos ad piam obedientiam erga magistratus, pro quo officio Deus praemia daturum se promittit in hoc praecepto: Honora patrem et matrem, ut sis longaevus super terram. Deinde mementote, Scholas partem esse Ecclesiae Dei praecipuam. Ideo sitis modestiores, ne mali mores dedecorent Ecclesiam Dei, et moerorem adferant Spiritui sancto in bonis.

Nunc vero tibi haec Rectoris signa trado. Et cum filius Dei, dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis et resuscitatus, promiserit, se semper adfuturum Ecclesiae invocanti ipsum, oro, ut ipse huic parti Ecclesiae, scilicet coetui scholastico intersit, et te et nos omnes gubernet, imo ut ipse per sese sit Rector nostrae Academiae, sicut vere est Pontifex et caput Ecclesiae suae, et servet studia doctrinae, per quam celebratur Deus, et vera invocatio et officia Deo grata docentur. Dixi.

*) Is Rector Acad. electus est d. 1. Maii 1546.

---

No. 23. an. 1548.

† Ex apogr. Cod. Goth. No. 25. in 4. p. 10 b.

### *Gratiarum actio. Phil. Mel. Magistro Iohanni Moibano praescripsit* 1548. *7. Febr.*

Etsi gaudeo, has partes dicendi mihi attributas esse, in quibus summa est laus officii, videlicet, ut agam gratias Deo et iis, qui studia nostra adiuverunt: tamen doleo, me oratione non posse satis declarare nostrum iudicium de his beneficiis et pietatem erga praeceptores. Ingens omnino Dei beneficium est, quod non solum condidit genus humanum, sed se etiam patefecit, ac tradita doctrina ministerium instituit, quo vult eam propagari. Non igitur maius beneficium homines hominibus impertire possunt, quam doctrinae communicationem, in qua fideles doctores vere sunt συνεργοὶ θεοῦ, et ad Deum auditores non contumaces adducunt. Imo propemodum ut foetus in alvo materno servatur et per cotyledones, tanquam per canales, alitur lacte materno: sic in alvo Ecclesiae, id est, in gremio doctorum, ser-

vamur a Deo et alimur ac provehimur voce divina, quae per canales, hoc est per doctores ad nos transfunditur. Hac imagine eo libentius utor, quia vere ut foetus in alvo materno divinitus nascitur et custoditur, ita et scolae, Dei ope, et nascuntur et conservantur. Fuitque haec scola aliquamdiu alvus discentibus utilis, et ut sit diutius, toto pectore Deum oro. Fateor enim, nobis fideliter traditam esse et coelestem doctrinam, et philosophiam, quibus bonis nihil melius hominibus impertire possunt.

Ago itaque gratias toto pectore meo, et communi nomine horum συμφοιτήτων, Deo aeterno, patri domini nostri Iesu Christi, conditori generis humani et Ecclesiae suae, una cum filio suo, domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis et resuscitato, et Spiritu sancto, quod Ecclesiam sibi inter nos colligit, et studia doctrinae non sinit in his regionibus extingui, et quod nostra studia hactenus adiuvit, eumque oro, ut deinceps nos omnes regat ac protegat. Deinde et gratias ago Illustriss. Principi Electori Duci Saxoniae, qui, cum praecipua cura in gubernatione esse debeat, ut recte doceantur homines, vult recte erudiri iuventutem et scholas conservat. Deinde ago gratias Magnifico Domino Rectori et nobilissimo ac praestantissimo Dom. *Sebastiano a Walwitz* praefecto Saxoniae inclyto, doctissimis viris dominis doctoribus et nobilibus viris, ac nostris praeceptoribus, magistris et caeteris, qui huc nostri honoris causa convenerunt. Et singulis, ubicunque erit occasio, benevolentiam et gratitudinem nostram declarabimus, praecipue vero praeceptoribus optime meritis perpetuam gratitudinem animorum pollicemur. Dixi.

---

**No. 24.** (an. 1550.?)

In Quaestion. ab Ebero edidit p. 179.

### *Oratio Rectoris Acad. Witeb. post lectionem statutorum recitata.*

Manifesta est legum utilitas. Nisi enim legum voce et metu poenarum cohercerentur homines, et inquieti tollerentur, genus humanum inter assiduos tumultus et caedes funditus deleretur. Haec manifesta utilitas intelligitur etiam ab agresti multitudine, et multorum animos movet, ut leges necessarias esse censeant, et fateantur tuendas esse.

Nos vero, qui in Ecclesia doctrinam de Deo didicimus, et scimus esse Deum, et talem esse, qualem se patefecit transfusa legum notitia in mentes hominum, debemus legum dignitatem multo pluris facere, quam vulgus, quod utilitatem tantum aspicit.

Est enim verissime in Deo aeterno et immota sapientia et norma iusticiae, patefacta nobis in creatione, et saepe repetita voce divina, hanc ipsam ob causam, ut sit illustre testimonium, ostendens esse Deum, et qualis sit, ac obligat omnes rationales creaturas, ut fiat conformes Deo, et horribilem iram et destructionem denuncians omnibus, quae non sunt conformes Deo.

Cum igitur nomen legis audimus, mens Deum fontem sapientiae, ordinis et iusticiae intueatur, et sciat contemptum legum esse furorem Deo bellum inferentem.

Nec aliud significat vetus poëma de Gigantib. bellum coelo inferentibus, quam tales hominum furores, qui spretis legibus, Deum ipsum contumeliis adficiunt. Horum furorum initia vigilanter cavenda sunt. Quia diaboli pectora eorum, qui initia admiserunt, occupant, et odio Dei impellunt ea ad tetra scelera, quae sequuntur poenae tragicae, et aeternum exitium, ut ostendunt tristissima exempla praestantium hominum, Saulis, Davidis, Achab, Alexandri et aliorum innumerabilium.

Adsuefacite igitur vos ad legum reverentiam, et in his agnoscite Dei sapientiam et voluntatem.

Cogitate etiam, totum ordinem politicum esse opus Dei, quod vult esse testimonium de sese, et de sua praesentia in genere humano. Etsi enim diabolus horribili furore dilacerat societatem humanam, et magnas dissipationes et vastationes facit, sicut lupi gregem ovium dissipantes, tamen ut pastor defendit partem gregis, ita Deus ipse praesens in genere humano partem aliquam servat, et depellit diabolos, et aufert organa diabolorum, homines turbulentos, seditiosos, tyrannos et latrones.

Quid est tristius, quam fieri organum diaboli, turbantis ordinem divinum in genere humano? Sitis igitur modesti, et Deo pastori et custodi societatis humanae obtemperate, ne fiatis organa diabolorum.

Habent exempla iudicii divini omnes aetates, quae ostendunt, hanc comminationem divinam ratam esse: Qui gladium acceperit, gladio peribit, et similes: Scortatores et adulteros puniet Deus.

Cum igitur non dubium sit, atrocia scelera comitari poenas in hac vita divino ordine, metus poenarum etiam vos coherceat. Nos mandato divino has commonefactiones proponimus, ut officii nostri ratio postulat. Et vos experiemini, Deum esse custodem suae legis, et politici ordinis.

Nunc etiam rursus admonemus vos, ut sciatis necessarium officium esse, ut vocati ad iudicia Rectoris veniant, quare contumaces sciant nos usuros esse iusta severitate, et publicis decretis eos hinc eiecturos esse.

Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum, custodem Ecclesiae suae, ut hanc Ecclesiam, et studia doctrinae et nos omnes protegat et gubernet. Dixi.

---

No. 25. (an. 1551.?)

In Quaest. ab Ebero editis p. 180 b.

*Oratio Rectoris Acad. Witeb. ante statutorum lectionem recitata.*

Scimus nomen legum et disciplinae, hoc vere calamitoso saeculo aliis invisum, aliis vero ridiculum, et contemptibile videri. Et accedit hoc velut ad cumulum poenarum, atque calamitatum nostrarum, quod quae debebant esse remedia malorum, tam publicorum quam privatorum, ea quam maxime fastidiamus. Fitque propter magnitudinem mali, ut salutaris medicina nobis quasi in venenum vertatur. Cum corpora morbum non sentiunt, laetale est, inquit Hippocrates, at quanto magis laetale est, cum nec sentiunt, nec ullam medicationem vel admittunt, vel tolerare queunt? Communis haec et usitata querela est, non tantum nostrorum, qui praesunt, sed omnium propemodum, quibus aliquid mentis esse videtur, quique de praesenti rerum statu aliquando cogitant, et tamen ea ipsa parum aequis auribus accipiunt. Nos tamen qui poenas alias iam ante oculos adesse, alias haud dubiis signis imminere videmus, officio nostro fungemur. Et nunc etiam iuventutem ad disciplinam, et obedientiam erga leges scholasticas adhortabimur, ut qui adhuc sanabiles sunt, si fieri potest, nonnihil flectantur, qui vero iam *ἀναλγησίαν* et stuporem contraxerunt, ut ad sanam mentem revocari non amplius possint, saltem de poenis, quae certae et quidem gravissimae ipsos manent, admoneantur. Nam sicut in Tragoedia Tiresias non *μαντικῇ* ut ait, id est vaticinandi scientia, *ἀλλὰ τοῖς πράγμασιν*, hoc est, rebus ipsis motus, impio regi interitum, et ruinam praedicit: ita nos cum legum et disciplinae vincula dissolvi videmus, quid aliud divinare possumus, quam vastitatem, ruinam, et interitum Reipublicae impendere? Nam hic proximus gradus est ad exitium, cum homines verecundiam et reverentiam erga leges abiecerunt, disciplinam respuunt ac contemnunt, et quo vocat cupiditas, eo praecipites ruunt, sic enim et ipsi sese, multosque alios, et saepe totas civitates, ac respublicas poenis involvunt. Nota est sententia Sophoclis in Aiace: *Ὅπου δ' ὑβρίζειν, δρᾶν θ' ἃ βούλεται παρὰ ταύτην νόμιζε τὴν πόλιν χρόνῳ ποτὲ ἐξ οὐρίων δραμοῦσαν, εἰς βυθὸν πεσεῖν.* Id est: ubi vero iniuriae praevalent, et quisque quod vult facit, eam urbem tandem existima ex secundo cursu precipitem ruituram esse. Pythagoras quatuor gradus fecit civitatum, quae sunt periturae. Primum in urbes intrare ait *τρυφὴν*, id est, luxuriam et petulantiam in apparatu conviviorum, vestitu et reliquo vitae cultu. Deinde *κόρον* saturitatem, fastidium, securitatem, impudentiam, contemptum legum et disciplinae, ista enim omnia complectitur haec vox *κόρος*. Mox sequitur inquit *ὕβρις*, id est, iniuriae et contumeliae, contentiones inter cives, ob res non necessarias susceptae, studium premendi alios per ambitionem, fastum, superbiam, aut malevolentiam, odia, simultates, motus intestini, seditiones. Has pestes proxime comitatur *ὄλεθρος*, ut ille ait: id est, sequuntur mutationes imperiorum, quae secum trahunt exitium, ruinam et vastitatem. Hic enim ordo rerum solet esse, et hi gradus ad interitum, quos homines sapientes observarunt. Quare et nos, cum poenas partim ante fores videamus, partim etiam sentiamus ipsi, imperiorum et rerumpublicarum quassationem, bella, seditiones, annonae difficultates, famem, morbos vulgo grassantes, intestinos motus, rapinas, crudelitatem, et alia infinita mala (quis enim omnia ea enumeret?) in capita nostra, ceu diluvium inundare, et graviora etiam impendere: Non

est quod nobis blandiamur, et causas, cur ita adflicti miserique simus, quaeramus. Quin expergiscamur ex hoc veterno, ac nos tandem homines esse cogitantes, statuamus vera esse, quae ipsa experientia nos., quod vera sint, fateri cogit, nempe quod Deus leges, ordinem ac disciplinam velit conservari, obedientiam iuxta hunc ordinem requirat, et praemiis ingentibus ornare velit. Contra ἀταξίαν, confusionem, ἀκαταστασίαν, solutionem disciplinae, ordinis perturbationem, morum corruptelas serio ac vehementer oderit, atque horribiliter punire soleat. Et proposuit nobis his proximis annis Deus satis tristia talium poenarum exempla, quae nos commovere, et timorem Dei in nobis, et curam regendorum morum accendere debebant, si minus nostra sponte et ipsius virtutis amore flectimur. Recte enim dictum est a veteri legum conditore: Obediendum esse legibus, atque flagitiis abstinendum, ne turbemus concordiam, quae humano generi cum Deo esse debet. Sed quia haec reverentia et verecundia minus multos movet, saltem poenarum magnitudo, et nostrae aerumnae nos in viam revocent, cogitemus qualem gubernationem Ecclesiae, quem Reipublicae statum, vel ipsi habituri simus, vel posteris relicturi, si disciplina, et reverentia erga leges sublata, quisque sibi vivendum putabit, sicut libet, vel sicut furiosa cupido iubet. Et quales vos gubernatores respublica vestra accipiet, si non ipsi aequissimis legibus, et iis qui praesunt, parere didiceritis? Male enim imperat, qui non prius obedire didicit. Plutarchus ait: idem esse, puero committere gladium, fatuo divitias, et homini disciplinae ignaro, atque impatienti gubernationem. Atque Euripides illam partem civium adfirmat conservare civitatem, quae ut ipse ait: κόσμον φυλάσσει, ὅντινα ἂν δόξῃ πόλει, id est, ordinem conservat, qui ab ea institutus est. Et alibi, Tace inquit: Quod iubes et inter homines societatem conservat, id unum est, nempe ut homines legum autoritatem quam maxime salvam et incolumem esse velint. Saepe haec praecepta repetuntur, et inculcantur ab authoribus, quorum scripta in hac schola enarrantur, sed nos magis etiam commovere debet vox divina, quae toties in sacris literis ad obedientiam erga leges, atque ad disciplinam, et honesta officia, propositis non tantum poenarum et praemiorum exemplis, verum etiam amplissimis promissionibus, nos hortatur. Quod si neque hominum sapientissimorum monita, neque praeceptum Dei, nec poenae etiam, et mala nostra nos flectunt, aut ad sanitatem revocant, tunc revera sumus quod Apostolus ait: ἀπηλγηκότες, et quovis Silice atque Adamante duriores. Adhortor igitur vos adolescentes, neque tantum adhortor, sed et oro, et per Deum obtestor, ut has scholasticas leges ametis, et religiose vobis servandas esse ducatis. Haec enim cum studiis vestris sapienter consulunt, tum vero et res et corpora vestra adversus iniurias fideliter muniunt. Retrahite quaeso vos ipsos a consortio illorum, qui ita dissolute vivunt, quasi nullae sint leges, nulla vincula humanae societatis, quasi inter feras bestias, non inter homines vitam degant. Non enim hominum sed Cyclopum hi mores sunt, totas noctes in publico tumultuari, furiosis clamoribus omnia complere, conviciis, lapidum iactu, armis in pacatos, adeoque inermes atque innocentes hostilem in modum debacchari, oppugnare honestorum civium aedes, effringere fores, fenestras, turbare somnum puerperis, miserisque aegrotis ac senibus, dissipare tabernas in foro, currus et quicquid occurrit. Turpia dictu haec sunt, et indignissima tali hominum coetu, in quo cum sonet doctrina filii Dei, cum honestissimarum artium studia floreant, vita quoque et mores his studiis conformes esse debebant. Dabunt igitur haud dubie gravissimas poenas Deo, qui haec tanta dona divina prophanant, et turpitudine vitae, ac flagitiis suis doctrinam sanam et salutarem deformant, atque Spiritum sanctum in piis mentibus moerore adficiunt.

Videmus hoc tempore pene totum orbem, diabolicis furoribus incensum, ruere in horribilia scelera et poenas. Ardent monarchae odio Christi ac piorum, propter taxatos idolatricos cultus et tetras blasphemias, quarum defensionem susceperunt. Ludunt monstrosis opinionibus homines ingeniis et doctrina instructi, laxat frenos omnis generis cupiditatibus insanum vulgus, nec minus multum est hoc tempore hominum Epicureorum, quam fuit Ciceronis aetate, cum praestantissima quaeque ingenia illos immanes errores pro veritate adorarent. Nos in his tantis tenebris mundi precemur filium Dei, ut in fide et verbo suo nos obedientes conservet, et Spiritu sancto suo illuminet, gubernet atque sanctificet, ut non simus vasa irae, sed vasa gratiae et misericordiae divinae, utque opera sathanae in nobis destruantur, et fiant opera placentia Deo. Idque ut fieri pos-

sit, ipsi quoque mores nostros regere et emendare studeamus, neque hanc paedagogiam legum ac disciplinae respuamus, sed ut praecipuum in hac vita donum Dei religiose veneremur. Leges igitur Academiae nostrae dum recitantur, diligenter quaeso audite.

Recita.

*Post legum recitationem.*

Videtis leges has non tantum aequissimas esse, verum et studiis vestris, et vitae scholasticae convenientissimas. Praescribunt enim reguntque studiorum ordinem, consulunt tranquillitati, ocio, pacique publicae, quae ad meditationes et doctrinae studia maxime necessaria est. Tuentur ac muniunt quietos, inermes atque innocentes, ne turbentur, aut iniuriis adficiantur. Oportet me vero et haec addere.

Primum: Qui nondum nomina sua apud magnificum D. Rectorem professi sunt, hi profiteantur, seseque catalogo studiosorum adscribi curent. Qui vero hoc negligunt, hos, quicquid eis acciderit, scholasticorum loco non habebimus, et magistratus urbanus non patietur tales hic oberrare, qui neque civium neque studiosorum in numero sint, et nullum magistratum agnoscant.

Secundo, cum aliquoties propositis edictis gestatio bombardarum prohibita sit, audimus tamen quosdam contempta autoritate magistratuum bombardis armatos, tam in oppido hic quam foris circa suburbia et hortos, discursare. Cum autem caetera minus hostilia arma edicto principum prohibita sint, hoc genus armaturae prorsus non est ferendum, et hoc in loco publice prohibemus, ne quis bombarda se armet. Quod si quem posthac cum bombarda fuisse, cognoverimus, in eum serio ac severe animadvertemus. Cogitate vos inter hospites vestros, ac condiscipulos versari, non inter barbaros hostes, aut feras bestias.

Tertio allatae ad nos sunt querelae a familia Praefecti et Quaestore de quibusdam studiosis, qui vineas Principis, et aliorum, bombardis armati dicuntur populari. Illos, quicunque sunt, serio, et pro nostra fide monemus, ut a tali violentia se abstineant, vineas vitent, neque unum atque alterum botrum tanti faciant, ut propterea capita et vitam velint in discrimen adducere. Nam nobis indicatum est, ita insidias esse in illis locis instructas, ut qui inciderint, incolumi vita non sint evasuri. Moveat igitur vos saltem proprii periculi ratio, si minus legum aut honestatis respectu movemini, et apud quos tandem homines putatis vos habituros esse hospitium, qui istam plusquam barbariem morum feritatem ferre possint? Obsecro vos per Christum, ut parcatis vitae ac saluti vestrae, parcatis et praeceptoribus, qui summa fide vos docent, et ingenti cura ac sollicitudine pro vestra incolumitate adficiuntur, quos certe satis duriter exercetis, ne quid tristius dicam.

Deus aeternus pater Domini nostri Iesu Christi, Ecclesiis et Reipublicae pacem et tranquillitatem largiatur, ac scandala prohibeat, et vos Spiritu sancto suo regat, ac pectora vestra flectat ad verecundiam, et obedientiam erga leges, praeceptorum salutem, et vestram tueatur, studiis vestris foeliciter adspiret, atque universae vitae nostrae cursum gubernet, ad gloriam sanctissimi nominis sui, multorum hominum, et vestram salutem, per Christum redemptorem nostrum, Amen. Dixi.

---

**No. 26.** **an. 1553.**

Select. Declam. T. IV. p. 112. Servest. IV. p. 105. et Richard. T. II. p. 476.

***Ritus promotionis** (cum **Ioannes a Borcken** crearetur Doctor Iuris).*

Et ego authoritate Pontificia et Imperatoria, qua in praesentia fungor, te *Ioannem a Borcken*, natum in inclyta urbe Brema, creo et promoveo Doctorem in utroque Iure, Canonico et Civili, et te honestissimo gradu Doctoris ornatum esse de sententia et gravissimo iudicio Collegii renuncio: In nomine Patris, et filii, et Spiritus sancti. Et attribuo tibi omnia privilegia, quibus hic ordo a summis Principibus, singulari consilio ornatus est.

*Cathedra et liber.*

Et quia vetustas, ut talis renunciatio esset celebrior, addidit signa quaedam, quae voluit esse non ineptos ludos, sed utiles commonefactiones consideranti, quid revera significent, in his quoque morem usitatum servabo.

Ac primum te in hanc honestam cathedram colloco, et librum tibi aperio, quo gestu, scitote

res gravissimas significari. Taxantur et damnantur duae stultissimae opiniones. Prior est, quod vociferantur aliqui stolidi et tribunicii homines: Nihil opus esse scripto Iure, et doctrina Iurisconsultorum, ac potius res iudicandas esse iudicum ingeniis, sine scripto Iure. Hanc amentiam reprehendi sciatis hoc ritu, quo liber proponitur et aperitur, ut significetur, velle sapientissimos gubernatores, ut his libris, ac scripto Iure vita gubernetur, et controversiae iudicentur, non ex arbitriis, aut caecis adfectibus potentum, aut calliditate iudicum. Agnoscamus voluntatem Dei, qui et scriptum ius dedit suo populo, et in duabus tabulis summa praecepta suis digitis bis inscripsit. Vult igitur esse scriptas leges, et gratias ei agamus, quod nobis dedit ius sapienter scriptum, congruens ad illa praecepta, quae digitis filii Dei, in duabus tabulis bis scripta sunt, et hunc thesaurum posteritati conservemus.

Deinde, altera opinio taxatur hominum arrogantium, qui putant leges posse intelligi sine voce docentium, sine collatione, et eruditorum ac peritorum enarratione, et lectis duabus aut tribus pagellis, et emptis vocabulariis et repertoriis, existimant se esse Iurisconsultos, Scevolas et Ulpianos. Ut autem commonefiant alii necessariam esse vocem docentium, ideo ritus hic collocandi in cathedram institutus est. Magna sapientia est, videre fontes legum, scilicet, radios sapientiae Dei transfusos in mentes humanas, quae dicuntur leges naturae immutabiles et aeternae, et considerare, quibus demonstrationibus et argumentis extructae sunt sequentes leges ex his primis radiis divinae lucis. Item, intelligere seriem, et quasi ideam totius aedificii, quod a personis ad res, ad contractus, ad obligationes, ad iudicia, ad actiones, ad poenas procedit, qua in re ipse ordo in singulis partibus testimonium est de Deo, et multae sunt imagines iustitiae Dei. Denique semper in Imperiis certi fuerunt interpretes Iuris, qui alios erudierunt. Hunc morem, ut Deus inter nos quoque conservet, optemus, et non putent iuniores se sine voce docentium posse Iurisconsultos fieri.

De his tantis rebus, videlicet, de scripto iure, et de voce docentium commonefaciunt nos hi ritus. Cum autem sciam te recte didicisse integram Iuris doctrinam, tribuo tibi autoritatem respondendi de iure, et alios docendi.

*Pileus.*

Fuit et vetus insigne docentium in Ecclesia Pileus, qui significat, nos non solum hanc politicam sapientiam scire oportere, sed etiam Ecclesiae doctrinam, et certamina ac decreta de dogmatibus, ac vetustas proprie nominavit Canones, Regulas fidei, id est, Decreta et sententias de controversiis doctrinae.

Scio autem te semper vera pietate inquisivisse veterem Ecclesiae doctrinam, et recte invocare Deum. Ideo et spero tuam vocem Ecclesiae utilem fore, et ut te regat filius Dei in controversiis doctrinae iudicandis, opto.

*Annulus.*

Tribuo tibi etiam ius aureorum annulorum autoritate publica, quo ritu notum est tribui dignitatem, et collocari idoneos homines in superiorem ordinem, qui Rempublicam vel consilio, vel armis protegit. Simul etiam dato annulo, iusticiam tibi desponderi scias, quam nunquam deseres. Et quia hic dies simul est sacri nuptialis dies, in quo datis annulis, publice coram Ecclesia coelesti, et hac visibili piorum congregatione, aeternum foedus mutui amoris inter te, et sponsam tuam, filiam meam charissimam, fiet. Primum opto, ut coniugium vestrum sit faustum et foelix; deinde te adhortor, ut simul huius foederis cum iustitia memor sis. Cogites etiam filium Dei cum Ecclesia tanquam sponsa, aeternum foedus fecisse, et nunquam eum Ecclesiam deserturum esse.

Hac nos consolatione confirmemus in aerumnis huius vitae, quod certo scimus, nos filio Dei curae esse, et ab eo exaudiri et iuvari.

*Osculum.*

Hoc etiam complexu charissime fili te admoneo de praecipuo fine, et officio nostri ordinis. Eo consilia nostra dirigenda sunt omnia, ut iuste iudicatis controversiis, publica pax sit in societate hominum, ut honesti coetus esse possint, et Deum recte celebrare, sobolem educare, et erudire ad agnitionem Dei. Sic te Respublica complectitur et ornat, ut vicissim ipsi opem feras in tuenda pace. Procul igitur ab omnibus absint illae cupiditates, quae sunt faces dissidiorum publicorum et bellorum. Non adsentatione incendantur odia Principum, non ambitio, aemulatio, aut avaritia ullos moveat, ut alant partium dissidia, et distrahant factionibus civitates, ordines, et gentes.

Utinam moveremur omnes tristissimis comminationibus, quas vox divina discordiarum autoribus minatur. Scriptum est autem apud Salomonem: Sex ista odit Dominus, et septimum abominatio est animae eius, oculos superbos, linguam fallacem, manus effundentes sanguinem, cor machinans fraudes, pedes properantes ad nocendum, testem mendacem. Septimum vero, quod est abominatio coram Deo, est faciens discordiam inter fratres. Contra vero dulcissima promissio tradita est iis, qui publicam concordiam tueri student. Beati pacifici, quia filii Dei vocabuntur.

*Precatio.*

Postremo scimus vitam et sapientiam hominum non esse foelicem, nisi Deo nos gubernante et iuvante. Cumque clementissime praeceperit Deus, ut ipsum invocemus, et auxilium invocantibus promittat, sicut scriptum est: Petite et accipietis. Oro Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem coeli et terrae, et hominum, una cum filio suo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu suo sancto, fontem sapientiae, iusticiae et pacis, ut te gubernet, ac faciat te organum salutare tuae animae, et aliis. Det etiam tibi et charissimae filiae meae coniugium faustum et foelix, conservet etiam honesta studia, ac semper in his regionibus propter filium Dominum nostrum Iesum Christum, et per eum colligat aeternam Ecclesiam, et eam luce suae doctrinae et Spiritu sancto regat, et protegat haec hospitia Ecclesiae, propter suam gloriam, sicut inquit: Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer.

Ah Domine Iesu Christe, fili Dei vivi, crucifixe pro nobis et resuscitate, sicut precatus es pro nobis, et semper hanc precationem coram aeterno patre recitas. Pater, sanctifica eos in veritate tua. Fac ut unum sint in nobis, sit dilectio tua in eis, qua me diligis, te oro, ut semper tua intercessione nos iuves, et colligas, et protegas semper inter nos Ecclesiam, et nos in ea clementer serves. Amen. Dixi.

---

**No. 27.** 16. Maii 1553.

In Quaest. ab Ebero editis p. 111 b.

*Oratio recitata a Doct. Tilemanno Heshusio, Wesaliensi, d. 16. Maii an. 1553.*

Non dubium est singulari consilio Dei in Ecclesia constitutum esse, ne ulli admittantur ad Evangelii ministerium, nisi praecedat exploratio morum et doctrinae. Ac optandum erat eam explorationem gubernatores serio curare, in Academiis exemplum vetusti moris retinetur, cum publice in magna frequentia disputare et dicere cogimur. Cum igitur deceat, me non defugere explorationem, etsi mea infirmitas mihi non ignota est, tamen non recusavi et disputare, et hoc loco dicere. Hac autem me consolatione confirmo, quod scriptum est: ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. Vere sumus infantuli omnes. Non potest enim penitus cernere Deum ullius creaturae sapientia. Sed agamus gratias Deo, quod tamen et lactentes sumus ac plantulae, quae aluntur lacte et rivulis sapientiae Dei, ut aliqua in creaturis vera Dei noticia luceat. Oro igitur filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut me et alios doceat, et gubernet, et faciat me vas misericordiae, et organum salutare Ecclesiae et meae animae. Cumque hic necesse sit me aliquid dicere, iuxta morem Academiarum, quo fit doctrinae exploratio, dicam aliquid de hac admiranda narratione in Iohanne: *Et verbum caro factum est.* Etsi enim brevitas temporis non multa concedit dicere, tamen cum huius tantae rei cogitatio saepe repetenda sit, nunc quoque grata sit haec commemoratio. Nulla aetas satis longa est ad exhauriendam doctrinam, quae in hoc dicto proponitur. Sed in Ecclesia coelesti in tota aeternitate hanc sapientiam discemus. Et tamen vult Deus initia, et quasi prima Elementa disci in hac mortali vita, vult nos de filio testes esse contra maliciam diabolorum, et contra organa eorum, videlicet contra omnes, qui filium aspernantur, ac praecipue, qui contrarias religiones comminiscuntur, contra Ethnicos, Haereticos, Mahometistas et Papistas. Cum autem simus infantuli, primum vocabula discamus. Certum est λόγον hic intelligi filium Dei, qui est coaeterna imago Patris, nec est umbra evanescens, sed persona, seu ut rectius Graeci dicunt, est ὑφιστάμενον. Sed mirum est, cur haec persona nominetur λόγος. Optarim veteres in hac explicatione fuisse copiosiores. Basilius et Augustinus tantum hoc dicunt: Nominatur λόγος, quia cogitatione nascitur. Pater enim sese intuens

gignit imaginem sui, genita vero imago cogitatione λόγος est. Estque integra Patris imago. Credo recte haec dici. Sed sic nominatur λόγος, tantum respectu patris. Narrationes in Iohanne significant λόγον dici respectu creaturarum et nostri, quia filius sic nobis patefactus est, quod per eum Pater dicit decretum et totum ordinem creationis et reparationis hominum, et quod haec persona mittitur, ut proferat Evangelium ex sinu aeterni patris, conservet ministerium Evangelii, et dicens consolationem in cordibus nostris, ostendat patrem, vivificet nos, et nos sibi assimilet, ut restituatur imago Dei in nobis. Haec proprie fiunt per hanc personam, quae est λόγος, quae tunc et spiritu suo laetitiam et motus in cordibus accendit. Haec doctrina de appellatione τοῦ λόγου reverenter et pie cogitanda est, et orandus est ipse, ut nos doceat.

Deinde et hoc consideretur, quare hic λόγος adsumpserit humanam naturam, non Pater, non Spiritus sanctus. Athanasius ait: quia congruebat hanc personam, quae proprie est imago aeterni Patris, adsumere humanam naturam, cum in nobis restituenda sit imago Dei. Cogito et hoc congruere, ut ea persona adsumat humanam naturam, quae est monstratrix Dei. Sermo autem monstrat aliquid, ergo et per Filium prolatum est Evangelium, et ut verbo conditi sumus, ita verbo rursus vivificamur, sicut et in Psalmo dicitur: Misit verbum suum, et sanavit eos. Ita sciamus, hanc personam in credentibus non esse ociosam, sed vere praesentem et in nobis efficacem esse voce Evangelii, et accendere corda Spiritu suo sancto, ut motus habeant congruentes luci et agnitioni Dei. Non possunt autem haec iam in hac brevitate temporis copiosius exponi, sed et saepe repetenda sunt cogitatione, et alio tempore longiori oratione illustranda sunt. Nunc toto pectore oro ipsum filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, qui ait: Ego sum vitis, vos palmites, ut nos doceat, et sua luce faciat nos palmites ipsi placentes et uberes. Dixi.

---

**No. 28.** **an. 1554.**

In Quaest. ab Ebero editis p. 156 b. sqq.

### *Gratiarum actio.*

Priusquam praeceptoribus et universae scholae, ut mos est, gratias agam, iussus sum breviter alicuius historiae factum tractare. Itaque cum praeceptorum authoritati, hac in re libenter duxerim esse obtemperandum, spero vos boni consulturos officium meum, quod ut faciatis, etiam vehementer rogo. Breviter enim dicam, quid mihi videatur de facto D. *Laurentii*, qui cum, ut scitis, Romae praeesset aerario Ecclesiastico, noluit thesauros et bona Ecclesiae Imperatori ea petenti ad prophanos usus cedere. Ac mihi praeclare videtur fecisse Laurentius, quod Imperatori ista bona negavit. Iniustum enim est cuiuscunque rei dominium ad iniustos dominos transferre. Erat autem ista pecunia Ecclesiae, quae eam congesserat ad necessarios usus pauperum et ministrorum, qui proponebant piis veram de religione doctrinam. Nulla igitur iusta causa Imperator eam pecuniam poposcisse videtur, cum alienum appetiverit, in quo ipse nihil habebat iuris, non magis quam si praedo in alienas facultates impetum faciat. Fuit autem atrocior iniuria, quod Ecclesiam spoliare voluit, quae praecipue indiget sumptibus, ad alendos pauperes, et publicos ministros, quorum voce verum et maxime necessarium genus doctrinae de Dei erga nos voluntate, et gratuita acceptatione, ad nos perfertur. Ac fecit id Imperator, cuius praecipua cura esse debebat iuvandae et ornandae Ecclesiae. Itaque prorsus fuit in eo intolerabilis iniuria, quod bona Ecclesiae intercipere voluit. Non iniuria igitur D. Laurentius se ei opposuit. Nam in manifestis iniuriis, magistratui non indulgendum, praesertim si salus Ecclesiae et gloria Dei agatur. Quare recte fecisse D. Laurentium iudico, quod in hac re Imperatori est adversatus. Quod cum ita sit, facile intelligi potest, quo in scelere sint nostris temporibus avari pontifices, canonici, et similes, qui non solum bona Ecclesiarum ad se rapiunt, sed etiam de iis turpissime heluantur, eaque conferunt non ad prophanos usus tantum, sed etiam ad delendum et opprimendum Evangelium. Et crudeliter faciunt centauri, qui manus iniiciunt talibus Ecclesiae bonis, non ad se pertinentibus, unde pauperes scholastici et pii pastores ad conservationem ministerii ali debebant. Hos cum patiantur esurire, ut ipsi suum luxum expleant, procul dubio Deus olim gravissimas poenas huius rapacitatis ab eis exiget.

Sed ut veniam ad gratiarum actionem: Libenter hic profiteor una cum meis collegis, nos plurimum debere praeceptoribus nostris, quorum

fide ac diligentia religionis et optimarum artium principia hac nostra aetate utcunque percepimus. Agimus itaque Deo optimo maximo magnas gratias, quod ipsius munere contigit nobis in hac Academia, primum nostra ingenia formare ad bonos mores, et ad studia honesta, et Ecclesiae ac Reipublicae utilia ac necessaria. Deinde agimus gratias praeceptoribus, quod principiis bonarum artium nos ad maximarum rerum cognitionem praeparaverunt. Agimus et gratias aliis doctissimis et clarissimis viris, et Scholasticis, quod honoris nostri causa nostram promotionem sua praesentia ornare non sunt dedignati. Ac vicissim iis observantiam ac officia nostra pollicemur. Dixi.

---

**No. 29.** **29. Ian. 1554.**

In Quaestion. ab Ebero editis p. 128 b. sqq.

***Oratio recitata a D. Henrico Sthenio, promoto in Doctorem Theol. 29. die Ianuar. an. 1554.***

Usitatum est in testimonii renunciatione, ut et nos aliquid dicamus, quibus testimonium tribuitur. Ideo ut consuetudini honestae obtemperem, dicam de dulcissima sententia Salomonis in capite octavo Proverbiorum. Ubi inquit sapientia: *Et fui cum eo artifex, ludens in orbe terrae suae, et delectationes meae cum filiis hominum.* Etsi autem amplitudo huius sententiae non potest breviter enarrari, et prolixa oratio huic tempori non congruit, tamen etiam brevis commonefactio de tam dulci sententia studiosis prodest. Aliqui dictum Salomonis tantum de externa voce promulgatae doctrinae intelligunt. Constat enim Salomonem loqui de ea sapientia, quae clamitat in arduis locis urbium. Alii vero interpretantur de filio Dei, quia ibi dicitur: Et fui cum eo artifex. Manifestum est, cum de sapientia Dei creatrice dicatur, non tantum promulgatam vocem intelligi, sed ipsum filium Dei, qui quia protulit ex sinu aeterni patris vocem Evangelii, promulgata voce patefactus est, et adest ministerio vocis externae, et per id est efficax. Sic ipse inquit interrogatus, quis sit: τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Prorsus hoc sum quod loquor vobis, sum hic λόγος, qui ab initio cum Ecclesia loquitur, et eam colligit. Hic delectat patrem, et ludit in orbe terrae. Hic filius a patre diligitur, et pater eius mirandis operibus delectatur, ordine videlicet creationis, mirandis operibus liberationis Ecclesiae, ipsa filii Dei obedientia, copulatione divinae et humanae naturae, promulgatione doctrinae, resurrectione et morte, praeliis et victoriis adversus diabolum. De his admirandis spectaculis, quae considerabimus in tota aeternitate, Salomon loquitur, cum hic ait: Sapientiam in orbe terrae ludere.

Dulcissimum autem est, quod ait, delectationes eius esse in hominibus. Hoc est, laetatur ipse filiis Dei, quod patefacit se nobis. Patefacit autem se promulgata voce, et per vocem est efficax, restituit nobis vitam, et transformat nos, ut Paulus inquit: Transformamur ad eandem imaginem, ut nostra lux sit similis λόγῳ. Cum tantae res in his verbis Salomonis comprehendantur, hortor studiosos, ut ea pie considerent, et discant, hic simul ostendi et doctrinam de filio Dei, et commendari nobis Ministerium hac summa causa, quod ipse Filius Dei adsit voci Evangelii, et sit per eam efficax. Oro autem ipsum Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut non sinat deleri ministerium Evangelii, sed semper etiam in his regionibus et vicinis colligat aeternam Ecclesiam, et gubernet mentes nostras.

Toto etiam pectore gratias ago Deo aeterno, Patri Domini nostri Iesu Christi, conditori coeli et terrae, hominum et Ecclesiae, una cum filio suo, Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu suo sancto, quod clementer Ecclesiam sibi inter nos colligit, et mihi cum alia multa bona tribuit, tum vero etiam Evangelii cognitionem, et me ad ministerii Evangelici societatem vocavit, et studia mea adiuvit, et oro eum propter filium, Dominum nostrum Iesum Christum, ut clementer gubernet totum cursum vitae meae, et me faciat organum salutare Ecclesiae, animae meae et patriae. Dixi.

---

**No. 30.** **1. Maii 1555.**

In Melanth. Orationibus T. V. p. 1., in Orationibus postremis p. 1 sq. et apud Richard. T. II. p. 892.

***Oratio, qua publice resignavit Magistratum scholasticum, D. Stanislaus Comes a Gorgka, Polonus etc., Rector, Cal. Maii.***

Primum ago gratias Deo omnipotenti, aeterno Patri Domini nostri Iesu Christi, conditori coeli

et terrae et Angelorum et hominum, una cum filio suo Domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto suo, quod et colligit in his regionibus Ecclesiam, et clementer hactenus tribuit huic Academiae, et vicinis regionibus doctrinae lucem, et mediocrem tranquillitatem, quia verissimum est Psal. dictum: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Deinde et hunc ipsum custodem Ecclesiae suae Deum omnipotentem oro, ut deinceps quoque protegat et gubernet has regiones et Ecclesias in eis, et hanc Academiam.

Quia vero optime constitutum est, ut quolibet semestri hoc difficile onus gubernationis in alium transferatur (nam vicissitudo laborem levat, et est Aristocratia). Significo vobis, electum esse Rectorem illustrem et Generosum D. *Christophorum*, Comitem in Barby etc.

Cum autem severissime praecipiat vox divina, ut in quolibet coetu legibus consociato cives obediant suis magistratibus: Mementote vobis quoque praeceptum esse, ut huic vestro Rectori illustri et Generoso Comiti Christophoro, reverenter obediatis. Est omnino politicus ordo testimonium sapientiae, iusticiae, providentiae, et praesentiae Dei inter homines, quod saepe cogitandum est, ut reverentia erga totum ordinem politicum confirmetur. Nec vero quicquam usquam legitur dictum gravius de hac re tota, quam Pauli concio, quae ad Romanos scripta est, in qua haec verba studiose consideranda sunt: Necesse est obedire non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

Expresse affirmat contumaciam non tantum ira magistratuum in praesentia puniri, sed etiam tale scelus esse, quod mentes a Deo avellat. Hoc dicto magis munita est autoritas Magistratuum apud mediocres homines, quam ullis armis aut praesidiis. Quare tribuite Magistratui debita officia, ne Deus offensus vos abiiciat. Haec tota doctrina, Dei beneficio, pie in hac Academia illustrata est.

Cognitis autem fontibus decet vos Deo gratias agere pro hac doctrina, et magistratibus maiori reverentia obedire. Tibi autem novo Rectori rite electo suffragiis senatus Academiae, trado magistratum et signa magistratus, et oro filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, cum sit λόγος, per quem doctrina de Deo patefacta est, ut ipse et doctrinae studia, et hunc coetum docentium et discentium regat, et vere sit Rector et conservator. Deinde ut te gubernet, et faciat, ut tua gubernatio sit fausta et felix, Amen. Anno 1555.

---

No. 31. an. 1555.

In Orationum T. V. p. 8., in Orationibus postremis p. 8. et apud Richardium p. 894.

***Resignatio Magistratus scholastici publice habita a Comite Christophoro Barbiensi, Domino in Mullingen etc.***

Quod faustum et felix sit, electus est Rector Academiae clarissimus vir, nobilitate ac virtute praestans Dominus *Ioachimus a Beust*, utriusque iuris Doctor et Professor. Huius electionem vobis publice renuncio. Multae sunt enim causae, cur talem renunciationem fieri publice deceat. Vos necesse est scire, cui mandetur Magistratus; et utile est, me et senatum Academiae palam profiteri, et studium atque autoritatem ad eum iuvandum et tuendam disciplinam collaturos esse. Praecipimus autem vobis, ut reverenter huic Rectori Academiae nostrae deinceps obtemperetis propter mandatum divinum, quod Paulus Apostolus his verbis recitat: Necesse est obedire, non solum propter iram, id est, propter poenas, sed etiam propter conscientiam. Haec verba infigite intimis sensibus pectorum. Nihil enim dici gravius potest ad sanciendam disciplinam, et muniendum ordinem politicum, quam quod Paulus ait, conscientias a Deo avelli et fieri hostes Dei, si sint contumaces Magistratibus: Quid est autem tristius, quam a Deo avulsum et damnatum esse? Ideo propter Deum flectite animos ad piam obedientiam erga Magistratus. Pro quo officio Deus praemia daturum se promittit in hoc praecepto: Honora patrem et matrem, ut sis longaevus super terram. Deinde mementote scholas esse partem Ecclesiae Dei praecipuam. Ideo sitis modestiores, ne mali mores dedecorent Ecclesiam Dei, et moerorem adferant Spiritui sancto in bonis. Nunc vero tibi novo Rectori hunc scholasticum coetum commendo, et haec Rectoris signa trado. Et cum Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis et resuscitatus, promiserit se semper adfuturum esse Ecclesiae suae invocanti ipsum,

oro, ut ipse huic parti Ecclesiae, scilicet coetui scholastico intersit, et te et nos omnes gubernet, imo ut ipse per sese sit Rector nostrae Academiae perpetuus, sicut vere est pontifex, et caput Ecclesiae suae, et servet studia doctrinae, per quam celebratur Deus, et vera invocatio et officia Deo grata docentur, Amen.

---

No. 32. (an. 1557.?)

In Quaest. ab Ebero edit. p. 153 b. sq. Apographon in cod. Mon. 88. No. IV. p. 17. Eberus hanc orationem ad ann. 1557. retulit, sed non recte, ut videtur.

### *Praefatio Respondentis in Disputatione.*

Nihil est magis secundam naturam hominis, quam de rebus divinis, de natura, de moribus aliquid quaerere, et suas cogitationes cum aliis conferre. Talis erit vita in illa aeternitate, quam prospicere iam animis, atque intueri, quam expectare sine ulla dubitatione, nobisque[1]) polliceri debemus. Convenit igitur bonis ingeniis hanc disputandi consuetudinem dulcissimam esse, tanquam imaginem quandam vitae coelestis, praesertim si considerent etiam, quantas utilitates adferant haec colloquia. Duae maximae res his exercitiis petuntur, Veritas, et modus quaerendae veritatis. Quid autem utraque re praestantius cogitari potest? Etsi enim haec exercitia sunt tyrocinium quoddam, ac simulacra verarum pugnarum, quae postea in Republica suscipiendae erunt, tamen interim res venamur maximas, praeparamus amicos cogitatione[2]) veritatis. Cogitate quam gloriosum fuerit, Alexandrum Magnum vagari cum exercitu per totam Asiam, urbes atque arces expugnantem, domantem hostes, legibus et imperio frenantem receptos populos. Quid ille, pulcherrimo isto ac heroico labore petebat praecipuum? Sibi gloriam quaerebat, et fortasse Graeciae pacem. Vos in hoc tyrocinio rem longe maiorem ac praestantiorem petitis, scilicet veritatem, dimicatis non de gloria vestra, sed de gloria Dei, quaeritis eas res, quae et pacem muniunt, et quae omnibus temporibus belli et pacis necessariae sunt hominibus, denique propter quas viri fortes bella gerunt, et Respublicas constituunt. Nulla enim proponitur disputatio, in qua non ex optimis artibus aliquis locus illustretur. Cicero inquit: Conversus ex tota Graecia factos esse, ad audienda oratorum certamina Athenis, qui etiamsi de arduis negotiis, videlicet de consiliis regendae Reipublicae contendebant, tamen proponebant dilutas disputationes odiis, convitiis, et Sophistica. Quanto magis has disputationes celebrare debemus, in quibus de religione, de natura rerum, de artibus, placide, sine acerbitate animorum, homines docti colloquuntur, et operas ad eruendam veritatem conferunt? Has igitur disputationes amemus, et frequentia, studiis, denique etiam nostra opera adiuvemus. Ego igitur cum iussus essem hoc tempore argumenta disputantium excipere, et, si qua possem, diluere, obtemperavi praeceptoribus, non doctrinae fiducia, sed exempli atque officii causa, et vos rogo, ut veniam mihi detis, si susceptam personam non satis tueri videbor. Exercitii non ostentationis causa producimur. Ideo defugere hanc utilitatem[3]), modestis parum honestum esset.

1) Cod. Mon. addit: *toto pectore.*

2) Cod. Mon. *cognitione.*

3) *utilitatem*] cod. Mon. *recitationem.*

---

No. 33. (an. 1557.?)

In Quaest. ab Ebero editis p. 154 b. sq., ubi haec oratio, nescio an recte, ad ann. 1557. refertur.

### *Oratio Respondentis.*

Narrant in fabulis, cum quispiam de arbore lapsus esset, ac crus fregisset, alium accurrisse, erigendi amici causa. Cumque temeritatem illius, ut fit, reprehendisset, addit se scire artem, qua si quis velit uti, eum nunquam de loco sublimi casurum esse. Quanquam, ait alter, iam serum est monere post factum, tamen quia in posterum usui esse potest, eam artem et mihi impertias. Tum ille: Si, inquit, nunquam eo ascendas, unde delabi cum periculo possis. Ita de hoc nostro munere disputandi quidam sentiunt. Ideo nolunt ascendere in hunc locum, quia nolunt fieri iudicium de suis ingeniis aut studiis, quorum consilium non reprehenderem, si haec certamina instituta essent ostentationis causa, ac non potius ad exercenda ingenia, et ad conservandum morem disputationum maxime utilem.

Itaque etsi iam bis expertus sum, meas vires non esse pares huic muneri, tamen cum mihi praeceptores hanc personam imponerent, detrectare eorum autoritatem nolui. Nec metuo reprehensionem facilitatis, dum videor morem gerere praeceptoribus in re utili publicis studiis. Quare et vos rogo, ne me impudentia potius, quam officii ratione adductum putetis, ut has partes iterum susciperem. Afferimus autem materiam, quae et exercere ingeniosos potest, et Ecclesiae utilis est. Omnes sapientes omnibus aetatibus quaesiverunt causas humanorum malorum: Unde tantum sit calamitatum? Unde tam horrenda flagicia? Qui fiat, ut cum caeterae creaturae omnes sint in officio, et obtemperent suae naturae, soli homines dissentiant a se ipsis? Unde sit haec harmoniae conturbatio? At sola coelestis doctrina ostendit, causam esse vicium originis, et tyrannidem diaboli, cui propter vicium originis, haec misera natura hominum subiecta est. Et vult Deus nos agnoscere hunc morbum, ut confugiamus ad filium, quem nobis donavit, ut serpentem conterat, hoc est, destruat opera diaboli. Et nos in Ecclesia in ea statione collocati sumus, ut puritatem huius doctrinae, tanquam depositum, bona fide conservemus. Quare hae materiae diligenter agitandae sunt, et mens excitanda, ne ut Psyche in fabulis vagabunda quaerit Cupidinem, Ita nos caeci tantum sordidas voluptates quaeramus. Ac recitabo vobis fabulam, in qua eruditi pinxerunt animae imbecillitatem.

Psychen aiunt fuisse formosissimam puellam, Phoebi et Endelechiae filiam, quae habuit sorores quinque, quarum haec nomina fuerunt, ὄψις, ἀκοή, γεῦσις, ὀσμή, ἁφή. Fuit autem vaticinium, hanc nupturam esse pulcherrimo et pessimo adolescenti. Itaque cum Zephyrus eam abduxisset in pratum quoddam amoenissimum, Cupido eam compressit, et paciscitur se noctu rediturum esse, rogat ut in tenebris admittatur, ut latere possit. Id narrat sororibus. Hae hortantur, ut si redeat adolescens, observet, quis sit. Cum igitur noctu redit, et Psyche lychnum habebat ardentem in capsula, dormiente iuvene, promit lychnum, accersit sorores, ut eum conspiciant, videt et tela ac arcus. Cumque sagittas curiose contrectaret, sauciato digito ingenti amore Cupidinis exarsit. Excitatus Cupido, cum se agnosci videret, avolat. Illa sequitur fugientem per ingentes aerumnas. Deplorat uterque suas miserias. Cupido quod missus, ut eam alterius amore incenderet, ipse eam deperire coeperit. Illa quod vagabundum iuvenem raro assequi possit. Haec fabella satis perspicue pingit errantes cupiditates humanae mentis. Quare doctrina et pietate discamus regere animos. Dixi.

---

No. 34. 1. Maii 1557.

In Orationum Tomo V. p. 17 sq., in Orationibus postremis p. 18. et apud Richard. II. p. 596.

*Oratio recitata a Barone* ***Davide*** *ab* ***Ungnad****, Austriaco, cum esset electus in Academiae Rectorem*, d. 1. *Maii* 1557.

Ornatissimi viri, Praeceptores charissimi: Ita praeter spem ista vestra mihi petitio oblata est, ut rei novitate turbatus, vix inveniam, quid respondeam. Virorum gravissimorum et prudentissimorum consilium, improbare aut reprehendere non debeo, quos ut parentes merito veneror. Dissimulare tamen non possum, me considerantem meae aetatis imbecillitatem, et rerum omnium imperitiam, mirari quid vos moverit, ut hoc tempore munus Rectoris puero committeretis, quod quidem quam recte et utiliter fiat, vestrum erit perpendere.

Ego cum adveniens in hanc scholam, eius gubernatoribus obedientiam promiserim, puto mei officii esse, non defugere id, quod a me tanto studio exigitur. Quare etsi me plane ineptum esse ad hanc functionem intelligo, et ad eius declinationem multa vere et iuste praetexere possem: tamen ne superbus aut contumax iudicer: quod faustum sit ac felix, vestrae voluntati obtemperabo, fretus bonitate vestra, mihique certo persuadens, vos, et candido de me iudicio hunc Rectoris titulum et officium ad me detulisse, et in hac gubernatione cum me, tum eum, quem mihi socium huius administrationis adiungetis, vestro consilio, praesentia, opera et autoritate benigne adiuturos esse.

Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore oro, ut per hoc semestre tranquillitatem his regionibus concedat, et hanc scholam, nosque omnes clementer gubernet, protegat et conservet. Dixi.

Prima Maii. Anno 1557.

Nr. 35. 18. Iul. 1557.

In Quaest. ab Ebero editis p. 188 sqq., in Orationum T. V. p. 87., in Oration. postrem. p. 89. et apud Richardium T. II. p. 397.

*Oratio Rectoris Acad.* **Davidis ab Ungnad,** *Baronis in Sonneck et Frauenburg, habita ante legum scholasticarum recitationem, d.* **18.** *Iul.* **1557.**

Decet nos adolescentes nosse et saepe intueri mente adolescentiam Cyri, et exempla primae aetatis nobilissimi Principis, quem Deus optima indole instruxerat, ut ad maximi imperii constitutionem eum praepararet. Sunt enim descripta quaedam illius exempla, ut nobis ad virtutem commonefactiones essent. Saepe autem recitari auditis historiam de Cyri iudicio, propter quod adolescens narrat matri, se plagas accepisse. Id nunc repetam, quia et ipse ea narratione valde delector, et vobis omnibus dulcissimam esse existimo.

Erat, inquit, procerior adolescens, qui brevem tunicam habebat. Is alteri adolescenti breviori, habenti longam vestem, vi hanc detraxit data sua breviore, conveniente ad modum corporis illius. Defert autem ad Cyrum iudicem in agmine puerili hanc causam, is, cui longior tunica erepta erat. Hic pronunciat Cyrus iustum esse quenque tenere vestem suo corpori congruentem. Movetur enim commoditate, quam in usu vestium fore cogitabat. Postea cum Magistro iudicium, et causam sententiae, ut mos erat, exponeret, reiecta hac sententia inquit Magister, Lege iudicandum esse, non ex commoditate, quam quisque privatim cogitet, *τὸ νόμιμον δίκαιον εἶναι,* ac Cyro plagas dat, ut discant et ipse et caeteri, legem debere iudicii normam esse, non privatas imaginationes.

Haec narratio, quia de exercitiis puerilibus loqui videtur, dulcior est nostrae aetati. Sed reipsa commonefactio est de legum autoritate, quam sapiens vetustas maximam esse voluit. Ac Ethnicos quidem ratio et utilitas moverunt, ut vitam et mores hominum legibus regi vellent, non privatis opinionibus aut cupiditatibus. Qualis enim confusio in vita esset, si suas opiniones aut cupiditates singuli potentes sequerentur, nec essent freni cupiditatum honestae leges?

Nos moveant non tantum ratio et utilitas, sed multo magis Deus ipse. Quantum bonum est, quod Deus hanc suam sapientiam, scilicet leges, nobis patefecit, quae testantur esse Deum, et docent qualis sit? Vult Deus homines iis legibus regi et frenari, quas sua voce tradidit, non tantum ut inter nos pax sit, sed primum ut commonefacti hac ipsa sapientia, agnoscamus esse Deum conditorem, et cogitemus qualis sit, videlicet sapiens, verax, bonus, beneficus, iustus, castus, misericors, vindex scelerum. Et ne hanc legem putemus esse fabulam, hominum astutia excogitatam, ipse Deus custos et executor suae vocis adest generi humano, rapit ad poenas omnes sceleratos, etiam cum Magistratuum et iudiciorum autoritas eluditur, sicut scriptum est: *Qui gladium acceperit, gladio peribit. Omnis anima polluta incestis libidinibus, evometur ex terra.* Hae non sunt inanes minae, sed exempla poenarum omnibus aetatibus conspiciuntur. Vult igitur Deus lege nos doceri, genus humanum non casu natum esse, et Deum revera adesse hominum societati, et scelerum vindicem esse. Deinde vult eam prodesse nobis ad communem pacem.

Haec consilia Dei considerentur, ac non solum timeamus, sed etiam amemus et veneremur leges, et totum politicum ordinem.

Rursus vero non solum picturas Cyclopum et Centaurorum intueamur, quibus significati sunt populi legum inimici: sed etiam execremur Antinomos nostri temporis, qui legum et disciplinae contemptum in Ecclesiam adferunt. Scripsit nuper quidam Antronius, summam artem Christianorum esse, nescire legem. Rectius erat dicere: Summam Cyclopum artem esse, nescire legem. Qualis furor est, de sapientia Dei, quam semper Deus immensa bonitate in Ecclesia conspici ac intelligi voluit, dicere: Summam artem esse, hanc nescire? Ideo ne Deus in rupe Sinai inter tanta miracula, in coetu sexcentorum millium virorum, terribili voce legem edidit in manu mediatoris, ut nunc impudentissimus tribunus plebis eam deleat, et iubeat nescire legem?

Sed dices, hanc hyperbolen posse mitigari bella interpretatione.

Si alia est sententia, cur impropria et ambigua spargis in populum, cui haec dicuntur, non ut quaeratur interpretatio, sed ut furentibus blandiaris, et frenos cupiditatum laxes, et plausus captes, et tibi dominationem et tyrannidem in

vulgo quaeras? Non obscurum est, quo isti tribunicii clamores spectent. Vetera haec artificia sunt:

Sparges voces
In vulgum ambiguas, odiisque accendere flammas.

Longe verius dicitur: In sola Ecclesia Dei recte intelligi et magnifieri legem.

Vos igitur cum cives sitis Ecclesiae, discite et amate legem divinitus traditam.

Mementote etiam ea, quae saepe auditis, quomodo disciplina et inchoata obedientia Deo placeant. Cogitate discrimen Evangelii et politici ordinis, et nervum illum vobis proponite: Necesse est obedire, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo leges de disciplina et de tranquillitate vestra honestissime conditas, attente audite.

Lege statuta.

*Post recitationem legum.*

His legibus, quae iam lectae sunt, ut obtemperetis, praecipimus ea authoritate, quam scitis divinitus attributam esse legibus. Aliae sunt ipsa vox Decalogi, quarum Deus immediate author est: Aliae sunt additae optimo consilio piorum principum. Praecipit autem Deus utrisque obedire, et vindex est petulantiae et contumaciae in utroque legum gradu. Ut igitur obtemperetis, moveamini primum cogitatione sapientiae et voluntatis Dei, qui est fons et defensor iusticiae: Deinde communi tranquillitate, quam propter conservationem societatis humanae tueri debemus: Tertio propria utilitate. Est enim immota veritas divinitus tradita: Non erit bene impio. Parcite etiam Ecclesiae, cui cum necessaria sit doctrina, scholae conservandae sunt. Ac debebat post gradum Ministrorum Evangelii, agmen scholasticum flos et decus esse Ecclesiae. Et est flos praecipuus, pii senes Doctores, et pii adolescentes, quales multos in hoc nostro coetu esse non dubito. Ac utinam non essent admixti alii efferi, qui Cyclopica immanitate Deum, leges, Ecclesiam, honestam societatem, et omnia virtutum officia contemnunt. Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, cucifixum pro nobis et resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐδιον ἀϊδίου πατρὸς, sedentem ad dexteram aeterni patris, ut det dona hominibus, ut semper Ecclesiam sibi in his regionibus colligat, et gubernet ac protegat hanc Academiam, et in ea vos adolescentes Deum recte invocantes, ut semper sit haec Academia talis coetus, in quo regnet et vere adsit filius Dei, sicut scriptum est: Ubicunque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Pia schola sine ulla dubitatione est templum Dei, et congruit ad dictum: Domus mea, domus orationis vocabitur. Vos quoque pii adolescentes quotidianis votis petite, ut Deus vos et totam Ecclesiam gubernet, etiamsi multi admixti sunt, quorum voluntates non sunt piae, tamen Deus exaudiet piorum gemitus, et eos servabit, et ut nos servet et gubernet, propter Filii sui gloriam, toto eum pectore oro. Dixi.

---

No. 36. - an. 1557.

In Quaest. ab Ebero editis p. 186. Item Orat. postr. p. 44. et in Orationum T. V. p. 42., apud Richard. T. II. p. 529. Etiam in Sel. Declam. T. III. p. 703 sqq., ubi inscribitur: „Quomodo intelligentem sit, quod homo ad imaginem Dei conditus sit." — Sed est oratio Rectoris ante praelectionem legum academicarum habita.

### (*Oratio Rectoris Acad. ante legum praelectionem.*)

Quo saepius et quo plura de legibus, deque humanae vitae gubernatione cogito, et causas tum in doctrina coelesti, tum in Philosophia traditas, ipse mecum reputo, qui fiat, ut maxima pars hominum caeca, et variis ardens cupiditatibus, nec legum voce, nec atrocissimorum suppliciorum metu coherceri possit: eo difficilius mihi est de legibus dicere. Deplorare magis communem generis humani imbecillitatem velim, quam multa de bonitate legum disserere inter adolescentes, quorum aetas nondum intelligere, et amare has res divinas, noticiam Dei et iusticiae, et ordinem vitae a Deo impressum mentibus humanis, qui est effigies et imago mentis divinae, potest. Immo iuventus non secus ac carcerem leges odit, quas existimat esse tristia et iniqua vincula naturae ad voluptatem conditae.

Nec solum prima aetas luxurians adhuc genuino succo, et ignara humanarum miseriarum, et incauta, inimica est legibus: sed etiam maxima pars grandiorum, prospiciens poenas contemptarum legum, sciens tamen indulget exitiosis cupiditatibus. Paris, Aegisthus, Sextus Tarquinius, Pausanias, Alcibiades, Marius, Catilina, et alii innumerabiles, dum libidini, ambitioni, cupidi-

tati vindictae morem gerunt, scientes accersunt sibi et aliis tristissimas calamitates, si metu poenarum et ingentium miseriarum, quae certo comitantur delicta, non frenantur animi, quid legum voce et laudatione proficere possumus?

Nec nova est haec quaerela: semper homines sapientes doluerunt, vinci leges hominum petulantia et furoribus.

Sed in hoc dolore consolemur nos mandato Dei. Etiamsi multi nec audiunt, nec intelligunt, nec metuunt leges, tamen earum voce extare Deus inter homines voluit. Ideo et ab initio generis humani tradidit eas, et imperia constituit, ut leges, iudicia, poenas, disciplinam tueretur.

Obtemperemus igitur Deo, et legum vocem et libros in populis circumferamus, nec deterreamur hominum contumacia, sed sciamus nostros labores alicui parti hominum prodesse.

Audierant vocem Dei sonantem ex monte Sina, sexcenta millia virorum, quae etsi magnae parti eius multitudinis nihil profuit, tamen et tunc aliquorum mentes rexit, et reget semper aliquos ad omnem aeternitatem.

Nec frangamur animis, ut omnia doctrinae et legum studia abiiciamus: quia nulla sunt firma et perpetua imperia, nullae perpetuae sedes doctrinae. Olim in Aegypto, et Phoenicia, postea in Asia et in Graecia fuerunt politiae florentes, quae fuerunt literarum et legum scholae. Nunc ibi homines barbari sine iure, velut Cyclopes vagantur. Et metuendae sunt similes vastationes in aliis gentibus. Etsi angi hoc metu sanos homines decet: tamen hac nos consolatione divinitus proposita, sustentemus.

In hac fragilitate hominum, et brevitate vitae, res ipsa ostendit, humanis viribus non posse retineri eundem imperiorum statum. Alexander magna virtute inchoavit novam imperii formam: sed eo extincto, qualis secuta est dilaceratio totius orbis terrarum, quam diuturna bella, quae leges et disciplinam in omnibus gentibus atrociter labefactarunt?

Tales sunt subinde fatales poenae, et mutationes orbis terrarum, lugendae quidem: sed tamen inter has confusiones sciamus Deum servare Ecclesiam suam, et aliquas politias iure et legibus constitutas, ut sint hospitia Ecclesiae Dei, literarum et doctrinae. Erunt ergo aliquae Respub. ubi legum vocem audient, discent, sonabunt, colent aliqui, non pauci: etsi maior semper et fuit, et est, et erit Cyclopum multitudo, qui leges contemnent.

Utrunque igitur modesti homines, praesertim in schola, cogitent: videlicet, Dei mandatum esse, ut legum vocem custodiamus, discamus, doceamus, proferamus in privatis et publicis consiliis. Et Deum semper aliquas politias servaturum esse, quae doctrinae domicilia erunt.

Nos igitur bona cum spe nostrum officium faciamus, nec legum studia abiiciamus: etiamsi superbe aut furenter eas contemnunt, non solum Turci, sed etiam alii Tyranni, et vulgi pars maxima toto orbe terrarum.

Haec praefatus sum ad confirmandos animos aliquorum, qui levius sentiunt de legibus, propterea quod non satis frenare hominum audaciam possunt, aut mutatis imperiis alicubi deleantur. Etsi haec ita fiunt, tamen sciamus leges Dei vocem esse, nec prorsus deleri posse: etiamsi diabolus, qui est autor disputationum, subinde homines furiosos impellit, ut sicut Gigantes aggestis montibus, coelum ferro perfodere conati sunt, ita ipsi grassentur adversus Deum ac leges.

Postquam haec praefatus sum ad omnes, nunc alloquar tantum studiosos et modestos, et petam ab eis officium, et Deo debitum, et ipsis salutare.

Propter Deum vos studiosi et modesti auditores oro et obtestor, ut cum homo ad imaginem Dei conditus sit, cogitetis, quanto bono ornatus sit homo, et quid sit illa imago: et quantum malum, quanta miseria sit imaginem illam vel corrumpere, vel delere.

De hac imagine, quia fons est legum nostrarum, et iuris, pauca adiiciam.

Utrunque voluit Deus, cum suam imaginem in hominem transfudit, videlicet, ut homo agnosceret archetypum, et se archetypo subiectum esse sciret. Ac ut agnosceretur Deus, lumen humanis mentibus insitum est, in quo, ut in speculo, nostra corpora, sic Deus aliquo modo cernitur, quid sit, qualis sit eius voluntas, et quod congruere nostram voluntatem ad hunc archetypum oporteat.

Cogitate quaeso quantae hae res sint. Deus vult nostras mentes tanquam specula esse, in quibus conspiciatur: vult nos tanquam libros esse, in quibus suam sapientiam, digitis suis scripsit:

docuit nos quid sit Deus, videlicet, mens aeterna et immensa: et qualis sit, videlicet sapiens, verax, amans castitatem, et iustitiam, id est, aequalitatem, tribuens aequalia aequalibus, sine acceptione personarum, bona bonis, mala malis, liberrime agens: benefica, paterna στοργῇ complectens humilia, diligens homines ut conditor, praesertim illud opus diligit, quod voluit esse suam effigiem: et flagitans, ut nostra mens et voluntas congruant cum sua mente et voluntate.

Hanc admirandam sapientiam legimus ac discimus in ipsa consideratione humanae mentis. Nec ulla hominum aut angelorum eloquentia tanta est, quae satis dicere possit, quantum sit hoc decus, quod Deus hoc tanto munere, et tanta luce, similitudine, et societate suae mentis nos ornavit.

Sed proh dolor, non aspicimus hanc imaginem: nec contemnimus tantum, sed etiam obruimus coeno et stercoribus.

Fulget in mente noticia insita a Deo, quod sit Deus, recte facientes adprobans et defendens, econtra vero sceleratos puniens.

At Epicurei pugnantes cum hac ipsa luce, furenter disputant, nullam esse providentiam. Lux divina docet, non esse rapiendam alterius coniugem: sed Paris, Aegisthus, et alii multi rapiunt.

Docet eadem lux divina, non movenda esse bella civilia rapiendae dominationis causa, sine ordine legum: et Deum velle, ut legitimos Magistratus veneremur: simus pacis custodes, non inflati adpetamus sublimes gradus sine vocatione, sed amemus humilia. At Marius, Catilina, Antonius, Borgias, et alii innumerabiles elati ambitione, bella ipsis et multis gentibus exitialia moverunt.

Ita conculcatur imago Dei a maxima parte hominum. Sed studiosi et modesti, sese ipsi aspiciant: ac admoniti hac Dei imagine, Deum quaerant, et considerent vere diligi humanum genus a Deo conditore, et amante, ac fovente humilia, ac vicissim a nobis postulari, ut nostra vita ad hanc imaginem congruat. Deinde et illud reputent, hanc legum doctrinam, quas profitemur, ex hac imagine Dei descriptam esse, et nostros libros enarrationem esse divinae imaginis.

Quod qui agnoscent, ut res est, venerari leges tanquam sapientiae Dei aeternae rivulum, incipient.

Est igitur fons iuris nostri, ut dixi, imago illa Dei. Sed accedere oportet sapientum gubernatorum consilium, qui Deo mentes eorum gubernante, sagaciter illam in natura hominis lucem cernunt. Id quoque Dei opus est, mentes gubernatorum regere, ut vera et iusta deprehendant, sicut Salomon inquit: Divinant labia regis, id est, Deo gubernante, cernunt et eligunt vera et iusta.

Itaque leges imperiorum congruentes cum imagine Dei, insita humanis mentibus, revera sunt sententiae divinae, et explicatio legis Dei.

Quod cum verissimum sit, excitemus animos nostros ad amorem et reverentiam legum: Simus grati Deo, quod nobis hanc lucem dedit, et eam tueri studeamus.

Furor est inenarrabilis *), contemnere sapientiam Dei: et perniciosus furor est, quia certissimae poenae hanc amentiam comitantur. Ac diabolus confirmat hunc furorem in multis, ut leges audacissime contemnant. Sed studiosi et modesti, causas considerent, unde sit haec contumacia, eamque odisse discant, et Deum autorem generis humani quaerant, et leges agnoscant Dei sapientiam esse.

Nulla est autem eloquentia tanta, quae possit satis digne praedicare Dei sapientiam. Quare pie veneremur eam, et nos ei subiiciamus, nec stulte et arroganter putemus nos plus sapere, quam Deum.

Haec cum sint verissima, toto pectore opto, ut ab omnibus sanis hominibus, saepe multumque considerentur.

Cum nihil fragilius et imbecillius sit homine, praesertim destituto defensione divina: qualis amentia est, quod Dei sapientiam aspernari audet? Et quidem exempla quotidiana ostendunt, legum contemptum atrocibus suppliciis puniri.

Haec in praesentia ad commonefaciendos studiosos et modestos breviter dixi, quae scio saepe in hac schola repeti. Sed ideo scholae divinitus institutae sunt, ut Dei dona celebrent, quorum amplitudini nulla humana eloquentia satisfacere potest. Sed tamen quantum a nobis fieri potest,

---

*) *Furor est inenarrabilis* et quae sequuntur, in Quaest. et in Tomo V. Declam. non leguntur, sed finitur oratio his verbis: „Haec in praesentia ad commonefaciendos studiosos et modestos breviter dixi, quae scio saepe in hac schola repeti. Deum oro, ut ipse nos adiuvet ac regat, ut vita nostra congruat ad legem, quae est sapientia Dei, et omnes actiones nostrae nobis et toti generi humano sint salutares."

commonefaciendi sunt homines, ut modeste et reverenter de Deo, et de Dei muneribus sentiant et loquantur.

Scio multa contra leges, iudicia, imperia astute et plausibiliter dicta esse a Platone, Diogene, et aliis, qui vitia imperiorum colligunt, quae deploranda sunt, non confirmanda.

Scimus, et valde dolemus, magnas esse vitae confusiones. Sed ob hanc causam Deus leges et dedit, et tuetur, ne atrociores fiant morum confusiones. Imo Deus non solum leges dedit, sed nobis in Ecclesia etiam adiunxit filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, pro nobis crucifixum ac resuscitatum, ut invocantes adiuvet, et mores nostros regat, ac depellat diabolum, qui confusiones et miserias humani generis, odio Dei, augere conatur.

Quare et leges audiamus, et petamus nos a Domino nostro Iesu Christo iuvari et regi, ut vita nostra congruat ad legem, quae est sapientia Dei: et omnes actiones nostrae, nobis et toti generi humano sint salutares. Dixi.

---

**No. 37.** **28. Iul. 1557.**

In Orationum a *Maio* editor. T. V. p. 48. et in Orationibus postrem. p. 51.

***Oratio Rectoris Acad. Davidis ab Ungnad, qua, cum propter parentis obitum domum revocatus esset, valedixit, atque Magistratum scholasticum simul resignavit d. 28. Iul.***

Clarissimi Viri, eruditione et virtute praestantes, Praeceptores carissimi. Scio vos hortari adolescentiam, ut Cyri historiam a Xenophonte scriptam, saepe multumque legamus, quam quidem narrat Cicero, Scipionem semper in manibus habuisse. In ea historia legimus, disciplina Persica in iudiciis accusatos et punitos esse ingratos, et expresse dicitur: *Ingratitudinem esse maximam ductricem ad omnia turpia. Μεγίστην ἡγεμόνα ἐπὶ πάντα τὰ αἰσχρά.*

Cohorresco legens tantam vituperationem, ac Deum toto pectore oro, ut meum animum, linguam et voluntatem flectat ad veram et perpetuam gratitudinem erga ipsum, et erga Dominum nostrum Iesum Christum, et erga homines bene meritos.

Ac nunc coram vobis testibus, celebro Deum aeternum, patrem Domini nostri Iesu Christi pro hoc ingenti beneficio, quod me ad agnitionem Filii vocavit, et quidem quod in hac vestra Ecclesia mihi semina necessariae doctrinae praebuit, quae hic maiore perspicuitate proponitur, quam alibi. Deinde profiteor me vobis gratitudinem et omnia gratitudinis officia debere, pro vestro labore, et pro singulari erga me benevolentia, quam cum aliis rebus, tum vero etiam hoc honorifico de me iudicio vestro declarastis, cum me fungi magistratu voluistis. Pro his omnibus beneficiis promitto me gratum fore in tota vita mea et in tota aeternitate. Quanquam autem non est officiosum, si nulla gravis causa sit, discedere ex Academia gerentes magistratuum, antequam legitimo tempore deponendus est: tamen vobis tristissima causa nota est, quae me domum revocat, quod orbati carissimo Patre de domesticis negociis nos fratres deliberare cogimur.

Excrucior itaque multiplici dolore, quod immatura morte Pater a nobis avulsus est, quod studia doctrinarum, in quae bona cum spe ingressus sum, interrumpuntur, et domesticis difficultatibus conflictamur. Oro igitur, ut mihi benigne concedatis, ut et nunc deponam Magistratum, si ad iustum tempus adesse non possem, et domum redeam. Id ut publice peterem, iam vos ad prandium vocavi, quod volo in hoc meo discessu simul esse foedus mutuae benevolentiae inter nos. Vosque oro, ut benevolentiam erga me vestram non sinatis extingui.

Ego vicissim et Academiae, et vobis perpetuam gratitudinem promitto, et Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐδιον ἀϊδίου πατρὸς oro, ut nos omnes gubernet et protegat, et regat labores docentium. Sicut inquit: *Ego sum vitis, vos palmites. Sine me nihil potestis facere.* Hunc Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oro, ut semper nos sibi palmites faciat, et semper inter nos sibi aeternam Ecclesiam colligat. Dixi. Die 28. Iulii.

No. 38. m. Aug. 1557.

In Sel. Declam. T. IV. p. 797 sqq. Servest. T. IV. p. 725.

*Petitio ad Decanum nomine Candidatorum, recitata a Clariss. viro M. Casp. Peucero.*

Doctissime Domine Decane, et Procancellarie dignissime, Historica tua de *Erasmo* narratio redegit mihi in memoriam festivum quoddam eius scomma, quo argute et salse exagitat imposturas Monachorum contumeliosas in filium Dei, et notat rabiem eorundem ac crudelitatem pene diabolicam, quam in oppressa Ecclesia diu exercuerunt. Coniecerant Franciscani in vincula quendam sui ordinis Monachum, quod notiores quosdam et crassiores abusus ad vulgus perstringendo convellere niteretur, et proderet praestigias ipsorum, quibus miro artificio novatis subinde ac cumulatis, usurpatam semel in Ecclesia tyrannidem auxerunt et stabilierunt. Eum cum diuturno fatigatum ac fractum carcere, et cruciatibus tormentorum saepe frustra pertentatum, tandem ad supplicium ducerent, et exclamaret ille sese commendans filio Dei, O Iesu miserere mei, subiicit *Erasmus*, haec recitans, Frustra miser circumactu oculorum solicito, et lamentabili gemitu vocis, et anxiis suspiriis cordis requirebat Iesum, qui inter Fratres nullus erat. Fuerunt sine Christo Monachi multis saeculis, quem a templis tam procul pepulerant suis, ut pene oblivio deleverit nomen Iesu, corruperunt, imo obruerunt atque extinxerunt doctrinam de beneficiis et meritis filii Dei, de iustificatione hominis coram Deo, de fide iustificante, de firmis consolationibus in veris doloribus. Invocationem, quae debet ad Deum esse directa, mentione et fiducia unici Mediatoris Domini nostri Iesu Christi, hoc excluso et propositis intercessoribus aliis, deleverunt prorsus, converteruntque animos hominum ad cultus sanctorum, et statuarum adorationes, quarum aliis alia finxerunt adesse numina furore Ethnico. Doctrinam de poenitentia labyrinthis confusissimarum et intricatissimarum disputationum involverunt.

Taceo tetras Idolatrias alias, et flagitia ac scelera ipsorum, quae impudentia et malitia prorsus diabolica, meritis filii Dei anteposuerunt.

Agamus autem gratias Deo, quod ex hac nos Monachorum tyrannide eripuit, atque ex fascino superstitionum et opinionum falsarum laqueis explicatos, reduxit ad lucem doctrinae purioris, et agnitionem veram τοῦ μεσίτου καὶ ἱκέτου Iesu Christi. Ac precemur ardentibus votis Deum, ut hanc doctrinae puritatem conservet, nec opprimi nos sinat nova et fortasse tristiore tyrannide ab Hypocritis, qui cucullatos sequuti non claustris monasteriorum cohercentur, sed vagantur libere, et passim regnant ac dominantur, et ut rapiant tyannidem, tum religionem ad affectus inflectunt eorum, quibus assentantur, tum suo quisque loco quantum potest πράττει, βουλεύει, καὶ τῇ γλώττῃ πολεμίζει.

Praestemus ipsi etiam vigilanti studio, quantum in nobis est, ut luceat explicata veritas in scholis et Ecclesia, nec quae sparguntur novarum corruptelarum semina misceantur. Ad haec cavenda instituta sunt examina in scholis publicis, quibus excitatur et acuitur cura recte et integre discendi doctrinas in iuvenibus, et explorantur profectus eorum, ac sententiae de omnibus, vel praecipuis saltem doctrinarum partibus, quibus docendi munera in scholis vel Ecclesia, cum testimonio studiorum ac morum publico, commendanda sunt, ne vel ornentur testimoniis publicis vel admittantur ad gubernacula Ecclesiarum non auditi antea et probati. Quod quam sit periculosum, non raro experta est Ecclesia, cum sine vocatione vagati Errones turbarunt doctrinae consensum.

Cum itaque et hos triginta quinque honestos ac doctos viros, Collegium nostrum privatim et publice auditos, iudicarit dignos, quibus decernerentur et conferrentur insignia Magisterii Philosophici, et confidamus usui eos atque ornamento fore Ecclesiae et Reipublicae, tibi eos offero ac commendo, et peto nostro et ipsorum nomine, ut autoritate publica, qua fungeris, tribuas eis facultatem suscipiendi gradum in Philosophia, et hac concessa, Magistros eos verae ac sobriae Philosophiae, crees ac renuncies. Id beneficium tuum et nobis gratum erit, et ipsos tibi candidatos in perpetuum devinciet.

Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, conditorem et custodem Ecclesiae suae, ut et nos clementer regat, servet ac tueatur in gremio matris Ecclesiae, inque ea verae doctrinae pabulo, nos alat ac foveat perpetuo, et horum candidatorum studia ac totum vitae cursum foeliciter gubernet, et faciat eos vasa misericordiae. Dixi.

**No. 39.** **18. Oct. 1558.**

In Orationum T. V. p. 68 sqq., in Orationibus postremis p. 72. et apud Richard. T. II. p. 402.

***Oratio Adolphi, Comitis a Nassau, in Catten-Elnbogen, Vianden et Dietz etc. Rectoris Academiae, cum deposuit Magistratum scholasticum publice 18. Octobris.***

Doctissimi viri et Praeceptores venerandi, Honestum et Deo gratum est, venerari ac tueri politicum ordinem, et iustis legibus obtemperare. Cum igitur in hac Academia leges bono consilio quolibet semestri transferant labores in alios, ego iam volens depono Magistratum, quem mihi singulari benevolentia Calendis Maii mandastis, et vobis gratiam habeo pro iudicio de me vestro, et pro hac benevolentiae significatione, et vicissim gratitudinem animi vobis praestabo, et ubi potero huic Academiae prodesse, quam ego quidem utiliter servire Ecclesiae Dei et studiis existimo, non deerit ei mea commendatio. Scio etiam illustrem Dominum, patrem meum charissimum de hac Academia bene sentire, et eam libenter ornare suo testimonio, quod scitis apud bonos viros plurimum autoritatis habere. Gratias autem ago filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis, et resuscitato, colligenti aeternam Ecclesiam voce Evangelii, quod hactenus et has Ecclesias, et hanc Academiam servavit, et eum oro, ut deinceps nos omnes protegat et gubernet. Nunc Deo iuvante ad electionem Rectoris procedite, qui magistratu fungatur sequente semestri, quae electio ut sit fausta et felix, faciat Filius Dei, sedens ad dextram aeterni Patris, dans dona hominibus. Dixi.

***Resignatio publica eiusdem.***

Doctissimi viri, et caeteri huius Academiae Magistri et Scholastici, bono consilio institutum est, ut labores Magistratus in Academia quolibet semestri transferantur in alios, et ut publice exponatur, quis sit electus Rector, quia nosse vos Magistratum oportet, et scire consensu Senatus ei gubernationem mandatam esse. Expono igitur vobis, consentientibus suffragiis electum esse Rectorem Academiae, qui proximo semestri hoc magistratu fungatur, Illustrem virum *Henricum Baronem* in *Starhemberg*, et ei adiunctum esse Vicerectorem virum doctissimum *Vitum Winshemium*, Doctorem artis Medicae. Ac simul tibi illustris Baro Magistratum et signa Magistratus trado.

Scitis autem Deum immensa bonitate instituisse et tueri politicum ordinem, qui testimonium est de Deo, et de praesentia Dei in genere humano. Ac notum est vobis praeceptum: *Obedite non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Nullis praesidiis, nullis armis magis muniri potest ordo politicus, quam hac voce divinitus tradita. Quare hi, qui Deum timent, vere ament et vera reverentia tueri ordinem divinum studeant. Cogitent etiam, Deum vindicem esse contumaciae, et contumaciam horribile vulnus esse conscientiae, ac vere irasci Deum petulanter violantibus honestas leges.

Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut faciat, ut huius Rectoris gubernatio sit fausta et felix, et ut ipse sit Academiae Rector, et nos omnes gubernet, sicut utrunque monet vox divina, sine auxilio Dei non esse felicem cursum hominum, sicut inquit Filius Dei: Sine me nihil potestis facere. Et vere Deum opitulari invocantibus eum, sicut inquit: Petite, et accipietis. Item: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Dixi. die 18. Octobris. Anno 1558.

---

**No. 40.** **18. Oct. 1558.**

In Oration. T. V. p. 71 sq., in Orat. postremis p. 74. et apud Richard. T. II. p. 404.

***Oratio Rectoris, Henrici Baronis a Starhemberg, cum ei Magistratus scholasticus deferretur.***

Magnifice Domine Rector, Comes generose, et mihi semper colende, clarissimi et ornatissimi viri, Praeceptores reverendi atque charissimi. Quod a me petitis, ut Rectoris in hac celebri Academia munus in hoc semestre suscipiam, agnosco vestram erga me benevolentiam, et pro hoc vestro de me iudicio gratitudo mea vicissim erga vos omnes ac singulos, totamque hanc scholam constabit. Sed cum modestiae et verecundiae leges me doceant, quam impar sim huic officio sustinendo, non mirum est, quod iam perturbor, ac dubito sane quid respondeam. Neque enim consilium vestrum reprehendere me aut improbare

decet: et tamen mea imbecillitas, et rerum imperitia mihi non ignota est. Cum primum huc veni, promisi me huius Academiae gubernatoribus obedientem fore. Quare autoritatem vestram non facile defugere possum.

Etsi igitur me minime idoneum ad hanc functionem esse intelligo, et ob eam causam merito illam detrectare possim, tamen ne vobis minus obediens, aut contumax esse videar, quod Deo ac Redemptore nostro Iesu Christo duce et auspice felix faustumque sit, vestrae voluntati obtemperabo, fretus benevolentia vestra, mihique certo persuadens, vos et candido de me iudicio hunc Rectoris titulum atque officium ad me detulisse, et in hac gubernatione, tum me, tum eum, quem mihi adiuncturi estis, vestro consilio, praesentia, opera et autoritate benigne adiuturos esse.

Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore oro, ut per hoc semestre tranquillitatem his regionibus concedat, et hanc Scholam nosque omnes clementer gubernet, protegat et conservet. Dixi.

---

No. 41. 17. Sept. 1559.

In Orationum T. V. p. 144 sqq., in Orationibus postrem. p. 153. et apud Richard. T. II. p. 405.

### *Oratio a Christophoro Burggravio a Dhon, Barone etc. Academiae Rectore, habita ante legum scholasticarum praelectionem 17. Septb.*

Cum velit Deus coetus esse docentium et discentium, quia voce divina, et non aliter aeterna Ecclesia Deo colligitur, amemus et ipsa doctrinae studia, et haec agmina sciamus habere ducem filium Dei λόγου aeterni patris, et honestis legibus, ac disciplina consociata esse oportere, et eorum coniunctionem omnibus officiis tuendam esse. Ideo vobis leges recitantur, quarum praecipuae sunt ipsa vox Decalogi, et sunt additae quaedam de executione, quam Deus magistratibus mandavit. Scitis enim deberi obedientiam primum Deo, deinde magistratui, quam ut praestetis movere vos debet autoritas divina, quae de Decalogo inquit: In praeceptis meis ambulate. Et de legitimis magistratibus ait: Necesse est, obedire, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Haec dicta sint vobis normae vitae, et cogitate homines non conditos esse, ut pecudum more vagentur sine legibus, et sine cupiditatum frenis, sed Deo vivere, et debere Deo conformes esse, cum sint imagines eius, et velit ab eis agnosci, ut sese eis communicare possit, eos gubernare, et spargere in eos suae lucis, sapientiae, et iusticiae radios. Deinde et hoc cogitate, Academias non debere Gigantum, aut Cyclopum exercitum esse, aut Circes stabulum, sed Dei templum, in quo et habitet Deus, et assidui sint casti Angeli tegentes infirma corpora vestra. Ac manifestum est, multorum in hac Academia aetatem talem esse, quae vere est domicilium Dei, et a castis Angelis custoditur, sicut scriptum est: Angeli eorum in coelis semper vident faciem patris. Horum teneris mentibus profecto necesse est inserere veras sententias de Deo, de legibus Dei, de magistratibus, de disciplina. Horum animi praemuniendi sunt contra mala exempla, et perniciosas opiniones. Ideo assidue repetuntur in congressibus nostris commonefactiones, cum de caeteris rebus cognitione dignis, tum vero et de obedientia Deo, et magistratibus debita. Grandiores etiam obtestor, ut et ipsi velint esse domicilium Dei, et cogitent quam miserum et horrendum sit manere hostem Dei, aspernari sanguinem filii Dei, esse organum diabolorum, qui impios in multa scelera, et in tristissimas corporum, et animarum poenas praecipitant; omnes igitur vocem Dei audiamus, qui inquit: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, et ardentibus votis a Deo petamus, ut propter filium nos clementer recipiat, et Spiritu suo sancto, casto et veraci gubernet. Misera hominum natura facile aberrat a recto sua infirmitate. Et verissimum est illud Simonideum. Non facile est nasci τετράγωνον, id est, perfectum. Sed tamen in teneris animis multum in utranque partem doctrina valet. Dulce est libertatis nomen, et verum est illud Lucani: Libertatis amor totum cur decipis orbem? quod rectius sic diceretur: Libertatis amor stultum cur decipis orbem? Avide igitur accipiuntur illae tribunitiae conciones, quae libertatem amplificant, et frenos cupiditatibus laxant, qualis haec est concio Cynicorum potius quam Christianorum, quae vociferatur hanc propositionem falsam esse: Bona opera sunt necessaria. Mirabitur posteritas fuisse seculum tam furiosum, in quo talis insania applausores habuerit. Sed videte impudentiam, ut stabiliant hoc tetrum mendacium, assuunt manifeste depravata Pauli dicta,

quorum nativam sententiam omnes nosse utilissimum est, non solum, ut horum praestigiatorum iudicare possint imposturas, sed etiam quia alioqui gravissimam doctrinam in iis dictis Paulus tradidit. Alterum citatur ex posteriore Epistola ad Corinthios scripta: *οὐ κατα ἐπιταγὴν λέγω.* Ibi Paulus de modo Eleemosynarum concionatur. Et universam Ecclesiam praemunit contra Anabaptisticos furores, de Platonica communicatione. Non impero ut facultates in commune conferatis, nec praecipio quantum quisque conferre debeat, ut principes in tributis modum praecipiunt. Non talia sunt imperia Apostoli, aut pastoris in Ecclesia. Sed suum quisque teneat, et suo arbitrio modum Eleemosynae constituat. Haec est nativa sententia Pauli, in qua videtis discerni non praecepta a praeceptis. Nec valet haec consequentia, a non praeceptis ad praecepta. Nam de praeceptis dicitur ad Titum: Haec dicito cum omni imperio, *μετὰ πάσης ἐπιταγῆς.* De praecepto: Non moechaberis, nequaquam diceret Paulus: *οὐ κατὰ ἐπιταγὴν λέγω.* Alterum citatur ex Epistola ad Philemonem, ubi Paulus ait se noluisse retinere servum fugitivum sine domini consensu. Nolui inquit tibi invito adimere servum. Sed retinuissem, si tua voluntas accessisset. Hic de voluntate in contractu inter partes loquitur, ut si de conducendo equo ageretur, utar tuo equo, si mihi volens utendum dabis.

Hic de forma contractus loquitur inter partes, non de obligatione, qua Deo debemus obedientiam in praeceptis. Et quidem rursus docet nos de distinctione dominiorum, non vult praetextu religionis servum eripi domino nolenti. Vult in contractibus servari legum vocem. Prohibet quidquam eripi dominis invitis, seu furto, seu aliis modis, qui cum legibus pugnant. Hanc doctrinam vitae utilem isti scurrae in alienissimam sententiam transformant. Haec eo commemoro, ut et Sophisticam consideretis, et magis ametis studia doctrinae, quod cum facietis, videbitis quam severe Deus nobis et legum reverentiam, et disciplinam praeceperit.

Noticiae naturales, quae verissime sunt radii sapientiae ex mente divina in nos transfusi, quae sunt decalogi doctrina, sunt propositiones necessariae et immotae magis quam haec propositio: Bis quatuor sunt octo. Manifesta igitur insania est, et Cyclopum et Cynicorum furor, dicere obedientiam, quam leges divinae praecipiunt, non esse necessariam. Ac magistratuum severitate cohercendi erant, qui tales opiniones defendunt contumeliosas contra Deum, et perniciosas moribus. Quid interest inter pecudes et homines remota Dei et legum noticia? Haec breviter dixi, cum leges Academiae recitandae essent, quas cum audietis, simul de reverentia Deo, legibus et magistratibus debita cogitate, et fontes doctrinae de his maximis rebus intuemini, remota Antinomorum sophistica, et ut decet sanos homines, libenter Deo et honestis legibus obtemperate. Dixi.

### *Post legum repetitionem brevis commonefactio dicta ab eodem Rectore.*

Audivistis Academiae leges, quas cum fateri omnes oporteat pias, honestas, et tranquillitati communi utiles esse, praecipimus ut eis obediatis. Fortassis autem levius curant eas aliqui, quia vident nos non armatos esse praesidiis, ut punire contumaces possimus. Sed scitote, Deum legum et ordinis politici custodem esse, qui haud dubie contumaces punit, ut quotidiana exempla ostendunt. Et in Ecclesiaste scriptum est: Non erit impunitum scelus, etiamsi poenae differuntur. Nec tamen deerit officio suo illustrissimus Princeps, qui vult implorari auxilium suum in defensione iusticiae et pacis. Precamur autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, sedentem ad dextram aeterni patris, ac dona largientem hominibus, ut semper Ecclesiam in his regionibus colligat, et nos omnes gubernet. Dixi. Die 17. Septembris. Anno 1559.

### *Gratiarum actio privata, in consessu Professorum et Praeceptorum a Rectore Generoso D. Christophoro Burggravio a Dhon Barone habita, die Lucae Evangelistae, cum resignaret Magistratum scholasticum etc.*

Deo aeterno, patri Domini nostri Iesu Christi, fonti sapientiae gratias ago, quod hactenus Ecclesiam, et Academiam in hoc oppido clementer conservavit, et eum oro, ut deinceps quoque nos protegat et gubernet. Vobis etiam gratiam habeo, quod ostendistis vos amanter et honorifice de me sentire, eamque ob causam mihi magistratum mandastis. Et promitto perpetuam Academiae gratitudinem. Peto etiam mihi ignosci, si quid a me neglectum est. Ac nominatim gratias ago reverendo viro, Doctori *Georgio Maiori*, qu

labores administrationis hoc semestri praecipuos sustinuit. Nunc more legitimo depono magistratum, et vos adhortor, ut ad novi Rectoris electionem, quam filius Dei gubernet, qui faciat, ut sit fausta et foelix, procedatis. Dixi.

*Oratiuncula, qua renunciat, eum quem communibus suffragiis, Senatus Academiae Rectorem elegit etc.*

Quod faustum et felix sit, expono vobis omnium consentientibus suffragiis electum esse Rectorem huius Academiae, virum clarissimum *Georgium Cracovium*, Doctorem I. U., Consiliarium Illustrissimi Ducis Saxoniae, Electoris etc. Ac filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, sedentem ad dextram aeterni patris, ac dantem dona hominibus, Pastores et Doctores, oro, ut et inter nos servet et gubernet docentium et discentium coetus, et sit ipse huius Academiae Rector et Protector, et hunc Rectorem Doctorem *Georgium* adiuvet. Dixi.

*Renunciatio publica coram auditoribus, qua simul eos ad obedientiam suo Magistratui praestandam, hortatur.*

Non casu ortum est genus humanum ex Democriti atomis, nec casu servamur. Sed vere est Deus aeternus conditor generis humani, cum filio suo aeterno, Domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto, qui sibi Ecclesiam aeternam colligit voce Evangelii per et propter filium Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, et mirabiliter in tantis confusionibus generis humani protegit, et servat coetus docentium et discentium Evangelium.

Huic vero Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi gratias ago, quod hactenus clementer in his regionibus colligit aeternam Ecclesiam et verae doctrinae studia, et eorum hospitia conservat, et hanc Academiam contra multorum hostium rabiem protegit, et ut semper protegat, hanc Ecclesiam et Academiam, precor, quia verissime dictum est: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Cum autem bono consilio constitutum sit, ut quolibet semestri onus Rectoris in alium transferatur, et prosit omnes scire, quem magistratum habeant, id publice proponitur. Itaque expono vobis, quod faustum et foelix sit, electum esse Rectorem huius Academiae virum clarissimum, eruditione et virtute praestantem *Georgium Cracovium*, Doctorem Iuris, Consiliarium Illustrissimi Ducis Saxoniae, Electoris etc. Singulari autem Dei beneficio in hac schola perspicue illustrata est doctrina de discrimine ministerii Evangelici, et politici ordinis, et de obedientia debita legitimis magistratibus. Hanc cogitantes huic Rectori vestro Doctori *Georgio Cracovio* reverenter obedite propter mandatum Dei: Necesse est obedire non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Haec severissima sententia divinitus tradita, commonefaciat vos de voluntate et iudicio Dei, et confirmet pectora, ne furenter contra Deum, et legitimos magistratus ruant, nec sibi iram Dei et poenas attrahant. Deinde reverentia erga doctrinarum studia vos moveat, ut conservari honestas Scholas velitis. Qualis in vita barbaries? Quales tenebrae, qualis in moribus confusio, quam tetra Dei, religionum et legum oblivio secutura esset? si deletis Academiis, indoctorum cupiditatibus, et monstrosis ac seditiosis fanaticorum hominum clamoribus omnia regantur, ut fit inter Anabaptistas et illorum similes. Haec mala ne accidant, doctrinae iusto ordine considerandae sunt, quod fieri non potest, nisi sint honesti, tranquilli et recte ordinati docentium et discentium coetus. Tales coetus ut conserventur, singuli suo loco praestent officia communi tranquillitati debita, et velint Academias esse vera Dei templa, et ornamenta Ecclesiae, quibus Rector sit filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis, resuscitatus, sedens ad dextram aeterni patris, dans dona hominibus, Pastores et Doctores, sicut inquit ipse: Ubicunque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Hunc verum Rectorem Dominum nostrum Iesum Christum, qui inquit: Ego sum vitis, vos palmites, oro, ut faciat nos sibi palmites, nos doceat, gubernet et protegat. Amen.

---

No. 42. 7. Dec. 1559.

In Oration. T. V. p. 163 sqq. et in Oration. postr. p. 174.

*Petitio ad Vicecancellarium Academiae,*
(cum *Paulo Ebero* d. 7. Dec. 1559. tribueretur gradus Doctorum in Theolog.)

Reverende vir, Domine Vicecancellarie integerrime. Scimus scriptum esse de Filio Dei: Sedet

ad dexteram aeterni patris, dans dona hominibus, Pastores et Doctores. Non dubium est igitur salutares Doctores vere a filio Dei nobis tribui. Sed hos sumit ex coetu discentium, et vult accedere nostram electionem, quam ipse gubernat. Vult et testimonia de doctrina et moribus proferri, propter quae additus est docentibus Cancellarius, ut plures essent Inspectores studiorum et morum. Ideo tibi offero hos quatuor viros, quorum eruditionem, confessionem et mores probari Lectoribus notum est. Sed volumus etiam tuum iudicium et autoritatem accedere. Et si congruet tuum de eis iudicium, cum nostro, ut spero, peto ut tribuas eis potestatem seu licentiam accipiendi gradum Doctorum Theologiae. Precor autem filium Dei, qui inquit: Ego sum vitis, vos palmites, ut nos omnes gubernet, et faciat, ut simus palmites foecundi ipsi insiti. Dixi.

### *Responsio Vicecancellarii.*

Vetustissimi Canones hoc sanxerunt, ut nulli praeficerentur Ecclesiis, qui non antea certo spacio temporis in Ecclesiastico ordine fuissent.

Voluit sapiens vetustas diu et a multis explorari eruditionem et pietatem eorum, qui praefuturi erant Ecclesiis.

Inde in Academiis sunt graduum tempora, et multi iudices adhibentur, Et collegiis docentium adiunctus est Cancellarius, quem voluit vetustas inspectorem esse studiorum in universa Academia, et veluti censorem.

Atque utinam nobis plures adiuncti essent viri docti et pii, qui studia nostri coetus adiuvarent et inspicerent. Sed hoc tempore Cancellarii vices gerunt Decani.

Cum autem ego et collegae mei hos doctos et pios viros audiverimus, *Paulum Eberum*, *Erasmum Laetum*, *Iohannem Cogelerum*, et *Paulum Crellium*, et probemus eorum eruditionem, mores et piam confessionem, ego autoritate, qua hoc tempore fungor, iudico dignos esse honorifico testimonio, et tribuo eis licentiam, et potestatem accipiendi gradum et ornamenta Doctorum in Theologia.

Scio autem vere a filio Dei sedente ad dextram aeterni Patris dari dona Ecclesiae, Pastores et Doctores. Sed hos sumit ex his, qui doctrinam discunt, quem toto pectore oro, ut clementer in his regionibus servet Ecclesiam suam, et hos, quibus testimonium tribuimus, semper gubernet, et faciat eos vasa misericordiae, et organa salutaria suis animabus et aliis. Dixi.

---

No. 43. an. 1546.

## *Leges Academiae Witeb.*

Melanthonem leges Academiae Witeb. et statuta anno 1545. iterum retexuisse, ipse testatus est in epistolis ad Eberum d. d. 23. Dec. 1545. et ad Baumgartnerum d. d. 20. Iun. 1546. Editae sunt hae leges sic inscriptae:

„Academiae Wittenbergensis Leges, quae bis quotannis publice recitantur. Witenbergae. Anno XLVI." 4 pl. 8.

Praeterea vero leges Academiae et statuta Collegii Theologorum et Philosophorum leguntur etiam in Scriptis publ. Acad. Witeb. T. I. p. 448 sqq. et in Melanthonis Consiliis lat. a Pezelio editis T. I. p. 177—214. Textus in Scriptis publ. et ad Pezel. convenit ad verbum, sed forma *legum* acad., quae anno 1546. prodiit, multum differt a forma, quae in Scriptis et apud Pezelium conspicitur, et tantum *statuta* collegiorum theol. et philosoph. in utroque libro conveniunt. Nos hic dedimus leges, ut illae a. 1546. publicatae sunt, partim quia de his certo scimus, eas a Melanthone scriptas esse, partim quia libellus, in quo editae sunt, est in libris rarissimis. Caeterum negari non potest etiam formam legum, quae in Scriptis publ. (quae prodierunt anno 1560.) Melanthonis stylum referre. In eo vero Pezelius haud dubie erravit, quod hanc formam legum, quam ex Scriptis publicis hausit, scriptam arbitratus est anno 1554.

### *Leges Academiae Witenbergensis de studiis et moribus auditorum.*

Prima.

Cum in quolibet vitae gradu prima deliberatio esse debeat, an vitae genus quod ingredimur Deo placeat, ut a Deo auxilium peti possit: Primum sciant studiosi mandatum Dei esse, ut conservetur doctrina, in qua se Deus vere patefecit, et per quam vocat et colligit aeternam Ecclesiam. Id sine literarum cognitione fieri non potest. Ideo primum discant studiosi hanc militiam discendi literas Deo placere, et ad hunc finem referant sua studia, ut Deus celebretur, et doctrina Evangelii, et aliae artes utiles Ecclesiae, et communi vitae conserventur, et a Deo auxilium et gubernationem petant. Nam in tanta humanae mentis imbecillitate, ut iudicia recta sint, et studia et consilia foelicia, opus est Deo gubernatore. Sic igitur inchoent studia piae mentes, ut has precationes repetant assidue: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me.

Secunda.

Quicunque igitur venerit in Academiam, et studia sua pie instituere volet, primum cogitata Dei voluntate, et implorato eius auxilio, mox Rectorem Academiae accedat, et nomen suum petat referri inter studiosorum nomina, et promittat se legibus nostris obtemperaturum esse. Quia nec honestum est, nec tutum Reipub. vagari adolescentiam, aut ullos homines in civitatibus, sine certis magistratibus. Et Deus vult rudem et infirmam aetatem regi legum, magistratuum et docentium autoritate. Rector autem in editione nominis, si talis est aetas adolescentis ut sit ei opus familiari praeceptore, iubebit eum commendari alicui ex iis qui privatim docent.

Tertia.

Interdum etiam hi qui nomina sua apud Rectorem ediderunt, vagantur sine studio literarum, nec docent, nec discunt honestas artes, nec ullas praelectiones publicas audiunt.

Tales si deprehensi fuerint, indicandi sunt magistratibus oppidi, ut sciant eos hospites esse, alienos ab ordine scholastico, nec fruentur privilegiis Academiae, aut si infirmitas aetatis, aut contumacia, alia consilia postulabit, ex Academia et oppido discedere cogentur.

Quarta.

Et privatim et publice prima aetas diligenter discat Grammaticam latinam, Dialecticen, Rhetoricen et summam doctrinae Christianae, publice vero omnes qui versantur in studiis philosophicis, audiant has praelectiones in quibus traduntur Elementa doctrinae de circulis coelestibus, collecta a Ioanne de sacro Busto, Arithmetica, Physica, Secundus liber Plinii, et Aristotelis Ethica. Illi vero qui Magisterii philosophici gradum petituri sunt, aut alioqui locupletiorem cognitionem Philosophiae adpetunt, adiungant ad praelectiones, quarum iam mentio facta est, Eucliden, Theoricas planetarum, et magnam constructionem Ptolemei. Cupimus enim studiosos non tantum inanem eruditionis umbram sibi circundare, sed veram Philosophiam percipere, et ordine per artes duci, quod et singulis utile est ad agnitionem veritatis qua regitur vita, et ad recte iudicandum, et communi vitae necessarium est, quae non potest carere arte numerandi, et metiendi, anni ratione, Cosmographia, doctrina de natura corporis humani, et initiis artis Medicae, et virtutum descriptione. Harum tantarum rerum cognitionem necessariam vitae, sciant studiosi nostro ordini tuendam et propagandam esse.

Quinta.

Et quia fontes doctrinae Ecclesiae continentur literis Ebraeis et Graecis, has quoque discant illi, qui se praeparant ad docendam Ecclesiam. Graece vero linguae cognitio, etiam ad Philosophiam percipiendam, et ad historiam veterum imperiorum cognoscendam necessaria est. Ideo ingeniosis et adpetentibus solidum eruditionem non negligenda est.

Sexta.

Exercitium disputationum multas utilitates adfert. Adsuefacit enim studiosos ut res intricatas in breves conclusiones, et Syllogismos apte includere possint, et placida opinionum collatio, multas res obscuras eruit et patefacit, et dexteritatem adfert in respondendo, et in omni sermone comitatem. Ideo non omitti disputationes volumus. Ut autem et latine scribendi exercitium habeant Scholastici, alternis disputationes instituantur a Magistris, et recitentur a Scholasticis declamationes. Et Magistri qui Grammaticen, Dialecticen, aut Rhetoricen tradunt, item qui latinos aut graecos scriptores interpretantur, mandent auditoribus ut scribant et recitent declamationes. Nulla autem disputatio aut declamatio proponatur publice, non inspecta a Decano, aut Magistris quorum iudicium probat Decanus. Nolumus enim materias futiles et honestas proponi, nolumus et sugillari quenquam in hac Academia docentem, aut manifesta criminatione lacerari, et accendi discordias hoc more disputandi aut declamandi, qui institutus est, ut prosit ad eruditionem, et ad virtutem iuventuti, non ut lividorum adfectibus ac petulantiae serviat.

*De moribus.*

Prima lex.

Conventus scholastici recte instituti et fuerunt olim et esse debent praecipuum agmen Ecclesiae Dei. Ibi enim doctrina coelestis custoditur, et gubernante Spiritu sancto Catholicae Ec-

ad dexteram aeterni patris, dans dona hominibus. Pastores et Doctores. Non dubium est igitur salutares Doctores vere a filio Dei nobis tribui. Sed hos sumit ex coetu discentium, et vult accedere nostram electionem, quam ipse gubernat. Vult et testimonia de doctrina et moribus proferri, propter quae additus est docentibus Cancellarius, ut plures essent Inspectores studiorum et morum. Ideo tibi offero hos quatuor viros, quorum eruditionem, confessionem et mores probari Lectoribus notum est. Sed volumus etiam tuum iudicium et autoritatem accedere. Et si congruet tuum de eis iudicium, cum nostro, ut spero, peto ut tribuas eis potestatem seu licentiam accipiendi gradum Doctorum Theologiae. Precor autem filium Dei, qui inquit: Ego sum vitis, vos palmites, ut nos omnes gubernet, et faciat, ut simus palmites foecundi ipsi insiti. Dixi.

### *Responsio Vicecancellarii.*

Vetustissimi Canones hoc sanxerunt, ut nulli praeficerentur Ecclesiis, qui non antea certo spacio temporis in Ecclesiastico ordine fuissent.

Voluit sapiens vetustas diu et a multis explorari eruditionem et pietatem eorum, qui praefuturi erant Ecclesiis.

Inde in Academiis sunt graduum tempora, et multi iudices adhibentur, Et collegiis docentium adiunctus est Cancellarius, quem voluit vetustas inspectorem esse studiorum in universa Academia, et veluti censorem.

Atque utinam nobis plures adiuncti essent viri docti et pii, qui studia nostri coetus adiuvarent et inspicerent. Sed hoc tempore Cancellarii vices gerunt Decani.

Cum autem ego et collegae mei hos doctos et pios viros audiverimus, *Paulum Eberum*, *Erasmum Laetum*, *Iohannem Cogelerum*, et *Paulum Crellium*, et probemus eorum eruditionem, mores et piam confessionem, ego autoritate, qua hoc tempore fungor, iudico dignos esse honorifico testimonio, et tribuo eis licentiam, et potestatem accipiendi gradum et ornamenta Doctorum in Theologia.

Scio autem vere a filio Dei sedente ad dextram aeterni Patris dari dona Ecclesiae, Pastores et Doctores. Sed hos sumit ex his, qui doctrinam discunt, quem toto pectore oro, ut clementer in his regionibus servet Ecclesiam suam, et hos, quibus testimonium tribuimus, semper gubernet, et faciat eos vasa misericordiae, et organa salutaria suis animabus et aliis. Dixi.

---

**No. 43.** **an. 1546.**

## *Leges Academiae Witeb.*

Melanthonem leges Academiae Witeb. et statuta anno 1545. iterum retexuisse, ipse testatus est in epistolis ad Eberum d. d. 23. Dech. 1545. et ad Baumgartnerum d. d. 20. Iun. 1546. Editae sunt hae leges sic inscriptae:

„Academiae Wittenbergensis Leges, quae bis quotannis publice recitantur. Witenbergae. Anno XLVI." 4 pl. 8.

Praeterea vero leges Academiae et statuta Collegii Theologorum et Philosophorum leguntur etiam in Scriptis publ. Acad. Witeb. T. I. p. 448 sqq. et in Melanthonis Consiliis lat. a Pezelio editis T. I. p. 177—214. Textus in Scriptis publ. et ad Pezel. convenit ad verbum, sed forma *legum* acad., quae anno 1546. prodiit, multum differt a forma, quae in Scriptis et apud Pezelium conspicitur, et tantum *statuta* collegiorum theol. et philosoph. in utroque libro conveniunt. Nos hic dedimus leges, ut illae a. 1546. publicatae sunt, partim quia de his certo scimus, eas a Melanthone scriptas esse, partim quia libellus, in quo editae sunt, est in libris rarissimis. Caeterum negari non potest etiam formam legum, quae in Scriptis publ. (quae prodierunt anno 1560.) Melanthonis stylum referre. In eo vero Pezelius haud dubie erravit, quod hanc formam legum, quam ex Scriptis publicis hausit, scriptam arbitratus est anno 1534.

### *Leges Academiae Witenbergensis de studiis et moribus auditorum.*

Prima.

Cum in quolibet vitae gradu prima deliberatio esse debeat, an vitae genus quod ingredimur Deo placeat, ut a Deo auxilium peti possit: Primum sciant studiosi mandatum Dei esse, ut conservetur doctrina, in qua se Deus vere patefecit, et per quam vocat et colligit aeternam Ecclesiam. Id sine literarum cognitione fieri non potest. Ideo primum discant studiosi hanc militiam discendi literas Deo placere, et ad hunc finem referant sua studia, ut Deus celebretur, et doctrina Evangelii, et aliae artes utiles Ecclesiae, et communi vitae conserventur, et a Deo auxilium et gubernationem petant. Nam in tanta humanae mentis imbecillitate, ut iudicia recta sint, et studia et consilia foelicia, opus est Deo gubernatore. Sic igitur inchoent studia piae mentes, ut has precationes repetant assidue: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me.

### Secunda.

Quicunque igitur venerit in Academiam, et studia sua pie instituere volet, primum cogitata Dei voluntate, et implorato eius auxilio, mox Rectorem Academiae accedat, et nomen suum petat referri inter studiosorum nomina, et promittat se legibus nostris obtemperaturum esse. Quia nec honestum est, nec tutum Reipub. vagari adolescentiam, aut ullos homines in civitatibus, sine certis magistratibus. Et Deus vult rudem et infirmam aetatem regi legum, magistratuum et docentium autoritate. Rector autem in editione nominis, si talis est aetas adolescentis ut sit ei opus familiari praeceptore, iubebit eum commendari alicui ex iis qui privatim docent.

### Tertia.

Interdum etiam hi qui nomina sua apud Rectorem ediderunt, vagantur sine studio literarum, nec docent, nec discunt honestas artes, nec ullas praelectiones publicas audiunt.

Tales si deprehensi fuerint, indicandi sunt magistratibus oppidi, ut sciant eos hospites esse, alienos ab ordine scholastico, nec fruentur privilegiis Academiae, aut si infirmitas aetatis, aut contumacia, alia consilia postulabit, ex Academia et oppido discedere cogentur.

### Quarta.

Et privatim et publice prima aetas diligenter discat Grammaticam latinam, Dialecticen, Rhetoricen et summam doctrinae Christianae, publice vero omnes qui versantur in studiis philosophicis, audiant has praelectiones in quibus traduntur Elementa doctrinae de circulis coelestibus, collecta a Ioanne de sacro Busto, Arithmetica, Physica, Secundus liber Plinii, et Aristotelis Ethica. Illi vero qui Magisterii philosophici gradum petituri sunt, aut alioqui locupletiorem cognitionem Philosophiae adpetunt, adiungant ad praelectiones, quarum iam mentio facta est, Eucliden, Theoricas planetarum, et magnam constructionem Ptolemei. Cupimus enim studiosos non tantum inanem eruditionis umbram sibi circundare, sed veram Philosophiam percipere, et ordine per artes duci, quod et singulis utile est ad agnitionem veritatis qua regitur vita, et ad recte iudicandum, et communi vitae necessarium est, quae non potest carere arte numerandi, et metiendi, anni ratione, Cosmographia, doctrina de natura corporis humani, et initiis artis Medicae, et virtutum descriptione. Harum tantarum rerum cognitionem necessariam vitae, sciant studiosi nostro ordini tuendam et propagandam esse.



### Quinta.

Et quia fontes doctrinae Ecclesiae continentur literis Ebraeis et Graecis, has quoque discant illi, qui se praeparant ad docendam Ecclesiam. Graece vero linguae cognitio, etiam ad Philosophiam percipiendam, et ad historiam veterum imperiorum cognoscendam necessaria est. Ideo ingeniosis et adpetentibus solidum eruditionem non negligenda est.

### Sexta.

Exercitium disputationum multas utilitates adfert. Adsuefacit enim studiosos ut res intricatas in breves conclusiones, et Syllogismos apte includere possint, et placida opinionum collatio, multas res obscuras eruit et patefacit, et dexteritatem adfert in respondendo, et in omni sermone comitatem. Ideo non omitti disputationes volumus. Ut autem et latine scribendi exercitium habeant Scholastici, alternis disputationes instituantur a Magistris, et recitentur a Scholasticis declamationes. Et Magistri qui Grammaticen, Dialecticen, aut Rhetoricen tradunt, item qui latinos aut graecos scriptores interpretantur, mandent auditoribus ut scribant et recitent declamationes. Nulla autem disputatio aut declamatio proponatur publice, non inspecta a Decano, aut Magistris quorum iudicium probat Decanus. Nolumus enim materias futiles et honestas proponi, nolumus et sugillari quenquam in hac Academia docentem, aut manifesta criminatione lacerari, et accendi discordias hoc more disputandi aut declamandi, qui institutus est, ut prosit ad eruditionem, et ad virtutem iuventuti, non ut lividorum adfectibus ac petulantiae serviat.

## *De moribus.*

### Prima lex.

Conventus scholastici recte instituti et fuerunt olim et esse debent praecipuum agmen Ecclesiae Dei. Ibi enim doctrina coelestis custoditur, et gubernante Spiritu sancto Catholicae Ec-

**Verba legis haec sunt:**

### Artickel der Ordnung zu Unterhaltung friedlicher Wesenheit in unser Stadt Wittenberg.

Erstlich wollen wir, daß nu hinfürder kein Student, desgleichen die Bürger und Einwohner, oder andere, so sich aldo wesentlich enthalten, dazu die Handwerksgesellen, oder Bürgerdiener, in unser Stadt Wittenberg, kein Wehre, es sei Schwert, Messer, Tysäcken, Hessen, Dolchen, Bleykugel, Wurfkreutz, Barten, Flegel, Hämmer, Büchsen, oder wie sie genannt seynd, die sich zu Beleidigung oder Beschädigung des Leibes ziehen möchte, offentlich oder heimlich tragen sollen, welches der Rector allen Studenten und Gliedmaßen unser Universität, und Bürgermeistern und Rath den Einwohnern und Wesenden, auch Dienern und Handwerksgesellen, ernstlich verbieten und offentlich untersagen sollen.

Doch sollen die Personen der dreier Räthe, der Stadt Wittenberg und ihre geschworne Rathsdiener, desgleichen der Universität Pedelln, die zu Erhaltung Friedes und Einigkeit verordent, hierinnen ausgeschlossen, und ihre Wehre zu tragen nicht verboten sein.

Es sollen auch gemeldte Pedellen und Gerichtsknecht insunderheit darzu vereidet werden, daß sie diejenigen, so sie als Uebertreter befinden, dem Rector oder Burgermeister angeben, und sollen die Pedellen dem Burgermeister die Einwohner, Diener und Handwerksgesellen, so sträflich befunden, und wiederum auch die Gerichtsknecht, die Gliedmaß der Universität, dem Rector anzusagen verpflicht sein, die doch in keinen Weg vom Rector oder Burgermeistern gegen den Uebertretern vermeldet werden sollen.

Welcher nun dem Rector oder Burgermeistern vor sträflich durch die Pedellen oder Gerichtsknecht angegeben, derselbig Verbrecher soll unverzüglich, jeder für seinen gebürlichen Richter fürgefordert, und wie billig darum gehört werden, und wo er schuldig befunden, soll er drei Gulden zur Straf geben, oder aber, wo es ihm mehr beliebet, acht Tag dafür in gebürlichen Gefängniß enthalten werden.

Es soll auch allweg mit der genommenen Wehre dergestalt gehalten werden, daß die von den Studenten ihrem Rector, und die andere Wehre, so den außerhalben der Universität genommen, von den Einwohnern, Bürgern ꝛc., dem Richter geantwort werden.

Welcher aber überdieß mehr denn einmal in solchem Frevel befunden, daß derselbig in höher Straf genommen werden soll, und also, wär es ein Student, daß derselbig ein zeitlang nach Gefallen der Universität relegiert, wäre es aber ein ander, der Universität nicht eingeleibt, daß derselbig auch nach Gefallen eines Raths, ein zeitlang die Stadt meiden soll.

Wir wollen auch hiemit nicht gemeinet haben, so jemands über Land und außerhalb der Stadt reisen würde, und seine Wehre zu solchem Fürhaben durch die Stadt tragen würde, oder aber ein seßhaftiger Bürger seiner Nahrung nach, auf die Felder und Gärten-Arbeit mit seinen Arbeitsleuten sich begeben wollt, daß der oder dieselben damit nit geführt, und zu unbilliger Straf sollten gezogen werden, jedoch solchs mit gebürlicher Uebung des Friedes und Gehorsams zu halten.

Würd sich auch einer oder mehr unterstehn, sich diesem unserem Verbot, unziemlicher Weise widersetzig zu machen, und sein Wehre darüber tragen, sollen der Rector, Reformatores, und die vom Rath, mit Ernst darzu thun, und denselben umb solchen muthwilligen Frevel zu handen bringen, und den ohn Wissen und Willen von sich nicht kommen lassen, der oder dieselben sollen auch mit hoher Straf, denn wie oben gemeldt, gezüchtigt werden.

Es soll auch hinfürder zu winterlicher Zeit, nach neun Uhren auf die Nacht, und im Sommer nach zehen Uhren, in den Schenkhäusern oder andern Winkeln, kein Zech oder Uerten weiter gestatt werden, und der Wirth oder Schenk soll solches, so die Stund sein wird, seinen Gastleuten vermelden. Wo er aber dieß nicht thut, und über obangezeigte Stund die Gäst länger halten wollt, soll er, der Wirth, von jedlicher Stund einen Gulden zu Buß dem Rath, aber die andern der Universität verwandt, dem Rector verfallen sein. Und damit in dem gefährlichen Behelf nicht fürzuwenden, als wär vielleicht der Wirth unvermöglich, dieselben seine Gastleut von sich zu bringen, soll er dieselben aufzuzeichnen schuldig sein, und die des anderen Morgen dem Rector, Reformatoren und Bürgermeister fürtragen, die sich fürder gegen ihnen mit gebürlicher, unablässiger Straf erzeigen sollen.

Es sollen auch der Rath gemeldter unser Stadt die Wacht stadtlich verordnen, und denselben vorsichtigen Befehl geben, welcher über die angesatzte Stund des Nachts auf der Gassen ohn redlich Ursach und Entschuldigung befunden, der soll also angenommen, und in Verwahrung bis auf den Morgen zu weiter Verhörung des Rectors oder Burgermeisters, enthalten werden.

Welche auch ihrer gebürlichen Gelegenheit und Notturft nach, die Nacht über die Gassen weberen und

gehen wollen, die sollen ihre Leuchten haben, auch mit keinem Hauptgeschrey einiger Unzucht sich vermerken lassen. So aber einer oder mehr gerechtfertigt würden, der soll ihm das zu klagen nicht Ursach fürfassen. Jedoch sollen die Friedswarter, oder Wächter, guten und ziemlichen Bescheid gebrauchen, es wär denn, daß sich der ander Theil freventlicher Aufhaltung, oder leichtfertiger Rede erzeigen würd, gegen denselben wie es die Notturft erfordert, sollen sie ihn gebürlich zu handlen wissen, und inmaßen wie obgemeldt mit der Annehmung und Verwahrung, bis zu der Verhör enthalten.

Damit auch in unser Universität Wittenberg Aufruhr, Conspiration, und viel Unguts, so draus entwachsen, so viel müglich verhütet, so ordnen wir hiemit ernstlich gebietende, daß forthin alle und jedliche Studenten unser Universität Wittenberg, ob ihnen Klagens von nöthen, so oft sich das begeben möcht, sich enthalten, durch sich selbst, oder andere, so sie darzu bitten, haufend für den Rector zu kommen und ihre Klag fürbringen, sondern sie mögen nicht mehr, denn ungefährlich selb drei oder vier mit gebürlicher Zucht und Demuth ihre Notturft dem Rector anzuzeigen, und des Rectors darauf gegebene Antwort oder Bescheid, bescheidentlich anhören. Und so sie desselbigen nicht zufrieden, mögen sie, doch in gleicher Maß und Anzahl der Personen, die Reformatoren, laut und inhalt der Universität Statuten, besuchen, und also, inhalts derselbigen Statuta, Endschaft der Sachen nehmen und gewarten, alles bei gethanem Eyde, damit er uns und der Universität verwandt, ohngefährlich. Würd aber jemand darüber, weß Standes er wäre, Auflauf erwecken, darzu rathen, reden, helfen oder Beistand leisten, oder auch der Zeit in seinen anliegenden Sachen, mit einem Haufen, oder mehr, denn selb drei oder vier ungefährlich den Rector überlaufen, oder überschicken, derselbige soll damit, und also in und mit solcher That meineidig, treu- und ehrlos sein, und darfür geacht und gehalten, und zu dem unser Universität Freiheiten damit beraubt, und zu ewigen Gezeiten für ein abgeschnitten untüchtig Glied berührter Universität geschatzt sein.

### *Statuta collegii facultatis Theologicae.*

Ministerium Evangelii, per quod Deus sibi aeternam Ecclesiam colligit, semper in genere humano immensa Dei bonitate, et singulari gubernatione servatur, et subinde instauratur. Sicut ad Ephe. IV. de Filio Dei Domino nostro Iesu Christo scriptum est: Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, et dedit dona hominibus. Alios quidem Prophetas, alios Apostolos, etc., ne stulti fluctuemus et circumferamur omni vento doctrinae, per imposturas hominum. Et Esaiae LIX. dicitur: Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo et ab ore seminis tui, deinceps et in sempiternum. Hoc ingens beneficium Dei agnoscamus, et simul sciamus ita tamen servari doctrinam, ut velit Deus coetus esse discentium libros Propheticos et Apostolicos, et historiam, ac certamina Ecclesiae, ut vox Evangelii in Ecclesia publice sonet et propagetur. Quare semper aliqui literati coetus fuerunt tanquam custodes librorum, quos Deus hominibus commendavit, ut, ad tabernaculum Leviticum Collegium fuit Sacerdotum et Levitarum, et Prophetas, Baptistam, Christum, Apostolos, agmina auditorum, qui postea essent doctrinae propagatores, comitata sunt. Et ut tales coetus postea essent, Antiochiae, Ephesi, Alexandriae, et alibi scholae Ecclesiis adiunctae sunt. Tales coetus nunc quoque Dei beneficio sunt Collegia Theologica, quae recte docent Evangelium, quae ut regat et servet Filius Dei, sedens ad dextram aeterni Patris, et gubernans ministerium et studia Evangelii, ardentibus votis precemur.

#### Prima lex.

Primum igitur sciant omnes, Collegium facultatis Theologicae non esse Collegium humano tantum consilio constitutum, sed ministerii Evangelici membrum, ad quod etiam haec promissio Christi pertinet: Ubicunque duo aut tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum. Et vera studia doctrinae coelestis sunt praecipuus cultus Dei, sicut Christus inquit Ioan. XV: In hoc glorificatur pater meus coelestis, ut copiosum fructum feratis, et fiatis mei discipuli. Et in Malachia scriptum est: Labia Sacerdotis custodiunt scientiam. Et Paulus inquit, se sacrificare Evangelium. Praecipit Deus ut discamus doctrinam, in qua se patefecit, et hoc studium adiuvat et regit, nec aliter Ecclesiam aeternam sibi colligit, nisi huius doctrinae voce. Ideo haec studia prorsus necessaria esse, et Deo placere, manifestum est.

#### Secunda.

Praecipua autem cura sit huius Collegii, docere et tueri puram Evangelii doctrinam traditam

in libris Propheticis et Apostolicis, cum quibus congruunt Symbola, Apostolicum, Nicenum, et Athanasianum, hoc unum genus doctrinae verum et immotum, quod quidem est perpetuus Catholicae Ecclesiae Dei consensus, doceri et defendi volumus, quod et Ecclesiae nostrae in confessione exhibita Imperatori Augusto Carolo V. in conventu Augustano, Anno M. D. XXX. complexae sunt. Quare severissime prohibemus spargi et defendi ullas opiniones pugnantes cum illo consensu, et confessione nostrarum Ecclesiarum, Augustae exhibita.

### Tertia.

Sint praelectores certi et perpetui in hac Schola quatuor, qui sint subiecti Rectori, admissi iudicio collegii huius facultatis, et habeant testimonium publicum gradus Doctoratus, vel ab hac Schola vel ab alia. Hi quatuor sint Collegium huius facultatis, et Collegii negocia communi consilio agant, et fideliter, ut in Ecclesia gubernatores facere decet, concordiam in doctrina tueantur.

Si quis autem in alia Schola fuerit ornatus gradu Doctoratus, non recipiatur in hoc Collegium, nisi prius explorata sit eius eruditio et sententia de omnibus Articulis doctrinae Ecclesiae. Et omnes qui recipiuntur, vel hic, vel alibi ornati gradu Doctoratus, clare testentur se amplecti hunc consensum doctrinae, et promittant se fideliter eum secuturos et defensuros esse.

### Quarta.

Cum praecipue hi Doctores, et custodes Propheticorum et Apostolicorum voluminum, et interpretes esse debeant, semper a duobus aliqui libri Novi Testamenti, et ab aliis duobus, aliqui libri Veteris Testamenti enarrentur, ac saepissime repetatur Enarratio Epistolae Pauli ad Romanos, Evangelii Ioannis, Psalmorum, Genesis, Esaiae. Nam in his libris praecipui Articuli doctrinae Ecclesiasticae proponuntur. Et Lectores integram doctrinam explicare studebunt, quam ad rem, ut ordine singulos Articulos enarrent, adiungent interdum Symboli Niceni explicationem. Interdum et Augustini librum de Spiritu et Litera enarrabunt, ut iuniores videant, doctrinam Ecclesiarum nostrarum, consensum esse purioris antiquitatis et verae Ecclesiae Dei. Et in enarrationibus simplex veritas bona fide iuxta mandatum Dei quaeratur, et recte et proprio ac perspicuo genere sermonis explicetur. Nec ludant Professores ambiguis involucris, nec collegas vel criminentur, vel sugillent in ullis publicis praelectionibus aut disputationibus.

### Quinta.

Horae ita distribuantur, ne duo Lectores eandem horam occupent, ne quam aemulationem ea res pariat, fiatque horarum et materiarum distributio sine ambiciosis certaminibus, candide et placide, disputent etiam hoc ordine Doctores Theologiae, ut singulis anni quadrantibus una fiat publica disputatio, et sumantur materiae Theologicae utiles ad erudiendos auditores.

Ipsae vero materiae priusquam publice proponuntur, ostendantur Decano huius Collegii, qui si aliquid improbabit, iubeat corrigi. Si quis autem vel non ostendet, vel iussus non corriget, Rector et Decanus iubeant differri disputationem in aliud tempus, et propositiones prius in toto Collegio examinentur.

### Sexta.

Si incidet controversia de dogmate Ecclesiastico, et unus vel plures in hoc Collegio, aut aliis concordiam doctrinae conturbare videbuntur, Decanus eam rem ad Rectorem et consilium totius Universitatis referat. Ac Universitas, si magnitudo rei postulabit, Principi significabit, et Princeps cum consilio Universitatis eliget iudices idoneos, qui totam controversiam diligenter examinent, et iudicio suo veras sententias perspicue adprobent, et falsas perspicue damnent.

Porro etiam si non referatur res ad Principem, tamen Universitas suo consilio iudices idoneos eligat, qui re diligenter cognita, ferant sententias.

Damnatae propositiones non defendantur, et si quis contumaciter defendet, coherceatur tali carcere, ne malas opiniones latius spargere possit.

### Septima.

Nemo admittatur ad gradum Doctoratus, nisi toto sexennio audierit enarrationes scripturae Propheticae et Apostolicae, a Doctoribus ordinariis in schola, sive hic, sive alibi in Gymnasio amplectante puram Evangelii doctrinam.

Ritus in renunciatione gradus ita moderentur hi qui praesunt, ut gravitas servetur maxime conveniens, et huic renunciationi et ordini Theolo-

gico. Quia haec ipsa renunciatio non est prophanum spectaculum, sed est publicatio iudicii, quo tot ministri Evangelii testantur coram Ecclesia hunc, quem gradu ornant, recte sentire de omnibus doctrinae Articulis, et idoneum esse ad explicationem et diiudicationem gravissimarum controversiarum Ecclesiae. Et servatur consuetudo tribuendi gradum, ne passim Scholis aut Ecclesiis praeficiantur errones ignoti, et inexplorati, qui unde acceperint genus doctrinae non ostendunt. Habeant igitur Testimonia probati ordinis, si qui volent docere, ut sciri possit, quales sint, et unde genus doctrinae acceperint. Ideo enim et initio coetus Scholastici in Ecclesia fuerunt, ut et custodes essent primae et purae doctrinae, et essent testes, a quibus propagata esset doctrina. Ita refutat Irenaeus Marcionitas, citans Polycarpum quem audierat, qui fideliter custodierat doctrinam a Ioanne Apostolo traditam. Et Basilius saepe citat testimonium Gregorii Neocesariensis.

### Octava.

Delectus sit etiam in admittendis iis qui gradus petunt, sicut et Paulus praecipit, ne quibuslibet manus imponantur, non enim admittendi sunt ad gradum fascinati pravis opinionibus, pugnantibus cum doctrina Ecclesiarum nostrarum, nec admittantur infames, aut scortatores, sed sint mores eorum, qui admittuntur ad gradum, modesti et casti, ut de Episcopis praecipit Paulus. Quare et honestos maritos, qui doctrinae Ecclesiasticae se dediderunt, ad gradum Doctorum admitti volumus.

Liberum sit etiam honestis viris, qui ante gradum coelibes fuerunt, postea coniugium iuxta doctrinam Evangelii contrahere.

Liberum sit etiam mortua uxore, ducere aliam iuxta Evangelii doctrinam. Nec veteres de coelibatu leges aut vincula ullis imponimus, quae multis exitium attulerunt, et in multis mediocribus impedierunt veram invocationem Dei, quia donec manent conscientiae vulnera, non potest fieri vera invocatio. Intelligant potius doctores Theologiae, coniugium sapientia Dei ordinatum ad consociandum et coniungendum genus humanum, et ad procreationem multorum, ex quibus Ecclesiam aeternam sibi Deus colligit, Deo placere, et bonis mentibus scholam esse multarum virtutum.

### Nona.

Decanus eligatur suffragiis Collegii huius, et ordine singuli fiant Decani, nisi magnitudo negociorum postularet aliquo tempore seniorem eligi. Ac electus Decanus promittat se his legibus quas recensuimus, obtemperaturum esse. Quoties autem convocantur Collegae, roget Decanus sententias ordine, quo in Collegium singuli adscripti sunt.

### Decima.

Si praeter ordinarios Lectores, alii sunt in Academia Doctores Theologiae, hi cogantur petere, ut recipiantur in hoc Collegium, et una labores disputandi et examinum sustineant, et consensum doctrinae pariter cum Collegio tueantur.

### Undecima.

Decano Sigillum facultatis et librum commendamus, in quo nomina collegarum perscripta sunt, et viderit ut testimonia doctrinae, et morum, quae tribuuntur vocatis, ad ministeria Ecclesiastica dentur bona fide.

### Duodecima.

De pecunia promotionum servetur usitata consuetudo; aequissimum est enim aliquid ad Fiscum conferri Scholae conservandae causa. Decet etiam significationem aliquam gratitudinis ostendi erga eos, qui labores sustinent disputationum et examinum.

### Tredecima.

Quotannis Decanus semel convocet omnes auditores, qui se praecipue dediderunt studio Theologiae, et aliquorum industriam exploret, et nomina eorum annotari curet, ut siquando vicinae Ecclesiae Pastores ac Diaconos flagitant, ex eo Catalogo aliquos indicare possit. Sunt enim hi Scholastici coetus, seminaria Ecclesiarum. Et haec ipsa Decani diligentia in convocandis auditoribus et explorandis studiis, curam discendi in multis acuet.

### Quatuordecima.

Cum Deus servet aliquos Literatos coetus singulari beneficio, ne libri in quorum doctrina se patefecit intereant, sit haec quoque cura huius Collegii praecipua, ut in Bibliothecis publicis libri Prophetarum et Apostolorum, Ebraici, Graeci

et Latini reponantur et serventur. Curent et alia scripta utilia reponi, ut ad posteritatem propagentur certa doctrinae testimonia. Et ut semper confectio annalium et rerum gestarum conscriptio fuit mandata Sacerdotibus, ita in hoc Collegio liber publicus sit, in quo scribatur singulis annis historia Ecclesiastica harum regionum, annotentur certamina doctrinae, iudicia piorum, exitus et poenae impiorum, et alii eventus gubernatorum, memoratu digni, quia posteris utile est nosse iudicia verae Ecclesiae Dei, et exempla divini iudicii.

Quindecima.

Semper etiam aliqui Doctores in hoc Collegio, et in hoc numero quatuor Lectorum, ad latinam linguam adiungant, Ebraicae et Graecae linguae studia, ut adiuvare alios, et totam Ecclesiam possint in retinenda et explicanda proprietate, et phrasi sermonis Ecclesiastici, et quantum fieri potest, ostendere, quid in fontibus legatur, et quae sit in fontibus vera et genuina verborum significatio. Dedit enim Deus donum linguarum Ecclesiae propter ministerium Evangelii, et saepe instaurat, et vult instauratum non per negligentiam amitti, sed propter communem Ecclesiae necessitatem mediocri diligentia et studio retineri.

Sedecima.

Omnium gubernationum in vita difficillima, est Ecclesiastica et magis divina quam humana, ideo nos omnia, quae in tanta temporum diversitate huic Collegio facienda sunt, complecti legibus non possumus, sed hi doctores videant formam gubernationis in scriptura Prophetica et Apostolica traditam, et prudenter eam imitentur, et quolibet tempore ea, quae rebus deliberatis communi consilio iudicabunt, et congruere Evangelio, et salutaria esse Ecclesiae Dei, agant, imprimis autem consensum purae doctrinae tueantur, et vitent ambitiosa inter sese certamina, cum sciant saepe Ecclesiis et imperiis ambitionem, pravas aemulationes, cupiditatem vindictae, factiones, exitio fuisse.

Auditorum etiam ingenia observent, etsi quis petulans delectabitur pravis opinionibus, hunc vocatum ad Collegium admoneant, et in viam revocent, contumaces vero severe coherceant. Mores etiam auditorum severe regant, curent ut vestitu honesto et infra genua demisso utantur, sint modesti in omnibus congressibus, sint placidi in disputationibus, sint temperantes et casti, ne impediant invocationem Dei. Sciant prohiberi omnibus publicis legibus libellos famosos, denique meminerint hos coetus Theologicos similes esse debere scholis Eliae, Elisaei, Iohannis Baptistae, Christi, Iohannis Apostoli, Polycarpi, Irenaei, et similium. Quandocunque enim Ecclesia floruit, tales aliquos habuit Scholasticos coetus, per quos doctrina pia propagata est. Horum studia, fidem, et mores nostri coetus etiam imitentur.

Esaiae LI. Posui verba mea in ore tuo, et umbra manus meae protegam te, ut plantem coelos etc.

### *Leges collegii facultatis liberalium artium, quas Philosophia continet.*

Deus aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi, ostendit generi humano literas et numerorum, figurarum anni, remediorum, legum de regendis civilibus moribus doctrinam, et historias, et servat haec dona nobis non solum, ut sint praesidia huius vitae communia omnibus gentibus, sed multo magis eo, quia cum Deus immensa bonitate ex illa sua aeterna et arcana sede prodiens se patefecerit, editis promissionibus et illustribus testimoniis de filio suo Domino nostro Iesu Christo, voluit hanc suam patefactionem, dicta et testimonia mandari literis per Patres, Prophetas, et Apostolos, et hac doctrina sibi Ecclesiam aeternam colligi. Sicut Paulus inquit: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Nec alia est doctrina vera de invocatione Dei, de reconciliatione hominum cum Deo, de vita aeterna, nisi haec ipsa tradita a Deo per Patres, Prophetas, Christum et Apostolos. Servat igitur Deus hunc librum, et Ecclesiam custodem eius esse praecipit. Nec tantum proponi, legi, et audiri huius libri doctrinam mandat, sed vult Ecclesiam, tanquam foetum in alvo materno, huic inclusam doctrinae ab ea ali, ad vitam aeternam, nec alias opiniones de essentia et voluntate Dei, de vera invocatione, et de reconciliatione admittere. Sicut inquit David: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Cum igitur necesse sit hunc librum a Deo nobis commendatum cognoscere, neque id sine cognitione literarum, linguarum, et multarum artium fieri possit, manifestum est, in primis Ecclesiae Dei

literarum studia necessaria esse. Ac ut maxime aliae gentes impiae, quae scripta Prophetica et Apostolica non amplectuntur, carere literis vellent, tamen Ecclesia Dei negligere eas non potest, quia scit Deum huius libri lectionem et interpretationem nobis severissimis mandatis commendasse. Quare et fuit semper inde usque ab initio, et est et erit erudita Ecclesia Dei, omnes artes quae literis continentur illi praestantes viri, Adam, Nohe, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, et Prophetae deinceps circuntulerunt. Et postea Ecclesiis frequentioribus eruditae scholae semper adiunctae fuerunt. Haec initio cogitanda sunt nostro Collegio, ut sciant omnes et necessaria esse vitae et Ecclesiae Dei, haec nostrarum artium studia, et hunc laborem partem esse militiae Ecclesiae Dei, et Deo placere. Quare et ad hunc finem, ut Ecclesiae Dei serviamus, referendus erit hic noster labor, et petamus ac expectemus a Deo gubernationem et defensionem, et quanquam maxima multitudo hominum has nostras operas, et vitam scholasticam iudicat ignavum ocium esse, ac ne ducit quidem scholasticum munus partem esse politici status, tamen nos sciamus has ipsas literas atque artes, non solum ornamenta, sed etiam nervos esse salutaris gubernationis, et ingratitudini hominum opponamus hanc veram consolationem traditam divinitus: Non erit labor vester inanis in Domino. His gravissimis causis moveamur, ut fidem et diligentiam in discendis, propagandis, et illustrandis literarum monumentis et artibus praestemus; gratias etiam agamus Deo, quod aliquam lucem et Evangelii et doctrinae aliarum honestarum artium accendit. Quantum bonum est recte, et explicate tenere doctrinam Ecclesiae propriam, quae monstrat utram invocationem, et firmas consolationes de reconciliatione, et gubernationem vitae in rebus maximis? Deinde quam gratum est homini sano mediocriter aspicere rerum naturam, et in conspectu habere universam antiquitatem, et historias omnium aetatum, et in illis multas magnas rerum mutationes, et mutationum illarum causas et voluntatem Dei considerare, et inde sumere commonefactiones ad regendam vitam utiles. Talis lux verum et magnum bonum est, quod ut Deo autori gratitudinem nostram ostendamus, maiore studio tueamur.

### Secunda.

In hac Witebergensi Academia constitutum est ab Illustrissimo Principe a Domino *Iohanne Friderico* Duce Saxoniae Electore, Landgravio Thuringiae, Marchione Mysiae, et Burggravio Meideburgensi, ut Lectores linguarum et Philosophiae sint decem.

Duo Inspectores Collegii, quibus cura locationis mandata est, quorum alter Dialecticen et Rhetoricen tradat, alter Physicen et secundum Plinii.

Duo Mathematici, quorum alter Elementa, Arithmeticam et Sphaeram Ioannis de sacro Busto proponat. Alter Eucliden, Theoricas Planetarum et Ptolomei magnam constructionem.

Duo Lectores linguae latinae, qui et enarrent praecipuos Poëtas et Ciceronis praecipua scripta, et scribant ipsi latine, non sordide solutam orationem et versus.

Septimus est Paedagogus, qui subinde repetat Grammaticam latinam, Linacrum, Terentium, aliquas Plauti fabulas, et alia scripta ad captum puerilem convenientia, ex quibus adolescentes sumere latinum sermonem possint, quales nunc sunt Aesopi fabellae, a Ioachimo Camerario recitatae.

Octavus Physicus, qui Aristotelis Physica enarret, et Dioscoriden, ac monstrator sit Herbarum.

Nonus Lector Ebraicae linguae, qui Grammaticen Ebraicam subinde repetat, et adiungat hos libros veteris Testamenti, Genesin, Psalmos, Proverbia Salomonis, Esaiam, Ionam, Danielem.

Decimus Lector Graecae linguae, qui subinde repetat Grammaticen Graecam, et hos scriptores: Homerum, Hesiodum, Euripiden, Sophoclem, Theocritum, aliquas Demosthenis orationes, aliquem ex graecis historicis; interdum vero misceat aliquam Pauli Epistolam, in qua recte et dextre ostendat vim verborum et seriem membrorum orationis, ut videant adolescentes, ad intelligendum sermonem Apostolorum prodesse linguae et artium cognitionem.

Idem Lector sit Ethicus, nisi in alterum minus oneratum transferenda haec praelectio Collegio videbitur. Enarrabit autem Ethicus, quisquis erit, graeca Aristotelis Ethica ad verbum. Sed diligenter discernet genera doctrinarum, legem

Dei, Evangelium, praecepta Philosophica et civilia de moribus, diiudicabit sectas Philosophorum, et illustrabit praecepta exemplis.

Hi decem Lectores sint Collegium Philosophicum, quod vocatur Collegium facultatis Artium, et gubernent linguarum et Philosophiae studia, communi animo et consilio, multa enim incidunt quae ab uno atque altero sustineri non possunt. Exploranda sunt iuventutis studia, regenda disciplina, ad haec multorum deliberatione et communicatione consilii et operarum opus est. Ideo nemo sit Lector in hac facultate, qui non volet huius Collegii pars esse. Et hi decem Lectores adiungant sibi plures magistros, quorum mores sunt honesti, et eruditio videtur usui fore reipublicae. In consessibus autem publicis et in dicenda sententia cuilibet locus eo ordine tribuatur, quem singulis tempora quibus ornati sunt gradu magisterii, attribuunt.

### Tertia.

Cum hic Philosophicus coetus etiam pars esse debeat Ecclesiae Dei, volumus omnes qui recipiuntur in hoc Collegium, amplecti puram Evangelii doctrinam, quam Ecclesia nostra, uno spiritu et una voce cum Ecclesia Dei Catholica profitetur. Agnoscant Deum, et Filium eius, Dominum nostrum Iesum Christum, et ita doceant Philosophiam, ut non corrumpant doctrinam Evangelii, nec aut curiositate aut petulantia ingeniorum serant, aut probent, aut defendant, prophanas opiniones contumeliosas adversus Deum, ut multi in gymnasiis aliarum gentium, hac una re prohiberi volunt Philosophi, quia ausint Epicurea aut alios furores defendere, hanc perversitatem indignissimam Philosophia, modesta investigatrice veritatis, non tolerabimus. Sed meminerint honestae mentes etiam ab Ethnicis dictum esse: ἔχθρα σοφία λοιδορῆσαι θεόν. Imo vero audiant vocem Dei sonantem de coelo, ac praecipientem, ut filium, docentem audiamus. Huius doctrinam prolatam ex sinu aeterni patris, et confirmatam tot illustribus testimoniis amplectamur, et praecipuam rectricem opinionum et vitae esse ducamus, et frenemus ingenia, ut Paulus inquit: αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ χριστοῦ. Amet etiam et veneretur hic coetus Ecclesiam et ministros Evangelii, nec studeat ζυγομαχεῖν et ab eis dissentire, sed potius tueatur communem Ecclesiae concordiam. Sit hic coetus Philosophicus honestum Collegium, Deo serviens in literarum et artium, quae sunt dona Dei, et res sacrae, custodia et propagatione, non sit agmen Gigantum aut Cyclopum, furenter ludens fingendis opinionibus, sicut Gigantes certabant cumulandis montibus. Imo sciant hi Lectores suam gubernationem et studia non fore foelicia, sine agnitione et vera invocatione Dei, quia humana sapientia nisi regatur et adiuvetur a Deo, facile deerrat, et saepe totis gentibus exitialis est. Ideo dictum est: Initium sapientiae timor Dei. Deinde et hoc sciant se non solum literas et artes proponere, sed etiam invitare debere auditores ad agnitionem Dei, et tradere rudioribus, κατήχησιν Evangelii et multa in materiis Philosophicis monere de collatione doctrinarum, quia in re partem aliquam Ecclesiastici muneris sustinent, et sunt συνεργοὶ θεοῦ. Necesse est igitur ipsos Lectores et vere colere Deum, et tueri Ecclesiae concordiam. Si quis autem ostenderit se ζυγομαχεῖν, hunc Decanus Rectori Academiae indicet, et Rector, re inquisita, puniri et coherceri curet.

### Quarta.

Ex ipsis collegis quolibet semestri eligatur Decanus, qui potestatem habeat convocandi caeteros, proponendi res deliberandas, et rogandi sententias, et dicat primus sententiam, deinde vero obtemperet illi sententiae, quae dicta est a maiori parte, quam in Collegio bonorum virorum, et non prorsus imperitorum veriorem esse consentaneum est. Si quis autem contumaciter detrectat autoritatem Decani in vocatione, is quia contemnit huius Collegii societatem, deinceps non ducatur esse membrum huius Collegii. Custodiat etiam Decanus librum, in quo leges et nomina eorum quibus decernuntur gradus scribi solent, et sigillum, et curet bona fide testimonia dari petentibus.

Eligantur autem Decani, non tantum Lectores, sed etiam caeteri magistri qui in hoc Collegio adscripti sunt, si tamen eo tempore cum fit electio in hac Academia versantur, nec accurrunt ut hospites mox post magistratum avolaturi. Et ordo servetur, quo adscripta sunt eorum nomina. Sed si aliqua temporis ratio postularet seniorem eligi, sit hoc Collegio concessum.

### Quinta.

Decanus de Collegii sententia horas et materias lectoribus distribuat, et sit inspector lectio

num, ut sit assiduitas, et proponantur utilia, nec longum tempus in materias inutiles, aut inanes cavillationes quibus aliqui ingenia ostentare solent, collocetur. Saepe cogitentur et a docentibus et a discentibus haec dicta, quorum alterum Senecae est: Necessaria ignoramus, quia non necessaria didicimus; alterum vero Isocratis: *σοφοὺς νομίζε μὴ τοὺς ἀκριβῶς περὶ μικρῶν ἐριζέονας, ἀλλὰ τοὺς ἐν περὶ τῶν μεγίστων λέγοντας.*

### Sexta.

Cum Illustrissimus Princeps *Iohannes Fridericus* Dux Saxoniae Elector, Landgravius Turingiae, Marchio Mysiae, et Burggravius Meideburgensis, pio consilio, stipendia pauperibus Scholasticis suae ditionis circiter quadraginta constituerit, et velit quotannis eorum studia bis explorari, pertineat ea res ad Decani curam, ut adolescentes mandato Rectoris convocentur, et adiunctis aliquot ex Collegio, praesit ipse examini.

Cum enim praecipue Ecclesiarum causa haec beneficia pauperibus constituta sint, non est concedendum ut ociosi abutantur liberalitate publica, sed perficiendum est, ut recte et ordine discant hi adolescentes, ut doctrinam Evangelii et alias honestas artes propagare possint, ac meminerint ipsi adolescentes saepe Apostolica voce vituperatos esse eos qui Ecclesiam defraudant, et neglecto officio stipendiis fruuntur.

Et hi adolescentes non tantum in Grammatica, et elementis Philosophiae examinentur, sed etiam in doctrina Ecclesiae, praecipue enim ideo haec beneficia princeps largitur, ne desint ad posteritatem homines idonei ad docendas Ecclesias.

### Septima.

Decanus curet, ut ordine magistri adscripti in Collegium disputent. Ac priusquam disputatio publice proponitur, Decano monstretur, qui non concedat proponi materias absurdas, falsas, inanes. Sed iubeat veras et profuturas vitae eligi, quod propter multas causas utile est. Primum enim conducit inseri veras et bonas opiniones teneris mentibus. Deinde ad amorem veritatis assuefieri iuventutem, multo melius est Reipub. quam ad studium defendendi paradoxa, et labefactandi communes et honestas sententias, comprobatas veris iudiciis sapientium, et quia Paradoxa non veris argumentis, sed tantum Sophismatum praestigiis defenduntur, consuetudo Sophistices, postea religiones, et gravissimarum rerum deliberationes turbat, imo et privatim in mentibus ciet magnos tumultus, easque tandem Pyrrhoniis dubitationibus de relligione, et aliis multis rebus implicat. Experientia etiam ostendit pravas esse naturas et seditiosas, quae amant absurdas et monstrosas opiniones, et artium conturbationes. Estque verissimum quod dixit Euripides: *ἐσθλὸν τὸ σαφές.*

Ideo vera et recta proponantur. Nec existimandum est leve exercitium ingenii esse, confirmare vera et explicare contraria. Multae sunt enim magnae causae in omnibus artibus, in quibus contra veritatem multa plausibiliter dicuntur, quae refutare magni est artificis in suo genere.

Hoc igitur exercitium amemus, vera confirmandi et evolvendi ex illis praestigiis quae opponuntur.

Liceat etiam Decano et aliis lectoribus amanter et iuventutis erudiendae causa interfari, cum responsio aliqua displicet, ut fit in aliis Academiis, ubi ea est inter Lectores benevolentia mutua, ne quis arrogantia aut *φιλονεικία*, vel interpellet alios, vel interpellare existimetur, sed ut in convivio familiare et suave colloquium inter amicos esse ducitur. Nec profecto ulla est dulcior cantilena bonae menti, quam audire viros sapientes, graves, amicos, veritatis amantes, placide suas opiniones conferentes, et in tali collatione veritatem, vel investigantes vel illustrantes.

Postremo, si quis confuse sine Dialecticis formis, aut stomachosius rixatur potius, quam disputat, aut etiam conviciatur, dicat ei Decanus quod Socrates Menoni apud Platonem *δεῖ πραότερον πῶς καὶ διαλεκτικώτερον ἀποκρίνεσθαι.* Sit etiam monitor lectoribus linguae latinae, et graecae, et dialectices ut curent scribi, recitari latinas declamationes, et argumenta eligi honesta.

### Octava.

De gradibus servetur consuetudo, quia comperimus studiis profuisse et prodesse examina, et cum se ad gradus praeparant iuvenes, res cogit eos certis artibus immorari, quod ut magis fiat, sciant studiosi nos examina non in cavillationibus, aut ociosis quaestionibus consumpturos esse, sed in praecipuis artium materiis, in Dialecticis, et Physicis, Arithmetica, Euclide, Sphaera, Theo-

ricis, in locorum intervallis computandis ex longitudine et latitudine locorum, et in doctrina Ecclesiae. Harum doctrinarum cognitio utilis est omnibus temporibus, sive gradus accedant, sive non accedant. Et tamen cura discendi crescit in his, qui sciunt se iudicia praeceptorum subituros esse, et secum ipsi meditantur, quomodo ea quae audierunt explicaturi sint. Est etiam honestum habere bonorum et doctorum virorum testimonium. Et gradus familiaritatem cum praeceptoribus alit et auget.

Sint autem inculpati, honesti, probati gravi testimonio mores eorum qui ad gradum admittuntur, nec admittantur contaminati pravis opinionibus de doctrina Ecclesiae, aut in quorum moribus aliqua haeret turpitudo. Si quis ex alia Academia veniens petet gradum, non admittatur nisi certum testimonium adferat, quod diserte adfirmet mores eius esse inculpatos et honestos. Non callentem grammaticam, et summam doctrinae Ecclesiae, ad nullum gradum admitti volumus.

### Nona.

Vita humana non potest carere arte numerandi ut manifestum est. Et ea ars vere ianua est cum aliarum quarundam artium, tum vero doctrinae de motibus coelestibus. In quam sententiam multa dicuntur a Platone, cuius pauca verba recitabimus, etsi in re tam manifesta nihil opus est testimonio. Sed tamen prodest, adolescentes magnorum hominum dictis et autoritate, ad hoc studium accendere. *πάντα δὲ τῶν τεχνῶν ἀπόλλυται τὸ παράπαν ὅταν ἀριθμετικὴν τίς ἀνέλῃ.* Tenentibus autem Arithmeticam, patet iam aditus ad motuum coelestium doctrinam, et quamvis abstrusa videtur, tamen comprehendi facile poterit. Praecipimus igitur omnibus Scholasticis qui Grammaticen et Dialecticen discunt, ut adiungant Arithmeticam, Magistris etiam mandamus qui regunt adolescentum studia, ut adigant eos ad audiendam et exercendam Arithmeticen.

Et quia Deus sapientissimo consilio voluit certa esse anni spacia, et doctrinam de motibus coelestibus servat, ne annorum discrimina amittantur, sit etiam curae harum artium professoribus, ut extent Calendaria annua, et Eclipsium indicationes. Ac si quod opus in eo genere elaborarint, curet Decanus ut de publico munus detur artifici. Praecipue enim nos qui Philosophiae studia colimus, et has artes honore adficere decet, et iustum est dare iis aliquid praemii qui opera nobis suo aliquo sumptu facta exhibent, cum toties nobis doctrina de iusticia concionetur, *τῷ ἀντιποιεῖν ἀνάλογον συμμένει ἡ πόλις.*

Illud vero etiam optandum est, ut Principes invitent artifices, ut Ephemerides aliquot venientium annorum ad usum posteritatis nunc instituantur et edantur, quod sine Principum auxilio in his temporum difficultatibus fieri non potest. Et tamen huius rei curam necessariam esse, prudentes sciunt.

### Decima.

Optandum erat in Academiam non ante mitti adolescentes, quam Grammaticam mediocriter didicissent, aliquem sermonis latini usum haberent. Sed cum aetas adhuc rudior et nondum instructa cognitione Grammatices huc veniat, et commendetur Magistris qui privatim docent, mandamus talibus Praeceptoribus severissime, ut fideliter officium suum faciant. Nam neglectio in illa prima institutione nunquam postea sarciri potest, et damnum non solum privatim ad illos discipulos, sed ad totam Rempublicam pertinet.

Cumque Deus horribiliter declaraverit iram suam adversus parentum negligentiam in regendis filiis et filiabus, in poena Sacerdotis Eli et filiorum eius, haud dubie punit Deus et puniet omnibus temporibus ignaviam eorum qui adolescentiam quam regere debebant, volentes negligunt.

Sit ergo propter salutem Reipublicae, et propter gloriam Dei, maior in omnibus cura faciendi officii, sint etiam discipuli obsequentiores propter suam et publicam salutem, et metuant Deum vindicem contumaciae.

Utrique autem, praeceptores et discipuli, eo diligentius faciant suum quique officium, quia non hoc unum malum sequitur primae aetatis neglectionem, quod facti grandiores, sunt indocti et minus idonei ad praecipuas in Republica deliberationes, sed etiam sunt indociles, nec percipere possunt disputationes paululum recedentes a vulgi captu. Ita fit neglectione ipsa acies mentis hebetior, quod maius et perniciosius malum est, quam inscitia.

Ordo autem assuefacit homines ad disciplinam, et ad moderationem, et iuvat discentes. Ideo adolescentibus praeceptores recte distribuant tempora studiorum, cibi et somni. Non con-

cedant produci in multam noctem, lucubrationes, aut ludos.

Quotidie mane cum surrexerunt e lecto adolescentes legant Caput in Veteri Testamento, vesperi ituri dormitum legant Caput in Novo Testamento. His lectionibus adiungant precationem, quae accendi debet cogitatione alicuius historiae tunc lectae.

Nec propterea omittant hanc lectionem, quod multa nondum intelligunt. Necesse est enim a prima puericia statim historiarum seriem aliquo modo cognoscere. Et nisi prima adolescentia ad studium legendi adsuefacta fuerit, virilis aetas, postea ferocior magis, abhorrebit a lectione. Omnia quae prima aetas utcunque didicit, postea et familiarius nota et gratiora sunt, et quia altius egerunt radices, citius se in deliberationibus offerunt.

Cibum sumpturi prius dicant precationem; poterat enim Deus naturam hominum ita condere, ut sine cibo vixisset. Sed sic condidit nos ut in multis rebus aliena ope nobis opus sit, ut commonefacti nostra egestate cogitemus, unde res oriantur quibus alimur, et Deum autorem agnoscamus, et petamus ab eo bona. Haec fieri vult, cum cibus expetitur aut proponitur. Et quidem in precatione quam filius Dei nobis tradidit, ad petitionem cibi, ac victus, adiunguntur petitiones de remissione peccatorum et rebus aeternis, de quibus simul cogitandum est. Vult enim Deus promissiones bonorum corporalium commonefactiones esse de promissionibus rerum aeternarum, et comminationibus, et de universa divina gubernatione.

A cibo agant gratias, deinde historiam aliquam aut aliud utile scriptum legant. Decet enim ad mensam accedere, et a mensa abire cum invocatione Dei, et cum singulari modestia, ut fecisse inde usque ab initio mundi omnes qui norunt veram Dei invocationem, non dubium est. Melchizedec pascens exercitum, prius dicit precationem. Servat eum morem et Christus. Et Paulus clare inquit: Sanctificatur cibus per verbum et precationem, id est: Verbo Dei erudimur, naturam a Deo conditam esse et foveri, et cibos esse dona Dei, et qui cibi hominibus concessi sint. Accedat autem precatio accensa fide petente vitam, victum et gubernationem a Deo. Cum mentes ita Deum intuentur, et eius voluntatem cogitant, placet Deo usus ciborum.

Fuitque mos precandi ad mensam adeo communis, ut homines bene morati etiam apud ignaros verae invocationis, tamen ritum retinuerint. Non assident ad mensam Duces Homerici, nisi facta libatione, quae fiebat cum precatione.

Et multae admonitiones de modestia conviviorum extant in ethnicis, quale illud est, quod iubet ornare convivam suavitate et moderatione mensam, et sua quenque fortuna contentum esse, ne maiora appetens, accersat sibi et Reipub. magnas calamitates, *συμπόσιον κοσμῶν, καὶ τὸ σὸν εὖ θέμενος.* Certe non ornat convivia, qui ut porci irruunt in epulas sine modestia, et sine invocatione Dei; et quia a talibus conviviis abest Deus, ideo saepe exitus sunt similes convivii Centaurorum et Lapitharum. At nobis mensa sit, ut olim vocabatur sacra, hoc est, sit commonefactrix de Deo aeterno fovente naturam, et gubernante invocantes.

Diebus festis cogantur adolescentes interesse publicae congregationi in Templis, et discant ibi coniungere suas preces cum Ecclesia Dei. Nam de hac communi precatione peculiaris edita est promissio: Ubi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, quidquid petent fiet eis.

Privatim vero diebus festis post publicas conciones domestici praeceptores Catechesin doctrinae Christianae recitare discipulos cogant, et interrogent eos ordine de Articulis fidei et doctrinae locis praecipuis, quod sit discrimen legis et Evangelii, quid intersit inter invocationem Ethnicorum et verae Ecclesiae Dei. Quid sit peccatum, quomodo detur remissio peccatorum, quid sit fides, quae sint in invocatione necessaria. Quae sint Sacramenta, et quis sit eorum usus, quae sit Ecclesia Dei, et quomodo sit agnoscenda.

Huius amplissimae doctrinae semina inseri teneris animis necesse est. Cum enim dicit Christus: sinite parvulos venire ad me, vult certe se monstrari tenellis mentibus, vult paulatim in eis accendi agnitionem Dei, quod fieri non potest, nisi doctrina assidue eis instilletur.

Deinde ad fidem domestici praeceptoris pertinet, cogere pueros ut ediscant, memoriae mandent, et recitent regulas Grammaticae, et poscat regulas praeceptor in examine, cum declinationes, coniugationes, et Syntaxes inquiruntur.

Quod enim aliqui fugientes insuavem laborem inculcandi regulas, tantum usu et imitatione linguam latinam disci posse contendunt, error est

perniciosus studiis et iuventuti. Nam qui regulas ignorant, etiamsi utcunque verborum copia instructi sunt, tamen non semper norunt ea recte contexere. Et cum de Syntaxi dubitant, haec ipsa haesitatio deterret eos ne latine loquantur aut scribant, ac multi tandem propter hanc ipsam causam desperato fructu studiorum, deserunt scholas. Volumus igitur regulas Grammatices et proponi et disci.

Sermo etiam formandus est, ideo cogantur pueri latine loqui, et singulis septimanis scribere aut epistolas, aut narrationes aetati convenientes.

Et quanquam non omnes naturae pari foelicitate carmen fundere possunt, tamen quia Grammatici meliores fiunt, qui versus mediocriter scribunt, et hic labor ingenia acrius exercet, et Poëtarum cognitio alit copia sermonis, et acuit iudicia, ostendatur adolescentibus et ratio versuum faciendorum, et eruditiores misceant hoc exercitium scribendi versus ceteris latinae linguae exercitiis.

Mittant etiam praeceptores domestici discipulos ad aliquas lectiones publicas, ipsis utiles, ut luce et frequentia auditorum, et varietate rerum excitentur ad Dialecticen, Arithmeticen et Sphaeram.

Mores etiam infirmae aetatis honeste et pie regant quod quidem facient facilius, si ordinem lectionum et exercitiorum prudenter instituerint, et in docendo illecebras miscebunt ex quadam historiarum, sententiarum, fabellarum, dictorum et exemplorum varietate, ut ipsa rerum suavitate teneri animi invitentur, et detineantur, et se aliquo modo proficere ipsi intelligant. Ita doctrinae dulcedo flectet animos ad virtutis amorem et ad moderationem.

### Undecima.

Mores omnium Lectorum sint honesti, pii, et inculpati, ac si qua suspicio vagarum libidinum aut adulterii de aliquo erit ex verisimilibus orta coniecturis, Decanus eum indicet Rectori, et re inquisita, reo damnato adimantur lectio et stipendium. Non enim tantum Ecclesiarum pastoribus, sed nobis omnibus, etiam qui adolescentiam, in qua sunt Ecclesiae seminaria, regimus et docemus, concionari Paulum statuamus; cum inquit: *ἀλλὰ τύπος γίνου τῶν πιστῶν ἐν λόγῳ, ἐν ἀναστροφῇ, ἐν ἀγαπῇ, ἐν πνεύματι, ἐν πίστει, ἐν ἀγνείᾳ, πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει.*

Inseruimus enim hanc sententiam his nostris legibus, quia brevis regula est omnium actionum nostrarum, quam utile est semper mente circumferre, semperque in conspectu habere, tanquam normam totius nostrae vitae et gubernationis.

Et quanquam multis in Collegio nostro in manibus sunt politici libri Aristotelis et aliorum, tamen haec brevis tabella divinitus proposita per Apostolum, nos de magis necessariis virtutibus commonefacit, quam illa, quamvis diligenter et prudenter collecta Philosophorum praecepta.

Iubet Paulus hos qui praesunt ita excellere virtute, ut eorum exempla praeluceant aliis. Non sinus scandalo caeteris, non laxemus, ipsi frenos disciplinae, ne alii plus licentiae sibi propter nostra exempla sumant.

Et quidem praecipit, ut simus exemplo fidelibus. Meminerimus quo in coetu versemur, non inter Cyclopas, aut Centauros, non in Platonis Academia, sed in Ecclesia Dei, in qua Deus aeternus pater Domini nostri Iesu Christi, et filius eius Dominus noster Iesus Christus adsunt, et Spiritus sanctus vere in multorum adolescentum corda effusus est, ubi et spiritus angelici Deo chari, custodes sunt horum agminum. Hoc Dei Templum prophanare et polluere, et quasi Deum expellere ex hoc domicilio, magnum scelus esse sciamus. Quoties in auditorium, in consessum scholasticum ingrederis, veniat in mentem, te in conspectum Dei, Christi et Angelorum venire, ad quos non adferendus est contemptus iudicii divini, sed mens pia, et petens iuvari et gubernari nostra studia, quae non sunt foelicia et salutaria nobis Ecclesiae et Reipublicae, nisi a Deo iuventur. Maior ergo diligentia regendorum morum a nobis flagitatur, quia cives Ecclesiae sumus, quam in schola Platonis aut Aristotelis flagitabatur.

Quas autem virtutes nominat? Sitis, inquit, exemplo Ecclesiae Dei, in sermone, id est, in toto genere doctrinae. Sequitur infirma aetas vestra iudicia, vestram interpretationem de rebus maximis. Quare sit vera et pura doctrina. Fugite falsas, impias, immanes opiniones.

Postquam de doctrina praeceptum tradidit, deinde concionatur de moribus in conversatione, id est, in externa disciplina honesta, iuxta omnia praecepta decalogi. Cum enim nominat conservationem, de toto genere externarum actionum loquitur, quod usitate vocamus in philosophia iusticiam universalem.

Sed addit: in dilectione, id est, non satis est actiones externas inculpatas esse, ut sunt in multis hypocritis, sed sit vera cordis dilectio inter vos. Absint superbia, fastus, invidentia, aemulatio Cainica, φιλονεικία, malevolentia, livor, κακοήθεια, obtrectatio, studium nocendi, artificia premendi collegas, insidiae, cupiditas vindictae. Sed sit vera benevolentia inter collegas, tanquam fratres, quae concordiam alat et tueatur, et propter amorem mutuum inter ipsos privatim, et propter Rempub. Nam Philosophicae amicitiae referri debent ad publicam utilitatem.

Ac nos quidem in Ecclesia propter Deum tueri concordiam debemus, ut Deus vere a nostris auditoribus et aliis, uno pectore invocetur, nec dissidiis turbetur vera invocatio. Ideo dicti illius cogitatione semper nos ad studium concordiae exuscitemus. Qui manet in dilectione, in Deo manet; significat enim hunc in Deo manere, qui doctrinae consensum tuetur, et mediocribus officiis concordiam collegarum alere studet, ut Deo obtemperet, et ut scandala caveantur, quae laedunt gloriam Dei.

Addit: in Spiritu, id est, Zelo Spiritus. Sit dilectio in nobis, sed tamen ita, ne vitia alamus aut confirmemus nostra indulgentia, sed petulantia ingenia severe coherceamus, nec spargi pravas opiniones sinamus, nec morum turpitudines dissimulemus.

Rursus etiam iudicio spiritus negocia discernamus, ut ubi pugnandum sit, ubi lenitas utilior sit, consideremus. Haec propria sunt iudicii spiritus. Nam homines prophani saepe tum in movendis certaminibus tum in negligentia praetexunt publicas causas, privatis cupiditatibus.

Addit Paulus: in fide, id est, fiducia et expectatione divini auxilii, in periculorum tolerantia. Etsi multa sunt pericula in omnibus vitae generibus, tamen nostri ordinis conditio durior est, quam aliorum. Toleranda nobis sunt odia potentum, contemptus, inopia, et multae iniuriae, et pugnandum est cum multis difficultatibus. In his miseriis tamen nos promissionibus divinis consolemur. Sciamus Deum servaturum esse scholas et studia propter suam gloriam, etiamsi sumus imbecilles et praesidia humana vel nulla, vel exigua habemus, sic defendit Deus Sareptanae viduae domum, cum ibi esset Eliae schola.

Non igitur abiiciamus professionem fracti miseriis aut metu, sed fide perferamus adversa, et expectemus auxilium Dei in tota gubernatione, et periculis. Haec fides conspiciatur ab aliis piis, ut discant ipsi quoque firmiora praesidia esse fidem et invocationem Dei, quam humanam potentiam.

Sequitur: in castitate. Accedere necesse est ad caeteras virtutes castitatem, ut saepissime praecipitur, non sis moechus. Item: Nolite errare, Scortatores, Adulteri, etc. non possidebunt regnum Dei. Excutiunt igitur Deum Rectorem vagae libidines, et comitantur eas poenae horribiles, coecitas et multi furores, et tristissimae calamitates, ut Davidis Historia ostendit. Et plenae sunt exemplorum omnes aetates, in quibus conspicitur ira Dei, ut sciamus vere dictum esse in Epistola ad Ebraeos: Scortatores et Adulteros puniet Deus, et in hac vita, et aeterno supplicio, nisi emendentur. Ideo etiam tueri castitatem necesse est, ne excutiatur invocatio Dei, donec enim laxatur frenum libidini, et voluntas ruit contra conscientiam, nulla potest esse Dei invocatio. Nulla est autem revera maior miseria, quam non posse Deum invocare, nec habere eum custodem et gubernatorem. Nec studia foelicia sunt, nisi mentes castae a Deo iuventur.

Postremo etiam Ethnici tantum decus esse huius virtutis dixerunt; ut caeterae sine hac videantur esse velut statua sine capite, ut est in versibus Bacchylidis:

> Ut nisi sit vivo facies expressa colore,
> Non decus in picto corpore truncus habet,
> Sic reliqui mores spreti sine honore manebunt,
> Ni sint ornati laude pudiciciae.

Tueantur ergo castitatem et caelibes et mariti, et cum sciant hoc docendi munus ad Ecclesiam Dei pertinere, et Deum velle servari literas et honestas artes quae literis continentur, servire se Deo statuant, et referant suos labores ad gloriam Dei, et ab eo auxilium petant, et eum veris officiis colant.

Postremo et assiduitatem in studiis praecipit Paulus, cum ait: Sis assiduus in lectione. Cumque hac brevi sententia praecipuas virtutes nostri muneris complexus sit, saepe eam nobis tanquam monitricem proponamus.

### Duodecima.

Curet Decanus utiles libros Philosophicos in Bibliotheca publica reponi. Et cum semper his qui studia literarum rexerunt, simul commendata

fuerit cura colligendae historiae superiorum temporum et rerum praesentium annotandarum, ut memoria earum rerum quas posteritatem scire prodest, propagaretur, Decanus sit monitor ut perpetuae Historiae in Bibliotheca publica reponantur. Et sit in hoc Collegio liber in quo singulis annis res magnae et dignae memoratu, ab aliquo in nostro Collegio perscribantur, qui et intelligat quae res literis mandandae sint, et quomodo sint recitandae. Nec tandum eventus narret, ut Germanici scriptores veteres horride narrarunt, sed ut in Philosophia eruditus, inquirat fontes et causas negociorum, *αἴτια* et *ἀφορμάς*, Eclipses, Cometas, insignes siderum positus, personarum naturas, ingenia, voluntates et studia, invocationem Dei, signa auxilii et iudicii divini. Non enim tantum propter eventuum memoriam expetenda est historia, sed etiam propter hanc doctrinam, ut qui eventus, quae religionum et imperiorum mutationes, quas causas secutae sint, consideretur. Praecipue vero recitet Ecclesiarum et doctrinae certamina, et saniorum de controversiis iudicia, deinde addat ea quae in gubernatione publica, tum harum regionum, tum vero reliquae Germaniae memoratu digna acciderunt. Nam propter multas magnas causas memoriam rerum magnarum quae geruntur, praesertim in Ecclesia Dei, ad posteros propagari et retineri necesse est. Finis.

Iohannis XVII:

Pater sanctifica eos in veritate. Sermo tuus est veritas.

---

## III.

## DECLAMATIONES PHILIPPI MELANTHONIS

IN VOLUMINE UNDECIMO SEQUENTUR.

---

HALIS

TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIIS.